This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

Digitized by Google

HV. U 162 13

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SCRIPTORES

RERUM SVECICARUM

MEDII AEVI

EDIDIT ET ILLUSTRAVIT

CLAUDIUS ANNERSTEDT

IN REGIA ACADEMIA UPSALIENSI HISTOR. DOCENS.

TOMUS III.

UPSALIAE MDCCCLXXI ET MDCCCLXXVI.

EXCUDEBAT EDVARDUS BERLING REG. ACAD. TYPOGRAPHUS.

Digitized by Google

Staatsbibliothek
Bamberg
Bibl. des Histor. Vereins

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Duodesexaginta fere anni abierunt, ex quo *Scriptores rerum Suecicarum medii aevi* unius potissimum viri cura et industria foras dari coepti sunt; nam Ericus Michael Fant, professor Upsaliensis, qui anno 1817 mortem oppetiit, huius operis primum tomum (quem socii ejus sequenti anno ediderunt) integrum fere ex schedis præcipue Nordinianis collegerat et curaverat; alterum vero Ericus Gustavus Geijer, professor Upsaliensis, et Ioannes Henricus Schröder, qui vicarius bibliothecarii tum erat, decem post annos divulgarunt; nunc demum tanto temporis intervallo tertius ad finem perductus sequitur. Qui secundum tomum curae habuerant, iis ut tertium quoque adderent fuerat mandatum; at Geijer et docendi et scribendi amplo munere impediebatur, Schröder autem opus, quod revera aliquando denuo inchoaverat (qua de re plura infra dicentur), eam sine dubio ob causam seposuit, quod negotiis, quae ad officium ejus pertinebant, satis erat occupatus. Sic ea res diu jacuit, donec decem annis post quam Schröder e vita discesserat, Rex Augustissimus Carolus XV. d. 20 Decembris 1867 tribus viris eam detulit: fuerunt hi H. Reuterdahl, Archiepiscopus Upsal., C. G. Malmström, Historiarum Professor extraord., C. G. Styffe, bibliothecarius. Mortuo a. 1870 Reuterdahlio pristinus consiliarius regius F. F. Carlson successit princeps trium virorum. Iam mense Januario a. 1868 primo conventu habito illi grave illud atque honorificentissimum negotium mihi detulerunt, ut ipsorum auspiciis ea scripta, quae ad fontes historiae Suecanae mediae aetatis pertinerent, et colligerem et in lucem ederem. Itaque quod mihi deinceps fuit injunctum munus pro virili peregi, quamquam praefectus Bibliothecae Upsal. C. G. Styffe, quoties huius amici mei auxilio opus fuit, perhumaniter mihi adfuit, id quod gratissimo animo confiteor.

Annis post opus inceptum tribus quatuorve interjectis altera hujus tomi sectio anno 1871 edita est; totus jam tomus tandem, priore quoque sectione ad finem perducta, vulgatur, quod temporis spatium fortasse, si quis numerum foliorum huius voluminis solum respexerit, ad id perficiendum vix opus fuisse videbitur. Primum vero monendum est, me non per totum illud tempus huic uni negotio vacavisse, ut excepto ultimo anno, quo sectionis prioris partem posteriorem totam confeci, tempora modo subseciva ei tribuere potuerim. Nam et aliis tum in bibliotheca nostra occupationibus distinebar tum in Academia annis 1869—1874 publicas scholas habere ad officium meum pertinebat. Tum non est silentio transeundum praeter tredecim plagulas sectionis alterius huius tomi, quas Schröder typis describendas curavit, et paucos libellos transscriptos, vix quicquam a praecedentibus fuisse nobis paratum. Itaque initio sub uno adspectu ponenda fuerunt omnia, ac singula scripta, quae maxime idonea videbantur, omni ope atque opera inquirenda et critica ratione tractanda; qui labor fugit legentes. Nec domesticos solum fontes perscrutari oportebat, sed etiam exterorum libros pervolvere, e quibus haud raro in maxima rerum copia pauca modo mihi erant excerpenda. In tot tantisque molestiis, quibus solus conflictabar, parem non fuisse studio meo facultatem facile concesserim.

Si conspectum illum totius operis, qui a. 1816 ante primam partem editam emissus est, cognoveris, comparatione facta cum iis, quae in tomo tertio continentur, permulta ibi non indicata invenies. Crevit enim præter exspectationem opus. Pristini quidem editores in præfatione tomi secundi bona fide scripserunt: "Tomus tertius idemque ultimus, Deo volente, ceteros scriptores ecclesiasticos mediae nostrae aetatis maxime

Digitized by Google

comprehendet". Neque eo minus, quae in sectionem huius tomi priorem eandemque maiorem recipere mihi licuit, omnia fere politico-historica sunt, quorum longe plurima pariter atque in altera sectione pleraque eorum, quae ad historiam sacram pertinent, in Conspectu illo frustra quaesiveris; et qvarto quoque tomo haud contemnenda sane copia rerum est reservata, quas infra breviter attingemus. Quae cum ita sint, facile apparet opus aggredienti mihi haud multa ante collecta ad negotium exsequendum fuisse, quamquam consentaneum erat, fore ut dimidio seculo interjecto haud pauca, quæ iis, qui ante me scripserunt, minus cognita vel plane ignota essent, invenirentur. A re alienum non est hic indicare, quae post Conspectum illum in tomo tertio nova accesserunt. Haec autem sunt:

In sectione priore. I. Annales Sigtunenses. II. Annotationes in libro eccl. Wallentunensis. IV. Libellus de Magno rege. V. Commentarii Hist:i de revelat. s. Birgittæ. VI. Annot:s Hist. 845—1445. VII. Annales Holmienses. VIII. Expeditio Danica 1518. X. (appendix) Oratio Hemmingi Gadd*). XI. Narratio de cæde Holmiensi. XIII. E collectionibus Erasmi Ludovici. XVI. Ex Annalibus Danicis. XVII. Ex diversis fontibus Danicis. XVIII. Carmen de expedit. Dan. 1497. XIX. Wermanni epistola de obsidione Holm. 1518. XX. Carmen de expedit. Krist:i II. 1520. XXI. Ex Adamo Bremensi. XXII. Ex Annal. Lubecensibus. XXIII. Ex Chronico Detmari. XXIV. Libellus Magnopolensis. XXV. Ex Continuatoribus Detmari**). XXVI. Ex Chron. Reimari Kock. XXVII—XLIII. Diversa excerpta e fontibus Germanicis.

In sectione posteriore. XIV. Vita s. Birgittæ***). XVII. Ex processu Canonizationis s. Birgittæ†). XVIII. Ex miraculis s. Birg. XXI. Ex miraculis Katarinæ; et breviores fontes, quos in numeris XXVI, XXVII, XXIX et XXX edidimus.

Mirum forsitan videatur legentibus, quod huius tomi posterior sectio ante priorem typis exscripta est: quamvis enim huius generis scripta non arctius inter se cohæreant, tamen non sine causa ab ordine consueto erat recedendum. Nec defuit causa. Nam Schröder, cujus erat officium hoc opus persequi, ab historia metropolitana Johannis Magni ob eam causam credo, quod præ ceteris in promptu fuit, exorsus est, quare, cum sectione posteriore historiam sacram comprehendere constituisset, ab hac sectione incipere coactus est. Etsi, ut iam dixi, brevi desiit ista continuatio, tamen iis, quibus illud negotium deinde commissum est, ab eo ipso loco, ubi ille substiterat, primum pergere idoneum esse videbatur.

Quibus denique rationibus hunc laborem pertulerim, breviter indicare e re erit. Quamvis libros manu scriptos summa fide descripserim, tamen non eo anxietatis procedendum esse existimavi, ut vel apertissima menda retinerem. Quare in recentioribus exemplis maximeque in Latine scriptis minime in hujusmodi causis serviliter egi, attamen in textu antiquo, præsertim cum nostra lingua usus sit scriptor, et vitia et linguæ a communi usu abhorrentem varietatem quam religiosissime reddidi. Itaque aut scriptione genuina, quamvis vitiosa fuerit, servata vel his signis [ɔ: —] rectum addidi vel de mendo, quod per se intelligebatur, hoc modo (!) admonui, aut, si quando verum in ipsam orationem retuli, falsum infra annotavi. Quae me iudice omissa fuerunt, his rectis uncis [ ] usus inserui, curvi autem (*παρένθεσιν* vocant) scriptoribus ipsis sunt tribuendi. Asteriscis * * ea verba notavi, quae nonnumquam, ubi deerant in eo ipso exemplo, quod prae ceteris secutus sum, ex alio sumpsi. Quod ad distinguendi notas attinet, usu doctus non dubitavi ad legentium commodum et aperte falsa corrigere et addere, quae desiderabantur; at in dubiis rebus pariter atque in libris suecanis vetustioribus nihil mutavi. Orthographiam omnino servavi codicum; sed literas horum i et u cum j et v commutare licitum esse putavi; qvod media aetate usitatissimum erat, e pro æ retinuimus, nisi quod principio in historia metropolitana Johannis Magni æ ubique scripsimus. Literae grandes media aetate nulla fere lege scribebantur; nos eum modum adhibere conati sumus, ut principiis nominum propriorum atque enuntiationum eas reservaremus; tamen initio in hac re non satis constantes fuimus. Compendia scriptionis, quæ plene perscripserimus, literis obliquis (quæ *cursivæ* vocantur) vel alia ejusmodi ratione significare doctorum exterorum exempla secuti supersedimus.

*) Hic exemplaria lingua Svecana scripta respicimus; Fant præter versionem Latinam apud Johannem Magni fragmentum solum Svecanum sibi cognitum habuit. **) Chronicon Korneri solum in Conspectu ad n. 39 memoratur. ***) Sc. hæc vetustissima, fons reliquarum, quam ipsi invenimus. †) Fant ipsam solum canonizationem, quam infra sect. 2. n. XIX. inseruimus, in Conspectu sub n. 61 attulit.

Digitized by Google

Quomodo electi ex libris exterorum loci in hoc opere dandi fuerint, de ea re alii aliter sentient. Apparet quidem ex oratione continua nihil sine quodam detrimento divelli posse ideoque per epitomas mancam et imperfectam eorum fieri notitiam. Quod quidem incommodum cum vix posset evitari, nisi permultas res, quæ ad patriam nostram nihil attinerent, in textum reciperem, id secutus sum consilium, ut si qui exteri scriptores quasi prætereuntes res Svecanas breviter attigissent, eas res, neglectis ceteris permultis, excerperem, reliquum vero sermonis contextum summatim modo et literis cursivis, quæ vocantur, indicarem. Maximas haec res habuit difficultates in iis, quae ad illud tempus pertinent, quo foederata erant regna septemtrionalia fataque horum solito magis inter se connexa. Quaecumque de regibus illius aetatis scripta erant ob eam solam causam excerpere, quod iidem reges fuerunt Sueciae, nimirum fuit ineptum, quamobrem vulgo ea omisi omnia, quae ad hos reges, non ad nos pertinerent. Nam si nimis quam parum excerpendo delinquere maluissem, parvo emolumento in immensum crevisset opus. Ceterum istiusmodi epitomae numquam supervacaneos reddent ipsos libros, qui nihilominus adeundi erunt iis, qui res gestas aliorum populorum nostraque cum iis commercia describere volent; at his ipsis magno usui erit habere cognitum, quibus in rebus atque apud quos nostra commemorentur atque perscripta sint.

Annotationum infra orationem contextam adiectarum inaequalitas quaedam erit conspicua. Res ea est, ut primo praeter ea, quae de sermone observare necesse esset, vix quicquam annotare opus esse putaverim, monstranda tantum fuisse ea, quae a vero discederent. Sed cum iam ad haec indaganda et collustranda alii essent fontes adeundi, diplomata evolvenda, recentioris ætatis iudices consultandi, omnem illam operam me frustra insumpsisse putabam, nisi etiam alia, quam que plane necessaria essent, adiecissem idque eo acceptius fore sperabam, quod futurorum scriptorum labor hac accessione facta non paulum minueretur. Quare procedente opere annotatiuncularum numerus crevit maiorque est in priore sectione, quam in altera.

Etiam in praefationibus, quas singulis libellis adiunxi, facile quaedam conspicitur dissimilitudo. Neque est dissimulandum iam mihi minus satisfacere ea, quae parum in his rebus exercitatus ad prima scripta sectionis posterioris praefatus sum, quamobrem, ut damna quaedam aliquo tandem modo resarcirem, commentarios aliquot ascripsi, qui mox subsequentur. Prout vero progressus est labor, usu peritior factus res praecipuas, velut aetatem fontis uniuscuiusque atque auctoritatem et qua ratione cum aliis connectere-

tur, declarare conatus sum. Quorum evidentior erat cognatio, eos ut certius simul et commodius de singulorum auctoritate iudicari posset, binis columnis comparatos ante oculos legentium sistendos curavi. Ut de ratione mea praefationes conficiendi aequius fiat iudicium, duae denique res sunt considerandae. Nam et libelli Suecani protrahendi erant magna ex parte ieiuniores et epitomae ex Danorum Germanorumque scriptis haud paucae efficiendae. Ex uberioribus fontibus hauserant ii, qui ante me in hoc opere versati sunt, qui cum omnino faciliora tractatu, quippe quae in magna copia exstarent perscripta, eademque iucundiora et pleniora sibi sumpsissent, mihi plerumque ea reliquerunt, quibus multo minore fructu labor impendendus erat nihilo minor. Epitomae autem illae ex scriptis exterorum plus quam duas partes prioris sectionis explent; harum autem ratio ea est, ut acrior existimatio eorum tantum auctorum sit, quorum de rebus patriis vel patria lingua ea scripta confecta sunt. Quid de iis utique fontibus, unde plura nobis sumenda fuerunt, hi iudicaverint, diligentius inquisivi; cuius rei documento sint, quae ad Annales Danicos atque Chronica Lubecensia Detmari et aliorum breviter exposita invenies. Ipsos autem codices, quibus illa scripta continerentur, ne inspicerem et judicarem, multæ sane res impediverunt. Judici æquo unicuique jam per se elucet, in his rebus ut ego, editor Svecus criticæ arti satisfacerem, vix a quoquam esse postulandum. Ut enim omittam, quanta cum difficultate exterorum manuscriptorum, qualia sint, semper sit conjuncta existimatio, id certe monendum est in ejusmodi re bene efficienda omnes vel saltem optimos codices una in manibus habere oportere. Nunc vero longe alia ratio erat. Codices non modo una evolvi et conferri, sed ne singuli quidem omnino adiri potuerunt; quod in chronicis Lubecensibus, quibus nulla alia graviora, certe erat dolendum; horum autem omnia fere manuscripta Lubecam eo consilio transmissa erant, ut peritissimi viri industria novæ tandem editiones critica ratione conficerentur.

Iam restat ut, quae in praefationibus ad libellos primo typis descriptos manca esse dixi, reficiam; qua usus occasione etiam alias nonnullas, quas contulit opus continuatum, addam explanationes.

Digitized by Google

ADDITAMENTA AD NONNULLAS PRÆFATIONES IN SECTIONE POSTERIORE.

n. I. *Johannis Magni Historia metropolitanae ecclesiae Upsalensis* (v. infra sect. 2 pag. 5—97).

J. H. Schröder hunc librum, cujus primas tredecim plagulas, ut supra dixi, imprimendas curaverat, praefatione non instruxit, quod damnum iam sumus breviter compensaturi. Typis exscripsimus eam editionem, quae Romae a. 1560 prelo subiecta, antiquissima diu habebatur; ornata autem est praefatione jam d. 22 Febr. 1557 data ab Olao Magno, qui frater idemque successor fuit Johannis*). Posthac autem nobis innotuit, exemplar jam anno 1557 Romæ impressum in bibliotheca regia Holmiensi asservari. Si vero ab hac et ceteris paucis iisque minutis mutationibus typographicis in qvatuor foliis obviis discesseris, nullam earum invenimus esse editionum diversitatem. Verisimile est priorem illam editionem ob eam causam non mox vulgatam esse, quod d. 1 Aug. 1558 mortuus est, qui eam typis describendam curaverat, Olaus Magni**). Quam Olai editionem duobus annis post aliquis alius, paucis modo foliis typis rescriptis et anno 1560 assignato, integram fere vulgavit.

Vitam Johannis Magni ab ipso sine dubio scriptam hic infra ad finem libri illius (pag. 74—97) invenies; quamobrem hoc loco id tantum monuerimus, natum eum fuisse d. 19 Martii 1488, Archiepiscopum Upsal. electum a. 1523, relicta autem Suecia 1526 reliquam vitam in exsilio degisse, et Romæ d. 22 Martii 1544 mortuum esse. De hac historia illius metropolitana aeque ac de altero libro eius, Gothorum Sueonumque historia (cuius extremam partem in priore sectione sub. n. X. reddidimus), vere dici potest, quaecumque de temporibus vitam ipsius praecedentibus scripta sint, parvi pretii esse, res enim exiles sunt et parum fidae, quod oratione turgida et inflata celare studuit auctor. Neque solum (quod item de aliis multis illius temporis scriptoribus dici potest) omnis fere deest judicii subtilitas, sed ipsius veritatis parum diligens fuit, quippe qui multa aperte licentius finxerit. Nam satis manifestum est omnia ea, quae de quinque episcopis Upsaliensibus antiquissimis narraverit, quorum nomina fere sola noverit Chronicon vetus de Archiepiscopis Upsaliensibus, ab ipso esse inventa, si pauca, quae de Henrico episcopo ex legenda illius sumpsit, exceperis. Ejusmodi figmentorum aliorumque vitiorum magnum numerum afferre facile est, sed tam inutili labore legentes fatigare nolumus. Tantummodo in iis, quae ipsius aetate accidisse memorantur, inesse putamus aliquid, quod rerum scriptoribus usui esse possit. Numquam fere testibus utitur, nisi quod de temporibus remotissimis ad Albertum Krantzium nos relegat, quod ipsius scribendi generi iam satis indicio est. Ceterum vel tacente ipso brevi invenimus Chronicon recentius de Archiepiscopis Upsal. et Chronicon Erici Olai (Tom. II. n. 1) potissimum eum usurpasse.

Qua cognatione contineantur hist. metropolitana et Goth. Sveonumque historia, diiudicare difficile est. Dicitur quidem illa in prooemio Dantisci a. 1536 scripta esse, dum haec Venetiis a. 1540 confecta esse fertur (vid infra sect. I. pag. 34), atque illa in Goth. Sveon. Hist. laudatur lib. XIX cap. 6, at e contrario hanc duobus locis in Hist. metropol. (vid. infra pagg. 11, 12, 45) memoratam invenimus. Videtur igitur auctor perfecta utraque vicissim ex altera in alteram aliquid transtulisse. Quoque modo res se habet, quaestio est ea parvi momenti, quam explicandi tempus deficit.

n. II. *Chronicon vetus de archiepiscopis Upsaliensibus.* (v. infra sect. 2 pag. 97, 98).

Huius unum novimus exemplum, quod est in bibliotheca Academica Upsaliensi. Idem secutus Olaus Celsius maior a. 1705 Chronicon edidit; de reliquo fata manuscripti ignota sunt; credimus Celsium id possedisse et deinde huic bibliothecae dedisse, nam in extrema prima pagina Ericus Benzelius junior, qui tum Bibliothecarius fuit, haec notavit: *Bibliotheca Upsaliensis anno 1718.* Constat is liber decem foliis pergamenis in 8:o, ligatus fusco

*) Cfr. de hac editione Warmholtz, Bibliotheca Hist. Sveo Gothica IV. n. 1835. **) Plura videas de editione a. 1557 in opere illo, quod inscribitur *Ur en antecknares samlingar* (scripsit G. E. Klemming Bibliothecarius) Stockholm 1868—1873 in 4:o pag. 53, 54.

Digitized by Google

involucro e corio facto*). Sunt quinque folia dupla eo ordine collocata, ut primum separatim iaceat, reliqua perplexa, (ut ex. gr. alterum paginas contineat n. 5, 6 et 19, 20); qui quidem ordo foliorum jam primo scriptori debetur, ut infra e codicis descriptione elucet. Cum his foliis num plura olim coniuncta fuerint, ut igitur pars tantum majoris cujusdam libri codex esset, iam non potest investigari.

Argumentum et manus diversae. I:o. Primis duobus foliis continetur index paparum ab his verbis incipiens: *Hic describuntur nomina Romanorum pontificum ... sanctus Petrus sedit XXV annis, mensibus VII, diebus VIII* ... ultimus nominatur *Clemens***); iam ab Urbano (IV. 1261—64), qvamdiu regnaverint singuli, indicari vulgo desinit. Tres manus hic discernuntur, quarum prima omnia fere scripsit, desinit enim demum in *Benedicto* [XI. 1303 Octob. — 1304 Jul.]; ex iis tamen, quae hic infra in eorum manibus, qui Chronicon 1160—1320 exararunt, discernendis retuli, intelligimus illum, qui ea scripsit, a. 1314 etiamtum vixisse. — Secunda manu scripti sunt *Clemens* [V. 1305 Jun. — 1314 Apr.] et *Johannes* [XXII. 1316 Aug. — 1334 Dec.]. Pæne eadem aut saltem eiusdem ætatis ea manus esse videtur, quæ veteris Chronici archiepiscoporum alteram partem dimidiam (i. e. annos 1291—1305) exaravit. — Tertiam manum agnoscimus in *Benedicto* [XII. 1334 Dec. — 1342 Apr.] et *Clemente* [VI. 1342 Maj. — 1352 Dec.]. Eadem fortasse manus infra in Chronico 1160—1320 in columna annorum numeros 1315—1343 addidit.

II.) Tertium folium continet nostrum *Vetus Chronicon de Archiepiscopis Upsal.* Ibi duae manus dignoscuntur, quarum prior prope totum Chronicon scripsit et desinit Johanne episcopo Aboensi Upsaliam transducto an. 1290 (vid. infra pag. 98 not. b); ut iam diximus, eadem hæc manus prima est in indice paparum. — Altera manus reliquam partem parvam an. 1291—1305 scripsit ac præterea (ut pag. 98 not. b. annotavimus) in antiquiore parte omnia addidit, quæ parenthesi inclusa sunt, h. e. annos, quibus singuli Archiepiscopi mortui sunt; at cum prima manus annotavisset, quo anno (sc. 1289) mortuus esset Magnus Bosson, hæc diem adposuit. Simul manus secunda, id quod docere prætermisimus, in praecedenti rem correxit; cum enim in nono archiepiscopo, Fulcone, prima imprudenter scripsisset: "Bæremi *cum gregibus*", secunda ultimis duobus verbis inductis adiecit, quod rectum est: *et Grenby.* Hanc autem secundam, ut supra diximus, eandem esse opinamur atque secundam in indice paparum, quodsi ita est, hæc continuatio Chronici an. 1291—1305, qualis hodie exstat, annis 1316—1334 scripta est.

III) Priore pagina folii quarti Catalogus regum Sueciae continetur, qui supra in Tomo I. 1. n:ro XI. allatus est. Quinque autem manibus scriptus est, quarum prima, quæ eadem prima est in indice paparum et Chronico Archiep. pleraque peregit desinens a Magno rege Ladulas († 1290). — Secunda additum est: *Vicesimus tertius Byrgerus rex. XXIV. Magnus Svecie Norvegie et Scanie rex.* Illud autem Scanie rex documento est ea post annum 1335***) scripta esse. Manus quidem non dissimilis est secundæ illius, quæ est in Chronico Archiepiscoporum; saltem non multo recentior est. — Tertia manus nomina Alberti et Erici addidit; scripsit igitur post a. 1396, quo declaratur error "Albertus filius *Henrici*". Quarta denique manus Christophori nomen, quinta Caroli Canuti filii adiecit, quo aetas utriusque annotationis intelligitur.

IV) Reliquæ tredecim paginæ continent Incerti scriptoris Sueci Chronicon 1160—1320†), quod supra typis exscriptum est in Tom. I. 1. n. XIX. p. 89—93. — Sex in illo manus discernuntur††), quarum prima (quae ipsa prima est in indice paparum, Chronico archiep. et Catalogo regum) maiorem Chronici partem confecit; nam continuo ordine (pag. 8—17) scriptis numeris annorum 1060—1314, idoneis locis res aliunde sumptas adiecit, quamobrem multi anni vacui sunt: ultima est annotatio ad annum 1307 atque a verbis *Tyrgillus marescalcus* desinit. — Secunda manus adjunxit numeros annorum 1315—1343, quo ipso anno id fecisse videtur, quia non addidit annum 1344, cui spatium in postrema pagina non deest. Cui opinioni literæ non refragantur, ceterum (ut supra diximus) conveniunt cum ea manu, quae in indice paparum tertia est, cuius quidem additamentum intra

*) Verisimile est illo tegumento librum, ubi ad Bibliothecam nostram pervenerit, ornatum esse. **) Scil. Clemens VI. 1342—1352. Ut sub oculos cadant, quæ de aetate singularum manuum conclusimus, in sequentibus ad nomina paparum numeros et annos, quibus regnarunt, uncis includemus. ***) Cfr. quae annotavit Hildebrand in diplomatario Svecano, IV. pag. 279. †) Paginas 8—17 anni 1060—1322 occupant, reliquis autem tribus paginis anni 1323—1343 soli continentur, quia majus cuique anno spatium est tributum. ††) Priores huius operis editores hoc in Tomo I. non significarunt, quippe qui ipsum codicem tum non reperirent editionemque Celsii sequerentur. Tamen non tam accurate, quam ille, annotaverunt omnia a manu prima aliena.

Digitized by Google

annos 1342 et 1352 factum est. Præterea secunda illa manus in Chronico hæc tria addidit: ad an. 1307 verba *et rex B. captus;* ad an. 1304 totam annotationem; 1317 hoc dictum *Obiit..Andreas... Upsalensis.* — Tertia manus (paulo ætate posterior quam secunda) ad an. 1317 addidit: *et capti sunt duces Ericus et Valdemarus.* Ab eadem, (vel alia manu ejusdem ætatis), annotatio ad an. 1188 scripta est. — Quarta manus, quam pro certo eandem esse statuimus, quam secundam in Catalogo regum, (si ita est, scripsit post annum 1335) annotationem ad an. 1320 adiecit*). — Quinta manus, quæ simillima est tertiæ in Catalogo regum itaque scripsit post an. 1396, quæ sententia cum literis non pugnat, ad an. 1336 annotationem fecit, quam Celsius ideoque etiam antecessores nostri præterierunt. Cuius priorem partem dimidiam, *Coronatus fuit — — — — in turre fame periit,* infra in sect. I. pag. 16 ex alio fonte retulimus; hic pergitur: — — *periit, et nepos domini Magni regis dicti Ladhalaas. huius tempore floruit sancta Birgitta sponsa Christi et multas revelaciones a Christo habuit pro illo rege.* — Sexta manus, quæ vix medio sæculo XV. ætate antecedit, potius paulo recentior est, reliquas omnes in Chronico fecit adjectiones, quæ non supra separatim memoratae sunt. Non sunt quidem perspicuae eae in tomo hujus operis primo, at comparent in editione Celsii, quem item fideliter imitatus est Suhm in Script. rer. Danic. IV. pag. 583 sqq. Deest locus hic eas describendi; invenies autem illas ad annos 1248, 1250, 1251, 1260, 1266, 1275, 1276, 1290, 1296, 1297, 1302.

De compositione veteris Chronici Archiepiscoporum. Duabus saltem partibus constare hunc librum manu scriptum iam docuimus, quarum 1) maior pars et antiquior desinit ab anno 1290, 2) adiecta brevior pars annos 1291—1305 amplectitur. Priorem partem eo ipso anno 1290, quo abrumpitur, scriptam esse, verisimile quidem fit ex eo, quod auctor alioquin Johannem archiepiscopum, a quo sedem an. 1290 mutatam narraverit, anno insequenti mortuum esse quam brevissime utique significare non facile neglecturus fuerit. Eam vero quæstionem, adiectionibusne temporis progressu factis exstiterit pars illa antiquior, in medio relinquimus**). Ipsius autem auctoris autographon hoc exemplar non esse pluribus rationibus ducimur ut statuamus. Primum enim librarius, id quod ex Chronico 1160—1320 apparet, anno 1314 etiamtum vixit, quod cum ita sit, nullam idoneam causam reperimus, cur in anno 1290 Chronicon archiep. abrumpi passus sit; deinde vero, si ipse scripsisset, curæ ei futurum fuisse opinor, ut sumptis nonnullis rebus ex Chronico an. 1160—1320 (cujus maximam partem ipse in codice inseruit) et ante et post annum 1290 accessionem faceret; tum error iste *cum gregibus,* ubi *in Grenby* esse debebat, magis librarium prodit ignarum et oscitantem quam alienata mente scriptorem***). Is igitur, qui indicem paparum in annum 1303, Chronicon archiep. in an. 1290, Catalogum regum item in an. 1307 perscripserit neque hæc quatuor opuscula ad eum ipsum annum 1314, cum ista omnia conficeret, produxerit, librarius sane nobis fuisse videtur, qui jussu alius viri (Capitularis, nisi fallor, præstantioris alicujus Upsaliensis) in unum librum ea conferret, quae ipse hinc illinc excerpsisset vel potius transcripsisset. Verum autem auctorem antiquioris partis Chronici e vestusto aliquo Necrologio Capituli Upsaliensis magna ex parte sua petiisse credibile est; quo modo intelligimus, cur dies mortis, non anni notentur, quippe cum proprie illi soli ad anniversaria illa, quæ in ecclesia essent celebranda, pertinerent, quam ob ipsam causam anni mortis in vetustissimis necrologiis non sæpe referuntur. Sic facillimum est explicare, cur utrumque Chronicon Archiep. et Chronicon an. 1160—1320 de una eademque re tantopere inter se et concordent et discrepent; nam diversis temporibus dissimili modo sua quisque scriptor ex communi fonte uberiore hauserunt. — Non multis annis post 1314, cum hæc transcriptio

*) Ut jam diximus, hæc quarta manus Chronici secundaque Catalogi regum valde similis est secundæ manus in Chronico archiep. obviæ. Hanc sine dubio rem antecessores nostri annotatione quadam subobscura (Tom. I. 1. pag. 88 not. g) respiciunt, quamquam, si ita est, aliud efficitur, posteriorem partem Chronici archiep. non ante annum 1335 scriptam esse. **) Haud scio an parte quadam antiquiore, quæ a morte Jacobi archiep. an. 1281 desinat, et additamento de Magno Bosson an. 1290 facto constet hocce Chronicon. Cum enim nullius præcedentium Archiepiscoporum annus feralis relatus sit, omnium vero dies fatales, huius contra Magni ut annus indicatur, ita deest dies. Ceterum Johannes Odolphi, qui successit Jacobo, prætermissus est; tum vero duæ illæ annotationes, quæ sunt de Magno Bosson et Johanne Upsalensi, non tam, quam præcedentia, annalium exiguitatem imitantur. ***) De alio quodam lapsu ejusdem scribæ antiquioris nondum mentionem fecimus. Nam ad an. 1292 post verba illa *in archiepiscopum* hæc addidit: *Eodem anno milites facti sunt Stockholmis dominus Birgerus filius regis regis Magni et dominus dominus dux de Brunswik;* addita autem verba aut ipse aut alius aliquis induxit, sine dubio ob eam causam, quod ad alienum annum ea relata esse reperit; narrantur enim eadem anno 1289 usu venisse (v. supra Tom. I. 1. pag. 26 et 41).

Digitized by Google

prioris partis Chronici archiep. facta est, alia manus augmentum subiunxit, quod in morte Nicolai Allonis archiepiscopi a. 1305 desinit. Quod quidem augmentum utrum ab ipso auctore an a librario scriptum sit, dijudicare vix poteris. Certe scriptor eo, quod in antiquiore parte chronici quotquot deerant annos addidit et errorem quendam correxit, studium quoddam expromit, at ab altera parte jure quæritur, cur is, qui post an. 1316 (ac fortasse post 1335) scripserit, non ultra annum 1305 perrexerit. An credamus excidisse folium, quod iuxta locatum fuisset? *).

n. III. *Chronicon recentius de archiepiscopis Upsaliensibus.*

(infra pag. 99—102).

Hoc Chronicon est in Registro ecclesiæ Upsaliensis, quod vocatur. Servatur nunc is codex pergamenus 182 foliorum in Regia Bibliotheca Stockholmensi signatus A. 17, qui ordo fuerat illius in pristino Archivo Antiquitatis. Totus fere codex scriptus est ab eo, cui an. 1344 mandatum est, ut earum literarum, quæ essent in aede cathedrali Upsaliensi, exempla transcripta in unum locum conferret. Qua de re certiores facti sumus hac inscriptione librarii in fol. 2. v.: *Anno ab incarnacione domini M°CCC°XL qvarto prope festum beati Michaelis domino Hemmingo prius preposito Arosiensi tunc existente archiepiscopo Upsalensi..*(enumerantur 14 canonici)*....ordinatum fuit registrum subsequens***). In foliis 14 et 15 nostrum Chronicon recentius Archiepiscoporum transcriptum est.

Manus complures sunt; quomodo alia aliam deinceps exceperit vel nonnumquam prius scriptis additamenta quædam minora adjecerit, in notis editioni nostræ infra subjectis jam significavimus. Quibus collatis his partibus constare Chronicon facile invenimus:

1) Prima pars ab eodem atque ipsum Registrum (itaque anno 1344) confecta, ab initio pergit usque ad mortem (an. 1341) Petri archiepiscopi quarti decimi. Usque ad an. 1305 veteri Chronico archiepiscoporum scriptor adeo usus est, ut eisdem fere verbis illud hic exprimatur, simul vero ipse complura ibidem addidit, e quibus certe nonnulla ex Necrologio ecclesiae antiquo sumpta sunt****); ea, quæ post annum 1305 seqvuntur, ipsius scriptoris opus esse videntur.

2) Inter annos 1344 et 1351, quo anno mortuus est Hemmingus archiep., postea aliquis de hoc versus aliquot inseruit, quos sive ipse sive alius eiusdem ætatis homo addendo anno mortis eiusdem (1351) supplevit.

3) Post mortem Birgeri Gregorii filii archiepisc. (1383) †) ab alio aliquo adauctum est Chronicon iis rebus, quæ de Petro et Birgero archiepiscopis (1351—1383) narrantur. Ab eadem manu etiam ante in margine nonnulla sunt annotata (vide scholia nostra infra pag. 99 not. b, c, e et g. et pag. 100 not. n).

4) Deinde longiore temporis intervallo post mortem demum Johannis Haquini (1432) posterior aliquis addidit quæ sunt de archiepiscopis duodevicesimo, undevicesimo et vicesimo, Henrico, Johanne Gerechini et Johanne Haquini (1383—1432). In Johanne Gerechini manus quædam paulo recentior duas res addidit (vide infra pag. 101 not. s et t).

5) Postrema denique manus non multo post Johannem Benedicti electum††) (anno 1448) ascripsit, quæ de Olao Laurentii, Nicolao Ragvaldi et Johanne Benedicti (1432—1448) traduntur.

Est etiam aliud quoddam recentius sed parvi momenti exemplar huius Chronici archiep., quod iam Ericus Benzelius ille junior in Monumentis Hist. vet. eccl. Svio-Gothicæ (Upsal. 1709 in 4:o, proleg. p. XV) his verbis laudat: «*Postquam Chronicon typis*

*) In subsequenti enim pagina (sc. septima), in qua jam a manu prima Catalogus regum erat insertus, annotationes persequi hic secundus librarius non poterat. **) Totum hunc codicem breviter descripsit Hildebrand in Diplomatario Suecano Tom. V. pag. 349 not. **. Ipsum Chronicon item typis descripsit l. c. n. 3834 pag. 298—303. ***) Forsitan exemplum Chronici antiquioris in ampliorem formam redactum ante oculos habuerit et secutus sit scriptor. Ubi vero Jacobus *Erlendson* pro *Israelson* filius scriptum est, errorem utique videmus, quem nemo eorum, qui proximo post hunc archiepiscopum tempore vixerunt, commiserit. †) Neque ita multo post an. 1383 scripsit, qvia aliter nonnulla de Henrico successore sine dubio additurus fuisset. ††) Quod tum ex eo apparet, quod commemoratur quidem confirmatio Johannis a Consilio Basiliensi, non autem ea, quam dedit pontifex Nicolaus V. anno insequenti (1449), tum ex eo quod iam in Nicolao Ragvaldi archiep. narrat auctor archiepiscoporum possessionem arcis «Almar Stäk» etiam a Carolo rege confirmatam esse, quod factum est d. 14 Jul. 1448 (v. Peringsköld, Monumenta Ullerakerensia pag. 161).

Digitized by Google

exscriptum esset, alium codicem chartaceum pro sua benevolentia mecum communicavit Elias Palmsköldius", cuius codicis discrepantiam affert l. c. in notis pag. 208 sqq. Quem hic spectaverit codicem, nescimus, nisi is ipse fuerit, qui hodie in Reg. Bibliotheca Stockholmensi signatus D. 29 servatur, in quo variæ res post ætatem mediam, pleræque sæculo XVI., descriptæ, sunt collectæ. In hoc enim sub n:o 9 exemplar illud recentius manu e posteriore parte seculi XVI:i in charta transcriptum est. Incipit proprie diversitas ab archiepiscopo vicesimo primo, Olao Laurentii, quamquam in præcedentibus quoque nonnulla discrepant. Quæ sint diversitates hujus, jam explicabimus.

In 12:o archiepiscopo Nicolao (pag. 100 lin. 9 infra in nostra editione) D. 29 habet *in ecclesia Upsalensi* missam *pro hoc deputans.* In 17:o Birgero Gregorii (p. 101) *Urbano 7 papa* pro *Urbano V**) legitur. In 18:o Henrico D. 29 sic discrepat .... *Henricus de Gardzby canonicus Upsalensis et Wexionensis, qui tempore electionis sue Werendie habitabat vir juris peritus* (hinc manuscripta conspirant). In 19:o Johanne Gerechini D. 29 ultimam enuntiationem *In Islandia .... miraculis* omittit, ceterum vero in hoc et sequenti n. 20 cum editione consentit. Ab Olauo Laurentii autem Cod. D. 29 ita recedit, ut contextum ejus integrum hic recipimus. — «*21 fuit magister Olaus Laurentii natus in Trögd, vir juris peritus et magne prudentie, qui magno* [ɔ: - is] *litium strepitibus impeditus per quendam Danum Arnoldum nomine per regem Ericum intrusum Rome meruit victoriam et triumphum, hic obiit Nycopie anno etc. 1400* [ɔ: 1438].

22. Fuit dominus Nicolaus postulatus de Wexiö, qui totis pietatis visceribus ut olim beatus Martinus affluebat, cujus temporibus viguit consilium Basiliense, circa cujus dissolutionem obiit idem venerabilis pater anno etc. 1448.

23. Archiepiscopus Vpn. [ɔ: Upsaliensis] *fuit Magister Johannes Benedicti de Salista, hic confirmatus* [ɔ: - tur] *primum per consilium Basiliense. Ipso dissoluto confirmatus est per papam Nicolaum 5. Regem Carolum eiecit de regno et Christiernum regem Datie introduxit et regem Svetiæ constituit, a quo captivatus in castro Stocholmensi et in Datiam ductus vinculis mancipatus est et ob reditum regis Caroli dimissus est, quem et 2:o fugavit a regno, concedens ei castrum Rasaborgh cum feudis, tandem fortificatis amicis regis Kate* [ɔ: Karoli] *et aliis emulis archiepiscopi idem d. Johannes secessit in Ölandiam ibique diem clausit extremum anno etc.* 1417 [ɔ: 1467] 18 *Calendas Januarii, quæ fuit feria 3:a post Lucie in Borckholm.*

Hæc narratio de tribus ultimis archiepiscopis Chronicon illud archiep. quod proprie recentius dicitur, adeo non in memoriam revocat, ut pæne videatur scriptor exemplum illius eo tempore descriptum, quo a morte Johannis Haquini (1432) desinebat narratio, ante oculos habuisse. Quæ post mortem illius Johannis addidit scriptor, sub finem demum seculi scripsisse eum opinor, quia notis numerorum arabicis ut supra dixi aperte usus est.

Chronicon archiep. recentius apud auctores ecclesiasticos, velut Ericum Olai et Johannem Magni, frequenter in usu fuisse mox in oculos incurrit. Multo difficilius est diiudicare, qua ratione cum ceteris Annalibus et Chronicis contineatur, utrum hæc aliquid ex nostro chronico sumptum habeant, an ex eodem ipso fonte hauserint. Quam rem exquirendi et tempus nobis et locus deest.

Ter ante editum est chronicon recentius de archiep. Upsal. 1) a Johanne Scheffero Ups. 1673 in 8:o 2) ab Erico Benzelio in Monumentis Hist. vet. eccl. Svio-Goth. Ups. 1709 in 4:o, 3) a B. E. Hildebrandio in Diplomatario Suecano V. n. 3834.

n. V. *Continuatio Chronici episcoporum Wexionensium* (infra p. 130).

Ut in præfatione hujus continuationis diximus, tantummodo descriptum in diplomatario Örnhjälmii servatum in editione nostra adhibere nobis licuit, quia illius codicis legum, ex quo Hadorphius descriptum Örnhjälmio communicatum sumserat, vestigia frustra insectati eramus. Jam vero illum codicem vel potius fragmentum codicis, quo Hadorphius sine dubio usus est, tandem invenimus. In bibliotheca enim regia Stockholmensi exstant quindecim folia in 4:to**), quæ aperte sunt reliquiæ majoris cujusdam codicis; nostro seculo iis involucrum e corio datum est, cujus in dorso impressum legitur: "Annotationes

*) Hinc verisimile fit, in antiquo manuscripto, quod librarius noster transcripsit, signa numerorum Arabica fuisse adhibita, nam antiquum signum 5 cum nostro signo 7 facile confundi potest. Eodem modo in 20:o Archiepiscopo Johanne Haquini *7 Idus Febr.* pro *V. Idus Febr.* scriptum est. **) Folia 3, 4, 11 et 12 membranacea sunt, cetera papyracea.

Digitized by Google

historicæ et juridicæ, ex legisterio de anno 1492." Foliis 1—5 diversa excerpta e legibus vetustis Svecanis continentur. Sunt hæc*): 1) adulterata illa narratio de conventu Danaholmensi**). 2) limites inter Sveciam et Norvegiam, qui in jure Helsingico *(Thingmala Balk*, Cap. xv) exstant. 3) Capita 11 et 12 ejus partis juris Uplandici, quæ *Konunga-Balk* vocatur***). 4) Cap. 13 et 14 ex ejusdem juris *Thingmala Balk.* 5) *Upsala ödhe* (v. juris Helsingici *Konunga Balk*, cap. 11 in fine). 6) Jus aulicum (Gårdsrätt), quod tamen cum nullo ex iis, quæ Hadorph apud *Bjärköa rätten* vulgavit, conspirat. 7) Versio latina ejus statuti de anno 1439 *Om Högmälis ogerningar*, quod Hadorph ibidem p. 44 inseruit.

Fol. 6 legitur: *Anno igitur ab incarnacione domini MCDXCII explicit legisterium per manus Laurencii Petri presbiteri curati in Elmebodhum necnon canonici Wexionensis tempore quo fuit yconomus ecclesie Wexionensis. Laus deo pro principio et fine. Circa annos domini MXL regnauit Olaus Skotkonung . . . . . annum domini ML. In legenda vero S. Eskilli . . . . . in Wexionensi ecclesia requiescunt*†). *Successit itaque sancto Sigfrido primus . . .* Ab his verbis *Successit* etc. incipit chronicon vetus episcoporum Wexionensium, quod sub n. IX ex antiquiore fonte impressimus, quare in n. x illud præterivimus et solum continuationem chronici ibi reddidimus. Continuatio subsistit in medio folio septimo, cujus in fine eadem manus, quæ omnia præcedentia usque ab initio scripsit, *Notam de testamentariis* addidit.

Folio septimo verso legitur: *Thenna båch hörer her Nils i Betarne thill . . . Anno domini 1568 Per Nilsson* (manus huic anno non refragatur). Fol. 8—15 alia manus nonnihil recentior quam prima (igitur ineunte seculo XVI:o) nonnulla juridica addidit, inter quæ observanda sunt 1) literae judiciales ab Eskillo episcopo, Magno Sture etc. an. 1414 d. 28 Juni s. l. [Wexiö] datæ 2) Constitutiones Wexionenses, quæ vocantur, ab iisdem datæ a. d. 1414 *om midsommeren* s. l. [Wexiö]††). 3) Statuta Kalmarnensia d. 23 Aug. 1474 scripta, impressa apud Hadorph *Bjärköa rätten* p. 56†††).

Ex hac brevi codicis adumbratione statim elucet, Laurentium Petri canonicum Wexionensem an. 1492 hoc chronicon episcoporum Wexionensium, quod sine dubio ipse (excepta prima parte i. e. veteri chronico) composuerit, in legisterio suo inseruisse. Neque quemquam fugit, codicem aperte esse eundem, de quo Hadorphius mentionem fecit.

Jam illas, quæ nostra editione cum hoc manuscripto collata prodeunt dissimilitudines, afferemus. Sunt: 1) infra pag. 130 not. a. lin. 2: *prædicavit;* ms. *baptizauit.* 2) l. c. lin. 9 *quo facto;* ms. *quo pacto.* 3) p. 129 lin. 4 infra *populus;* ms. *populus Werendensis.* 4) p. 130. lin. 5, 6. *modestus Johannes . . . Eringislonis;* ms. *modestus VI Johannes . . . Æringisli.* 5) l. c. *in benedictione;* ms. *i. b. est.* 6) l. c. *et b. ducis;* ms. *et Birgeri ducis.* 7) lin. 9 *MCCVI°;* ms. *MCCV.* 8) l. c. n. X. lin. 2. *Foravidus;* ms. *Forcundus.* 9) p. 131 lin. 9 *de Øxestörp;* ms. *de Öpistörp.* 10) lin. 13 *Wækilsengh;* ms. *Wækilsangh* (idem in lin. 27). 11) lin. 13—15 Verba *XX^mus Ingemarus . . . . revocare* alia coæva fere manu sunt addita. 12) lin. 15. *gratiosissimo;* ms. *generosissimo.* 13) lin. 22. *Sigmundus Vgla;* ms. *Gugmundus* [ɔ: Gudmundus] *Vgla.* 14) lin. 26. *Benedictus Vgla qui constitutus;* ms. *Gudmundus Vgla qui factus.*

Cum facile quis miretur, cur nonnulla eorum omiserimus, quæ in Conspectu illo totius operis, quem foras dedit Fant an. 1816, enumerantur, quibus rationibus ducti id fecerimus, iam sumus indicaturi. Sunt hæc: — I) n. 56 (in conspectu Fantii) *Om S. Britas slägt.* Est is libellus nihil aliud nisi narratio illa, quae medio sæculo sexto decimo scripta est a Petro Turonis filio Bjelke, quam ex Chronico Margarethæ Claudii filiæ fluxisse infra (sect. 2. n. xv. lit. A.a.) diximus, cujus discrepantia graviora ibidem in notis sub-

*) In prima linea folii legitur: *sten, swa i innshal, swa i innishamn;* nescimus, cujus narrationis sint reliquiæ. **) Ex confusione vetustarum illarum narrationum de confiniis Sveciæ et Daniæ et de limitibus Vestrogotiæ (impressæ apud Schlyter, Codex juris Vestrogotici, Holmiæ 1827, pag. 67 et 287) exorta est. ***) Hic Hadorph in margine ascripsit: *i dhen trychta Uplands lagh Konu. bal. cap. 11;* et duobus aliis locis manus ejus in codice reperitur. Etiam Messenius diversa ejusmodi in margine annotavit. †) Has sententias: *Circa annos domini . . .* et *In legenda vero* in notam a. pag. 130 retrusimus. ††) Non eædem sunt, quas Hadorph apud *Bjærköarätten* p. 44 impressit, sed aperte antiquior fons, ex quo illæ spuriæ constitutiones sensim emanarunt. †††) Hic Wennæsius (idem, cujus nomen in præfatione n:i X. comparet) in margine scripsit: *Calmer 1474 vigil. Barthol.*

Digitized by Google

junximus. — II) n. 57 *Om s. Britas afkomma* id ipsum est fragmentum codicis D. 27, quod una cum illo Chronico Margarethæ typis exscripsimus. — III) n. 59 *Chronologia de initiis Christianismi in Svecia et de s. Birgitta.* Compilatio ea est post annum 1595 scripta ac iam ob eam causam recipi non potuit. — IV) n. 62 *Translatio s. Birgittæ.* Ea ubi esset, Fant in conspectu non indicavit; verisimile est eum Nordinium secutum esse, qui in annotationibus suis tantummodo ad orationem Stjernmanni (nimirum in Academia Scientiarum an. 1758 habitam) pag. 91 nos relegat; nec Stjernman de ea re quidquam refert nisi hoc, relatum esse in Diario Vastenensi ad an. 1440 (v. supra Tom. I. 1. pag. 156) "legendam translationis s. Birgittæ tunc compilatam esse". Ceterum nemo eorum se istam legendam vidisse refert; nec nos aliud ullum illius invenimus vestigium. — V) n. 64 *Om s. Katherina.* Tractatio ea est Suecana vitæ illius Latine scriptæ, cujus in præfatione illam memoravimus (vide infra sect. 2. n. xx); hanc igitur, cum ad fontem verum aditus est a nobis paratus, prætermisimus, quippe quæ de reliquis rebus nihil historiae utile præbeat. — VI) n. 68 *Fragment af s. Brynolffs lefverne.* Omisimus hoc propterea quod, quamvis non multo post annum 1417, quo anno scripta est vita Brynolfi, confectum sit, nihil aliud est nisi interpretatio illius vitæ in compendium redacta. Bis illud emissum est, 1) in "Handl. rör. Skand. Hist." IX. pag. 3 sqq., 2) a J. H. Schroedero, ut disputatio Academica, Upsal. 1836. 4:o. — VII) n. 69 *Inscrinatio s. Hemmingi* ad Scriptores rer. Suec. referri nequit, cum epistola sit Hemmingi Gaddii ad Capitulum Aboense missa, qua docetur, quo ritu inscrinationem Hemmingi (a. 1514) apte celebrari oporteat. Postremum Porthan id fragmentum typis descripsit in notis ad Chronicon episc. Finlandensium, quod anno 1859 Helsingforsae denuo editum est (vid. pag. 285). — VIII) n. 66 *Historia s. Nicolai episcopi Lincopensis.* Hanc, cum rebus ad historiam pertinentibus prorsus sit destituta, (neque aliter fieri potest, cum pars esset sacrorum die sollemni illius episcopi obeundorum) in præsens prætermisimus; exstat autem in Monumentis illis Benzelii pag. 109. — IX) n. 78 *Catalogus episcoporum Strengenensium.* Incipit is a Conrado Rogge an. 1501 electo, confectus autem est post annum 1586, quam ob rem ad nostrum opus proprie non pertinet.

Restat, ut earum rerum, quæ qvarto tomo sunt reservatæ, mentionem breviter faciamus. Sunt: 1) Opuscula quædam geographica. 2) Scripta genealogica et biographica ex fontibus Sueticis et Danicis sumta, inter quæ nonnulla quoque necrologia inserentur. 3) Breviores historicæ annotationes Suetica origine, quæ hic et illic in nostris fontibus dispersæ inveniuntur. 5) Excerpta ex sagis, quæ vocantur, historiis et annalibus Islandicis atque Norvegicis. 5) Excerpta ex diversis scriptis exterorum, præcipue ex annalibus et chronicis Russicis.

Upsaliæ d. 12 Februarii 1876.

CLAUDIUS ANNERSTEDT.

Digitized by Google

SCRIPTORES

RERUM SVECICARUM

MEDII AEVI

TOMI III.

SECTIO PRIOR.

Digitized by Google

Digitized by Google

Conspectus sectionis prioris.

Svecica.

		Pag.
I.	Annales Sigtunenses a. 1208—1288.	1.
II.	Annotationes in libro ecclesiæ Walentunensis.	8.
III.	Historia Gotlandiæ.	9.
IV.	Libellus de Magno Erici rege.	12.
V.	Commentarii historici super nonnullis Revelationibus s. Birgittæ de Magno Erici rege et successoribus ejus.	16.
VI.	Annotationes historicæ a. 845—1445, forsan ex deperdita parte Diarii fratrum minorum Holmiensium.	21.
VII.	Annales Holmienses a. 1457—1463.	26.
VIII.	Expeditio Danica adversus Holmiam a. 1518.	29.
IX.	Proelia inter Svecos et Danos a. 1452—1524.	33.
X.	Ex Johannis Magni Gothorum Sveonumque historia.	34.
	Appendix: Oratio Hemmingi Gadd contra Danos a. 1509.	43.
XI.	Narratio de cæde Holmiensi a. 1520, a canonicis Upsaliensibus composita.	68.
XII.	Crudelitas Christierni II[i] a Jacobo Zieglero descripta.	71.
	Appendix: Ex Olai Magni historia de gentibus Septentrionalibus.	77.
XIII.	E Collectionibus Erasmi Ludovici (a. 1362—1520).	79.

Danica.

XIV.	E Saxonis Grammatici historia Danica.	88.
XVI.	Ex Annalibus et chronicis Danicis.	100.
	Obs. negligentia nostra pro recto numero XV in pag. 100 in sequenti n. XVI irrepsit.	
	1) Ex anonymi Roskildensis chronico a. 826—1157.	102.
	2) Ex chronico Danico 980—1286.	103.
	3) Ex annalibus Ryensibus in an. 1288 cum versione Danica in an. 1314 continuata.	104.
	4) Ex anonymi Nestvedensis chronologia a. 821—1300.	107.
	5) Ex annalibus Lundensibus in an. 1266, postea in an. 1307 perductis.	107.
	6) Ex chronico Sialandiæ in an. 1282 cum continuationibus in an. 1363.	110.
	7) Ex chronico Danico a. 936—1317.	119.
	8) Ex chronologia rerum Danicarum a. 1188—1319.	120.

Digitized by Google

Pag.

9) Ex anonymi continuatione historiæ Saxonis in an. 1341. 123.

10) Ex annalibus Danicis a. 1316—1389. 125.

11) Ex chronico Danico a. 1241—1410. 127.

12) Ex chronico archiepiscoporum Lundensium. 129.

13) Ex chronico rhythmico Danico et ejus additamento. 132.

14) Ex chronico Skibyensi, Paulo Eliæ auctore. 140.

XVII. Ex diversis fontibus historicis Danicis. 143.

1) Ex compendiosa chronica regum Daniæ. —

2) Ex chronico Danico Kristierni Petri. —

3) Ex Petri Olai Roskildensis annalibus ad a. 1541. 145.

4) Ex historia Kristierni I[i] a Joh. Svaningio. —

5) Ex chronologia rer. Danic. Cornelio Hamsfortio auctore. 146.

6) Ex Magni Matthiæ regum Daniæ serie. 147.

XVIII. Carmen de expeditione Danica in Sveciam a. 1497. —

XIX. L. Wermanni de obsidione Holmiensi a. 1518 epistola. 151.

XX. Carmen de expeditione Kristierni II[i] in Sveciam a. 1520. 153.

Germanica.

XXI. Ex Adami gestis Hammaburgensis ecclesiæ pontificum. 155.

XXII. Ex annalibus Lubecensibus a. 1264—1324. 174.

XXIII. Ex chronico Lubecensi Detmari a. 1101—1395. 178.

XXIV. Libellus Magnipolensis circa a. 1394 scriptus. 192.

XXV. Ex chronico Hermanni Korneri ceterisque continuatoribus Detmari. 200.

1) Ex prima continuatione Detmari a. 1395—1400. 203.

2) Ex chronica novella Hermanni Korneri in an. 1435. 206.

3) Ex chronico Rufi et continuatione Detmari in anno 1427 excerptum. 214.

4) Ex continuatione chronici Hermanni Korneri a. 1435—1438 et ex continuatione Detmari. 216.

5) Ex posterioribus continuationibus Detmari a. 1438—1482. 221.

XXVI. Ex chronico Lubecensi Reimari Kock. 239.

XXVII. Ex chronico Holtzatiæ presbytero Bremensi auctore in an. 1428. 274.

XXVIII. Ex chronico Saxonum Nordalbingiorum in an. 1483. 277.

XXIX. Ex chronicis Alberti Krantzii in an. 1504. 280.

1) E Svecia p. 281. 2) E Dania p. 284. 3) E Vandalia p. 285.

XXX. Ex genealogia Doberanensi. 287.

XXXI. Ex chronico rhythmico Magnipolensi Ernesti de Kirchberg. 288.

XXXII. Ex annalibus Herulorum, Nic. Marescalco Thurio auctore. 293.

XXXIII. Ex chronicis Stralsundensibus a. 1230—1521. 295.

XXXIV. Narratio de occupatione Gotlandiæ a. 1398. 300.

XXXV. Ex annalibus Prussicis a. 941—1410 et chronico Johannis v. Posilge a. 1360—1419. 303.

XXXVI. Ex historia Joh. Lindau a. 1454—1466. 306.

XXXVII. Ex chronico Gedanensi Caspari Weinreich a. 1461—1496. 308.

Digitized by Google

		Pag.
XXXVIII.	Ex chronico Hanseatico a. B. Stegman compilato.	310.
XXXIX.	Ex chronico Livonico Henrici Letti.	315.
XL.	Ex libro rufo archiepiscopi Rigensis sec. excerpta Melchioris Fuchs.	317.
XLI.	Ex scriptis Æneæ Sylvii.	324.
XLII.	Ex diversis fontibus Germanicis breviora excerpta.	326.
	1) Ex Einhardi annalibus excerptum.	—
	2) Ex annalibus Bertinianis, Prudentio Trecensi auctore.	—
	3) Ex chronico Thietmari Merseburgensis.	327.
	4) Ex necrologio monasterii s. Michaelis Luneburgensis.	—
	5) Ex chronico Gozecensi.	328.
	6) Ex vita Wolfhelmi abbatis Brunwilarensis.	—
	7) Ex annalista Saxone.	—
	8) Ex Helmoldi presbyteri chronicis Slavorum.	329.
	9) Ex chronico rhythmico Livonico Detlevi de Alnpeke.	—
	10) Ex chronico principum Saxoniæ.	330.
	11) Ex necrologio Altenbiesano.	—
	12) Ex annalibus Polonorum.	—
	13) Ex annalibus Mosomagensibus.	—
	14) Ex chronico Johannis Vitodurani.	331.
	15) Ex scriptis Petri de Suchenwirt.	—
	16) Ex vitis pontificum a. 1289—1418.	332.
	17) Ex annalibus Hamburgensibus 1388—1413.	—
	18) Ex continuatione P. de Dusburg, Conrado Bitschin auctore.	333.
	19) Ex historiis fundationum monaster. Bavariæ.	—
	20) Ex archiepiscopatus Bremensis chronico Henr. Woltero auct.	—
	21) Ex chronico juniore magistrorum ordinis Teutonici.	334.
	22) Ex historia de fundatione monasterii Rastedensis.	335.
	23) Ex chronico Rastedensi, Henr. Woltero auctore.	336.
	24) Ex chronico Brunsvicenci, Conrado Bothone auctore.	337.
	25) Ex chronico Sclavico parochi Suselensis.	—
	26) Ex chronico M. Döringii ejusque continuatione.	338.
	27) Ex chronico quodam Livoniæ a. 1491—1509.	339.
	28) Ex chronico Gedanensi, C. Beyero seniore auct.	—
	29) Ex narratione de bello Prussico a. 1520.	340.
	30) Ex chronico Gedanensi a. 1511—1525, E. Ferbero auct.	—

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

Annales Sigtunenses.

1208—1288.

Usque in recentissimum tempus hi annales ignoti fuerunt, donec quinque abhinc annis (1867) in Ängsö, curia equestri Westmanniæ, in lucem prolatus est codex membranaceus in 8:vo, liturgici argumenti, seculo XV:o scriptus, cui quatuor folia membranacea aliunde descissa, quibus hoc nostrum fragmentum continebatur, erant addita, ita tamen ut exterior plagula in initio codicis, interior in fine inserta esset. Ipso codice multo sunt vetustiores, nam manus annalium scriptoris ad prima decennia seculi XIV:i referenda videtur. Neque minus plane apparet, scriptorem antiquius exemplar secutum esse vel e libris, quos interpretari non potuit, suum composuisse, quia mira occurrunt menda, quæ solum ex male lectis vel non intellectis literarum compendiis explicari possunt. Cujus rei nonnulla testimonia hic producimus, ut in anno 1208 V pro II; 1220 *rapitur* pro *capitur;* 1227 *Brunnulum* pro *Bornhouet;* 1234 *W.* (episc. Sleswic.) pro *N.;* 1255 *Walerius* pro *Jarlerus;* 1283 *sed* pro *licet;* 1287 *episcopum* pro *præfectum;* 1288 *Osgotorum* pro *Vesgotorum* etc. Ex quibus elucet, librarii, cui hoc quod possidemus exemplar debemus, et ignorantiam et incuriam haud parvas fuisse; illasque ob corruptelas etiam adducimur ad credendum, eum non fuisse primum scriptorem, sed alium ad verbum descripsisse, quamquam æque manifestum est, primum ipsum scriptorem maximam in partem ex iis, quæ alii jam literis mandassent, sine mutatione vel emendatione, ut mos erat, opus suum collegisse.

Diximus supra manum prima decennia seculi XIV:i indicare, ex quo tamen nihil de anno, in quo substiterint annales, concludi potest, cum in fine (et haud dubie etiam in initio) mutili sint, ut dijudicare nequeamus, quem ad annum olim fuerint perducti. Existimatores quidem, qui naturam et rationem annalium bene norunt, fugere non potest, quam copiosa subito fiat narratio in anno 1286, unde facile conjicere licet, annales brevi post hunc annum compositos esse itaque fortasse jam in seculo XIII:o desiisse. Monendum tamen est, in anno 1286 legi: natus est Benedictus legifer Ostgotorum; quod verbum *natus* si recte se habeat (qua de re cfr. infra pag. 7 not. r.), annales, quæ quidem nunc eorum est forma, necessarie multo posterius scilicet eo tempore, quo ille Benedictus (ceteroquin nobis plane incognitus) ad legitimam pervenerit ætatem, conscripti sunt.

De hujus opusculi fontibus aliquid nobis dicendum videtur, quamvis breviter, cum hic longiori expositioni parum suppetat spatii, et alias de ratione, qua annales Suecici sese excipiant, fusius disputare in animo habeamus. Neminem primo jam aspectu fallere potest, quam intime annales cum fatis ordinis prædicatorum conjuncti sint, præcipue cum monasterio Sigtunensi, quare eos Annales Sigtunenses inscribere non dubitavimus. Eadem de causa rev. Nordin eundem titulum Chronologiæ inter annos 266—1430 (supra Tom. I, p. 22—32) tribuere voluit et merito, cum illa fere omnia, quæ ad ordinem prædicatorum attinent, ex iisdem Sigtuniæ factis vel servatis annotationibus, ex quibus nostri annales, hauserit, *) quamvis in singulis rebus inter se differant et annales plura de fatis ordinis extra Sueciam possideant. Etiam ceteris in rebus multo major inter Chronologiam et Annales intercedit similitudo, quam inter hos et reliqua

*) Proh dolor! magna illa lacuna Chronologiæ ab anno 1202 ad annum 1252 ex quadam parte collationem impedit.

Digitized by Google

chronica. Quosdam nimirum locos tamen annales cum istis reliquis communes habent, qui in duo quasi capita revocari posse nobis videntur: — unum annotationes ex Ostrogotia originem ducentes continens, quæ etiam in duabus Chronologiis 815—1412 et 826—1415 (supra Tom. I. n. XIV et XVI) reperiuntur, aliæ in utraque (v. annos 1277 et 1284), aliæ in alterutra (ut in annis 1254 et 1286 solum in priore, in annis 1244 et 1251 solum in posteriori) —: alterum ex diocesi Upsaliensi profectum ejusque præsules spectans, ex quo Chronicon Archiepiscoporum recentius (infra sect. II n. III) et Chronicon 1160—1320 (supra Tom. I n. XIX) haud pauca sumserunt. *) Inprimis memoratu dignum nobis videtur, quod duo antiquissima nostra Chronica (916—1263 et 1160—1320 supra Tom. I. n. XV et XIX), etiamsi variis in rebus, ut exspectandum est, similitudinem quandam cum his annalibus exhibent, tamen omnino eis propius cognata nullo modo appellari possunt. Et quod commune aliquid in Danicis rebus, præsertim quæ prædicatores spectant, inter Chronicon 916—1263 et annales Sigtunenses interest, id facile ex eo declaratur, quod illud nihil aliud est, quam Chronicon Danicum, cui in medio seculo XIII° Suecus quidam aliqua ex necrologiis Suecicis addidit. Quam Annalium et Danicorum Chronicorum affinitatem cum attigimus, præterire nolumus, quod accurata in hac re instituta collatio id nobis persuasit, annalium Sigtunensium collectorem ex Danicis, quæ quidem nunc exstant, Chronicis vix quoquam usum esse, quamvis in nonnullis locis ipsi et Chronicis Danicis 980—1286 et 1074—1219 (SS. rer. Danic. II. 433 et III. 260) quasi tertius fons communis fuerit. Pæne suspicamur tamen etiam res Suecicas primum quasi per manus Danicas, ut hodie dicimus, ivisse **), quod tamen pro certo affirmare non possumus.

Nulli Suecico scriptori hi annales noti fuisse videntur, quamquam Ericus Olai quodam fonte usus est, ex quo etiam compilator annalium Sigtunensium nonnulla hauserit (cfr. Ericum et Annales in annis 1278, 1286, 1288).

Historicam auctoritatem horum annalium atque momentum si quis quærit, respondemus, prætermissis compluribus librarii ignorantia irreptis vitiis, fidem in plerisque rebus narrationi habendam, ut illustrationes nostræ infra melius ostendent, nostramque illorum temporum cognitionem iis non mediocriter auctam. Postremo addere volumus, annales jam alias typis expressos esse in: Historiska Handlingar, Tom. VII, Stockholm 1870 et Danske Samlinger for Historie etc. Tom. V. in 8:vo, Kjöbenhavn 1869—1870 pag. 370.

M°.CC°.VIII°. bellum fuit in Lenum. a) Swerkerus fugatus est strages Danorum facta est inter quos Ebbo et Laurencius filii Sunonis de Dacia milites nobiles corruerunt reliqui Dani fugerunt cum magno pudore bellum fuit .V. b) kalendas Februarij.

M°.CC°.IX°. Philippus rex occiditur c) et dux Polo d) homagium fecit Waldemaro regj Danorum.

M°.CC°.X°. incepit ordo minorum. et ordo de Walle Scolarum. e) bellum fuit in Gestyldren f) vbj occubuit Swerkerus rex et Folko dux et multi alij nobiles. Eodem anno coronatus est rex Ericus secundus .XI. kalendas Decembris g) et duxit Rykyto h) sororem regis Dacie in vxorem.

M°.CC°.X°.III°. Ingiborg soror regum Danorum et Waldemarus i) in graciam regis Francj est suscepta.

*) Vide in annis 1219, 33, 36, 55, 67 etc.

**) Cfr. præsertim annos 1275—1277.

a) Postea Kungslena appellatum et in territorio Wartofta Westrogotiæ situm.

b) Haud dubie male lectum a librario pro: II. Nam Chronicon 1160—1320 habet: pridie Kal. Febr., sicut tres juniores fontes (Script. rer. Suec. I. I. pagg. 40 et 53 et Schlesw. Holst. Archiv, ed. Michelsen II. pag. 227); et in libro datico Lundensi forsan brevi post ipsum proelium annotatus est dies II Kal Febr. (SS. rer. Danic. III. pag. 482; cfr. l. c. VI. 373).

c) Quod contigit anno 1208.

d) Pro: Mistwi, dux Poloniæ. Qui tamen primum an. 1210 homagium Waldemaro præstitit (Vide Chron. Danic. 1074—1219; SS. rer. Danic. III. 260). Danica, quæ hic in annis 1209, 1213 et 1214 leguntur, profecto ex iisdem perditis annalibus Lundensibus majoribus sumta sunt, ex quibus illud Chronicon Danicum.

e) Chronicon Alberici . . . monachi, apud Bouquet: Recueil des Historiens de France, XVIII 780, habet annum 1212. Helyot (Geschichte aller . . . Klöster, Tom. II. 463, Leipzig 1753) 1201 vel 1202, qui locum fundationis Calvum Montem in diocesi Lingonensi (Chaumont en Langres) fuisse addit.

f) Vide hunc librum Tom. I. pag. 13.

g) Idem dies legitur in recentiore Chronico (SS. rer. Suec. I. I. pag. 53). Vetus quidem Chronicon 1160—1320 (l. c. pag. 84) habet: X Kal. Decembris et aliud recentius (l. c. pag. 62): XV Kal. Dec., sed utrumque coronationem in anno 1208 perverse collocant.

h) Lege: Rikiza, quæ erat filia Valdemari I:i et Ingeburgis infra memoratæ soror.

i) Corruptus locus forsan sic restituendus: regum Danorum Kanuti et Waldemari. De ipsa re cfr. Recueil d. Hist. de France, XX. 756 et Genealogiam Ingeburgis infra imprimendam.

Digitized by Google

M°.CC°.XIIII°. secunde nupcie facte sunt Valdemari regis. et. constituit filium suum regem Dacie. et imperator Otto pro rege Waldemaro vltra Albaciam fugam fecit. k)

M°.CC°.XVI°. confirmatus est ordo predicatorum a papa Honorio et data est eis prima Ecclesia sancti Romani in Tholosa.

M°.CC°.XVII°. missi sunt fratres in Yspaniam.

M°.CC°.XVIII°. data fratribus Parisius domus sancti Jacobi. et fratres missi sunt in Boniam. l)

M°.CC°.XIX°. obiit Valerius archiepiscopus vpsalensis. et W. rex Dacie profectus est in Estoniam cum exercitu.

M°.CC°.XX°. occisus est Karolus Episcopus lincopensis. et Karolus dux in Rotalum m). Jerusalem rapitur n) a christianis.

M°.CC°.XXI°. missi sunt fratres o) in Angliam eodem anno. Anglis p) obiit Berengaria regina Danorum. mater Erici. Abel et Cristoforj. et eodem anno obiit beatus Dominicus.

M°.CC°.XX°.II°. obiit Johannes rex Swecie.

M°.CC°.XX°.III°. capitur rex W. et filius eius dolo.

M°.CC°.XX°.IIII°.

M°.CC°.XX°.V°. soluitur rex W.

M°.CC°.XX°.VI°. obiit beatus Fransiscus.

M°.CC°.XX°.VII°. Dani capti sunt apud Brunnulum q) et rex Waldemarus fugatus amisit vnum oculum.

M°.CC°.XX°.VIII°. obierunt Andreas et Petrus archiepiscopi Lundis.

M°.CC°.XX°.IX°. bellum fuit in Olostrum. r) Eclipsis solis. Ericus fugit in Daciam. Jerusalem recuperatur a christianis. Offo consecratus est in archiepiscopum lundensem.

M°.CC°.XXX°.II°. coronatus est rex Ericus Dacie et factus est frater eius dux Jucis.

M°.CC°.XXX°.III°. obiit s) beatus Dominicus et translatus est. et eodem anno. obiit Olauus Basatømare. t)

M°.CC°.XXX°.IIII°. combustum est warnem. u) obiit W. v) Episcopus slæsuicensis.

M°.CC°.XXX°.V°.

M°.CC°.XXX°.VI°. consecratus est dominus Jarlerus in archiepiscopum vpsalensem x) et combusta est Østra Aros prima vice. y)

M°.CC°.XXX°.VII°. obiit Benedictus Episcopus lincopensis. magister Jordanus in mari gerosolimitano submergitur. z) jnterfeccio Nordmannorum in Skanør venit. et a) conuentus Sictuniam et Skæningiam.

M°.CC°.XXX°.VIII°. translatus est beatus Vilelminus. b) obiit Rano frater primus provincialis.

k) Electio Waldemari III et fuga Ottonis ultra Albim ad annum 1215 pertinent. Vide Chron. Danic. in not d) citatum.

l) De rebus in annis 1216—1218 allatis cfr. vitam Dominici in: Scriptores ord. Prædic. ed. Echard, Lutetiæ Parisiorum an. 1719, in folio, Tom. I. pag. 13, seqn.

m) VI Idus Augusti. Cfr. infra sect. II. pag. 105 not v) et x) et SS. rer. Livonic., I. p. 248—250. Riga et Leipzig, 1853.

n) Lege: capitur. Falsum hoc dictum in plurima chronica manavit.

o) Sc. prædicatores. Res firmatur in Actis Sanctorum, Augusti, Tom. I (Venetiis an. 1750), pag. 509.

p) De loco obitus silent chronica Danica; neque quæ pars Slesvigiæ hodię Angeln vocatur tunc in forma Ablativi scribebatur: Anglis. Forsan legendum: VI Kal. Aprilis. Cfr. SS. rer. Danic. III. 500 et IV. 280.

q) Lege: Bornhouet. Mira corruptela, quæ vix solum e male soluta abbreviatura explicari potest.

r) IV Kal. Sept. 1230 legitur in duobus vetustissimis Chronicis nostris (SS. rer. Suec. I. 1. pagg. 49 et 85); annum vero 1229 rectum esse docet Strinnholm (Svenska folk. Hist. IV. pag. 302). De situ loci Olustra valde dissenserunt viri eruditi; inclinamus in opinionem hic significari Olustra (hodie Olstra) in paroecia Sundby et territorio Österrek (Cfr. Diplom. Suecan. III. pag. 155).

s) Verba; "obiit et" ab insulso librario sunt interpolata, qui Dominicum an. 1221 obiisse ignoraverit. Translatio facta est an. 1233, d. 24 Maji, sed canonizatio an. 1234, d. 3 Julii (Acta SS. vide not. o), pagg. 376 et 528).

t) Archiepiscopus Upsaliensis. Cujus autem obitum omnes optimi fontes uno ore in annum 1234 et nonnulli in diem XIV Kal. Aprilis referunt. Vide hunc librum, Tom. I. pagg. 49 et 85 (ultimo enim loco male impressum 1233, nam codex habet MCCXXXIIII et dies IIII:o Kal. Aprilis ad ultima verba anni 1236: "combusta est" etc. signo relatus est) et III. 2. pagg. 98 et 99 et Annal. Island. SS. rer. Danic. III. 91).

u) Clarissimum coenobium Vestrogotiæ. Incendium solum hic et in SS. rer. Suec. I. 1. pag. 62 memoratur.

v) Lege: N. Hunc Nicolaum an. 1234 (non 1233) decessisse confirmat vetustius exemplar annalium Lundensium (sive Esromensium) a Waitzio editum in: Nordalbingische Studien, Tom. V. Kiel, an. 1858.

x) Idem legitur supra Tom. I. pagg. 49 et 85. Cfr. Diplom. Suec. I. pag. 285.

y) Idem ac hodierna Upsalia. De die incendii vide supra not. t.)

z) Erat secundus magister ordinis et submersus est an. 1237 Idus Febr. Cfr. Recueil etc. (v. not. e) Tom. XXI, pag. 72, 73.

a) Lege: et venit. Cfr. supra Tom. I. 1. 85 et infra Historiam ord. Prædicatorum.

b) Abbas de Eplaholt in Dania ejusque regum illuster minister.

Digitized by Google

Dacie. c) Electus magister ordinis. Reymundus qui compilauit decretales nouas. sub papa Gregorio ad summam casuum. d) et translatus est beatus Fransiscus.

M°.CC°.XXX°.IX°. venit conuentus Skaris. et in Slæsuik. Ericus rex Dacie duxit filiam ducis Saxonie.

M°.CC°.XL°.I°. factus est frater Johannes Theotonicus magister ordinis. e) obit W. rex Dacii.

M°.CC°.XL°.II°. passi sunt apud Awiniam pro fide catholica. fratres predicatores et minores in nocte assensionis. f)

M°.CC°.XL°.III°. venit conuentus Lodhosiam et Kalmarniam.

M°.CC°.XL°.IIII°. nupcie facte sunt regis Ericj. g) et Laurencius Ostgotorum legifer rapuit sororem regine Swecie. h) et venit conuentus Arosiam.

M°.CC°.XL°.VII°. obiit Suno Folkonis. i) et eodem anno communitas rusticorum Vplandie Sparsætrum k) amisit victoriam libertatis sue et inposite sunt eis spannale et skypuiste l) et honera plura.

M°.CC°.XL°.VIII°. obiit Thomas. Episcopus finlandensis. decollatus est Hongerus. m) obiit. dux Vlpho. n) conuentus venit Raualiam. o)

M°.CC°.XL°.IX°. venit conuentus Finlandiam.

M°.CC°.L°. obiit rex Ericus tercius Swecie. p) et Electus in regem W. q) eodem anno occisus est rex Dacie. in vigilia beati Laurencii.

M°.CC°.L°.I. Valdemarus consecratus est in regem Lincopie decollatj sunt Philippus. et Kanutus. filij domine K. filie regis Erici secundi. r)

M°.CC°.L°.II°. beatus Petrus martyrizatus est apud Mediolanum de ordine fratrum predicatorum s) obiit K. regina Suecie. t) obiit frater Johannes Episcopus. et magister ordinis u) Abel rex Dacie interfectus est Christoforus rex factus.

c) "Rano primus provincialis" etiam nominatur in libro datico Lundensi (SS. rer. Danic. III. 534) et necrologio Ripensi (Kirkehist. Samlinger, Andet Bind, Kjöbenhavn, 1853—1856 p. 495). Contra Historia ord. Prædicat. (SS. rer. Danic V, 501) primum facit Ranoldum, secundum Analdum. Sed illic Ranoldum pro Ranone quasi per attractionem sequentis nominis scriptum esse verisimile fit et ex supra allatis et ex annotatione veteris Chronici (SS. rer. Suec. I. pag. 49) in an. 1238: Obiit mag. ord. [ɔ: prior provincialis] Rano ..... Provincialis Dacie Analdus [scilicet: factus].

d) Tertius erat magister ordinis inter annos 1238 et 1240. De ejus compilatione decretalium cfr. Recueil etc. (vide supra not. e), Tom. XXI. pag. 694.

e) Cfr. infra annotationem in an. 1252.

f) Qua de re vide: Martene et Durand, Veter. Scriptorum ampl. Collectio, Tom. VI. kol. 338, et Recueil des Historiens de France, Tom XXI. p. 765.

g) Cfr. supra Tom. I. I. pagg. 54 et 85.

h) Idem legitur supra Tom. I. p. 51, sed in an. 1245. Soror Katerinæ reginæ vocatur domina Benedicta annis 1250 et 1251 (Diplom. Succ. I. pagg. 346 et 352) atque erat an. 1253 uxor potentis magnatis (postea legiferi Ostrogotiæ) Svantepolk, filii Kanuti ducis Revaliæ (cfr. l. c. pag. 363 et Hildebrands Svenska Sigiller ser. III. n. 129). Num vidua esset Laurentii, ex literis videri non potest. Laurentius Gotorum legifer in literis sine anno comparet (Dipl. Suec. I. pag. 736; de genere ejus cfr. l. c. pag. 735 et forsan pag 96 et 205.) Anno 1247 Magnus Benedicti est legifer (l. c. pag. 318). An. 1293 Birgitta filia Laurencii legiferi memoratur (l. c. II. p. 151)

i) Filius erat Fulconis ducis in an. 1210 memorati et cum Helena, filia Sverkeri II:i, filias in nota superiore nominatas procreavit.

k) Paroecia in territorio Åsund (Uplandiæ). Usque adhuc historici, auctoritate Erici Olai nisi, Kanutum regem in proelio apud Sparsæter an 1234 commisso vitam perdidisse scripserunt. Sed Ericus Olai pravum exscriptum chronici rhythmici manifeste secutus est, ubi verbum Knut pro then ab inscio librario interpolatum est. Quæ in chronico prius narrantur, plane ostendunt, scriptorem bene nosse, Kanutum regem breviter post proelium apud Olostra et ante hoc apud Sparsæter mortuum esse. Quare etiam in veteribus exemplaribus then pro Knut invenimus (Vide: Klemming, Svenska Medelt Rimkrönikor, I. pag. 3 et 163 ff.). Ad quod accedit nullos annales pugnæ apud Sparsæter mentionem facere, duo vero vetustissima Kanutum an. 1234 mortuum dicere (supra Tom. I. I. pag. 49 et 85; posteriore loco legendum 1234, non 1233 supra not t) diximus). Etiam animadvertendum est, chronicon rhythmicum decapitationem Holmgeri (quam annales in anno 1248 collocant) brevi post bellum apud Sparsæter contigisse dicere, et legatum papæ an. 1247 intestinum bellum in Svecia flagrans reperisse (Diplom. Suec. I. p 330).

l) De his oneribus cfr. Strinnholm, Svenska folk. Hist. IV. p. 662.

m) Male lectum pro: Holmgerus; qui erat filius illius regis Kanuti.

n) Filius Karoli ducis supra in an. 1220 memorati. Utrum 1248 an. 1247 obierit, nondum satis liquet (Cfr. Strinnholm l. c. IV. 318 et Munch, det Norske folks Hist. IV. I. p. 84)

o) Jam an. 1229 iterumque an. 1246 prædicatores illuc missi. Cfr. infra Historiam ord. Prædicatorum.

p) Die 2 Febr. (supra Tom. I. I. p. 71 et 86). Diem 8 Februari habet liber dat. Lund. (SS. rer. Danic. III. 485), nisi forte alium Ericum respicit; Ericus II obiit tamen d. 10 Aprilis (supra Tom. I. I. p. 84).

q) Sc. Waldemarus filius Birgeri ducis et Ingeburgis (v. an. 1254).

r) Legendum: Philippus et Kanutus filius ... Duo Philippi in hac seditione sunt decapitati, sed neuter, prout scimus, erat filius filiæ Erici II. Alter Philippus erat filius Kanuti regis et frater Holmgeri (v. not. k. et m.); alter filius Petri cujusdam et forsan frater Laurencii legiferi in an 1244 memorati et sine dubio pater dominæ Helenæ de Sco, viduæ Holmgeri supradicti (Diplom. Suec. I. pag. 615 et 708). Jamdiu auctoritas chronici rhythmici, id quidem quod an. 1452 mutata a vetere specie scribebatur, errorem dilatavit Kanutum regem filiam Erici II regis pro uxore habuisse, quum re vera uxor ejus esset Helena filia Petri Strangonis de Dacia (v. Munch. l. c. IV. I. 80). Haud absonum tamen videtur ex hoc annalium vitio opinionem exstitisse, Ericum III sororem habuisse Kanuto regi desponsatam. De his tribus Folkungis cfr. de cetero Munch. l. c. III. 476, 672, 747 et IV. I. 79, 81, 88—90 atque supra Tom. I. p. 54 et 86.

s) Petrus de Verona inquisitor. Vide Recueil d. Hist. de France XXI. p. 697.

t) Katerina, filia Sunonis Fulconis (cfr. an. 1244 et 1247) et uxor Erici III.

u) Ut episcopus Bosniensis fit qvartus magister ord. prædic. an. 1241 (Martene etc. [v. not. f.] VI. col. 339 et Acta Sanct. Augusti. Tom. I. (Venetiis 1750) p. 563, not. c.)

Digitized by Google

M°.CC°.L°.III°. beatus Petrus canonizatus est. consilium regum v) in Gulberg habitum.

M°.CC°.L°.IIII°. obiit domina Ingiburgis ducissa Suecie. et natus est Benedictus secundus Episcopus Lincopensis dux Finlandie. x)

M°.CC°.L°.V°. obiit Valerius y) Episcopus. et sepultus. apud fratres Sictunie. Electus frater Laurencius in archiepiscopum z) eodem anno combusta est Sictunia.

M°.CC°.L°.VI°. consecratus est Laurencius frater in archiepiscopum. a) obiit prior Lambertus. b)

M°.CC°.L°.IX°. obiit Laurencius episcopus Lincopensis. c)

M°.CC°.LX°. nupcie regis W. et regine Sophie. d) et capitulum prouinciale Sictunie primo.

M°.CC°.LX°.I°. defunctus est domicellus primogenitus. Ericus filius. W. et regine Sophie. sepultus apud fratres Sictunie. e) obiit prior prouincialis frater Absalon. jnstitutus frater Agus. f)

M°.CC°.LX°.II°. regina Rykita nupta est in Slauiam g) obiit domina Ragnildis uxor domini Magni legiferi. Osgotorum. h) et Hugo cardinalis. i)

M°.CC°.LX°.IIII°. Electus est in magistrum frater Johannes Lumbardus.

M°.CC°.LX°.VI°. obiit Birgerus dux Swecie secundus. combusta est Østra Aros. k)

M°.CC°.LX°.VII°. obiit frater Laurencius archiepiscopus. l)

M°.CC°.LX°.VIII°. venit conuentus Strængenesiam.

M°.CC°.LXX°. Eclipsis solis contigit in dominica letare circa horam primam. obiit rex Francie Loduicus.

M°.CC°.LXX°.IIII°. celebratum consilium. generale. Lugduno. sub papa Gregorio decimo. vbi ab eodem confirmatus. in Episcopum vpsalensem m) filius Jo. Angeli.

M°.CC°.LXX°.V°. venit conuentus Helsingiaborgh et Holbæk. et combusta est Wæxio a Danis. n) celebratum capitulum Scaris. prelium habitum est in Howum o) obiit domicellus Ericus dux p) dominus Magnus in regem electus est.

v) Sc. Norvegicorum cum Birgero duce prope urbem Göteborg eodem loco, ubi nunc antiqua munitio "Göta lejon" vocata.

x) Filius Birgeri ducis et hujus Ingeburgis. Singulare tamen est jam an. 1256 aliquid in præsentia ejus actum esse (v. Diplom. Suec. I. pag. 379).

y) Lege: Jarlerius archiepiscopus Upsaliensis, qui an. 1255, d. 25 Aug. obiit (supra Tom. I. I. p. 24 et 50; infra sect. II. pag. 98 et 99; in Chronico 1160—1320, supra I. I. p. 86 librarius obitum in an. 1257 per errorem inseruit) Cfr. de cetero Diplom. Suec. I. pag. 376 et 378.

z) Mirum tamen est, Alexandrum IV. an. 1256. d. 23 Octobr. ad prepositum et capitulum literas dirigere (l. c. pag. 380 et 381).

a) An. 1257 habent duo Annales, quibus in rebus prædicatores attinentibus cum his annalibus communis erat fons (supra Tom. I. I. p. 24 et 50). Cfr. notas superiores.

b) Quis fuerit, nescimus, nisi forsan frater Lambertus Autissiodorus, Gallo-Burgundus, scriptor summæ logicalis, quæ postea Summa Lamberti vocabatur (v. Quetif et Echard. SS. ord. Prædicat. I. pag. 906).

c) Ad an. 1257 vel 1258 referendum. Henricum successorem jam an. 1258 invenimus (v. infra sect. II., p. 105, not. d). Addendum est quod in literis episcoporum an. 1257, d. 6 Octobr. desideratur nomen Laurentii (Dipl. Svec. I. p. 386).

d) Nuptias Waldemari et Sophiæ, filiæ Erici Plogpenning, regis Daniæ, in eundem annum referunt duo Chronica (supra Tom. I. I., p. 25 et 86). Munch (l. c. IV. I., 204—210) auctoritate historiæ Haconis regis Norvegiæ motus illas post nuptias Ingeborgis, sororis Sofiæ, d. 11 Sept. 1261 celebratas contigisse voluit, quia Birgerus an. 1261 illam Ingeborgem pro Sofia Waldemaro filio optaverat. Quod impediunt literæ Alexandri IV. an. 1259 datæ, quæ Sofiam ut futuram uxorem significant (Dipl. Suec. I. pag. 397), et quod infra dicitur, filium Sofiæ primogenitum jam an. 1261 mortuum esse.

e) Idem legitur in alio Chronico (supra Tom. I. I. p. 25).

f) Modo Augustinus vocatur (v. supra Tom. I. p. 25 et 50), modo Acho (SS. rer. Danic. II. 438 et V. 607). Cfr. de cetero Munch l. c. IV. I. 657. not. 3 et Echard, SS. ord. Prædic. I. 388.

g) Rikitza erat filia Birgeri ducis. Regina vocatur, quia an. 1251 Haconi juniori, regi Norvegiæ, nupserat, cujus post mortem an. 1257 in Sueciam rediit. (Munch l. c. IV. I. 90 et 159). Deinde uxor facta est Henrici seni ris filii Nicolai) domini de Werle, cum quo Nicolaum et Henricum filios habuit (v. Meklemburg. Urkund. Buch, I. pag. 338 et III. 324).

h) De Magno cfr. infra sect. II. p. 189, not. h.

i) Ut prior provincialis prædic. Franciæ an. 1244 factus est Cardinalis (Recueil etc. XXI. p. 74 et 696).

k) Hodierna Upsalia. Idem legimus supra Tom. I. I. p. 25 et 86; priore loco additur: *tertio*.

l) Die 5 Martii (v. supra I. I. p. 86 et infra sect. II. p. 98).

m) Omissa sunt verba: "dominus Fulco". Confirmatio data est an. 1274, d. 17 Augusti (Dipl. Suec. I. p 479). Septem anni tunc post mortem antecessoris evaserant, sed capitulum et papa de successore concordare non potuerunt. Illud postulaverat Finvidum, episcopum Strengenensem, Clemens autem, literis Sacero preposito Lundensi d. 24 et 25 Sept. an. 1267 scriptis, hunc archiepiscopum nominaverat (Munch, exscripta ex Archivo Vaticano, quæ possidet Academia antiquitatum etc.). Sacero demum renuente, Gregorius X. Fulconem nominavit.

n) Lapsu librarii, ut videtur, hic insertum. Ipse enim fere idem in sequenti anno narrat. Cfr. quæ ibi observavimus.

o) In Vestrogotia prope fines Nericiæ. Certamen videtur per duos dies esse continuatum. Nam Annales Esromenses (sive Lundenses, SS. rer. Danic. I 247) habent: in profesto Viti et Modesti, i. e. d. 14 Juni; et ita etiam Chronicon 1160—1320 (supra Tom. I. I. 86, ubi pro verbis: *VIII Kal. Julii feria sexta* aperte legendum: XVIII Kal. etc. quia hoc anno XVIII Kal. Julii in feriam sextam incidit.) In libro autem ecclesie Wallentuna æqualis manus scripsit: XVII Kal. Julii, et Chronicon Nicolai Archiepiscopi Lundensis (SS. rer. Danic. VI. p. 626) habet diem beat. Viti et Modesti; i. e. diem 15 Junii.

p) Frater regum Valdemari et Magni. Cfr. Dipl. Suec. I. pag. 506.

Digitized by Google

M°.CC°.LXX°.VI°. dominus Magnus consecratus in regem Vpsalie.[q] Incensa est ecclesia Wexio per regem W. Dacie.[r]

M°.CC°.LXX°.VII°. intrauit rex Ericus Dacie Sweciam volens iuuare Waldemarum. Vesgociam intrans venit Absauall.[s] qui facta suorum quadam distraccione apud Eteghe[t] cum scandalo recessit.[u] Eodem anno. reconciliatj dominus Magnus rex et dominus Waldemarus. quod W. haberet Vesgociam et Osgociam et dominus Magnus rex haberet superiores partes et ipse rex diceretur et non W.[v]

M°.CC°.LXX°.VIII°. captus est Gerardus. comes Hulsacie per dominum Johannem Philippi[x] et obcessum est castrum Junacopie. per eundem dominum Johannem Philippi.[y]

M°.CC°.LXXX°. obiit rex Magnus Norwegie. Electus in regem filius suus Ericus. celebratum est capitulum Asloe.[z] in Norwegia.

M°.CC°.LXXX°.I°. obiit Jacobus archiepiscopus vpsaliensis. Celebratum capitulum Wysby. obiit dominus Vlpho Karlsson.[a] Eodem anno obiit dominus Gotthormus legifer Olandie.[b]

M°.CC°.LXXX°.III°. obiit Hinricus Episcopus lincopensis. vltra mare. Et guerra fuit inter Noricos et Libicenses. et ceteras maritimas ciuitates.[c] et electus in regem Swecie Birgerus filius regis Magni. et Ericus frater eius factus est dux. sed[d] ambo essent paruulj.[e]

M°.CC°.LXXX°.V°. consilium regum in Gunbærgshedh[f] habitum vbi treuge facte sunt inter Norricos et Libicenses et ceteros Theothonicos vsque ad festum Mikaelis. eodem anno dominus Aluerus[g] multas naues cepit. et multas villas Dacie spoliauit. et electus est in Episcopum[h] Bouo canonicus post festum Mikaelis[i] bellum fuit inter regem Francie et Arrogonum et multj ibi corruerunt.

q) Chronicon 266—1430 (supra I. 1. p. 25) addit: in die pentecostes. Quod literis ejusdem diei (d. 24 Maji) roborari videtur (Dipl. Suec. I. p. 508).

r) Lapsus scriptoris pro: Swecie. De anno dubitamus. Chronicon 880—1430 supra I. 1. p. 63 rem in an. 1277 refert et addit: Eodem anno Dani fuerunt in Axaval. Etiam Chronici Rhythmici narratio annum 1277 indicare videtur.

s) Memorabilis nunc deleta arx Axevall in territorio Valle.

t) Pro: Ettak. Vide Chronicon 815—1412 supra I. 1. p. 41.

u) De irruptione Danica citatum chronicon fere ad verbum conspirat. Annales Esromenses (Lundenses) aliquid differunt (SS. rer. Danic. I. 247). Cfr. etiam Chronicon Rhythmicum.

v) De anno hujus regni divisionis fontes dissentiunt. Sed annus 1277 nobis videtur præferendus. Duo juniora chronica idem verbotenus sub anno 1277 narrant (supra Tom. I. 1. p. 41 et 54), et quod in vetere chronico 1160—1320 (l. c. p. 86) idem in anno 1275 invenimus, nullius est momenti, quia hæc verba ibi *manu c medio seculo XV°* inserta sunt. Restat Chronicon Rhythmicum (saltem nostris annalibus non vetustius), quod partitionem immediate post captivitatem Valdemari (igitu an. 1275) collocat. Sed partim series temporum ibi est inconstans, partim hoc ipso loco commentatio quodammodo ornata et plus ex traditione quam ex primario fonte hausta videtur. Contra certum est, anno 1277 de partitione regni actum esse (Diplom. Suec. I. p. 519). Et Annales Islandici in an. 1275, nulla mentione cujusdam divisionis facta, solum dicunt Waldemarum fratri coronam concessisse; neque si aliter fuisset, scriptor, cum conventum regum, cui ipse interfuisse videtur, in Konghælla sequenti anno tam copiose exponit, rem tanti momenti tradere neglexisset.

x) Hoc contigit in urbe Skara (cfr. Chron. Rhythmicum; reliqui annales silent). Gerardus erat pater Helvigis, conjugis Magni regis, et Gerardi II, qui an. 1275 Ingeburgem, filiam Valdemari regis uxorem duxerat.

y) Propter hanc conspirationem cum fratre et sororio an. 1280. d. 20 Augusti securi percussus est (supra Tom. I. 1. p. 25 et 86; cfr. p. 41 et 63).

z) Sæpius scribitur Oslo, hodie Kristiania, metropolis Norvegiæ.

a) Aliud chronicon addit: *et sepultus est Skeningie* (supra Tom. I 1. 25; ibidem et p. 63 legitur: obiit dominus Fulco dapifer, ex quo lapsus Erici Olai: "obiit Ulfo dapifer" natus est). Ulfo Karlsson in armis signum, quod *vingad strâle* vocatur, gerens an. 1281 sigillum sub literis regis appendit (Dipl. Suecan. I. num. 714; cfr. Hildebrand, Svenska Sigiller etc. ser. 3 n. 46), sed in secreto, quod etiam sub numeris 712, 710, 671 et 670 pendet, deest titulus: dominus. Quare *dominus* U. K. in iisdem literis (n. 714) inter firmatores non autem inter sigilla apponentes nominatus sine dubio diversus ab illo est et potius hic ipse qui in annalibus an. 1281 defunctus esse dicitur. Credimus eum esse eundem ac dominum Ulfonem Karlsson, cujus pater erat Karolus filius Karoli ducis (v. Diplom. Suec. I. p. 699) an. 1220 interfecti et igitur frater Ulfonis Fase ducis. Hic dominus Ulfo Karlsson de gente Folkungorum commemoratur an. 1276 (Munch l. c. IV. 1. 659) et sine dubio idem est, ac dominus U. K. in *Alsnö Stadga* nominatus (Dipl. Suec. I. pag. 653) et ille U. K., cujus gesta an. 1277 Chronicon Rhythmicum laudibus extollit.

b) De illo silent scriptores. G. quidam, filius Siggonis, bona in Ölandia an. 1271 possidet (Diplom Suec. I. pag. 456).

c) Hoc bellum ad annum 1284 pertinet (v. Munch l c. IV. 2. p. 98).

d) Lege: licet (ut supra Tom. I. 1. p. 41). Compendia horum vocabulorum facile confunduntur.

e) Chronicon 815—1412 addit, hoc Skeningiæ factum esse et Benedictum fratrem Magni regis ibi ducem Finlandiæ nomitum (supra Tom. I. 1. 41; cfr. p. 54). Quum autem hæc duo chronica conventum anno 1284 ascribunt, et prior annotatio de bello maritimo ad hunc annum pertinet, scriptor utramque rem sine dubio an. 1283 pro 1284 lapsu quodam inseruit. Benedictus, domicellus adhuc an. 1283, d. 13 Julii, dux primum an. 1285 d. 22 Febr. appellatur (Diplom. Suec. I. pagg. 627 et 659). Sine dubio tunc quoque edictum Skeningense (l. c. pag. 668) reddebatur, quod saltem ante an. 1285, d. 22 Februarii est scriptum (vide l. c. p. 658).

f) Lege: Gullbergshedh. Idem locus ac supra in an. 1253.

g) Aluerus, filius Erlingi, comes de Sarpsborg in Norvegia, cujus ob depredationes dictum concilium convocatum erat.

h) Sc. Lincopensem. Duo igitur anni post mortem prædecessoris Henrici evaserant (cfr. infra sect. II. pag. 106); per ignorantiam hujus intervalli declarantur falsi anni supra Tom. I. 1. p. 26 et 87. Bouonem episcopum an. 1285 d. 5 Aug. offendimus (Diplom. Suec. I. pag. 664), forsan jam d. 29 Junii (v. SS. rer. Danic. I. p. 293).

i) Verba: post festum Michaelis, ad sequentia pertinent.

Digitized by Google

M°.CC°.LXXX°.VI°. obiit Bouo Episcopus lincopensis j) Electus dominus Benedictus frater regis Sweorum in Episcopum lincopensem. et consecratus est Stocholmis. et celebrauit Lincopie k) Eodem anno cassato domino Johanne Adulphi. l) est Electus in Archiepiscopum dominus Magnus canonicus Vpsalensis. et consecratus Lundis m) et Sophia regina obiit. n) capitulum Sictunie est habitum. et Electus frater Olauus in prouincialem. o) frater Johannes prior Sictuniensis electus est in Episcopum Aboensem et statutum est apud Stocholmis quod fratribus ignitum non portetur. secundum antiquam conswetudinem Sweorum. p) jtem quod dicitur ormynd q) secundum leges Osgotorum. heredes repetere possint infra triennium. Anno eodem dolose interfectus est Ericus rex Dacie. filius Christophorj. nam accidit ipsum regem venacionis causa. apud oppidum quoddam hospitarj. cumque in horreo quodam aperto hostio accubuisset et extincta candela. septem virj latenter super eum jntrauerunt et ipsum ibi interfecerunt eodem anno. natus est Benedictus legifer Osgotorum r) Anno eodem dominus Alf dominum Episcopum s) Asloensem Norwegie interfecit. propter quod insecutus a Normannis. cum resistere non auderet dereliquid (!) suos et cum paucis. in Vesgociam fugit. et ibi genibus flexis veniam petens. gracie domini regis t) se commisit. Anno codem mortuus est Ascerus Episcopus Wexionensis. Electus et consecratus est dominus Bouo canonicus ibidem. u)

Anno domini M°.CC°.LXXX°.VIII°. frater Geronimus minister fratrum minorum generalis. Electus est in papam et consecratus est in mense Februario. et dictus est Nicholaus quartus. Anno eodem in mense Marcio rapuit dominus Folko. filius domini Algoti legiferi Osgotorum. v)

j) Inter dies 14 Febr. et 22 Sept. (Dipl. Suec. II. pag. 3 et 13).

k) Sc.: primam missam. Electus est d. 4 Junii (supra I. 1. p. 78).

l) Idem in Chronico Archiepisc. Upsal. (infra sect. II. p. 100), ubi additur Johannem an. 1281 d. 29 Decembr. electum esse. Quum autem sub literis an. 1282 datis (Dipl. Suec. I. n. 757) sigillum pendet archiepiscopale alterius Johannis, qui, an. 1286 ex priore conventus prædicatorum in Sigtuna electus episcopus Aboensis, an. 1290 ad archiepiscopatum postulatus est, rem in dubium revocavimus, rati Johannem an. 1281 electum fuisse Johannem priorem Sictunensem non J. Odolphi archidiaconum (v. infra sect. II. p. 133, not. n). Sed in literis germanis episcopi Arosiensis datis an. 1283, d. 20 Nov. (Dipl. Suec. I. p. 637) de petitione *domini Johannis nunc Archidyaconi Upsalensis et eidem ecclesie electi* dicitur, neque fieri potest, ut noster scriptor qui res prædicatorum Sictunensium bene noscit et brevi post scripsit, si prior ordinis factus sit Archiepiscopus, illud ignoraverit. Confitemur tamen rem nondum expeditam esse, quia literæ anni 1282 etiam germanæ sunt. Forsan secretum archiepiscopi illis posteriore tempore est appensum.

m) Jam an. 1285, d. 12 Maji Honorius electionem Magni sibi cognitam habet (Dipl. Suec. I. p. 662). Verisimiliter Magnus est Archiepiscopus in mense Februario memoratus (l. c. p. 659, cfr. ibidem p. 664). Consecratus appellatur primum an. 1286, d. 22 Junii (l. c. II. p. 9).

n) Uxor Valdemari regis et filia regis Erici Plogpenning. Cfr. Additamenta Chronici Sialandiæ (SS. rer. Danic. II. 635).

o) Sc. provinciæ Daciæ. E priore Roskildensi fit successor Aconis an. 1261 instituti et 1285 defuncti (SS. rer. Danic. II. 438, cfr. Dipl. Suec. II. pag. 66). Hansfortius hæc confudit (SS. r. Danic. I. 294).

p) Antiquus erat mos nationum origine Germanica et Scandinavica, ut ferrum ignitum ob innocentiam probandam a reo portandum esset. De abrogatione hujus consuetudinis apud Svecos, cfr. Strinnholm, Svenska Folk. Hist. IV. p. 198 et 470.

q) *Omynd* (rarius *ormynd*) vel *mundr* erat dos feminæ nubenti a proximis cognatis data. De jure repetitionis infra tres annos post mortem vxoris cognatis concesso vide Codicem juris Ostrogotici: *Gipta Balkr*, Cap. XIV, §. 2.

r) Nullum Benedictum legiferum Ostgotorum, qui hoc anno natus esse possit, noscimus. Forsan *natus* est lapsus pro *mortuus*, et res in an. 1294 referenda (v. supra Tom. I. 1. 26), vel legendum *motus* (sc. apoplexia) et ex isto morbo causa est petenda, cur Benedictus an. 1289 ad terram anctam proficisceretur (v. Ericum Olaui supra Tom. II. p. 69). Conjici quoque potest *Osgotorum* pro *Vsg.* = Vesgotorum (prout infra) lapsu calami scriptum esse; qui autem ille fuerit, æque ignoramus.

s) Lege: præfectum. Cujus nomen erat Halkillus Agmundi. Ipsa res an. 1287, non 1286 contigit (v. Munch. l. c. IV. 2, p. 136—138).

t) Sc. Magni, regis Sweciæ.

u) Verisimiliter hæc, ut præcedens, annotatio in annum 1287 revocanda est; sic quidem reperimus supra Tom I 1 p. 26 et 87). Et in literis orig. membranaceis in Archivo Regni (in Diplomatario prætermissis) datis d. 19 Junii sine anno (quem tamen esse 1289 ex collatione cum literis n. 995 in Diplom. Suec. II. statim patet), Boetius episcopus Wexionensis se sigillo autentico "propter pontificalis officii novitatem" carere dicit.

v) Lege: Vsg. = Vestgotorum. Omissa verba sunt: Ingridem filiam Svantepolki etc. Cfr. Ericum Olai (supra Tom. II. p. 68) qui copiosam narrationem ex fonte cum Annalibus Sigtunensibus intime conjuncto (non ex ipsis ut facile apparet) hauserit. Annum esse rectum et non 1287, ut exhibet Chronicon 880—1430 (supra Tom. I. 1. p. 63), manifestum est ex eo, quod in illo Chronico bellum Gotlandicum quoque in an. 1287 insertum est, quod tamen auctoritate chronicorum (præsertim origine Gotlandica) ad annum 1288 pertinet (v. supra Tom. I. 1. p. 26, 33, 41 et 87; cfr. Diplom. Succ. II. p. 53, 63 et 64). Adde quod Nicolaus IV:s an. 1288 electus et consecratus est (Recueil des Histor. de France, Tom. XXI. p. 708 et 709).

Digitized by Google

II.

ANNOTATIONES IN LIBRO ECCLESIÆ WALENTUNENSIS.

Inter codices Academiæ regiæ Antiquitatum in Musæo regni servatos exstat liber ecclesiæ Walentuna membranaceus (in quo folia papyracea et nonnullæ literæ ecclesiam spectantes sunt inserta). In foliis 6—8 hujus membranæ Kalendarium Anglica origine,*) ut ex nominibus sanctorum (ex. g. Cuthberti episcopi, Ealfegi confessoris) statim videtur, antiqua manu est exaratum. Stilus Kalendarii scriptoris finem seculi XII:i indicare videtur, quod Tabella aureorum numerorum Kalendario adjuncta affirmat, cui eadem manu annus MCXCVIII additus est. In hoc Kalendario (cui desunt menses Januarius et Februarius) paucæ annotationes historici momenti in seculo XIII° et initio posterioris sunt insertæ, quas hic proferimus.

*) Cfr. verba Olaui Petri (ed. Klemming, Stockholm 1860 pag. 61: "*Så bära ock the monga Engelska tijdhegierdz böker som här finnas i landet, witnesbyrdh noogh*" etc. . . . . .

— — — — — — — — — — — — — — — — — — — —

Maius

— — — — — — — — — — — — — — — — — — — —

V Kal. [Junii] Germani confessoris Obiit dominus Philippus domini Ingewaldi filius. a)

— — — — — — — — — — — — — — — — — — — —

Junius

— — — — — — — — — — — — — — — — — — — —

XVII Kal. [Julii] Viti et Modesti IX (!) preliatum est Houam. b)

— — — — — — — — — — — — — — — — — — — —

XIII Kal. [Julii] Geruasi et Prothasi martyrum missa pro rege. c)

— — — — — — — — — — — — — — — — — — — —

Julius

— — — — — — — — — — — — — — — — — — — —

X Kal. [Augusti] Apollinaris martyris Hic obiit Ragni frater Archiepiscopi Jarlerii. d)

— — — — — — — — — — — — — — — — — — — —

Octobris

[Kal.] Dedicacio ecclesie sancte Marie et sancti Johannis Baptiste et Sancti Siluestri in Walandathunum. e)

— — — — — — — — — — — — — — — — — — — —

Decembris

— — — — — — — — — — — — — — — — — — — —

XV Kal. [Januar.] Daciani episcopi Obiit rex Magnus. f)

a) Forsan respicitur Philippus, Ingevaldi filius, miles et legifer Sudermanniæ, qui in Diplomatario inter annos 1285—1318 comparet (l. c. I. pag. 665 et III pag. 348). Manus scriptoris indicat iniens seculum XIV^{m} et recentior est illa, quæ in fine superioris seculi sequentes notas fecit.

b) Anno 1275. De die cfr., quæ supra in Annalibus Sigtunensibus pag. 5 not. o disseruimus.

c) Si diem emortualem cujusdam regis Sueciæ annotatio spectat, nescimus quis fuerit. Illa die neque Sverkerus II nec filius Johannes, neque Ericus II nec filius Ericus III sunt mortui. Forsan Kanutus, pater Erici II:i respicitur.

d) Jarlerus erat Archiepiscopus Upsaliensis annis 1234—1255, sed frater ejus Ragni adhuc erat ignotus. Ragni vel Rano stabularius anno 1274 apparet (Diplom. Suec. I. p. 473, 474); dominus Regnerus an. 1283 l. c. pag. 636).

e) Verba: "Dedicatio . . . Silvestri" initio seculi XIII:i scripta sunt; "in Valandathunum" contra manu e fine seculi ejusdem additum.

f) Anno 1290. Idem dies apud omnes scriptores legitur.

Digitized by Google

III.

HISTORIA GOTLANDIÆ.

E codice membranaceo B. 64. in Bibliotheca regia Holmiensi, qui etiam legem Gotlandiæ eodem manu in medio seculo XIV:o scriptam continet. Utramque illustr. Schlyter in Corpore Juris Sueo-Gotorum antiqui, vol. VII., Lund 1852 typis imprimendam curavit.

De fide et auctoritate priorum quatuor capitulorum judicium proferre difficile est. Sequentia tamen, quæ ad seculum XIII^m^ attinent, monumentis affirmantur, ut ex scholiis nostris patet. Historiam, quæ ejus nunc est forma, post annum 1318 scriptam esse, quia ultima verba expulsionem Birgeri regis manifeste spectant, jam Schlyter observavit. Si cui in textu interpretando aliquæ difficultates occurrerint, ad versionem et glossarium supradictæ editionis Schlyteri, ex quibus ipsi omnia istius generis sumsimus, legentes relegamus.

Gutland hitti fyrsti maþr þan sum Þieluar hit. þa war Gutland so eluist[a] at þet daghum sanc Oc natum war uppj. En þann maþr quam fyrsti eldi a land Oc siþan sanc þet aldri. Þissi þieluar hafþi ann sun sum hit Hafþi. En Hafþa cuna hit huita stierna þaun tu bygþu fyrsti a Gutlandi fyrstu nat sum þaun saman suafu þa droymdi hennj draumbr. So sum þrir ormar warin slungnir saman .j. barmj hennar Oc þytti hennj sum þair scriþin yr barmi hennar. þinna draum segþi han firi Hasþa[b] bonda sinum hann riaþ[c] draum þinna so Alt ir baugum bundit bo land al þitta warþa oc faum þria syni aiga.[d] þaim gaf hann namn allum o fydum. Guti al Gutland aigha Graipr al annar haita Oc Gunfiaun þriþi. Þair sciptu siþan Gutlandi .i. þria þriþiunga. So at Graiþr þann elzti laut norþasta þriþiung oc Guti miþal þriþiung En Gunfiaun þann yngsti laut sunnarsta Siþan af þissum þrim aucaþis fulc .j. Gutlandi so mikit um langan tima. at land elptj[e] þaim ai alla fyþa. þa luþadu þair bort af landi huert þriþia þiauþ so at alt sculdu þair aiga oc miþ sir bort hafa sum þair vfan iorþar attu. Siþan wildu þair nauþugir bort fara men foru innan Þorsborg[f] oc bygþus þar firir. siþan wildi ai land þaim þula vtan racu þaim bort þeþan. Siþan foru þair borth .i. Faroyna.[g] Oc bygþus þar firir þar gatu þair ai sic vppi haldit Vtan foru .j. aina oy wiþr Aistland sum haitir Dagaiþi.[h] Oc bygþus þar firir Oc gierþu burg aina sum enn synis þar gatu þair oc ai sic haldit. Vtan foru vpp at watnj þi sum haitir Dyna Oc vpp ginum Ryza land so fierri foru þair at þair qwamu til Griclanz.[i] þar baddus þair byggias firir af Grica kunungi. vm. ny. oc niþar kununghr þann lufaþi þaim Oc hugþi at ai miþ ann[k] manaþr wari. siþan gangnum manaþi wildi hann þaim bort wisa En þair annzsuaraþv at ny oc niþar wari .e. oc .e. Oc quaþu so sir wara lufat. þissun þaira wiþratta[l] quam firir drytningina vm siþir þa segþi han. Minn herra kunungur þu lufaþi þaim byggia vm ny. oc niþar. þa ir þet .e. oc .e. þa matt þu ai af þaim taka. So bygþus þair þar firir. oc enn byggia. oc enn hafa þair sumt af waru mali[m] Firi þan tima oc lengi eptir siþan. Troþu menn a. hult. oc a. hauga. wi. oc stafgarþa.[n] oc a haiþin guþ. blotaþu þair synnum oc dydrum sinum Oc fileþi. miþ matj. oc mundgati.[o] þet gierþu þair eptir wantro sinnj. land

a) *Oliust* vel *eldlaust*, i. e. obscurum, conjicit Schlyter.
b) Pro: *Hafþa*.
c) Interpretatus est.
d) Omne est annulis consertum; hoc omne fiet terra culta et [nos] tres filios accipiemus. In versus metricos verba: "*Alt ir baugum .... aiga*" et "*Guti al .... þriþi*," Säve distinxit (Gutniska Urkunder etc. Stockholm 1859).
e) Pro: *eflti*, i. e. potuit.
f) Mons in orientali parte insulæ situs. Cfr. quæ attulit Schlyter l. c. p. 317.
g) Hodie Fårö parva insula boreale litus Gotlandiæ spectans.
h) Hodie Dagö insula Estoniæ.
i) I. e. imperium Byzantinum. De commercio inter Aqvilonem et Orientem cfr. Adamum Bremensem, lib. IV. cap. 19, Nestor: Chronicon Russicum cap. IV et passim, Strinnholm, Svenska Folkets Historia, II. pagg. 311, 341, 344, Montelius: Från Jernåldern, I Holmiæ 1869 in IV:to passim et Hildebrand: Sverige under Hednatiden, Stockholm 1872, pag. 197.
k) Legendum: *maira þan ann*. Schlyter.
l) Rixa; derivationem vocabuli vide apud Schlyter.
m) Cfr. Säve l. c. pag. X. not ***.
n) Nemora et colles, sacra loca et sedes sudibus circumseptas venerabantur.
o) Pecus cum cibo et cerevisia.

Digitized by Google

alt hafþi sir hoystu blotan miþ fulki. p) ellar hafþi huer þridiungr. sir. En smeri þing hafþu mindri blotan meþ fileþi. matj. Oc mungati. sum haita suþnautar. q) þi et þair suþu allir saman.

2.

Mangir kununger stridu a Gutland miþan haþit r) war. þau hieldu Gutar .e. iemlica siþri s) Oc ret sinum. Siþan sentu Gutar sendumen manga tjl Suiarikis En engin þaira fic friþ gart fyr þan Awair Strabain af Alfha socn hann gierþi fyrsti friþ wiþr Suja kunung. þa en Gutar hann til baþu at fara. þa suaraþi hann. Mik witin ir nu faigastan oc fallastan t) giefin þa mir En ir wilin et iec fari innan slikan waþa þry wereldi u) att mir sielfum. annat burnum synj minum. Oc þriþia cunu. þy et hann war senieldr. v) Oc fiel kunnugur so sum saghur af ganga gicc han a staggaþan x) ret wiþr Suia kunung. Siextighi marca silfs vm arr huert. þet ier scattr Guta so at Suiarikis cunungr y) fiauratighi marcr silfs af þaim siextighi. En ierl hafi tiughu marcr silfs. þinna staþgaþ gierþi hann miþ lanz raþi. fyr enn hann haiman fori. So gingu Gutar sielfs wiliandi vndir Suia kunung þy at þair mattin frir Oc frelsir sykia Suiariki .j. huerium staþ. vtan tull oc allar utgiftir. So aigu oc Suiar sykia Gutland firir vtan cornband z) ellar annur forbuþ. hegnan oc hielp sculdi kunungur Gutum at waita. En þair wiþr þorftin. oc kallaþin. sendimen al oc kunungr oc ierl samulaiþ a Gutnal þing a) senda. Oc latta þar taka scatt sinn. þair sendibuþar aighu friþ lysa Gutum alla steþi til sykia yfir haf sum Upsala kunungi til hoyrir. Oc so þair sum þan wegin aigu hinget sykia.

3.

Eptir þet siþan quam helgi Olauir kunungr flyandi af Norwegi miþ schipum oc legþis .j. hamn. þa sum callar Acrgarn b) þar la helgi Olaujr lengi. þa for Ormica af Hainaim c) oc flairi rikjr menn til hanns miþ giefum sinum þann Ormica gaf hanum tolf weþru miþ andrum clenatum d) þa gaf helghi Olauir kunungr hanum atr agin tua bulla e) oc aina braiþyxi. þa tok Ormica wiþr cristindomj eptir helga Olafs kennjdomi Oc gierþi sir byna hus .j. sama steþ sum nu standr Acrgarna kirchia þeþan for helghi Olauir til Jerzlafs .j. Hulmgarþj. f)

4.

Þaut Gutar hainir g) waru. þau silgdu h) þair miþ caupmanna scap innan all land baþi cristin oc haiþin. þa saghu caupmenn cristna siþi .j. cristnum landum þa litu sumir sic þar cristna Oc fyrþu til Gutlanz prestj Botair af Acubek i) hit þann sum fyrstj kirchiu gierþi .j. þann staþ sum nu haitir Kulasteþar. k) þy wildi ai land þula vtan brendu hana þy callar þar en Kulasteþar. þa eptir þan tima war blotan .j. Wj l) þar gierþi kirchiu aþra. þa samu kirchiu wildi land oc brenna þa for hann sielfr wp a. kirchiu. þa. oc segþi. wilin ir brenna þa sculin ir brenna mik meþ kirciu þissi hann m) war ricr sielfr oc ricasta manz dotur hafþi hann sum hit Liccair sniellj boandi þar sum kallar Stainkirchiu n) hann reþ mest vm þann tima hann halp Botairj magi sinum Oc segþi so herþin o) ai brenna mann ella kirchiu hanns þy et han standr .i. Wi. firj niþan clintu. miþ þy ficc þaun kirchia standa obrend han war sett þar miþ aldra helguna namnj p) innan þau staþ sum nu kallar Petrs kirchiu. q) han war fyrsti kirchia j. Gutlandi sum standa ficc Siþan vm nequan tima eptir

p) Universa terra maximum sacrificium, in quo homines immolabantur, sibi reservatum habuit.
q) "Socii coctionis; ita ethnicismi tempore appellabantur ii, qui una celebrabant sacrificia et una parabant epulas". Schlyter.
r) Lege: *haiþit.*
s) Lege: *sigri.*
t) Morti et casui propinquum.
u) Mulctæ homicidii.
v) Lege: *snieldr* i. e. prudens.
x) Lege: *staþgaþan.*
y) Adde: *hafi.* Tempus hujus subjectionis e fontibus Svecicis determinare non possumus. Jam seculo IX:o Gotlandia regno Sueciæ adnumeratur (Periplus Otheri et Wulfstani: SS. rer. Danic. II. 119).
z) Interdictum de frumento importando et exportando.
a) Forsan pro: *Gutna al þing;* i. e. placitum omnium Gutorum.
b) "Portus in paroecia Gotlandica Helvi, ubi jam nunc exstant reliquiæ ædis sacræ S. Olavo olim dicatæ"; Schlyter, qui multa testimonia collegit (l. c. p. 314).
c) Hodie paroecia Heinum.
d) Duodecim arietes cum aliis cibariis.
e) Pateras rotundas.
f) Holmgard vel Östragard significabat et urbem Novgorod et regnum Russiæ. Jaroslav princeps et Olauus sanctus filias Olaui Skötkonung, regis Sueciæ, pro conjugibus habuerunt. Ceterum Olauus ad Gotlandiam venit, non iter faciens ad Russiam, sed in reditu an. 1030. Cfr. Munch: det Norske Folks Hist. I., 2, p. 764 et 774.
g) Pro; *haiþnir.*
h) Pro: *sigldu.*
i) Hodie Akebäck paroecia. Cfr. infra sect. II. pag. 291.
k) Ita etiamnunc mansus vocatur in paroecia Vall.
l) Ubi postea urbs Wisby condita est.
m) *Hann* bis scriptum est.
n) Hodie paroecia Stenkyrka.
o) Insistite; adhuc dicitur eadem vi: *framhärda.*
p) I. e. ecclecia omnium sanctorum appellabatur.
q) Hoc templum Visbyense jam pridem est deletum.

Digitized by Google

lit suer hans Lickair snelli sic cristna. Oc husfoyu r) sina. barn sinn oc hiskep s) sin allan oc gierþi kirchiu .j. garþj sinum. þar nu kallar Stainkirchiu han war fyrsti kirchia a landi uppi .j. norþasta þriþiungj Siþan Gutar sagu crisna manna siþi þa lydu þair guz buþi oc lerþra manna kennu tocu þa almennilica wiþr cristindomj miþ sielfs wilia sinum vtan þuang so et engin þuang þaim til cristnur ¶ Siþan en menn orþu almennilica cristnjr þa gierþis kirchia annur a landi .j. Atlinga bo t) han war fyrstj .j. miþalþriþiungi ¶ Siþan warþ þriþi gar a landi .j. Farþaim u) .j. sunnarnasta v) þriþiungi af þaim briscaþus x) kirchiur allar .j. Gutlandi þy et menn gierþu sir kirchiur at mairu maki.

5.

¶ Fyr en Gutland toki steþilica wiþr necrum biscupi þa quamu biscupar til Gutlanzs pilagrimar til helga lanz Ierusalem Oc þeþan haim foru Þan þima war wegr oystra vm Ryzaland oc Gricland fara til Ierusalem y) Þair wigþu fyrst kirchiur Oc kirchiugarþa Miþ byn þaira sum giera litu kirchiur Siþan en Gutar wendus wiþr cristindom þa sentu þair sendibuþa til hoygsta biscups i Leoncopungi z) þy et hann war þaim nestr. so at miþ steþdum ret quami han til Gutlanz þann raiþschep a) giera miþ þaim forschielum at biscuper wildi cuma af Leoncopungj þriþia huert ar til Gutlanz miþ tolf mannum sinum sum hanum sculdin fylgia vm land alt miþ bonda hestum so mangum oc ai flairum ¶ So a biscupr vm Gutland fara til kirchiu wigsla. Oc gingerþa sinna taka þry borþ b) oc ai maira at kirchiu wigsl. huerri miþ. þrim marcum. at alteris wigsl. at borþ miþ tolf oyrum En alteri ainsamt scal wigias þa en baþi iru o wigþ alteri oc kirchia saman þa sculu baþi wigias firj þry borþ Oc þriar marcar penninga. Af presti andrum huerium a biscupr gingerþ taka vm tilquemda siþ c) þry borþ Oc ai maira af andrum huerium prestj sum ai gierþi gingerþ a þy ari taki biscupr af huerium lausn So sum kirchiur iru til scuraþar. d) þair sum ai gingerþ gierþu at þy bragþi. e) þair sculu gingerþ giera þegar biscupr cumbr atr at þripia ari. En hinir aigu loysa sum fyrra bragþi gingerþ gierþu. ¶ Cunnu dailur warþa sum biscupr a dyma þaar sculu lendas f) .j. sama þriþiungi et g) þair menn wita mest af sannundum sum þar nest boa warþr ai þar þaun daila lent þa scal han schiautas til aldra manna samtalan. Oc ai af þriþiungi .j. annan. Cunnu hetningar h) eþa dailu mal warþa sum biscupi til hoyra at retta. þa a hier biþa biscups quemdar. oc ai yfir fara vtan þuang reki til. oc mikil synd sei at ai ma proastr loysa. þa scal yfir fara millan Walborga messur oc helguna messur. En ai þar eptir vm wintr tima til Walborga messur. Biscup sac. i) j Gutlandi ier ai hoyþri k) þan þriar marcr.

6.

Siþan Gutar toku sir biscup oc presti oc wiþir fulcumnum cristindomi þa toku þair Oc wiþr at fylgia Suia kununngi .i. herferþ miþ siau snieckium vfan a haiþin land oc ai vfan cristin. So þau at cununngr. a biavþa Gutum laiþing eptr wittr Oc manaþa frest firi liþstemnu dag oc þau scal liþstemnu dagr wara firi missumar oc ai siþar. þa ir laglica buþit oc ai ellar Þa hafa Gutar wal vm at fara en þair wilia miþ sinum snieckium oc atta wichna wist en ai maira Þa en Gutar efla ai fylgia þa gialdin fiauratigi marca penninga firi hueria snieckiu Oc þau at andru ari. Oc ai ath þy sama ari sum buþit var. Þet haitir laiþings lami l) .j. þaim

r) Lege: *husfroyu.*
s) "Familia; Islandice: *húskapr*". Schlyter.
t) Hodie ecclesia Atlingbo.
u) Hodie Fardhem.
v) Pro: *sunnarsta.*
x) Augebantur. Derivationem verbi Säve (l. c. p. XXVI et XXVII) illustravit.
y) Cfr. Riant: Les pelerinages scandinaves en terre sainte, pag. 63 sequ.
z) Hodie Linköping, metropolis Ostrogotiæ. Ipsa res roboratur verbis Andreæ archiepiscopi Lundensis et duorum episcoporum Lincopensium: "tempore quo primum hæc terra [Gotlandia] sponte jugum fidei suscepit, Ecclesiæ Lincopensi se nullo cogente subjecit" (Diplom. Suec. I. pag. 690).
a) Adjumentum.
b) Mensa vel prandium.
c) Lege: *tilquemd sina.* Schlyter.
d) Prout singulis ecclesiis præscriptum est. His verbis profecto illa taxa visitationis, quam infra sect. II. p. 290 sequ. edidimus, respicitur. Quod historia Gotlandiæ de visitatione episcopi ejusque conditionibus narrat, in literis supra in not z) allatis in maximam partem eodem modo exponitur.
e) Hoc tempore vel hac vice.
f) Dirimentur.
g) Lege: *þy et.* Schlyter.
h) Cfr. Schlyter.
i) Lege: *Biskups sac.* Ita vocabantur mulctæ episcopo debitæ.
k) Lege: *hoygri.*
l) Hoc tributum annuum factum est an. 1285 ea conditione, ut Gutenses a bellica expeditione, nisi contra paganos, liberarentur (v. Dipl. Suec. I. pag. 671. De magnitudine tributi an. 1313 cfr. Olaum Petri (ed. Klemming anno 1860, p. 117).

Digitized by Google

manaþi þa scal aina wiku buþ cafli vm fara oc þing nemnas. þa en mannum sembr at laiþingir scal ut ganga þa scal siþan halfan manaþ til ferþar boas. En siþan siau netr firi liþstemnu sculu laiþings menn garlakir [m] wara Oc byriar biþa [n] Þa en so cann warþa. et ai cumbr byr .j. þairi wicu þa sculu þair en biþa siau netr eptir liþstemnu dag. Þa en ai cumbr byr .j. þairi frest. þa aigu þair haimfara at saclausu miþ þy et ai gatu þair roandi yfir haf farit vtan siglandi. Cuma laiþings budþ .j. minnum frestum þan manaþr. þa a ai fara vtan haima sitia at saclausu Jer so et cunungr wil ai troa at budþ quamin olaglica eþa byr hindraþi at retum frestum þa aigu sendimen kunungs sum scat táka a þy þingi sum nest ir eptir sanctj Petrs messu taka tolf nemda manna aiþ. Svm sendimen kunungs nemna wilia et þair miþ laglicum forfallum haima satin ⁊ Engin gief nemda aiþir .j. Gutlandi vtan kunungs aiþir Cann so illa at bieras at crunaþr kunungr warþr miþ nequaru waldi bort rekinn af sinu riki þa aigu ai Gutar scatt ut giefa vtan haldi hanum vm þry ar oc þau aigu þair e huert ar scatt saman giera oc liggie lata. En þa vt giefa þan þry ar iru vt gangin. Þaim sum þa raþir Suia riki [o] ⁊ Lyct bref miþ kunungs insigli scal at allum kunungs ret sendas. oc ai vpit.

m) Parati.
n) Ventum exspectare.
o) Hæc præcepta manifeste ex iis, quæ an. 1318—1320 in Suecia et Gotlandia contigerunt, originem duxerunt. Birgerus enim rex regno expulsus Gotlandiam appulit in æstate an. 1318, unde circa finem anni in Daniam fugam petiit. Sequenti anno classis Succica insulam visitasse dicitur. Certum est, an. 1320 nomine Magni Gutensibus imperatum fuisse, ut tributum novo regi Sueciæ solverent (Dipl. Suec. III. p. 473—475).

IV.

Libellus de Magno Erici rege.

Hic libellus reperitur in codice papyraceo Bibliothecæ Upsaliensis n. 47 in Theol. fol. 178—180, qui inter sermones meditationesque theologici argumenti etiam duo historica scripta (sc. hoc et sequentes Commentarios) continet.

Scriptura libelli initium seculi XV^i indicat sed primus scriptor opus composuit inter annos 1365 et 1371, ut ex ultimis verbis intelligi potest, in quibus, proelio an. 1365 et captione Magni expositis, additur: "qui adhuc detinetur"; Magnus autem jam an. 1371 carcere liberatus est. Verisimile videtur scriptorem fuisse clericum, cum delicta regis adversus ecclesiam tam acerbe commemorentur, immo ut coram clericis prælegeretur, destinatus vel potius adhibitus fuisse videtur libellus, cum ad grauissimam insimulationem, quam adversus regem propter mores turpissimos producit scriptor, in margine notatum videmus: Istud non legatur (cfr. infra scholion). Jam Ericus Olai Upsaliensis hoc libello in historia conscribenda usus est, ut etiam cursim scripta comparanti facile apparet, qua tamen re pretium libelli non diminuitur, quia fidem Erici Olai ita melius judicare possumus, præsertim in his partibus libri ejus, in quibus conficiendis eum suo arbitratu multa finxisse historici crediderunt.

Enuntiationes incisis distinguendas ipsi curavimus, cum hac in re manuscriptum modo vitiis laboret, modo omnibus signis careat.

Qualiter regnauit rex Magnus.

Suecia est vna regio, in qua a paganissimo (!) fuerat justicia, quod rege mortuo uel eo qui propter praua opera et tirannidem jndignus regali honore fuerat degradato seu expulso, homines regni et jndigene elegerunt sibi regem quem vellent, et nullus obtinuit reg-

Digitized by Google

num hereditate sed eleccione. Contigit ergo, quod in eodem regno cum rex aliquis non esset, omnès majores natu (!) et populares habito consilio ex vnanimi consensu et dileccione elegerunt sibi regem puerum in regem, [a] non quia justiciam habuit ad regnum propter hereditatem sed propter caritatem et proximiorem parentelam propinquorum; qui puer electus fuit etate quasi trium annorum, cuius pater mortuus fuit et omnes regis proximiores affines mortui sunt; elegerunt igitur illum, vt pax esset in regno et concordia fieret inter homines, et gubernauerunt hii qui constituti fuerant ex consilio regnum in multis tribulacionibus et bellis, multorumque sanguis effusus est et multi mortui et capti propter reges et tirannos impugnantes regnum, [b] qui libenter occidissent puerum regem ad subiciendum sibi ipsis regnum; homines quoque regni in pueritia regis [c] redimerunt terram Skanie summa maxima argenti, que multis annis ablata cum violencia tenebatur. Cumque rex quinque annorum esset, moriebatur awus suus rex Noruegie, [d] cuius regni consiliarii et potentes et populares receperunt regem Suecie in regem Noruegie et dominum, quia ad ipsum ex iure hereditario spectabat regnum. Sic igitur duo regna confederata et coniuncta sunt sub vno rege et cum fidelitate et jurejurando et promissionibus homines duorum regnorum consociati sunt, vt cum caritate educarent regem et adiutorio dei regi regna defensarent pro inimicis. Rex itaque in iuuentute isto modo duo regna optinuit, Sueciam videlicet per eleccionem et Noruegiam per hereditatem; rege autem habente etatem qua regna posset regere personaliter, homines sui assignauerunt sibi regna cum ciuitatibus et vrbibus et terris aliis, nec aliquis erat qui sibi resisteret in regnis, sed omnes letabantur quod rex per se ipsum regeret et regnaret; aliquibus igitur annis rex potentibus et sapientibus qui tempore puericie sue gubernabant regna obediuit, et tunc Suecia plena fuit diuiciis, felix pace et concordia et exultans gaudio magno. Sed quia homines nescierunt ymo quia noluerunt regraciari deo pro beneficiis suis, plantabatur radix vna in regno de qua omnino tribulacio regis oriebatur. Rex quippe recepit vxorem de Francia [e] juuenem pulchram et generosam, qua ducta anno elapso rex cepit antiquiores et sapienciores regni suspectos et tedio habere nec obediuit eis, sed recepit consiliarios iuuenes pauperes et degeneres exaltando eos, quorum processu tantus incepit superbie et cupiditatis esse excessus, quod regna duo que cepit ditissima infra decem annos sic depauperata sunt, quod multi propter imposiciones grauissimas relictis domibus vacuis cum vxoribus et filiis in terra aliena panem mendicabant; attamen consuetudo regis fuit a iuuentute audire missas legere et ieiunare, sed nullis facere justiciam, ymo tirannos et inimicos dei diligere et eis obedire, sapientes vero dei amicos respuere. Ideo placuit deo plagare regnum in tantum, quod infra v annos fere omnes seniores et sapientes et deuociores subtracti sunt, et pauci qui remanserunt odio habiti sunt et tribulati. Rex quoque et regina cum de septem filiis et filiabus [f] duos filios tantum haberent viuentes, fecerunt filium seniorem qui erat quinque annorum eligi in regem Suecie, juniorem vero qui erat IIII annorum in regem Noruegie. [g] Et hoc placuit omnibus, vt duobus regnis duo preficerentur filii propter bonum pacis et ne aliquis obtineret occasionem pugnandi contra eos. Tunc instituti sunt officiales et prefecti crudeliores nec deum nec animas suas attendentes, qui a communitate extorquerent

a) Sc. Magnum, Erici ducis filium, an. 1319 regem electum, de quo totus libellus est conscriptus.
b) Sc. Birgerum regem e Suecia expulsum et Ericum Menved regem Daniæ.
c) Falsa, sed divulgata opinio. Scania enim an. 1332 mense Novembri redemta est, Magnus autem vere ejusdem anni regimen capessiverat (v. Styffe, Bidrag till Skand. Hist. I. p. IX et X).
d) Hacon jam an. 1319 decessit, ut Magnus eodem tempore in tertio vel potius quarto ætatis anno utramque coronam obtineret (Cfr. Munch, Norges hist. Anden Hovedafdel. I. p. 122 sequ. et SS. rer. Suecic I. 1. 43). Hoc vitium "V. annorum" in Detmarum et ex eo in Cornerum defluxit. Sine dubio ita legebatur etiam in perdito veteri Chronico Lubecensi (cfr. Monumenta Germaniæ XVI, p. 411).
e) Nuptiæ regis cum Blanca, filia Johannis comitis de Namur, a matre regali domui Franciæ cognata, an. 1335 mense Octobri celebrabantur.
f) Ericus Olai præter hanc etiam aliam narrationem, quæ Magno solum quinque liberos tribuit, affert, (supra Tom. II. pag. 103). Quidam liberi regis, jam ante an. 1347 in conventu Hallandiæ, Aas vel Asylo, sepulti erant (v. Diplomat. Suec. V. p. 705).
g) Si Munch (l. c. pag. 229, not. 1) recte demonstraverit, Ericum seniorem filium an. 1339 mense Martio natum esse, quinque annos, quando Upsaliæ an. 1344 mense Decembri eligebatur, expleverat. Observatione tamen dignum est, Magnum ipsum an. 1353 dicere, Ericum in legitima ætate constitutum esse (Riks-Ark. Perg. Bref n. 135), quod significare deberet quindecim annos natum filium tunc fuisse; contra aliis literis originalibus an. 1354, d. 9 Augusti Magnus et Albertus promittunt liberos utriusque, "cum etatem legitimam attingentes sigillis vti ceperint", has literas firmaturos (Styffe: Bidrag till Skand. Hist. I. p. 23). Hacon, si an. 1340 erat natus, vix tertium expleverat annum, cum rex Norvegiæ est declaratus (Munch l. c. pag. 252, not. 1 et pag. 291).

Digitized by Google

pecunias non propter vtilitatem regni seu belli futuros casus sed propter dilatandam superbiam et pompam et mundi irracionabile habendum gaudium. Et tunc cepit negligi deus et iusticia longe fieri, que nec ecclesiis nec religiosis nec diuitibus nec pauperibus impendebatur. Eodem tempore cepit gaudium verti in dolorem, quia rex attediatus noluit commisceri carnaliter regine, quod ipsa attendens consensit ad tempus. h) Sed retractans propositum dixit et prodidit aliquibus de consilio regis se male contentari et egre ferre inchoata. Swasum est igitur regi mutare intentum suum, ex quo non placide regine respondit ille se malle penas amarissimas pati et mortem quam mutare animum suum et redire ad consweta. Sic itaque rex et regina cohabitabant ad tempus in honore debito in concordia exteriori solita in reuerencia mutua, sed latencia cordium dissimile apparencium paucis erant nota, licet multi veritatem coniecturarent. Tandem processu temporis procurante dyabolo rex victus voluptate et consentiens cepit exercere actum carnis sed contra vsum nature et consuetudinem, et repleta est terra fama, pluresque in actu conscii exaltati sunt nec absconderunt hii qui fauctores eius erant peccatum suum. i) Interea rex crebrescente fama sua et audacia regine cepit exaltare militem vnum, in quem ambo consimili affectu consenserunt rex scilicet et regina, et diligentes eum plus quam filios suos fecerunt eum ducem, tradentes ei quasi totum regnum et omnia nobiliora et forciora castra, k) filiumque suum, quem antea rex creauerat regem, fecit vocari et esse ducem; l) de quo quidem facto licet omnes nobiles et alii in regno turbarentur, nullus tamen in aperto reclamare audebat, antequam filius suus venit ad etatem, qui animatus consilio et auxilio maiorum et diciorum in regno sapienciorumque mouit bellum contra ducem illum et consequtus de eo victoriam reuicit terras et castra ipsumque expulit in vicinas regiones. m) Filius itaque potens cepit esse in regno, qui patri et matri partem de regno deputauit ad sustentacionem eorum, jurans aperte se duci expulso numquam daturum amiciciam, sed morte amara si obtinuerat eum dampnaturum. Quod audiens et intelligens regina filium suum inflexibilem in proposito suo venit ad regem crudelissimum Dacie et promisit ei Scaniam, si ducem restitueret iterum in honorem suum. Et satis videbatur absurdum et suspectum omnibus reginam intromittere se de negociis talibus regni, rege in domo pacifice residente. n) Rex autem Dacie consensit verbis regine, qui qualia et quanta attemptauerat qua-

liave fecerat, adhuc loquentur filii filiorum. Verum quia filius regis vbique prosperabatur, statutus est dies et locus sub dolo, vbi pater et mater et consiliarii convenirent sub specie faciende concordie. Et cum omnia retractata essent, mater dedit filio pocionem ex qua infra XX dies mortuus est. o) Qui statim senciens infirmitatem cum in extremis esset, dixit quesitus: hii, inquit, qui me in mundum genuerunt, hii separant me de mundo. Mortuo autem filio pater potens factus [est] vt prius, qui licet libenter vindicasset in fauctores filii non potuit, quia potenciores et validiores erant ad resistendum. Ideo omnes seruierunt regi sicut filio accepta cautela de securitate vite eorum datoque iureiurando, quod rex emendaret vitam suam et fugeret infamiam nullasque terras regi Dacie asignaret. Hiis statutis modico lapso tempore inuenta sunt peyora prioribus. Primum quod rex iterum alterum exaltauit p) pre omnibus et super omnes, per quem et in quo reuocata est prior infamia magnaque occasio data est omnibus detrahendi et odiendi. Secundum fuit quod contra voluntatem omnium consiliario-

h) Qua de re cfr. Revelationes Birgittæ, lib. VIII. cap. XI.

i) Hanc enuntiationem: "Sic itaque rex — — — erant peccatum suum", alia manus linea atramenti cinxit et in margine addidit: "Istud non legatur". Manus est paullo recentior et illi similis, quæ in fine duas annotationes ascripsit.

k) Benedictus ille, filius Algoti, miles significatur, quem Magnus rex ducem Finlandiæ et Hallandiæ (forsan an. 1355, Munch, l. c. pag. 590, 591) nominavit posteaque gubernatorem Scaniæ fecit.

l) Affirmatur diplomatis. Credimus quoque sequens secretum huic Erico tribuendum, quod delineatum reperimus in Collectione Gustaviana, Bibl. Upsal. Tom. LIV in 4:to, n. 54. Inscriptio est: + S E. ICI. DI. GRA. SV..... DVCIS, et insigne: leo super tribus obliquis trabibus ("snedbjelkar") cubans et tenens vexillum, in quo lilium est depictum.

m) Scaniam dicit Ericus Olai. Ibi quidem apud Rygnaholm an. 1360 interfectum esse duo annales tradunt (SS. rer. Suec. I. I. 44 et Annales Danici 1316—1389 infra excerpendi).

n) Altera continuatio Chronici Sialandiæ (infra edenda) dicit tamen non solum Blancam, sed etiam Magnum filiumque Haconem ineunte anno 1359 in Daniam profectos esse.

o) Anno 1359 d. 21 mensis Junii (v. supra Tom. I. I. p. 234). Adhuc die 9 Junii Ericus literas subscribit (Riks-Ark. Perg. Bref n. 412), quod affirmat effatum Chronici Sialandiæ, illum cum uxore et prole celeri morte periisse. Gravissimam pestem hoc tempore patriam vexasse certum est (Riks-Ark. P. Bref n. 413).

p) Qvis fuerit nescimus, nisi forsan postea clarissimus Ericus Kætilsson, qui jam anno 1363 Marescalcus in Vermalandia (R.Ark. Perg. Br. n. 588) et sequenti anno d. 21 Maji a Magno ipso "Marescalcus noster" appellatur (v. literas in Codice signato J. 7 fol. 291 in Archivo regni).

Digitized by Google

rum terram Scanie tradidit regi Dacie nec repetita nec reddita pecunia, pro qua prius redempta fuerat, nec securitate viuendi inter homines et regna facta uel accepta, de quibus homines male contenti et in nullis securi suspicabantur omnia esse vera, que consiliarii regis Dacie in aperto prius clamabant, ambos scilicet reges contra homines suos conspirasse ad eorum perdicionem, quod postea est probatum. Tercium malum est quod rex permisit regem Dacie intrare cum exercitu duas terras suas insulares, sicut prius inter se condixerant, si eas expugnare posset. In prima siquidem insula que vocatur Ølandia interfecit plus quam quingentos homines et expugnato castro q) totam terram redegit in seruitutem et potestatem suam et ablatis omnibus que concupiuit prefecit prefectos suos castro et toti terre. Secunda insula vocatur Gotlandia, cuius incole a paganissimo (!) libere regi Swecie obedientes existerant (!) regnoque Dacie nec in minimis molesti. Istam terram rex Dacie tribus conflictibus obtinuit et interfectis duobus milibus hominum tributoque grauissimo imposito exegit fidelitatem a residuo populo et sic recedens detinet adhuc eandem terram tamquam suam. Talis itaque rex qui sic oues suas dimittit bene dici potest proditor, qui vero alterius oues sic sibi propter superbiam et cupiditatem suam vsurpat interficiendo innocentes, mörderator r) vocari potest et malignus homicida. Eodem quoque tempore jubente rege captus est episcopus Aboensis, s) qui quanti zeli fuit ad regem quanteque deuocionis et austeritatis erga deum et se ipsum, probant et testantur opera sua laudabilia que fecit in vita sua; ab ipsius itaque episcopi captiuitate rex nondum est mundatus. Quartum malum regis est, quod ipse sentenciam et interdictum a summo pontifice propter leuatam pecuniam camere fulminatam nichil curabat, sed stetit in ea v annis t) et vbi prelati abstinuerunt a sacramentis, ibi ipse se in omnibus ingerebat, et scandalizati et in errorem ducti sunt fere omnes. Itaque justicia regni est, quod excommunicatus omnis stans ex contumacia per annum in sentencia ipsa, nisi se humiliauerit, judicio subiacebit capitali. Eodem tempore conuenerunt omnes episcopi et barones et alii nobiles et sapientes et attendentes regem obstinatum in conceptibus suis proditoremque regni et suorum violatorem juramentorum et promissionum suarum fauctoremque regis Dacie et conscium doli sui sed et depopulatorem communitatis sue propter exacciones grauissimas, ipsoque propter premissa legittime deposito, elegerunt in regem a. filium sororis sue e. u) more patrie, qui regnum defenderet et terras ablatas reuinceret regnumque reduceret ad vnitatem. Quo electo tandem ventum est ad placitacionem et concordiam inter antiquum regem et Albertum electum, quod rex antiquus retineret partem quandam de regno, Albertus vero cetera haberet et nomen et potestatem regis. v) Hiis gestis promisit et iurauit rex omnia ista se seruaturum iuuiolabiter. Interim rex nouus aggregauit exercitum naualem et paucis relictis in terra ipse ad obsidionem castri cuiusdam extra patriam x) se locauit. Quod perpendens rex Magnus videlicet quod pauci remanerent in terra, accito filio suo rege Noruegie et alios quos de Dacia habere poterat, fraudulenter cum manu forti intrabat regnum jrritans omnia que prius promisit et iurauit. Cui hii, qui relicti fuerunt in terra ex parte regis noui, numero satis pauci occurrerunt et iuuante miraculose gracia dei obtinuerunt victoriam y) de multitudine copiosa in tantum, quod multis interfectis et captis rex Noruegie z) wlneratus effugeret, rex quoque senior caperetur, qui adhuc captus sicut male meruit detinetur. a)

q) Sc. Borgholm in occidentali litore hujus insulæ.
r) Vocabulo Suetico: *mördare* (homicida) scriptor flexionem Latinam dedit. Murdrator in lingua Anglica comparet (v. Du Cange Glossarium).
s) Sc. Hemingus, de quo v. infra Sect. II. p. 133. Pro hac comprehensione illustranda fere omnes fontes, sed frustra, perscrutati sumus. Ericus Olai libello aperte omnia debet.
t) Potius per tres annos 1358—1360 (cfr. Munch l. c. pagg. 678—688).
u) Lege: Albertum filium sororis sue Euphemiæ. Electio anno 1364 mense Februario facta est.
v) Hujus conventus et pactionis præter nostrum scriptorem Cornerus unus mentionem facit, qui tamen alio modo atque copiosius rem explicat (v. Eccardus: Corpus Hist. II. p. 1107).
x) Sc. castri Aboensis in Finlandia.
y) Anno 1365 d. 3 Martii in silva Gata apud Östensbro in confiniis Uplandiæ et Vestmanniæ.
z) Sc. Hacon filius Magni regis.
a) Hoc verbo linea ultima libelli (in media pagina) desistit, sed continuo sequuntur in margine eadem manu scripta verba: *tu autem*, tamquam si scriptor in mente habuisset aliquid addere.

Digitized by Google

Anno domini M°CCCXXXVI Coronatus fuit dominus Magnus rex in regem Suecie Noruegie et Skanie Stokholmis jn die Marie Magdalene. Hic fuit filius domini Erici ducis qui in turre fame periit. b)

Item anno domini MCCCLXV dominus Magnus rex Suecie captus fuit in bello et Stokholmis deductus in turri positus est Et creatus est rex nouus scilicet dominus Albertus filius Alberti comitis Magnipolensis c)

b) Alia paulo recentiore manu hæ duæ annotationes additæ sunt. Eadem annotatio de coronatione Magni ad verbum legitur in Codice, ex quo Chronologia 1160—1320 (supra Tom. I. n. XIX) sumta est, sed in edendo pretermissa fuit. Coronationem Magni Diarium Minor. Holmiensium (supra Tom. I. I. p. 82) in præcedentem diem 21 Julii collocat.

c) Eadem manu scriptum, qua superior annotatio. Idem legitur in Diario Vastenensi (quamquam alia manu scriptum) Vix monendum est, Albertum jam an. 1363 in Sueciam venisse et an. 1364 mense Februario electum esse.

V.

COMMENTARII HISTORICI SUPER NONNULLIS REVELATIONIBUS S. BIRGITTÆ DE REGE MAGNO ERICI ET SUCCESSORIBUS EJUS.

In eodem codice fol. 181—183, in quo præcedens Libellus, hi Commentarii alia tamen, etiamsi coæva, manu scripti reperiuntur. Ex iis, quæ illis commentariis continentur, pæne apertum videtur, eum qui hæc primus conscripserit, fuisse clericum Lincopensem, qui in Universitate Pragensi versatus sit et plura quæ tradiderit suis ipsius oculis viderit, ultimamque manum paulo post electionem Erici Pomerani an. 1396 factam operi imposuisse. Constat vero haud paucos Suecos tunc temporis Pragam pro studiis perficiendis profectos esse et præsertim clericos Lincopensis diocesis, ut ex. gr. præpositum Laurentium Odonis, an. 1372 Facultati Juridicæ Pragensi adscriptum et an. 1417 defunctum, cantorem Lincopensem, Carolum Haquini, postea Archidiaconum Upsaliensem, qui an. 1379 facultati juridicæ adscriptus, anno 1382 fuit rector juristarum, et Canutum Boecii postea episcopum Lincopensem an. 1381 inscriptum c. pl.

Textus tamen, ut nunc est, non ex primi auctoris manu evasisse nobis videtur, sed ex descriptoris. Aliter menda quædam declarare non possumus, ut: *et* pro *at; tu* pro *jam; patruus* pro *paternus avus; verba* pro *vellera* etc. Utcunque est, aliquas novas res adducit historici momenti, quæ adhuc plane incognitæ fuisse videntur, sicut etiam instituta diligenti perquisitione, nullum posterum scriptorem his commentariis usum esse, persuasum nobis habemus.

Virgo Maria mater dei loquebatur sponse dicens: Ego sum ad quem angelus dixit Aue gratia plena etc. Ista revelacio est multum nobilis et vtilis pro statu et regimine regni istius Swecie, quod patenter notatur in verbis virginis cum dicitur: Ego exhibeo adiutorium meum ad regimen regni in quo tu nata es etc. Cuius inhabitatores ammoneo etc. Hic dat beata virgo ammonicionem et consilium hominibus regni eligendi regem deuotum et honestum. Quibus eciam notifico, quod diuina iusticia possunt separare regem etc. a) Iste rex, de quo ista reuelacio loquitur, fuit rex Magnus filius ducis Erici fratris regis Birgeri. Cui existenti puero post captiuacionem et mortem dicti ducis Erici patris sui et rege Birgero de regno expulso seruabantur duo regna, sicud habetur in quadam reuelacione de verbis virginis, octauo libro celestis imperatoris 47 capitulo. Iste rex Magnus cum ad annos discrecionis venisset, regebat iniuste et omnia agebat sine discrecione etc. libro octauo, 47 capitulo. Item idem rex monitus b) a Christo, vt se emendaret, et c) ex monitis eius ingratior factus est. Et ideo fuit de regimine regni separatus, sicud habetur libro quarto, 55

a) Superiora invenies in Revelationibus Extravagant. cap. 80.
b) Desideratur verbum: est.
c) Pro: at.

Digitized by Google

capitulo, vbi dicitur: filius dei loquitur vbi animal famelicum repellitur etc. Sequitur: sic ego feceram principi terre hujus id est Magno regi Swecie. Monui enim eum beneficiis meis, monui eum verbis et verberibus, set tanto ingracior et obliuiosior est, quanto mansueciorem me ei ostendo. Ideo vocabo eum sub coronam et scabellum pedum meorum etc. Et hec est vna causa, quare fuit separatus a regimine regni. Iste fuit inobediens matri dei, sicud habetur octavo libro 47 capitulo, vbi ipsa virgo Maria de ipso ad beatam Birgittam sic loquitur: Audi tu [d] quid ego mater misericordie dictura sum, Ille rex quem vocaui filium meum factus est filius inobediencie etc. et deinceps i. k. (!). [e] Et hec fuit secunda causa separacionis eius a regimine regni. Item de inobediencia sua loquitur mater dei octavo libro celestis imperatoris,[f] 19 capitulo. Mater dei loquitur ad sponsam dei: Miraris cur ego aliquando dico nos etc. Sequitur: Sic iste rex proponit exaltare seruum dyaboli etc. Iste seruus dyaboli fuit dominus Benedictus Algotson, quem rex exaltauit in ducem contra deum et matrem eius contra statuta regni et consiliarios regni. [g] Item de inobediencia regis ac peccatis eius grauibus et sceleribus loquitur mater dei quarto libro capitulo 156 [h] ad beatam Birgittam sic dicens: ego sum ad quam angelus dixit Aue gracia plena etcetera. Sequitur: vos habetis pessimam famam in toto regno dicentem vos habere et exercere commixtionem et turpitudinem cum masculis etcetera. Item secundo dubitari potest, an habetis fidem rectam, quia interdicti ab ecclesia etc. Item tercio estis predo corone et bonorum regni. Item qvarto estis proditor famulorum et subditorum vestrorum scilicet militum de Scania, qui fideliter seruiebant vobis et filio vestro scilicet Erico regi, quos tradidistis voluntarie jn manus inimici eorum pessimi cum tota terra Scanie, pro cuius malicia et fallacia numquam eo viuente tute poterant securari. Iste inimicus eorum fuit rex Dacie Waldemarus. Sequitur ammonicio verborum virginis: Si decreueritis peccata ista emendare et terras alienatas reuincere, seruiemus vobis, sin autem id est si nolueritis predicta emendare nec terras alienatas reuincere, tunc committatis regnum filio vestro scilicet Haquino sub juramento prestito, quod velit terras alienatas reuincere etc. Et factum est quod post mortem filii sui Erici regis commisit rex filio suo Haquino regnum Swecie et prius habuit regnum Norwegie. Et per istum modum et pro dictis peccatis et causis et pluribus aliis, de quibus pronunc longum esset notare et scribere, de quibus tamen sufficienter habetur in volumine reuelacionum. [i] Si quis velit inuestigare et scire ibi inueniet. Jam restat dicere et scribendo notare de eleccione et regimine filiorum dicti regis Magni, Erici et Haquini. Et primo de eleccione Erici, qui fuit minor etate, [j] de eleccione autem dicti Erici habetur octavo libro celestis imperatoris 41 capitulo, [k] quod sic incipit: loquebatur sponsa ad Christum etc. Sequitur: Iste rex habuit duos filios scilicet Ericum et Haquinum et duo regna. In altero regno eligitur rex iure hereditario, in altero vero secundum fauorem populi. Nunc autem contrarium factum est. Nam filius minor etate id est Haquinus assumptus est in regnum hereditarium Norwegie, major vero id est Ericus in regnum, quod per eleccionem debetur, Swecie. Hec sunt verba beate Birgitte. Respondit deus: In eleccionibus eorum tria erant inconueniencia. que communiter habentur in ista allegata reuelacione vsque ad finem. Et ista est prima causa, quod dictus Ericus non fuit rite et legittime electus, [l] et ideo deus eleccionem eius non ratificauit, nec ipsi placuit. 2:do eiusdem Erici regimen deo non placuit racione matrimonii cum filia Lodowici imperatoris qui ante fuit comes Marchie, [m] de quo matrimonio habetur

d) Pro: tu, legitur *iam* in Revelationibus.
e) Forsan: illo capitulo.
f) Liber sic appellatur, quia Christus inducitur loquens.
g) De hoc Benedicto v. supra pag. 14 not. k.
h) Sequentia inveniuntur in Revel. Extravag. cap. 80. Ignoramus, quod exemplar secutus sit scriptor; etiam in fine hujus scripti laudatur cap. 156 libri IV:i, ubi res in Extravagantibus nunc petenda est.
i) Apodosin omisit scriptor.
j) Lege: major ætate. Alius æqualis scriptor, qui non intellexit *minor* hic pro *major* lapsu irrepsisse, in margine correxit: Haquinus.
k) Ibi ad Librum IV, cap. 3, ubi sequentia leguntur, rejicimur.
l) Ericum d. 6 Decembris anno 1344 electum esse duobus locis legimus (Diplomat. Suecan. V. p. 384 et supra Tom. I. 1. p. 43), sed for an præcepta legis non erant stricte observata. Suspicionem movet, quod Ericus ipse seditionem incitans an. 1356, singulari quodam studio contendit, se recte electum esse (cfr. Lagerbring, Hist. Suec. III. 429).
m) Confudit scriptor rem. Beatrix, conjux Erici, erat filia Ludovici marchionis (Brandenburgensis), cujus pater Ludovicus Bavarus erat imperator. Certum videtur nuptias an. 1356 celebratas (v. literas Magni apud Lagerbring l. c. III. 424 et Messenii Scondiam Illustr. XII, p. 191, qui rem ex alio fonte novisse videtur). Cum in Continuatione Chronici Sialandiæ an. 1346 legimus, illud aut annum desponsationis indicat aut vitio compilatoris in falsum annum est translatum.

Digitized by Google

in quadam reuelacione, octavo libro celestis imperatoris nono capitulo: filius dei loquitur sponse de quadam regina, quam rex scilicet Ericus acceperat in coniugem de semine dampnato ab ecclesia, id est filiam dicti Lodowici imperatoris, quia usurpauit sibi imperium contra voluntatem pape, qui habuit potestatem per coronacionem eum confirmare, propter quod papa eum excommunicauit. Ad cuius excommunicacionis et dampnacionis maiorem euidenciam et perpetuam rei memoriam successor suus in imperio jlle bonus Karolus imperator et rex Bohemie in palacio suo, vbi ymagines singulorum imperatorum Romanorum diuersis et preciosis coloribus sunt per ipsum depicte et auro ornate cum formosis ac speciosis wltibus, ymaginem istius Lodowici imperatoris vltimam iuxta ostium pallacii fecit depingi sicud aliorum ymagines dictis coloribus atque auro ornari, faciem vero ymaginis eius fecit velari superducto colore nigro per hoc manifeste designans, quatenus sic excommunicatus et absque absolucione mortuus sit pariter et dampnatus. [n]

Dictus autem rex Ericus separatus est regimine regni propter duas predictas causas, non tamen viuus sicud pater suus rex Magnus, sed mortuus, quia vt asseritur intoxicatus [o] relinquens post se reginam vxorem suam Beatricem impregnatam, que a parentibus appellata fuit in baptismo Frogdelin. [p] Rex vero Ericus post nupcias suas mutato nomine in confirmacione imposuit ei nomen Beatrix. Consiliarii vero et principes regni considerantes dictam reginam esse impregnatam, posuerunt futuri regis eleccionem in suspenso, quia nec regem Magnum nec filium eius proposuerunt in regem assumere. Sed exspectabant et protrahebant, vsque dum regina pareret, vt si partus esset masculus, ipsum in regem eligerent, sicud vnanimiter per compromissum ob amorem patris eius Erici condixerant. Medio vero tempore interim quod regina pareret, jnstituerunt dicti consiliarii super totum regnum officialem dominum Karolum, legiferum Oplandiarum, [q] vt onus regalis officii portaret et negocia regni loco regis futuri suppleret, donec partu regine effuso [r] certum de sexu masculino certum (!) haberetur. Promiserunt eciam et firmauerunt inter se, quod si masculus esset, quem regina generaret, quod duo ex eis ipsum ad sepulcrum domini deducerent, cum ad tantam etatem perueniret, quod posset viam tante peregrinacionis sustinere, totaliter obliti verborum dei, quod ex illo conjugio propter causas supradictas numquam veniret populo regni salus. Istis autem factis et ordinatis regina infirmatur vsque ad mortem ante tempus partus. Militares vero qui curam eius in infirmitate egerunt, attendentes et considerantes tam ex disposicione corporis quam ex verbis eius, quod infans viuus versabatur in ventre eius. Vnde [s] ea iam mortua, ceso ventre eius jnfantem extraxerunt viuum, quem puerum masculum inuenientes statim baptizauerunt, nomen patris sui illi imponentes Ericum nominauerunt, et statim eodem die quo mater defuncta est mortuus est et puer, [t] et sic verba Christi verificata sunt, quod ex semine parentum dampnatorum non veniet salus regno. Sepultusque est iste nouellus rex Ericus in choro ecclesie fratrum predicatorum Stokholmis in sepulcro magistri Mathie doctoris in theologia et confessoris sancte Birgitte. [u] Quando vero sepulcrum aperiebant, tantus mire suauitatis odor redolebat, quod tota illa ecclesia dicto odore repleretur, quem magistrum Mathiam prefatus rex Magnus in die sepulture sue de feretro leuavit ac propriis manibus cum omni humilitate et reuerencia in tumulo deposuit. De dicto magistro Mathia dicitur in quadam reuelacione, quod beata Birgitta cum esset Rome vidit in spiritu animam ipsius ascendere in celum, quando egressa est a corpore, quod statim retulit domino Petro, patri suo spirituali [x], ac aliis qui commanebant secum in domo, dicens: Jam ego vidi animam patris mei magistri Mathie ascendere in specie stelle clare rutilantis. Item dicitur eciam de rege Erico filio regis Magni, de quibus supra, quod beata Bir-

n) Tota narratio hominem, qui hoc ipse aspexit, prodit (cfr. prolegomena).
o) Verbum *est* desideratur.
p) Quæ de nomine conjugis Erici hic traduntur, sine dubio ex errore scriptoris ortum est, qui titulum Germanicum: *fräulein*, esse nomen quoddam proprium senserit.
q) Karolus Ulfson de Tofta miles, postea Marescalcus Alberti regis. Si vera sit narratio, jam anno 1359 mense Junio legiferatum tenuit, quod fieri potest, cum prædecessor Magnus Gregorii legifer ultimo an. 1358, d. 10 Decembris memoratur (Hadorph. Accessio ad Chron. Rhythmicum fol. 32).
r) Forsan pro: effecto vel edito.
s) Anacoluthia quædam sermonis hic esse videtur.
t) Annales Islandici mortem duorum liberorum memorant.
u) De Matthia cfr. sect. II. pag. 191, not. a et pag. 278.
x) Non Petro Alvastrensi, sed Petro primo priori Vastenensi, cfr. infra sect. II. extrema pagina 223.

Digitized by Google

gitta memorata in Roma audiuit in spiritu, quod postquam anima eiusdem regis Erici egressa fuit de corpore, venit ad purgatorium. Audiuit eandem animam vehementer clamare et dicere: O domina mea o mater mea domina Birgitta ora pro me et adiuua me precibus tuis, vt ab ista graui purgatorii pena cicius liberer. Fuit enim beata Birgitta mater eius spiritualis, nam ipsum tenuit super fontem baptismatis ad baptismum. y) Patruus z) vero dicti regis dux Ericus matrem dicte beate Birgitte liberauit de quodam maris periculo ipsam ad litus sanam deducendo eandem beatam Birgittam tunc in ventre gestantem. Iste rex Ericus fuit justus prudens benignus et ab omnibus gratus et amabilis habebatur, diligens milites suos et communitatem atque contra aduersarios regni bellicus, vnde et eodem rege defuncto rex Dacie Waldemarus retulit aliquibus sibi familiaribus, dicens: Ego pluribus interfueram bellis, et numquam tremuit cor meum coram aliquo pugnatore, antequam coram rege Erico, quem ipsum multum pertimebam. Defuncto autem sepedicto rege Erico elegerunt iterum regem Magnum patrem suum et iterum non post longum tempus eum a regimine regni separauerunt propter malum regimen et infidelitatem. Ipso itaque rege Magno a regali potestate et jure regni amoto elegerunt filium suum Haquinum tunc regem Norwegie factum contra primam electionem secundum reuelacionem supradictam; qui electus in regem Swecie sedens super lapidem a) in Førisængh b) ad hoc deputato ac juramento prefato super libro ewangeliorum, qui dicitur wlgariter Karlaknap, c) quod terras alienatas vellet reducere scilicet Scaniam et alias terras de dominio regni alienatas, item communitatem diligere, militibus suis fidelis existere et omnia secundum leges patrie juste et pie regere et gubernare. Sed breviter iste Haquinus quasi immediate post a juramento prestito cito recessit, nam leges patrie contempsit, iniuste et impie rexit, ecclesie et communitatis pacem non seruauit vel tenuit, clericos et sacerdotes innocentes captiuauit, manibus post tergum ligatis per suos crudeles ministros ipse crudelior ante se in transitu suo tamquam minauit et sic per infidelitatem et periurium imitator paterni sceleris est effectus. Qua de re ab ecclesia est publice excommunicatus, sine honore a regimine regni separatus et non absque magno dedecore de regno est expulsus et fugatus. In ipsa autem fuga declinauit ad ciuitatem Lincopie, intrans ecclesiam cathedralem ac fecit sibi vocari dominum Nicholaum, archidiaconum eiusdem ecclesie, qui postea factus est episcopus dicte ecclesie, d) quem exarsiit (!) multis sermonibus et verbis comminatoriis et inter alia eum interrogans dixit. Est hoc verum, mihi dictum est, quod hic in ecclesia publice cum ardentibus candelis et sonantibus campanis me banizasti. Cui dictus archidyaconus respondit, fateor domine rex, quod hic in ecclesia excommunicaui vos, sed absque candelis et pulsu campane, sicut mandauit mihi dominus meus episcopus. Et post addidit, sed iam ex parte mea dicam vobis veritatem, quod nisi destiteritis et a malis vestris inceptis cessaueritis, quamdiu deus manet in celo tamdiu manebitis vos in inferno. Et post ista verba rex abscessit de ecclesia et sic abinuicem sunt separati. Hec fuit prima causa separacionis ipsius regis Haquini a regimine regni. Secunda causa remocionis eius fuit prohibicio diuina contracti matrimonii cum filia regis Dacie Waldemari, de quo matrimonio habetur octauo libro 16 [cap.] in addicione, vbi filius dei loquitur sponse, dicens: domina illa scilicet regina Blanka prius mihi cara nunc conuersa retrorsum querit de semine lupi fructum coniugii de fructu suo contra voluntatem meam et verba mea. Ideo scito pro certissimo, quod de fructu eius non gaudebit nec radices altas dabit semen eius, nec incole gaudebunt de herede Haquini et Margarete, quia rex scilicet Haquinus non habuit justiciam ad regnum Norwegie, sed quia junior id est Haquinus supplantauit majorem id est Ericum. Post separacionem vero supradictorum regum Magni Erici et Haquini Consiliarii

y) Birgitta ipsa se aulæ magistram apud Blancam matrem Erici fuisse narrat (Revelationes Extravag:s cap. 59).

z) Pro: paternus auus.

a) Pro: lapide.

b) *Förisängen* est pratum amnem *Föresån* circumjacens, quod forsan tunc temporis extendi putabatur usque ad Mora, cujus in placito mos et lex reges eligi jussit. Quia saxum, super quem reges in electione alleuati sunt, ibi erat positum, loco nomen *Mora sten* sensim est attributum.

c) Hic liber Stephano, primo archiepiscopo Upsaliensi, a papa datus est, v. infra Sect. II. pag. 99.

d) Inter annos 1374—1391 (v. infra II. p. 108, Chron. Rhythm. episc. Lincopensium, cujus scriptor hanc excommunicationem Haquini novit). Tempus hujus rei ad exeuntem annum 1363 vel initium sequentis anni, cum Haquinus post adventum Alberti regis in dyocesi Lincopensi versaretur, est referendum.

Digitized by Google

regni exaltauerunt sibi caput de semine wlpis, id est elegerunt in regem Albertum, filium Alberti comitis Magnopolensis, dictum a wlgo grefuæ Mæchelborgh. De isto rege Alberto loquitur Christus octauo libro celestis imperatoris 17: jam de semine wlpis Alberti comitis Magnopolensis et vipere uxoris eius Eufemie sororis regis Magni eleuauerunt sibi caput, id est regem Albertum, quod deplumare nouit non sanare etc. Item de eodem loquitur Christus qvarto libro 55: Quia rex, Magnus scilicet, noluit stare, inmittam ei et assentatoribus eius aspidem, id est Albertum de vipera id est Eufemia sorore eius, scilicet regis Magni, et subdola wlpe id est Alberto comite Magnopolensi generatum, qui terram et habitatores eius conturbet [ɔ:-abit] et simplices deplumabit, qui cacumina terrarum ascendet et gloriantes deiciet et conculcet. Et ideo ille Albertus rex sicud predecessor suus rex Haquinus a regimine separatus est et expulsus.

Post istum regem Albertum Consiliarii regni elegerunt ad gubernaculum regni Margaretam reginam Dacie et Norwegie, filiam wlpis id est regis Waldemari, quod deo minime placuit, vt supradictum est, vbi agitur de matrimonio contracto inter regem Haquinum et eam, sicut manifeste patet in regimine eius. Nam predecessor suus rex Albertus imposuit populo regni onera grauia. Ista vero Margareta imponit oneribus grauibus grauiora et quidquid ipse reliquit ista tollit. Ipse tulit equum et bouem et vaccam, ista tollit totam substanciam [e] more lupi, id est carnalis patris, de quo habetur octauo libro celestis imperatoris 16, vbi ille homo, quem rex Magnus wlt recipere in consiliarium, lupus est id est rex Waldemarus, et ita ille habet verba [f] ouina, sitim inextinguibilem et fraudis venenum in corde etc. De isto itaque rege moderno rege Erico filio ducis terre Pomerensis videtur loqui illa reuelacio, que habetur octauo libro celestis imperatoris 41 in fine, vbi Christus dat responcionem sponse de interrogatis dicens: Ecce dico tibi exemplum de duobus regnis, in vno est electio, in alio vero hereditas. Primum vbi est electio destructum et afflictum est, quia verus heres id est Haquinus filius regis Magni non eligebatur, ad quem pertinuit ex jure electio etc. Ideo regnum illud non veniet ad priorem gloriam et feliciorem statum, donec verus heres consurgit per electionem scilicet ex paterna successione scilicet regis Haquini aut materna scilicet regine Margarete. Videtur eciam tangi [ɔ:-gere] istum regem Ericum, quod dicitur in supradicta reuelacione 156 capitulo, [g] vbi virgo Maria hortatur regi Magno per consiliarios regni, quod committat regnum filio suo Haquino regi Norwegie, sed quandam dilacionis causam [h] dicens: Attamen sciatis vos quatuor, quod deus prouideat sibi regem alium regem (!) in futurum, qui taliter prouenire potest in publicum cum minori dampno. Et hoc videtur esse verificatum in isto moderno rege Erico, qui valde faciliter et silenter sine tumultu et exercitu belligero venit ad regni vel melius regnorum electionem et regimen insperatum ab hominibus et occultatum:

e) Scriptum est: $\overline{\text{stam}}$; forsan legendum est "stubam", et scriptor tributum a Margareta impositum respicit, quod certa pecunia pro quaque stuba erogandum erat.

f) Lege: vellera, ut in Revelationibus.

g) Quod sequitur, legitur in Revelationibus Extravag., cap. 80.

h) Forsan legendum: sine quadam dilacionis causa.

Digitized by Google

VI.

ANNOTATIONES HISTORICÆ AB ANNO 845 AD ANNUM 1445

FORSAN EX DEPERDITA PARTE DIARII FRATRUM MINORUM HOLMIENSIUM.

Inter manuscripta Bibliothecæ Upsaliensis (olim in collectione Celsiana) reperitur liber in 4:to signatus numero 58, qui collectanea in geographia et historia Succiæ maximam in partem manu Olavi Celsii senioris scripta continet. In pagina 339 incipiunt diversa annotata (autographa Celsii) in historiam Suecanam medii ævi, ex quibus cum quæ hic sub numero VI proferimus, tum sequentes annales Holmienses (n. VII) sumsimus. In summa pagina 339 Celsius aliqua de fonte, quo usus erat, scripsit, quorum tamen per descissionem paginæ solum hæc ultima verba legi possunt: — — *sunt scripta manu Olavi Petri? mecum communicavit dn. von der Hardt Auct. Reg. a. 1706 mense Octob. Holmis.* Primo tamen aspectu invenimus vel minimam partem Olauo Petri originem debere, quod ut facilius illustremus, annotata quasi in capita dividere volumus.

1) Annotationes historicæ usque ad annum 1445, quæ paginas 339—351 amplectuntur. Hic jam in secunda pagina (340) scripsit Celsius: *quæ sequuntur ab alia fuerunt manu,* et in pagina 343 annotavit: *sequentia sunt ab ea manu quæ ab initio;* demum in pagina 351, in qua hæ annotationes subsistunt et aliqua excerpta e diplomatis Suecanis, quæ unam tantum paginam explent, sequuntur, Celsius ad hæc excerpta in margine addidit: *manu Olavi Petri.*
2) Deinde in paginis 352—358 ea inveniuntur, quibus titulum Annales Holmienses dedimus. Super his autem scripsit Celsius *manu qua antea.*
3) In pagina 358 incipiunt annotationes, quarum in fronte Celsius observavit: *Sequentia sunt a manu Olavi Petri a me Olavo Celsio fideliter descripta Holmis mense Oct. 1706.* Prima pars nihil aliud est, quam versio latina veteris chronici prosaici supra Tom. I pag. 239 impressi; deinde sequuntur pervulgatæ annotationes Olavi Petri de memorabilibus ipsius vitæ eventibus.

Ex his satis elucet neque Annotationes ad annum 1445 neque Annales Holmienses ex schedis Olavi Petri originem ducere, quod tanto certius videtur, cum ille in chronico conscribendo Annalibus aperte non usus sit.

Ut jam in titulo indicavimus, manifestum nobis videtur, has Annotationes e perdita parte Diarii minorum Holmiensium depromptas esse *), quæ quidem opinio his duabus rationibus nititur. Primum multæ annotationes (quas hanc ob causam omissas solum in scholiis indicavimus) ad verbum cum Diario conspirant; tum quæ restant claustrum minorum Holmiensium ejusque res sæpe attinent; denique permultæ annotationes incidunt in dies et menses (5 Augusti — 31 Decembris), quæ in Diario hodie desiderantur. Diversa quidem annotata certa die indicata carent, sed illa sine dubio in deperdita parte, ubi spatium dabatur, nulla ratione diei cujusdam habita, erant inserta; similem enim rationem in servata et supra impressa parte sæpius animadvertere possumus. Verisimile est igitur, scriptorem quendam illo tempore, quo Diarium adhuc integrum erat, ex illo excerpta aliqua fecisse, quæ tandem in possessionem von der Hardtii cesserunt et ita Celsio sunt communicata. Richardus von der Hardt erat auctionator librorum Upsaliensis, propter industriam qua monumenta historica collegit haud ignotus.

Has annotationes ad annum 1445 vel forsan ipsam nunc deperditam partem Diarii minorum Erasmus Ludovici, secretarius regum Gustavi I:i ejusque filiorum vidit, nam in ejus manuscriptis (presertim in Codice signato D. 19. in Bibliotheca regia Holmiensi et in D. 1. ibidem) diversas ex his annotationibus ad verbum conspirantes sed inter alia quæ collegit immixtas reperimus.

Præterea nullam quasi cognationem inter has Annotationes ad annum 1445 et fontes historicos in nostro opere impressos indagare potuimus, etiamsi nonnullæ, singulæ in singulis chronicis

*) Quæ hodie restant hujus Diarii, supra Tom. I. 1. sub numero XVIII sunt impressa.

Digitized by Google

reperiri possunt. Quod denique ad similitudinem inter Annotationes — ad annum 1445 et *Märkvärdiga Händelser* etc. (supra Tom. I. 1. n. XXII) attinet, illa ex eo facile declaratur, quod num. XXII nihil est nisi ex schedis supradictis Erasmi Ludovici breve excerptum, quod editores hujus tomi animadvertere neglexerunt.

*) Anno d. MCCXXIII Laterani in Kal. Decembris a domino Papa Honorio III regula et vita fratrum minorum confirmata et bullata est et in registro pape de verbo ad verbum posita que a quatuor personis est conscripta videlicet a beato Francisco domino Hugone Cardinali Episcopo Hostiensi qui postea factus est papa et vocatus Gregorius IX domino Reginaldo ejus Capellano qui etiam factus papa vocatus est Alexander IIII:us et a fratre Cesario Teuthonico

Item anno incarnacionis sue XXXI Kal. Maii cepit Christus Jesus predicare et incepit vita Apostolorum.

Item anno incarnacionis dominice MXXVIII passus est inclitus Martir sanctus Olaus rex Noruigie.

Item anno domini MCLXXI passus est reverendissimus pater sanctus Tomas archiepiscopus Cantuariensis in Anglia.

— — — — — — — — — — — — — — — — — — — a)

Item anno domini MCCLXXV orta est discordia inter eundem regem Valdemarum et fratrem suum dominum Magnum ducem dictum Ladulaas, sed anno domini MCCLXXVII idem dux Magnus expulso rege Valdemaro fratre suo propter duas sorores per proceres regni electus fuit in regem et in die pentechostes Upsalie est coronatus. b)

(quæ sequuntur ab alia fuerunt manu) c)

— — — — — — — — — — — — — — — — — — — d)

Item a. d. DCCCXLV Sanctus Ansgarius Archiepiscopus Hamburgensis predicavit Swecis et Danis fidem Christi, et sic fuerunt inter sanctum Ansgarium et sanctum Sigfridum CC^{ti}XLV anni, velut in legenda sancti Eskilli, et in Chronica Wexionensium e) pontificum invenitur.

Item anno d. MCCCV Obiit domina Margareta consors domini Leonardi legiferi de Neritia in die Apostolorum Simonis et Jude. f)

Item anno domini MCCCXX decollatus fuit domicellus Magnus filius regis Birgeri in insula sancti spiritus apud Stokholm et in ecclesia fratrum minorum ibidem iuxta parentes g) suos est sepultus.

Item a. d. MCCCXLIIII combustum fuit oppidum Stokholmense die sancti Martini

— — — — — — — — — — — — — — — — — — — h)

A. d. MCVIII conversum est regnum Suetie per sanctum Sigfridum Eboracensem Archiepiscopum. item eodem tempore erat rex Suetie Olaus eciam dictus Skotkwnung, iste baptizatus fuit per eundem sanctum Sigfridum in Vestgotia juxta Kindabergh apud

*) Exclusimus primam enuntiationem: *Anno d. MCCCXC annus jubileus . . . . jubileus currebat.* (v. Diarium Minor. etc. supra Tom. I. 1. pag. 67).

a) Annotationes a nobis omissæ sunt: *A. D. MCLX passus est — — — sanctus Ericus* etc. (v. Diarium Minoritarum Holm. supra Tom. I. 1. pag. 77). — *A. D. MCLXVII fuit rex Karolus* etc. (vide l. c.). — *A. D. MCCXLVIII obiit dominus Ulpho* etc. (l. c. p. 71). — *A. D. MCCL obiit nobilis princeps dominus Ericus Læspe* etc. (l. c. p. 71). — *A. D. MCCLI idem rex Valdemarus consecratus* etc. (l. c.).

b) Magnus jam anno 1275 rex factus, ut multa diplomata ostendunt, consecratus est an. 1276 die pentecostes (cfr. supra pag. 6, not. q).

c) Vide præfationem.

d) Præterivimus seqventia: *A, D. MCCLXXXVI dominus Benedictus dux . . . . . obiit regina Sophia* (v. Diarium etc. p. 78). — *A. D. MCCLXXX obiit beatus Magnus . . . . . Bergis* (l. c. pag. 77). — *A. D. MCCLVI obiit dominus Jerlerus . . . . Minorum Enecopie* (l. c. pag. 73). — *A. D. MCCLXXXI comburebatur Sudhercopia . . . . . Jacobus Archiepiscopus Upsalensis* (l. c. pag. 77).

e) Ita interpretati sumus corrupta compendia manuscripti: *tn̊ica r͡oanone*, quia eadem computatio in Chronico episcoporum Wexionensium invenitur (v. infra Sect. II. pag. 130, not. a.).

f) I. e. die 28 Octobr. Margareta comparet anno 1292 (Diplom. Suecanum II. p. 142). Maritus Leonardus Öthason miles est legifer Næriciæ annis 1303 et 1305 (l. c. p. 397 et 451) et dapifer regis an. 1310 (l. c. 604).

g) I. e. avum Magnum Ladulås. Parentes enim Magni domicelli tunc viventes post mortem sunt sepulti in conventu Ringsted in Dania; v. infra excerpta e tabula Ringstedensi.

h) Præterivimus: *A. D. MCCCLXXXI interfectus fuit . . . Karolus Nielson . . . minorum Stokholmensium* (v. Diarium etc. p. 79). — *A. D. MCCCXLVIII Magnus rex . . . . Pækkensaara* (l. c. pag. 73). — *A. D. MCCCXXX dominica ante ascensionem . . . . una cum ciuitate* (l. c. pag. 76). — *A. D. MCCC obiit nobilis vir Nicolaus dictus Tydzke tempore regis Birgeri* (aliquid additur in Diario l. c. 74).

Digitized by Google

Hwsaby et fuit primus Christianus rex Suetie. item eodem tempore erat in Datia rex quidam dictus rike Knwter, qui sibi subjugavit Angliam [i]

— [k]

(Sequentia sunt ab ea manu que ab initio)

Item a. d. MCCLVI [l] Birgerus jærl factus fuit dux Suecie tempore regis Erici Læspe, cujus sororem iste Birgerus habuit uxorem.

Item A. D. MCCXC in Visingxöö moriebatur egregius princeps rex Suecie Magnus dictus Ladulaas, quem multitudo rusticorum ob ipsius excellentem et tranquillam defensionem ad sepulturam in claustro minorum versus Stokholm in propriis humeris deportarunt. In eodem tempore moriebatur nobilis domina Helga Frw Ingret in crastino sancti Egidii abbatis VII [annis] ante [mortem] predicti regis Magni tempore Henrici Episcopi Lincopensis qui fecit edificare monasterium dominarum in Skæningia. [m]

Item a. d. MCCCLXXXVI Moriebatur illustris dominus Boecius Joansson dapifer Sueciæ, cujus mors patet in versu.

rIXa CVLeX CVCVMer Bo moritur dapifer. [n]

Item a. d. MCCCL erat magna mortalitas hōminum et brutorum animalium in regno Swecie, cujus memoria [o] designatur in hiis dictionibus.

Mors CeCa Celos ditans urbem spoliavit. [p]

Anno d. MCCCXVII filius regis Magni Ladulaas Birgerus indigne dictus rex Suecie captivavit suos carnales fratres, videlicet duces dominum Ericum et dominum Valdemarum in nocte sancti Damasippi [q] quos in castro Nyköping in abhominabilibus carceribus fecit fame periri versus,

MVsICa VICta nVCes, perimit Nycopia duces.

Item anno d. MCCCL [r] moriebatur inclita mulier domina Ingridis cognomine dicta Öölffwa.

Item a. d. MCCCXVII in crastino sanctorum Vedasti et Amandi [s] moriebatur venerabilis pater beatus Brynolphus Episcopus Scarensis.

Item a. d. MCCCLXIII [t] Obiit inclitus miles dominus Ulffo maritus sancte Birgite et sepeliebatur in Monasterio Aluast[r]om.

Item anno d. MCCCLXIII Albertus de Mechilborg factus fuit rex Suecie.

Anno d. MCCCLXV idem rex Albertus in bello juxta Östensbro [u] captivavit avunculum suum regem Magnum dictum Smeek, quem captivum per septennium tenuit Holmis, quousque sibi totum regnum cum castris subjugavit, filius autem predicti regis Magni Haquinus rex fugam de bello versus Norvegiam eripuit.

A. d. MCCCLXXI solutus fuit prefatus rex Magnus a vinculis per Haqvinum regem Norvegie suum filium et edificatum fuit Konungxberg. [v]

Item a. d. MCCCLXXII obiit sancta Birgitta Rome X Kal. Augusti [x] et proximo sequenti anno translata fuit ad Vastenas [ut] videtur in hiis versibus.

Birgit flos Suecie mundo decessit ab isto
M semel et ter C L biis X adita binis
in festo sancti quod contigit Appollinaris.

i) Prima linea hujus enuntiationis legitur etiam in Diario etc. supra Tom I. 1. pag. 71.

k) Præterivimus: *A. D. MCCLXX fundata est domus fratrum minorum Stokholmensium* (l. c. pag. 68). — *A. D. MCCCXIX Magnus filius ducis Erici . . . . . predicatoribus locum claustri* (l. c. pag. 73). — *A. D. MCCXCIII subjugati sunt Karcli . . . . Wiborgh* (l. c. pag. 77).

l) Jam ab anno 1248 Birgerus hac dignitate ornatus est.

m) Mortem Ingridis in annum 1282 referunt Chronicon 266—1430 et Ericus Olai (v supra Tom. I. 1. pag. 26 et II. pag 64). Hic dicit sorores an. 1281 Skæningiam venisse, quod diplomatis firmatur (Diplom. Suec. I. 596, 616, 620 et 730).

n) Majusculos hic et in sequenti ipsi in versibus memorialibus inseruimus, ut sententia illorum melius in oculos caderet. Idem versus legitur supra Tom. I. pagg. 29 et 232.

o) Perobscurum compendium forsan etiam in *materia* vel *mors* solvi posset

p) Versus etiam comparet supra Tom. I p 29.

q) Lege: Damasi pape; i e. nocte inter dies 10 et 11 Dec

r) Pro: MCCLI, ut in Diario etc supra Tom. I. 1. p. 71. Mater erat Birgeri ducis

s) D. 7 Februarii, ut etiam in antiquo Kalendario ecclesiæ Scarensis erat scriptum. dum in articulis processus propter canonizationem dies 6 Febr legitur (Cfr. infra Sect II pagg 158 et 143)

t) Pro: MCCCXLIIII; v. infra Sect. II pag. 193, not i

u) Vide supra pag 15, not y.

v) Annus et ordo nonnihil discrepant in Diario (v. supra Tom I 1 p 73).

x) I e die 23 Julii, anno autem 1373 (vide infra Sect II. p. 206, not. b).

Digitized by Google

A. d. MCCCLXXXIX captivatus fuit rex Albertus in Vesgocia juxta Aatzlæ y) in quodam bello cum filio suo duce Erico et pluribus ducibus militibus et nobilibus et hoc contigit circa festum sancti Matthei apostoli.

Versus reX aLberte sCIas trVX CInXIt Castra MathIas. z)

A. d. MCCCLXXXVIII Monasterium Vatstenense passum fuit incendium.

Item a. d. MCCCLXXXIX providiores viri oppidi Stokholmensis incolæ, Sueuice nationis, ex consulatu in [o: et] communitate fuerunt illegitime per abhominabilem regem a) in favillam redacti, quod nepharium opus Theutonici ejusdem oppidi inhabitatores prenominati regis Alberti amici et fautores absque causa illis horribiliter intulerunt.

A. d. MCCCXCI obiit reverendus pater beatus Nicholaus Episcopus Lincopensis. Item in eodem anno Canonizata fuit Sancta Birgitta patrona regni Suecie. Item et in eodem anno electus fuit in Episcopum Lincopensem venerabilis dominus dominus Canutus.

A. d. MCCCLXI feria tertia post festum sancti Jacobi apostoli b) Valdemarus rex Dacie vno die vincit Gotlandiam triplici bello.

Item a. d. MCDVIII combustum oppidum Calmar in festo ad vincula sancti Petri c)

Item a. d. MCDXII obiit nobilis domina domina Margareta dei gratia regina Suecie Dacie Norvigie in Flensburg ex pestilencia in crastino sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani. d)

Versus CrIspInI CIs Cras Margareta neCIs bIbIt Vrnas. e)

— f)

Anno d. MCCCXCVI electus fuit in regem Suetie Ericus dux Pomeracensis anno etatis sue IX g) et in proximo anno sequenti confirmatus et coronatus fuit Kalmarnie per Venerabiles patres et dominos videlicet Archiepiscopum Upsalensem Archiepiscopum Lundensem et Episcopum Skarensem. Iste fuit primus rex istorum trium regnorum videlicet Suecie Dacie Norvigie, et fuit potens in regnando circa quadraginta annos, tandem expulsus.

— h)

A. d. MCDIX quinta die mensis Septembris i) decollatus fuit dominus Abrahamus miles juxta castris (!) Sunderborg [in] Als in Jucia capitaneus octo castrorum, quatuor in Suecia videlicet Trullaborgh, Pikzborg Opensteen Örsten k) cum tota Vexionensi dyocesi et quatuor in Hallandia videlicet Lagaholm, Vaardberg Falkenberg et Cununxbakka.

A. d. MCDXIX combustum est Stocholm cum castro in crastino corporis Christi. l)

y) Cfr. supra Tom I. 1. p. 30 et 59.

z) Fere idem versus apud Ludewig: Reliquiæ Manuscriptorum etc. IX. p. 198; alii supra Tom I 1. p. 30 et 232. Pugna commissa est an. 1389 d. Mathiæ (24 Febr). non Mathei (21 Sept.) v. Styffe, Bidrag t. Skand. Hist. I. p. LXXXI.

a) Lege: per fautores regis, quia Albertus jam in vinculis erat. Aequalem narrationem de hac re reperias impressam supra Tom. I. 2. p. 212.

b) I. e. die 27 Julii. Cfr. Tom. I 1. p 43 et Munch: Norges Hist. Anden Hovedafd. I. p 708, not. 1.

c) Ita etiam in Diario Vastenensi.

d) Die 26 Octobris. Margareta tamen decessit nocte inter 27 et 28 Octobris. Cfr. supra Tom. I. 1. p 66 et 132 et monumentum sepulchrale in ecclesia Roskildensi, quod diem 28 Octobris exhibet

e) Compendia verborum *cis* et *cras* valde sunt corrupta. Idem versus apud Petrum Olai (Scriptores rer. Danic. I. pag. 193). Alius versus legitur supra Tom. I. 1. p. 232.

f) Præterivimus: *A. D. MCDXXX obiit . . . Philippa . . . in Wastenis.* (v Diarium etc. p 69). — *A. D. MCDXVI obiit . . . Magnus Holmgeri . . . . alternacionem ministrorum.* (l. c. pag. 73).

g) Puer XIV annorum a duobus ejusdem ætatis scriptoribus vocatur (v. supra Tom. I p 59 et 109), et jam anno 1389 de successione ejus actum est.

h) Exclusimus: *A. D. MCDXXXII obiit . . . . Johannes Haquini . . . . Olaus Laurentii . . . . consecratus.* (v. Diarium etc. p. 71). — *A. D. MCDVI combustum est monast. Clarissarum . . . pentecostes* (l. c. pag. 73). — *A. D. MCDVII 16 die post pascha combustum Stocholm . . . . CCCC:ti homines* (l. c. pag. 73). — *A. D. MCDXXV celebratum . . . capitulum . . . minorum . . . tunc gardianum* (l. c). — *A. D. MCDXXXIII exierunt Vallenses . . .* (v. l. c. pag. 80, ubi tamen legitur 1434). — *A. D. MCDVIII dominica . . . combustum . . . tectum domus fratrum . . . incipiendo a coquino* (l. c. pag. 79, sed in anno 1438, et cum additione: ipso die dedicationis ecclesie).

i) Lege: 1410, quia adhuc d. 14 Augusti hujus anni vivit (v. Jahn, Unionskongernes Hist. p. 494); in hunc quoque annum optimi fontes eventum referunt. Diem nullo alio loco invenire potuimus nisi apud Messenium, ubi idem legitur, (quia Messenius Erasmo Ludovici, et Erasmus, ut in præfatione diximus, nostro fonte usus est). Jahn (l. c. pag. 53) nullo auctore citato dicit d. 28 Augusti, unde suspicamur fontem fuisse, in quo scriptum fuerit: *V. Kal. Sept.*, et forsan verbum *Kal.* postea excidisse et ita demum *d. V Sept.* ortum esse.

k) Arx Öresten numquam, prout scimus, in possessione Abrahami erat; contra Kalmar circa annum 1403 (v. Styffe: Bidrag t. Skand. Hist. II. p. LV et LVI) et forsan etiam arx Skageholm.

l) I. c. die 16 Junii. Diarium Vastenense dicit: die 18 Junii (supra Tom. I. 1. pag. 140.).

Digitized by Google

Item a. d. MCDXXIIII combustus est conventus fratrum minorum Stocholmensium in nocte Luce Evangeliste [m] per ignorantiam Stenonis Tureson.

— [n]

Item a. d. MCDXLV in vigilia assumpcionis Marie [o] combusta fuit tertia pars Stocholmensis videlicet a porta sutorum et ad plateam fratrum minorum.

— [p]

A. d. MCDXLI electus fuit dominus Christofforus dux Bavarie et comes palatinus Renensis in regem Suecie in profesto exaltacionis sancte crucis, ipso die crucis consecratus [q] et coronatus est per venerabiles patres videlicet per dominum Nicolaum Ragualdi ceterosque suffraganeos suos in ecclesia cathedrali Upsalie.

— [r]

A. d. MCDXL in die beati Ciriaci pape [s] obiit nobilis vir Carulus Christiærnsson in civitate Revaliensi et sepeliebatur in claustro minorum Stocholmensium circa patrem suum ipso die beati Fransisci. [t]

A. d. MCCCXLVIII obiit soror Rikitza Abbatissa sororum sancte Clare Stocholmis XVI Kal. Januarii. [u]

A. d. MCDXXI obiit frater Philippus custos in pluribus locis provincie sue plenus dierum et spiritu sancto ydibus Decembris. [v]

— [x]

m) Igitur in nocte inter 17 et 18 Octobr.

n) Prætermissa sunt: *A. D. MCDXLII in festo b. Petri martiris obiit nobilis vir dominus Christiernus dapifer Suecie in castro Viborgensi, item anno sequenti ad vincula sancti Petri obiit nobilis vir Mathias Ödgyslasson in castro Aboensi* (v. Diarium etc. pagg. 74 et 82, cujus narratio multo uberior est). — *A. D. MCDXLVII dominica infra .... combusta fuit ecclesia Upsal. . . .* (l. c. pag. 81).

o) I. e. die 14 Augusti. Idem Suetice supra Tom. I. 1. pag. 91.

p) Omisimus: *A. D. MCDXLVIII in vigilia epiphanie . . . obiit . . . Christophorus . . . cathedrali* (v. Diarium etc. p. 69). — *A. D. MCDXLVIII XVII d. mens. Febr. obiit . . . Nicolaus Ragvaldi . . . Wexionensi* (l. c. pag. 72, ubi pauca adduntur).

q) Igitur diebus 13 et 14 Septembris.

r) Præterivimus: *A. D. MCDXXXVI IIII non. Maji interfectus fuit Engilbertus Engilbrectzson* (v. Diarium etc. p. 75). — *A. D. MCDLI in concilio generali Pisis . . . facti memor esto* (l. c. pag. 80, ubi recte legitur: MCDIX).

s) I. e. die 8 Augusti.

t) Die 4 Octobris. Filius erat Christierni dapiferi in not. n. memorati.

u) Die 17 Decembris. Filia erat Magni regis Ladulås appellati.

v) Die 13 Decembris.

x) Omisimus: *A. D. MCDXLVIII videlicet X* [ɔ: IV] *Kal. Julii ipsa vigilia apost. Petri et Pauli . . . Karulus Knutsson . . . electus in regem Suecie . . . consecratus et coronatus. — Item eodem anno immediate . . . magister Johannes filius . . . Benedicti . . . consecratus . . . episcopis prefatis cooperantibus pridie Kal. Julii. — Item eodem anno . . . idem prescriptus . . . Johannes Benedicti cantavit . . . et coronavit . . . Katerinam . . . episcopis sepedictis VI nonis Julii* (v. Diarium etc. pag. 80 et 81, ubi minima cum differentia fere ad verbum eadem sunt scripta).

Digitized by Google

VII.

ANNALES HOLMIENSES

annis 1457—1463.

Jam in prooemio precedentium Annotationum Historicarum etc. diximus hos Annales in collectaneis Olavi Celsii senioris manu ipsius scriptos reperiri; et ex iis, quæ Celsius, ut ibi ostendimus, ipse diversis locis annotavit, patere nobis videtur, in manuscripto illo quod intuebatur eandem manum, quæ plerasque annotationes ex deperdita parte Diarii Minorum Holmiensium exaravit, etiam hos Annales scripsisse. Qua ex re tamen nullo modo concludere volumus etiam hos Annales e Diario originem ducere. Si ita esset, una esset declarandum, quomodo excerpta undecunque e Diario collecta cohærentes quodammodo neque exiguos annales efficere possent, et quare ex his Annalium Holmiensium dictis, quæ in menses, qui in servata exstent parte Diarii, incidant, nihil tamen in Diario reperiatur.

Quibus de causis manifestum nobis videtur, illum scriptorem, qui excerpta e Diario fecerit, aut Annales aliunde descripsisse aut ipsum hos eventus annorum 1457—1463, quibus fortasse ipse interfuerit, literis mandasse; quod cum faceret, narrationem illis ultimis excerptis e Diario (quæ supra pag. 25 not. x indicavimus) de electione et coronatione Karoli Kanuti regis an. 1448 annexuit, unde vocabula *præfatus* et *supra dictus* jam in primis versibus comparere declaratur. Quæ diximus nullo modo impediunt, quominus Annales ex ampliore quodam fonte deducti, forsan etiam ex perdito Kalendario cujusdam conventus Holmiensis sint excerpti. Difficile enim est aliter declarare, quare scriptor, dum in annis 1457, 1460 et 1463 tam multa nobis tradat, de interjacentibus annis omnino sileat, quamquam in his annis res maxime memorabiles, ut electio Johannis filii Kristierni I:i, abductio thesauri Karoli regis e conventu predicatorum Holmiensium c. pl. evenerunt.

Hi annales adhuc non sunt typis impressi neque nisi nonnullis abhinc annis cogniti, quod etiam nostram opinionem eos in Diario Minoritarum locum non tenuisse affirmat. Neque vetustis scriptoribus illos cognitos nedum adhibitos fuisse invenire potuimus. Ad extremum nobis est commemorandum, manuscriptum, quo Celsius uteretur, obscuris vocabulorum compendiis repletum fuisse, quæ ille modo minus recte sit interpretatus, modo omnino non solvere potuerit; in hac quidem re illa delineare studuit, quod tam cursim et minus diligenter fecit, ut nobis ne conjecturis quidem textum restituere liceat.

Anno d. MCDLVII. v. ydus Februarii videlicet ipso die Apollonie virginis quæ fuit feria 4ª a) in Strengenæs prefatus rex Karulus debellatus fuit per supradictum b) dominum Johannem Benedicti Archiepiscopum Upsalensem et per alios nobiles — — — — — c)

Item in feria immediate subsequente idem rex Karolus fecit incendere campos Holmenses borentalem et australem. d)

Item dominica proxima occurrente videlicet ydibus Februarii quæ erat dominica septuagesime e) obsessum fuit oppidum Stocholmense per dominum Archiepiscopum et suos sequaces.

a) Die 9 Februarii. Chronicon Rhythm. habet d. S. Scolasticæ = 10 Februarii.

b) "Prefatus" sicut postea "supradictum", quia ut in exordio diximus, annotationes, proxime ante annales locum tenentes, Karoli electionem et Johannis consecrationem an. 1448 attingebant.

c) Sequuntur tria compendia, quæ interpretari non possumus, nisi forsan corrupta signa literarum indicant: *et regni communitatem.*

d) I. e. suburbia, quæ jam tum *Norr-* et *Södermalm* appellabantur; campus est Latina versio vocabuli *malm*. Jam eodem die, quo Karolus rex Strengnesiæ devictus est, Holmiam in fuga pervenit (Styffe, Bidrag etc. III p. 92).

e) D. 13 Februarii.

Digitized by Google

Item subsequenti festo sancti Mathie apostoli videlicet VI Kal. Martii que cecidit feria II^{a} [ɔ: V^{a}] ante dominicam quinquagesime [f] supradictus dominus archiepiscopus optinuit opidum Stocholmense.

Item subsequenti tempore in festo [g] beate Gertrudis virginis que cecidit feria 4^{a} proxima post dominicam reminiscere videlicet XVII Kal. Aprilis sepedictus dominus Archiepiscopus [cum] comitiua sua obtinuit castrum Stocholmense.

Item eodem anno in festo corporis Christi quod cecidit in crastino sanctorum Viti et Modesti martyrum videlicet XVI Kal. Julii [h] celebratum fuit capitulum in claustro ordinis predicatorum Holmis et honorabilis pater frater Lydichinus van Haghen electus in prouinciale in vigilia sancti Johannis baptiste que fuit IX Kal. Julii [i] iste prouincialis natus fuit Holmis. [k]

Item eodem anno et supradicta vigilia Johannis baptiste Christiernus rex Dacie electus fuit in regem Suecie [l] per eundem dominum Johannem Archiepiscopum Upsalensem et suos fautores nobiles regni et communitatem et in crastino videlicet ipso die sancti Johannis baptiste in opidum Holmense acceptus [et] huc (!) ibidem in castrum collocatus ultimo die cancri.

Item in eodem anno immediate subsequenti festo visitacionis beate virginis Marie que cecidit sabbato videlicet VI nonas Julii [m] in medio scorpionis [ɔ: leonis] idem Christiærnus super Morasteen fuit confirmatus et sequenti die videlicet dominica in ecclesia Upsalensi per dominum Siggonem episcopum Strengenensem et alios [n] consecratus et coronatus.

Item eodem anno sabbato proximo post festum sancte Anne videlicet IIII idus Decembris [o] hora I de mane ex quodam vehementi [p] vento borentali cecidit quidam altus murus in aquilonari parte castri Holmensis et 4^{a} feria proxima postea que fuit feria 4^{a} quatuor temporum [q] in ultimo scorpionis regina Dorothea consors supra dicti regis Christiarni introducta fuit solempni processione in opidum Stocholmense.

Item sequenti anno videlicet MCDLVIII in commemoracione sancti Pauli que cecidit feria 6^{a} pridie Kal. Julii [r] idem rex Christiarnus cum regina de Holmis versus Kalmarniam recesserunt.

Item eodem anno idibus Julii in nocte beati Dauit abbatis que erat inter feriam 6^{am} et sabbatum [s] in Stocholm cecidit nimia pluvia et [ɔ: cum] tonitro et fulmine horribiliori quam enarrari, [t] potest forsitan prestigium plage aduenientis in vindictam peccatorum.

Nam eodem anno in sequenti festo assumptionis Marie feria 2^{a} videlicet infra octavas ipsius festi quod est XII Kal. Septembris [u] oppidum Holmense per horribile incendium in cinerem totaliter est redactum, exceptis castro, ecclesia et claustris et oc [ɔ: hoc] non sine speciali conservacione dei et sanctorum intercessione creditur fuisse.

Item anno domini MCDLX in nocte immediate sequente Epyphaniam domini [v] fuit tam horribilis tempestas in partibus Suecie quod ecclesia cathedralis Arosiensis passa fuit dampnum maximum in casu sue turris excellentioris et quam plures aliæ ecclesiæ similiter in regno circumquaque.

f) D. 24 Fedruari. Ita etiam in Chron:o Rhytmico, Ericus Olai false d. 22 Febr. exhibet.

g) Lege: profesto b. Gertrudis i. e. d. 16 Martii, qui dies erat 4:ta feria. Priore die conditiones deditionis erant constitutæ (Hadorph. Chron. Rhytm. II. p. 193).

h) D 16 Junii.

i) D. 23 Junii.

k) Affirmatur literis an. 1438 datis in libro memoriali urbis Stockholmensis p. 92 (B. 100 in Bibli otheca regia) in quibus Lydeca v. Haffuen lector in conventu prædicatorum et frater ejus Jacobus filii Henrici v. Haffuen, civis Stockholmensis, vocantur.

l) D. 23 Junii, quod literis ordinum Finlandiæ d. 24 Junii 1457 (in Diplomatario Kristierni I:i p. 77 impressis) comprobatur.

m) D. 2 Julii. Mirum est Diarium Vastenense et Chron. Rhytmicum (et Olaum Petri) coronationem ad diem 29 Junii collocare, sed forsan iis recordatio coronationis Karoli an. 1448 obversabatur. Danicus scriptor (Vedel) veri atem novit (v. Rördam, Monumenta Historiæ Daniæ I. 2. p. 310, not. 3).

n) Ita corruptum textum: *Siggonem et alis episcopum Strengenensem*, restituere ausi sumus.

o) D. 10 Decembris.

p) Scribitur: hamti; aperta corruptio.

q) D. 14 Decembris.

r) D. 30 Junii.

s) I. e. in nocte inter dies 14 et 15 Julii.

t) Sc ibitur: c̃rrai, quod facile ex compendio verbi *enarrari* male intellecto ortum esse potest.

u) D. 21 Augusti.

v) In nocte inter 6 et 7 Januarii.

Digitized by Google

Item eodem anno in nocte sequente dominicam proximam post conversionem sancti Pauli x) erat consimilis tempestas comitante tam vehementi frigore quod multi homines circumquaque sunt ex frigore suffocati et eciam signa Holmis contingeba[n]t, nam turris nova monasterii Clarissarum in terra[m] redacta fuit et plurima epycausteria y) vehementem ruinam sunt passa.

Item eodem anno in festo sancte Birgitte z) circa pulsum per excubium a) in vespera ex consimili tempestate cecidit turris ecclesie parochialis sancti Nicolai Stocholmensis, et obiit episcopus Skarensis Benedictus circa hoc tempus. b)

— c)

Item anno domini MCDLXIII vocatus fuit dominus rex Christiarnus de Dacia ad Sueciam in XL^ma d) et intravit oppidum Holmense XVII Kal. Aprilis in profesto beate Gertrudis, quod cecidit in 4^a feria. e)

Item proxima 6^a feria sequente captivati sunt doctor Nicolaus Rytingh, f) Nicolaus Pedersson, g) Sandarus Leeksson et Bertollus Gramso ciues Holmenses, et dominus Archiepiscopus intravit Holmis.

Item eisdem etiam diebus captivati fuerunt Georgius Karlson h) miles et Steno Benctson nobilis. i) item subsequens festum Marci evangeliste k) prefatus Archiepiscopus obtinuit castrum Holmense.

Item eodem anno ipso die Erasmi martyris, que [fuit] feria 6^a pentecostes l) obiit Siggo episcopus Strengenensis circa minores fratres Holmenses.

Item eodem anno ipso passionis die beati Eskilli m) in insula fratrum minorum Holmis obiit nobilis juvenis dominus Anundus Sture miles nepos regis Karoli. n)

Item proximo festo visitacionis Marie o) prefatus rex Christiarnus cum comitiua sua nauigio transivit ad Finlandiam; interim in castro Holmensi predictus Archiepiscopus nunciis communitatis rusticorum Uplandensium ad se missis remisit tributum, quod per regem et consiliarios regni diffinitum fuit per totum regnum expositorum p) et Archiepiscopus personaliter in plebi[s]cito Holmensi prefatos rusticos simpliciter absolutos a tributo declaravit.

Item eodem anno idem rex Christiarnus cum comitiua sua reversus fuit de Finlandia ipso die beati Laurencii martyris que fuit 4^a feria. q)

Item in consequenti vigilia assumptionis Marie que fuit dominica die r) in castro Holmensi hora 4^a ante prandium predictus dominus Johannes Archiepiscopus Upsalensis captivatus fuit per eundem prefatum dominum regem Christiarnum et consiliarios regni Suecie.

x) Nocte inter 27 et 28 Januarii.
y) Fumaria vel camini.
z) D. 7 Octobris.
a) Excubium vel excubiæ sunt "vigiliæ ecclesiasticæ"; Du Cange,
b) Annus vel dies emortualis a nullo alio memoratur, sed dictum annalium diplomatis roboratur. Adhuc 1460 d. 17 Martii vivit Benedictus (v. literas papyraceas hujus diei in Archivo regni ab Acone Johannis milite datas), sed eodem anno d. 9 Septembris, cum desideramus, cum quinque episcopi literas indulgentiarum pro Askaby subscribunt (lit. membran. ibidem); et an. 1461 mense Januarii delegati capituli de heredidate episcopi cum Magno Benedicti milite Arbogis disceptarant (v. literas papyraceas ibidem Archiepiscopi et Siggonis episcopi datas 1462, d. 12 Maji, in quo legitur quidem hoc Arbogis contigisse an. 1460, sed multis rationibus probari potest hoc lapsum esse pro 1461).
c) Omisimus sequentem annotationem, quæ sine dubio fuerit glossa marginalis fortuitu huic loco ascripta: "Anno d. MCXXIX constructa fuit lignea ecclesia beati Botvidi martyris et consecrata per duos episcopos videlicet Hynricum Upsalensem et Gerderum Strengenensem. item augente christianitate facta est lapidea circa annos domini MCLXXVI et consecrata eciam per duos episcopos videlicet per Stephanum primum archiepiscopum Upsalensem et Vilichinum [o: Vilhelmum] Strengenensem." Superiora sunt exscripta ex vita Botvidi (v supra Tom. II. pag. 382).
d) Prima dominica quadragesimæ hujus anni in d. 27 Februarii incidit.
e) D. 16 Martiii.
f) Olim cancellarius Karoli regis, qui decessit an. 1472 (v. supra Tom I. 1. pag. 75.
g) Forsan idem, qui postea annis 1465—1474 consul urbis appellatur (v. librum supra not. k laudatum passim).
h) De quo cfr. Styffe, Bidrag etc. III. pag. LXIV.
i) Sine dubio de gente, quam genealogici "Tillbakaseende Ulf" apellaverunt, et frater militum, Arendt et Knut Bengtsson. Cfr. infra Anna Bylow: Chronicon genealogicum.
k) D. 25 Aprilis.
l) D. 3 Junii. Idem legitur supra Tom. I. 1. p. 78.
m) D. 12 Junii.
n) Frater senior Stenonis Sture senioris gubernatoris Sveciæ. Anno 1462 d. 25 Aprilis in castro Borkholm literis, quibus Magnus Gren miles dotem Gertrudi filiæ Narvonis Jepson assignat, sigillum appendit (lit orig. in archivo curiæ Eriksberg in Sudermannia). Lapis ejus sepulchralis in ecclesia Thoresund (in Sudermannia) habet: *Arum epther Gudz börd MCDLXII tha do Wälburin man hir Anund Sture riddare aff Rääfsnes Gudh hanz siel nadh.*
o) D. 2 Julii. Diarium Vastenense: modicum ante festum b. Joh. Baptistæ
p) Forsan pro: expositurum vel expositum iri Difficile omnino est, ubi menda occurrunt, rectum augurari, cum scriptor et periodos et singula membra orationis miro quodam modo conformet
q) D. 10 Augusti
r) D. 14 Augusti. Ita etiam supra Tom. I. 1 p. 97. Assensus consiliariorum eodem die datus est (v. Diplomatarium Kristierni I:i pag. 149).

Digitized by Google

Item sequentibus proximis diebus prenominati ciues Holmenscs captiui de sua captiuitate liberati fuerunt.

Item eodem proximo die assumptionis Marie [s] obsessum fuit castrum Almarstæk per predictum regem et principes regni et tandem faciliter captum.

Item proxima 6ª feria [t] in vespere circa horam qvartam obsessum fuit Stocholm ex borentali parte per rusticos Uplandenses civibus ignorantibus, qui in primo congressu optinent[es] insulam sancti spiritus tandem per pontem pervenerunt ad partem [ɔ: portam] principalem et cum illam intrasse voluissent ex tumultu civibus evigilantibus tactuque campane viriliter ad eandem insulam sancti spiritus repulsi fuerunt.

Item in nocte que fuit inter proximum sabbatum et dominicam [u] reversus fuit sepedictus rex de Almarstæk cum comitiva nobilium cum noctis silencio versus Stocholm, et statim summo mane ipsius dominice in compulsu matutinarum inchoatum fuit horridum bellum contra eosdem rusticos in eadem insula sancti spiritus existentes, quorum quidam videntes se [ɔ: sibi] periculum imminere ab eadem insula fugam petierunt, alii autem per nobiles et eorum armigeros navigio circumquaque vallati in eadem insula in ecclesia ibidem et ubique in aliis domibus sunt interfecti, quorum corporum major pars apud sanctos Jacobum videlicet et Georgium [v] est sepulta; duravit autem hoc bellum ad pulsum pro ave Maria in vesperis, donec deventum fuit ad placitationem et stabilitatem.

Item ex comitiva prefatorum rusticorum ante finem istius belli captivati fuerunt aliqui rustici numero [x] XXVI vel quasi, et posteriori die quidam eorum capitaneus nomine Joan Lyndorm nacione Vesgotus, qui fugam de bello ceperat circa Almarstæk; [y] istemet nonus in proxima 6ª feria in crastino videlicet beati Bernardi [z] in Bruncaberg circa Stocholm rotatus fuit, alii autem captivatorum rusticorum per intercessionem nobilium et regis misericordiam tormenta rotationis evaserunt.

s) D. 15 Augusti.
t) D. 18 Augusti.
u) In nocte inter dies 20 et 21 Augusti, quod affirmant literæ Kristierni, d. 26 Augusti (Diplom. Kristierni I. p. 152 .
v) Hospitale s. Georgii ecclesiæ Jacobi erat vicinum (Cfr. Styffe, Skandinavien under Unionstiden, p. 258 not. 4).
x) Scribitur: nne.
z
y) Verba: "circa Almarstæk" sine dubio locum, ubi Lyndorm captus sit, indicant.
z) D. 26 Augusti (Cfr. literas Kristierni in not. u allatas).

VIII.

Expeditio Danica adversus Holmiam anno 1518.

Hunc libellum in collectione H. Reuterdahlii in Biblioteca Universitatis Upsaliensis (sc. inter ejus Diplomatica in 4:to, Tom. VIII. n. 265, nulla tamen mentione ibi facta, unde ipse illum acquisiverit) reperimus. Manus descriptoris finem seculi XVII:i indicat, quis autem fuerit vel quo ex fonte narrationem desumserit, omnino nescimus. Primum autem auctorem operis eventibus hujus anni, quos depingit, ipsum interfuisse jam ex primo aspectu unicuique apparet, et ex eo, quod lingua Teutonica utitur, et ex ipsis dictis, unum ex iis civibus origine Germanica, qui magnam partem communitatis urbis tunc temporis efficiebant, fuisse conjicere licet. Dolendum quidem est, quod descriptor vetustioris exemplaris quod secutus est scripturam, præsertim quod ad notas numerorum attinet, interdum recte interpretari vel reddere non potuit, ut nos rectas lectiones solum conjecturis et iis aliquando valde incertis indicare ausi simus. Ceterum hæc narratio quoad nos invenire potuimus, adhuc incognita neque a quoquam ad historiam hujus temporis illustrandam adhibita est.

Digitized by Google

In nomine domini amen. Anno domini christiano 1518 des Sundags na sante Johannes bat.[a] qwam de konnick[b] vor den Holm, op sante Petri und Pauls dach[c] qwam he op den Norder Malm, dar was he eynn dach und nacht, des Donderdags dar na[d] qwam he op den Suder malm und lach und schat, des Donderdags vor sante Margarite[e] holt [he] enne spräke[f] und ock eynne dach to vornnen, und den andern dach dar na groth schet met VII sware stucke, dat eynn nach den andern, des Sundags nacht op den Mandach vor sante Margaritte[g] tuische XI und XII begynde des königs knechte den ersten storm, op sante Marie Magdalene awent[h] des morgens to VII: den andern storm, des morgens na sante Marie Magdalene dach droch men de boete und espinge ouer de Santbrugge,[i] op sante Pantalionis awent[k] des morgens to 8 helt min her[l] ene schermüslinth by Aerstede[m] op eyne enge und behelt dat velt, dar bleue van des kooniges knechte um trent IIII^{c} beliggen und etlike der unsern und nicht vele, und des koonigs volk hadde mynen herren syn geschütte affgewunnen, und he gewan dat wedder- und 1 slange dar to van dess koniges geschütte, dar weren nicht bowen hundert Sweden de dat beste deden, op den suluen dach weren ut Stockholm getogen ouer *1500*[n] junger werhafftiger manne, de qwemen to spade tor slachtinge, do worden ock gevangen 11 rike eddelinge ut Dennemarken, op sante Pantaleonis dach qwemen 11 uth der Marien[o] und seden, dat vor der slachtinge de konnich wohl hedde verloren ouer *1000*[p] manne und in der slachtinge to vor und to — — —[q] hadde [he verloren] *4000*[r] manne, op sante Olaus dach worden 6 ritter und rittermässige mane to Holme begrauen int swarte kloster hora tertia, esslich besunder in syn egen graff de inn schermüsle geschlagen worden, noch hebben de suluen alle gehat 6 rode bülke[s] met gronen taffte beneden unnet. In der nacht dar na wort gefraget nach Otte Holkersso*n*, offte he gevangen waren (!), de eynn[t] ist nicht geuangen, und noch vele van der Deüschen [ɔ: Denschen] ritterschafft, de men van stankes haluen nicht hanteren eyn kunde. Des dages na sante Olaui gaff myn herr herr Steen de bercheskerlle[u] oerloff to hus op II^{c} na, de bleuen bynne Stockholm met den gemeynen borgeren in de kost beliggen, des Donderdags und Vrydags helt [man] ene spräke vor Laurencii[v] umme de gevangen. Des Sunauends togen de Dennen und knechte to schepe, do de klocke IIII was toch herr Steen und unse borger met aller macht ut op de Suder malm und heldt 1 schermützele, bleuen umme trent VIII offte X dode von unser sydenn, und 1 perdt wunth und V offte VI perde geschotten den mehr eyn schade,[x] unnd worden geuangen van des konigs knechte alle Dutsche XIIII — — — —[y] IIC, und vele mer geslagen und verdrunken, do hedde wy in den velde II halue slangen 12 vote lanck, II .....[z], dat groteste schat ick[a] VIII schotte oder X in des konigs schepe,

a) Die 27 Junii.
b) Kristiernus II:s, rex Daniæ.
c) Die 29 Junii.
d) Die 1 Julii, quod literis regis d. 22 Julii datis affirmatur (v. Ekdahl: Christiern II:s Arkiv, I. pag. 144).
e) Die 15 Julii.
f) Pro: *sprake*, colloquium, conventus.
g) In nocte inter d. 18 et 19 Julii.
h) Die 21 Julii.
i) Ita arenosus septentrionalis margo fluminis Norrström vocabatur. Cfr. Elers: Stockholm, II. p. 145.
k) Die 27 Julii.
l) Steno Sture junior gubernator Sueciæ.
m) Årsta est predium in vicinitate Holmiæ meridiem versus. Certamen profecto in campis, qui inter Årsta et ecclesiam Brännkyrka extenduntur, est commissum, quia pugna vulgo ab illa ecclesia denominatur.
n) Notæ numerorum sunt corruptæ. Scribitur ita: $\overset{IJ\ 400}{\text{IIXC}}$. Credimus autem signum: XC esse mendum librarii pro M, et scriptum fuisse: Ij^{M} (i. e. 1500). Centum enim per C duobus locis infra designatum invenimus, dum corruptum illud XC quatuor infra locis offendimus, in quibus omnibus per M apte commutari potest. Commonefacimus legentes Kristiernum viginti millia hominum secum adduxisse (v. Allen, De tre Nord. rigers Historie, II. pag. 503), et nimirum scriptorem rebus Sueciæ studentem jacturam hostium in sequenti in majus extollere.
o) Scilicet capella virginis Mariæ in hodierno suburbio meridionali, quam regionem tunc paullum domibus ædificatam Kristiernus occupabat.
p) Scriptum est: XC, quod interpretari volumus ut: M. Cfr., quæ diximus in not. n.
q) Legitur: XDC, quod interpretari non possumus.
r) Scribitur: $\overset{\text{ɔ}\ 400}{\text{VXC}}$; ut scriptum fuisse: ɔ^{M} (4500), suspicemur.
s) Forsan pro: *boldecke;* ita tegumentum super capulo in exsequiis stratum vocabatur; v. Dehnert: Platt-Deutsches Wörterbuch.
t) Forsan pro: *en*, et hic significationem verbi: *autem*, habens.
u) Suetice: *bergskarlar*. Ita vocabantur inhabitatores Dalecarliæ et partium Nericiæ et Vestmanniæ; quos belli participes fuisse certum est (cfr. Ekdahl: Krist. II:s Arkiv, IV. s. 1389).
v) Diebus 5 et 6 Augusti
x) Forsan legendum: *den mehr nyn schade*, i. e. sed nullum amplius damnum
y) Nescimus, quid lacuna significetur. Olaus Petri (pag 313) numerum trecentorum captivorum adjicit.
z) Librarius scripsit: *q:ter* et supra: *qvarter*. Tamen nullo loco vidimus: *fjerdedels slanger*, certe autem: *fjerdedels kartoger*, memorari Forsan *q:ter* solum: *kartoger* est explicandum.
a) Certe pro: *echt* vel *icht;* Suetice: *kanske*.

Digitized by Google

und schotten so gruwelik met denen IIII vorbenante stucke in de schepe dat alle unsze herrn und gemeyne man sich dar van erfrawede, sunder twiffel do schach dar groth schade unthe [ɔ: wente] de schepe weren alle wull volkes,[b] des Sundages vor Laurenci[c] worden des koniges knechte van unsre vischeren op gefischet, und op sunte Marie Magdalene kerckhoff[d] gebracht, dar weren etlyke medę uppers geslechter dat beuanth men an gulden ringen und schonen hemmeden und etlyke andern klenodien. Op sante Laurencius dach und des dags dar na lozede Juncker Walther de gevangen vann des Konnigs wegen umme trent III^{c}, dar weren under vele eddelinge und dubbelde soldener,[e] dar was ouer der lozinge van herr Stens wegen Bent Ericson, Petter Haer und etlyke ander eddelinge und knechte und herr Steen was suluer in dem velde, wohl dat em des Konniges volk nicht eyn sach, dar weren by eme etlyke borgemester und Raetlude und ut der gemeynheit, isslich knecht gaff IIII g[rote], dubbelt soldener alse syn tzolt was, isslich eddelman lozede III. IIII. V. offte VI van unser [de] in Dennemarken und op denen schepen gevangen weren, so eynes isslikes macht was. Des dages na assumptionis Marie[f] toch herr Steen met synen volcke und geschutte na Opsall hora 12 des auendes, und des koniges volck qwam in Opsaell des Dinxtdags[g] des vormiddags hora 9 umme trent *6000*[h] starck und hebben geraubt und geschunnen de domkerke all war se ouer qwemen, (dar was 1 kapteyn wollde Sante Ericus arm an gripen und bleff tor stunt doeth, miraculum).[i] Des Sonderdags [ɔ: Donderdags][k] hora 9 slogen ze unze volck op de vlucht und nemen unsser puluer karren met lade [ɔ: lode] und kaerle und hedden schir dat geschutte gekregen; worden de berskerl geschlagen um trent 2^{c} hora 3^{a}. Hora 5^{a} des Vrydags vor Bartolomei[l] op de auent qwemen des konigs knechte van Opsall up den Norder malm VI offte *7000*[m] starck und hedden etlike to perde met buren perden, op de sulue stunde war her Steenn, her Electus,[n] Bent Arvitson, Eric Kusze, Michel Nielsen und etlike ander to dage op den Monikeholm tigen de Tegelwick,[o] dar weren van des königs wegen und etlyke ander vriboren und worden ouer eyns to versegelen und . . . . . .[p] eyne vrede tusschen Sweden Dennemarken Norwegen eynen vrede van to kommen Michael II jar,[q] weren die Denschen herren mer genegen to vrede dan her Steen, und herr Steen qwam to hus hora 1^{a}, wante se hebben groten schaden geleden van Ritteren und Ritterkinder mer dan se dorfe bekant syn (!). Des sunauends dar na makede unse volk rede etlyke scheppe in den verschen water,[r] umme des koniges volk to forsoken in sante Klara kloester, des suluen dags na middage slogen unsse reysener 50 dode und 5 geuangen van des königes knechte by der kerke Sol[na];[s] in der nacht to 2 uren qwemen unsse knechte met deme geschutte to hus. Des Sundages slogen her Stens reisige 40 van des konigs knechte und grepen 75 geuangen, dar was 4 mede de 14 dage to vorn geuangen weren und qwemen in den Holm hora 5ta, op den auent Bartolomei hora 2da hadde des koniges Præfectus bot to her Steenn ume den scharprichter wante he hadde to richten

b) Hoc certamen, cum copiæ Danorum in naves imponerentur, Olaus Petri ad *Tegelviken* (in litore suburbii meridionalis) collocat. Allen (l. c. II. pag. 570, not. 48) forsan rectius ad Dufvenäs, qui locus uno miliario longius versus orientem apud fretum Skuru *(Skurusund)* situs est.

c) Die 8 Augusti.

d) Vide supra not. o.

e) Ita præfecti mercenariorum, quia duplex acceperunt stipendium, appellabantur

f) Die 16 Augusti.

g) Die 17 Augusti.

h) Scriptum est: $\overset{400}{\text{VIXC}}$, quod: VI^{M} (6000) interpretari volumus (cfr. supra not n.).

i) Hæc parenthesis atramento est inducta.

k) Die 19 Augusti. Ita legendum jam ex sequenti elucet et affirmatur alia coæva narratione, quæ Danos biduo Upsaliæ moratos et deinde Holmiam versus profectos esse, quo die secunda pervenissent, dicit (v. Handlingar rör. Skandin.:s Hist. Tom. XXXII, pag. 59).

l) Die 20 Augusti.

m) Scriptum est: $\overset{400}{\textit{VIIXC}}$, quod ut VII^{M} (7000) legendum esse putamus; cfr. supra not. n.

n) Sc. Hemmingus Gad, qui etiam post renunciationem diocesis Lincopensis hoc titulo utitur.

o) Laterariæ hoc tempore in insula Liderne (hodie *Kungsholmen)* exadversus insulam fratrum minorum (hodie *Riddarholmen)* jacuerunt (v. Lundeqvist, Stockholms stads Historia, I. pag. 24).

p) Lacuna unius vocabuli, forsan: *beleuen.*

q) Quia hic dicitur conventum die 20 Augusti habitum esse et indutias demum d. 29 Sept. initium capturas, prius colloquium de pace videtur exstitisse, quam illud paullo post diem 28 Augusti, in quo indutias jam a die 14 Septembris incepturas constitutum est (v. Danske Magazin, 3. Række, Band II, pagg. 239—242.).

r) Id est in lacu Mälaren.

s) In margine ascripsit librarius: *forsan Solna;* verisimilis conjectura, cum ecclesia Solna a claustro Clarissarum haud magno spatio septentrionem versus distat.

Digitized by Google

8 de der doemkerke gesmide hadden gestollen, und krech syn [t] nicht, in der seluen stunde breken de knechte op und togen na der roden brugge, [u] worden erer geslagen van unsen reisigen 60 und etlich geuangen, do worden gewundet van den unsern etlyke und getabt 20 und perde geschotten. Op des hillige Cruces dach [v] qwemen van des köniiges knechten to her Steen vor dem Holm umme trenth 400 sunder de getros [x] und hedden redelich gehandelt, des dridden und verden dags wort vrede [y] tusschen den riken und herren, und des konigs schepe legen to Dyrhamne [z] in grote smachte langetyde und unsse borger vorden beer und broeth uth, do galt 1 tunne beer 2 tunner solt, 1 tunne brode 1 tunne solt, 1 last issrens [a] 3 last solt, und dat beer galt hiir XVIII s[chillinge] und dat solt 3 offte 4 mark Holms. Op sante Mauricius [b] dach wort verboden, dat kein borger by liue und gude des köniiges schepe solde to voren. Des f[olgenden] Maendags vor Michael [c] hora 7 qwamen de bisschop van Wyborch, herr Anders Bilde und syn broder, herr Tugge Krabbe und syn broder und juncker Wilhelm in den Holm und wolden herr Stein to deme könige hebben um raden, und voren qwart [d] to schipe. Hora 4 des Sunauends vor Francisi [e] sande her Steen sine gisseler to deme könige in syne schipe, und solde meth herr Steen to sprake kommen, und behelt de gisseler, herr Electus genant Doctor Hemmich Gadt, Gustaff Erxsonn, Bent Nielson, Oloff Rünnich, Lasse und Jurien Sickeson, Rittermatesche junge men van 24, 25, offte 28 jaren, und vorde se boeslyken met sik to Dennemarken und hedde gerne gehat herr Steen und den kanseler herr Peter, hedde de konick nicht so — — — — — — [f] so hedde he mede gekregen her Anders Oelfson, her Anders Hinrxson borgemester, Anders Rüthen und ettlyke mer Raetlude und vryboren, dede oeck solden vor deme konick to geysell — — — — gestaen hebben. Des dages na Fransisci [g] qwam herr Steen widder to hus riden hora 2da.

t) Hic forsan vocabulum: *wille* est omissum, vel *en* pro *syn* legendum.

u) Situm hujus pontis ignoramus, nisi suspicandum esset scriptorem ita nomen Rotebro perperam vertisse, qui locus uno et dimidio miliario a Holmia remotus est.

v) Die 14 Septembris.

x) Impedimenta exercitus.

y) Locus aliquo modo est corruptus. Ut supra not. q. ostendimus, indutiæ d. 14 Septembris, quæ erat feria tertia, initium ceperunt

z) Statio quædam navium tunc temporis sæpe memorata, prope insulam Djurö apud orientale litus insulæ Wermdö.

a) Lege: *iserns* i. e. ferri.

b) Die 22 Septembris.

c) D. 27 Septembris.

d) Forsan pro: *qwiet*, liberi; (Kristiernus contra obsides Sueicos postea retinuit).

e) Die 2 Octobris.

f) Lacuna; desideratur: *gelastet*, vel tale aliquid.

g) Die 5 Octobris. Cfr. literas senatus Sueciæ d. 14 Decembris 1518 datas (Danske Magazin, 3. Række, Band II, pag. 247), quæ hanc narrationem affirmant. Solum animadvertendum est, ibi dici Kristiernum ancoras sustulisse *Måndagen för Fransisci*, quod aperte mendum est pro: *Månd. efter Frans.*, ut ex ceteris dictis epistolæ cum hoc libello comparatis nunc manifeste elucet.

Digitized by Google

IX.

PROELIA INTER SUECOS ET DANOS ANNIS 1452—1524.

Hic index exstat in registro papyraceo ecclesiæ Lincopensis p. 67, quod, auctore Johanne Braskio, episcopo Lincopensi annis 1513—1527, tempore ejus præposituræ et episcopatus est conscriptum et anno 1751 dono Rhyzelii episcopi in possessionem Bibliothecæ Lincopensis cecidit, in qua hodie n. 43 in folio signatur. Ex eodem fonte Necrologium Lincopense infra et Annotationes de tributis diocesis Lincopensis (in sectione posteriore) sumsimus. Celeber secretarius Braskii, Spegelberg, indicem incepisse videtur, ejus autem manus in media serie subsistit aliaque coæva manus a verbis: *Item wid Hoff mz Eric Karsson etc.* illum excepit. Jam antea in: Linköpings Bibliotheks Handlingar, I. pag. 90 sub titulo "Elenchus pugnarum cum Danis per 100 annos" impressus est, quem tamen titulum Rhyzelius in codice superscripsit.

Nu i en manss aller hafve thenne Slag varet mellom Swerige oc Danmark.

Forst i Dalby oc Skaane. a)
Item vid Lykkeaa. b)
Item vid Hola veden. c)
Item i Wærend vid Andrada skog. d)
Item vid Bierqwarda. e)
Item vid Awaskær. f)
Item vid Danasorg. g)
Item vid Rwtnaby. h)
Item vid Öresteen. i)
Item paa Harlywng. k)
Item vid Haraakra. I Biscops Kætilss tiidh. l)
Item vid Norköpung. m)
Item 1 slag i Dalomen. n)
Item i Arbogom. o)
Item i Vpsalum. p)
Item vppa Rotaskog q) Biskop Kætil oc her Erich Nielson.
Item pa Brwnkeberg r) IIm slagne XVI riddara gripne oc medh them VIc faanger oc xiiii men.
Item aa Lwndby heed. s)
Item vid Ælgisborg. t)

a) Lege: Dalby i Skåne. Factum est anno 1452, die 18 Februarii (cfr. Rördam, Monumenta Hist. Dan. I. 2. p. 208 et Chronicon Rhytmicum, ed. Klemming, 2. pag. 297).
b) Forsan eodem anno, cum arx Lykkea in Blekingia a Suecis expugnaretur.
c) Eodem anno. Vide infra sect. 2 pag. 109, not r.
d) Qua de pugna silent fontes, neque nomen loci hodie restat. Forsan respicitur Åreda (multa sunt de cetero loca hujus nominis) in paroecia Hjortsberga et territorio Albo (in Smalandia), quia Kristiernus I:s in hac regione vel circa an. 1469 in mense Martio cladem accepit (v. ejus epistolam apud Styffe, Bidrag t. Skand. Hist. III. p. 202; cfr. l. c. CCIX
e) Prope urbem Wexiö. Bis hic locus incendebatur, annis 1467 et 1470 (Styffe l. c. CXCIX et CCXXX).
f) Hodie Christianopel in Blekingia. Contigit in autumno anni 1456 (Chronicon Rhytm. etc. pag. 329).
g) A Danis constructum et ideo Danaborg appellatum, post expugnationem an. 1455 a Svecis Danasorg vocatum est (v. supra Tom. I. 1. p 173). Dicitur hæc munitio apud Tofftabro in diocesi Lincopensi sita fuisse (Script:s rer. Danic. VI. p. 634), quod Tofftaholm apud lacum Vidöstern in territorio Sunnerbo verisimiliter respicit.
h) Anno 1456 eodem tempore, quo proelium apud Awaskær. (v. Chron. Rhytm. p. 329 et Grautoff, Lubeckische Chroniken II. p. 187).
i) In Vestrogotia, an. 1470 in mense Februario (v. Styffe, Bidrag etc III p. CCXXX.
k) Hodie Herrljunga in Vestrogothia Contigit an 1469, d. 28 Martii (cfr. supra Tom I. 1. p 189, literas Kristierni apud Styffe l. c. p. 202 et Historiam Joh:s Svaningii infra excerpendam).
l) Anno 1464, d. 17 Aprilis; v infra Sect. II. p. 110, not. b.
m) Forsan anno 1470 in mense Martio, cum arx vicina, Ringstadaholm, caperetur (v. Handl:r rör. Skand. Hist. Tom. VII).
n) Anno 1470 in secunda hebdomada Januarii, forsan apud Uppbo in paroecia Skedvi (v. quæ attulit Styffe etc. l. c. p. CCXXVII.
o) Et initio anni 1467 et in fine anni 1469 (v. Chronicon Rhytmicum etc. III. p. 51 et Olaum Petri, ed. Klemming, p. 256 et 263).
p) Primum an. 1467, d. 1 Sept. (v Olaum Petri p. 258), deinde an. 1470, forsan die 16 Augusti (v. supra Tom. I. 1. p. 98 et Olaum Petri p. 267).
q) Sine dubio respicitur saltus circa hodiernum Rotebro uno et dimidio miliario ab Holmia distans, quia in vere anni 1464, cum metropolis ab Kætillo ejusque fautoribus oppugnaretur, plura certamina in his locis sunt commissa (v. supra Tom. I. 1. p. 185 et Lubeckische Chroniken, II. p. 276)
r) Anno 1471 d. 10 Octobris (v supra Tom. I. 1. p. 98 et Chron. Rhytm. etc. III. p. 82).
s) Hanc pugnam omittunt scriptores.
t) Hodie Elfsborg prope urbem Göteborg. Contigit an. 1502, d. 19 Julii; v. Allen: De tre Nord. rigers Hist. I. p. 270 seqn.

Digitized by Google

Item vid Stocholm, 1517. u)
Item vid Rotabroo. v)
Item vid Stocholm thaa konung Hans kom in. x)
Item vid Södra Malm thaa konung Cristiern droog til skeps. y)
Item vid Brænnekirke 1518. z)
Item vid Narffwabro, 1517. a)
Item vid Kalmarna 1519. b)
Item vid Lyongby eodem tempore. c)
Item paa Öland, die Sancti Michaelis eodem anno. d)
Item vid Hoff medh Eric Karsson; vicerunt sweci. e)
Item vid Bogasund 1520 die Henrici. f)
Item paa Tiwiden purificacionis samma aaret. g)
Item vid Ballinxaas, eodem anno. h)
Item i Vpsala langa freedag eodem anno. i)
Item vid Vesteraass mellan Pasca oc Pinxdaga 1521. k)
Item vid Stægeborg 1521 medh her Seuerin et tandem 2^{ario} vigilia nativitatis Christi, eodem anno. l)
Item vid Rysby 1522° Victores Sueci. m)
Item paa Gotland 1524. n)
Item paa Borneholm 1523. o)
Item vid Kolasund anno Domini 1521. p)
Item vid Nyköping 1521. q)
Item vid Calmarna 1522. r)

u) In medio mensis Augusti apud Vädla prope Holmiam; v. Allen l. c. II. p. 473.
v) Anno 1497, d. 28 Sept.; v Olaum Petri l. c. pag. 294.
x) Die sequenti l. c.
y) Anno 1518 d. 7 Augusti; v. supra pag. 30.
z) Die 27 Julii; v. supra pag. 30 not k.
a) Hoc certamen nobis est ignotum. Forsan legendum: Nackabro, qui locus jacet inter Holmiam et Dufvenäs (v. supra Tom. II. 2. p. 142, not. m), ut his duobus locis an 1518 dimicatum sit, cum copiæ Kristierni II:i in naves imponerentur (cfr. Allen l c. pag. 570, not. 48).
b) In autumno, cum Steno Sture ex urbe erumpens Danos profligavit (v. Allen l. c. III. 1. pag. 88).
c) Die 7 Septembris l. c.
d) Forsan paulo ante Michaelis; v. Allen l. c. pag. 89 et 373, not. 83).
e) Hoff, hodie Hofgården, in vicinitate oppidi Wadstena cum adjacentibus territoriis huic Erico Karlsson (Wase) ut feudum coronæ erat datum. Tempus autum hujus concursus ignoramus.
f) I. e. d. 19 Januarii.
g) Lege: vigilia purificationis, d. 1 Februarii; cfr. Olaum Petri pag. 317.
h) Hodie Badelundsås apud Westerås; die 29 Martii (v. Allen l. c. III. 1. p. 216).
i) Die 6 Aprilis (v. Olaum Petri p. 322).
k) Die 29 Aprilis (v. Allen III. 2. p. 163).
l) Primum in mense Julio, deinde die 24 Decembris v. Peder Swart: Gustaf I:s Krönika, ed. Klemming p. 43 et 50).
m) Hæc ecclesia duobus miliariis a Kalmarnia septentrionem versus distat. Forsan hanc dimicationem Norrby significat in literis d. 7 Martii 1523 datis (apud Ekdahl: Christierni II:s Arkiv, II, p. 361).
n) Sc. in obsidione urbis Wisby.
o) Anno 1522 in mense Augusto (Handl:r rör. Skand. Hist. II. p. 25 et 26 et Allen l. c. III. 2. pag. 319).
p) Fretum in lacu Mälaren, quod uno miliario ab urbe Strengnäs orientem versus distat. Concursus forsan in fine Augusti factus est (cfr. Peder Svart etc. pag. 47).
q) Tempus hujus certaminis ignoramus.
r) Verisimiliter in mense Februario vel circa (cfr. Peder Swart etc. p. 52 et 53).

X.

Ex Johannis Magni archiepiscopi Upsaliensis Gothorum Sveonumque historia excerpta.

Hunc librum, sicut alterum jam antea confectum opus de archiepiscopis Upsaliensibus (quod infra in sectione posteriore legitur) ultimus ille archiepiscopus Upsaliensis catholicæ confessionis, postquam patriam anno 1526 deseruerat, tempore exsilii composuit. Ut enim ipse in fine libri narrat, novem mensibus anni 1540, dum in patriarchatu Veneto consilium generale exspectabat, ut historiam in hanc formam redigeret, usus est. Decem tamen anni post mortem Johannis evaserunt, priusquam Olaus Magni frater ejus illam Romæ anno 1554 in mense Januario typis describendam curavit; postea autem plures editiones prodierunt, quas legentes apud Warmholtz: Bibliotheca historica Svio-Gothica, Tom. V. p. 38 reperire possunt. Quod hanc historiam non integram nostræ collectioni inseruerimus, vix quisquam re accuratius considerata miretur. Ut omittamus, quod scriptor non magis medio ævo quam tempori reformationis ascribendus sit, non magna fides in pristinis temporibus narrationi ejus, quæ illa, quæ veteres scriptores simpliciter tradiderunt, licentius auget et adornat, est habenda. Deinde quæ de gestis Gothorum in majore parte libri uberius disseruit, apud ipsos auctores simplicius et planius legi possunt pa-

Digitized by Google

triæque historiam nihil fere attingunt. Cum autem ad nostras res orationem postremo convertat, nihil etiam in priore parte seculi XV:i nobis tradit, quod ex fontibus, quibus usus est, non melius cognoscamus: etiamsi enim ipse magnifico quodam modo "non pauca antiquissima volumina quæ publica sacerdotum Upsaliensium fide et Gothico sermone ac charactere conscripta . . . inveni" laudat, vix dubium est, quin omnes ejus auctores, in quibus Ericus Olai primum tenet locum, in nostro opere aut inserti sint aut jam inserendi. Quare solum extremam partem historiæ reddere et ab illo tempore, quo Ericus Olai subsistit, initium capere, cum sequentia Johannes aut a testibus oculatis audierit aut ipse coram perspexerit, nobis satis visum est. Quod demum orationem Hemmingi Gaddii, de qua adhuc ambigitur, ab historia Johannis Magni separaverimus, rationes, quas infra in præfatione hujus orationis exponemus, satis illustrabunt.

Liber XXIII.

Cap. VIII. Tunc confestim Archiepiscopus cum suæ factionis sociis Christiernum in ciuitatem Stocholmensem introductum corona regia donat: idque nimis temere, sine aliquo senatus aut populi decreto, nulla lege, nullo ordine, nullo denique maiorum more obseruato. Itaque incertum apud plerosque erat, illane coronatio plus ignominiæ an honoris Christierno contulisset: immo nihil in ipsa honore aut laude dignum inuenio, nisi quod eorum, a quibus tam temere coronatus fuerat, intolerabilis persecutor euasit, eosque (cum nulla alia subessent delicta) ob rebellionem, quam in Carolum commiserant, seueriter castigauit, asserens eos perfide proprium regem exclusisse et se magis ad ludibrium quam ad regnum inuitasse. Cum enim videret maximam regni partem Caroli reditum exspectare, Joannem Archiepiscopum pro conciliando sibi incolarum fauore emittere curauit. Sed cum is nihil aut parum proficeret, ipsum quamuis optimum et integerrimum Pontificem hactenus apud se æstimatum inter præcipuos hostes reputauit: immo ignominiose captiuatum secum in Daniam transportauit perpetuoque carceri mancipauit et iureiurando se astrinxit, ne ipsum inde viuum eripi pateretur. Ita satisfactum fuit nobilissimo Archiepiscopo pro regni titulo, quem in Danum imprudenter transferre contendebat. Silendum quoque non est, Christiernum ingentem thesaurum a Carolo apud fratres Prædicatores et Minores in Stocholmia derelictum prodentibus fratribus accepisse et septem magnis vasis inclusum in Daniam secum adduxisse,[a] non vt ipsum tamquam rem alienam contra æquitatem conseruaret, sed vt in aculeos sagittarum conuersum rursus Sueonibus (qui nescirent suis fortunis felicius vti) restituat. Interea dum Christiernus ea seueritate immo summa ingratitudine in Joannem Archiepiscopum ferretur, Catillus Lincopensis Episcopus, eiusdem Archiepiscopi nepos,[b] summa prudentia et strenuitate præditus, collectis vndique copiis, omnes Christiernianæ factionis homines a Gothorum Sueonumque finibus potenti prælio superatos eiecit, missisque literis et legatis, Carolum ex Prussia in patriam et ad regni administrationem reuocauit. Est quidem memorabile et sempiterna laude dignum, quomodo is Catillus, visa Danorum tyrannide et patriæ desolatione, necnon ignominiosa sui Archiepiscopi captione, omnia pontificalia indumenta, præsente suorum Canonicorum collegio, induit, quasi rem diuinam solenniter peracturus eaque rursus et sine mora singillatim exuens et ad summum in ecclesia Lincopensi altare reponens, votum vouit deo, se non prius ea recepturum, quam oppressam patriam a tyrannorum seruitute liberasset. Deinde ex eodem loco omnibus militaribus armis instar cataphracti militis ad præparatam militiam extra ecclesiæ septa egressus, comites habuit canonicos eam rei nouitatem lachrymis et gemitibus prosequentes: ad quos conuersus vix salutationis verba ob solicitudinis magnitudinem exprimere poterat: immo ductis ex alto pectore suspiriis, in calce omnium verborum dixisse fertur illud, quod in Psalmis cani consueuit: Propter miseriam inopum et gemitum pauperum, nunc exsurgam, dicit Dominus.

Cap. IX. Deinde quamuis esset valido exercitu munitus, fugam tamen simulans, Christierni exercitum ad loca insidiis opportuna seduxit. Haracher villam vocant, vbi stationem firmauit et venientes Danos glaciali pugna excepit atrocique bello supra lacum late congelatum commisso, clarissimam et memorabilem victoriam adeptus est.[c] Cæsos namque et fugatos hostes ita insequebatur, vt fulmine ac turbine disiecti viderentur: vixque aliud præclarius officium ab aliquo Pontifice in patriam vmquam collatum fuisse memoratur. Ea enim pugna effectum est, vt seclusa Danorum factione tota patria in libertatem et Carolus (vt dicere coepimus) in patriam atque Archiepiscopus in suam metropolim restitueretur. Christiernus enim comperto regis Caroli in Suetiam reditu mox Archiepiscopum a captiuitate liberum ad Vpsaliam redire permisit, ea potissimum ratione inductus, quia sciuit odium esse impacabile, quo in Carolum ducebatur. Proinde spem maximam habebat, vt ambo ad veterem controuersiam reuersi totam Gothorum et Sueonum rempublicam extrema pernicie implicarent. Sed sua opinione deceptus nullum amplius commodum poterat ex

a) Ericum Olai hic secutus est (cfr. supra Tom. II. 1. pag. 164, 165). De ipsa re cfr. infra excerpta e Chronicis Lubecensibus.

b) Mater Johannis et pater Katilli erant liberi Kristierni Nicolai filii, celebris dapiferi.

c) Anno 1464, d. 17 Aprilis. Vide infra sect. II. p. 110, not. b.

Digitized by Google

Sueonum discordia reportare: et ita oportuit eum in sua Dania contentum permanere. Carolus autem omnia circumspectius agens populares fauores (quos præfectorum imprudentia amiserat) pauco tempore recuperauit, factus omnibus charissimus, qui antea publico odio laborabat: præfectosque instituit, qui virtutes vitiis, justitiam iniuriis, honestatem vtilitati præferebant. Præterea quicquid ad augendam conseruandamque patriæ libertatem et commodidatem spectabat, infatigabili animo exsequebatur. Nullus enim priorum regum tam diligentem curam pro agricultura, pro extendendis pratis, pro excidendis syluis, pro noualibus ampliandis, pro extruendis oppidis et villis adhibuit, quantum hic Carolus: qui si ecclesiæ libertatem pari diligentia conseruasset, paucos meliores Reges Gothi vel Sueones antea vel postea habuissent. Sed sunt præfinita a Deo tempora et Principes, sub quibus Christianæ ecclesiæ pastores in varias persecutiones exponuntur, qui deinde rursus sub magnificis et piis Principibus ad omnem honorem et gloriam extolluntur. Tandem Carolus post multa gloriosa facinora, que tum ante adeptam Regiam dignitatem tum postea peregerat, in senium et vltima fata deuergens, vocatum ad se Stenonem ex sorore nepotem, virum vtique non solum sanguine illustrissimum sed omni morum probitate conspicuum ita alloquitur: Scio te post mea extrema fata, quæ jam imminere sentio, a proceribus et populis in Gothorum et Sueonum Principem assumendum. Placeat igitur tibi consilium meum, vt oblatum principatum ad Dei gloriam et publicam patriæ salutem assumas. Sed omnibus modis dissuadeo, ne coronam aut Regium nomen tibi imponi patiaris. Vides enim, quanta iustitia, æquitate et modestia his populis præfuerim et tamen a plerisque mihi obiicitur, quod tyrannidem non regiam maiestatem in liberam patriam exercuerim: a quibus quidem calumniis te omnino liberabis, si optimum Principem te sine Regio nomine omnibus incolis præbueris, præsertim cum Gothi nostri nomen Regium non minore odio, quam olim Romani insectantur. Post hæc Carolus acceptis Christiano more sacramentis, vitam et regna morte commutauit, anno a Christo nato MCDLXX circa principium mensis Maji.[d] Sepultus Stocholmiæ in monasterio Fratrum, quos S. Francisci siue minores appellant.

Cap. X. Steno Sture, Caroli (vt diximus) nepos, post auunculi fata maximo omnium procerum populorumque consensu Gothorum Sueonumquæ Princeps eligitur. Hic totis triginta annis subiecta regna tanta tranquillitate et felicitate administrabat, vt Traiano melior Augustoque felicior dici potuisset. Sed non deerant potentissimi aduersarii, quos diuinæ prouidentiæ permissio idcirco eius felicitati obiecisse videbatur, vt Steno ipsis deuictis magis illustris redderetur. Primus autem hostis, qui hunc lapidem (nam Steno Gothica lingua lapidem significat) adoriri tentabat, erat Christiernus Danorum Rex, qui forte putans sibi nonnihil iuris ad Suetiam ob illam quorundam factiosorum coronationem, de qua diximus, accessisse, exercitum præualidum collegit eumque bellica classe in Stocholmiam Suetiæ regiam perduxit. At Steno futuri belli non ignarus copias ex propinquiore Suetia contrahit eisque suffultus aduentantibus Danis obuiam vadit. Concurrit igitur vterque exercitus in monte Brunchonis, qui Stocholmensem regiam a septentrione spectat. Nec leuis pugna inter fortes gentes committitur. Dani vt diuites fierent proprium sanguinem in periculum ponebant, Sueci vero et pro fortunis et pro libertate certantes importunius et vehementius pugnabant: ad quos victoria tandem conuersa Danos in precipitem fugam conuertit. Plurimi ex eis occisi, multi fugati et plures captiuati. Nec paruus erat Danorum numerus, qui se in proximam aquam immergentes suffocabant. Ipse quoque eorum Rex ictu muralis tormenti, quam bombardam vocitant, impetitus quatuor anteriores dentes vna cum magno et fere toto exercitu amisit. Dani igitur tam insigni iactura affecti in suam Daniam redierunt atque in Danicas historias retulerunt eam aduersam belli fortunam sibi non tam viribus Sueonum, quam magicis artibus cuiusdam doctoris Ryttingi proconsulis Stocholmensis[e] obuenisse: quasi nulla alia ratione summam illorum ignaviam qui se sponte submerserant excusare potuissent.

Cap. XI. Tum Christiernus post acceptam eam stragem animum ab occupanda Suetia penitus despondit. Compertum quippe habebat summam inter Stenonem et Sueones concordiam esse, qua perseuerante temerarium admodum esset illos homines impugnare, qui sola domestica discordia superari consueuerunt. Quod etiam in ea principum Germaniæ confoederatione, quam contra Suetiam sub ipsa Romana peregrinatione sua iniuit, satis ostendit, asserens se confoederatorum auxilium inuocare nolle, priusquam Sueci domestica discordia laborarent: tunc enim diligentissima adhibenda esset opera, vt concordes principes discordes populos facilius superarent.[f] At Steno summopere et prudentissime cauit, ne vel tenuis discordiæ significatio intra Sueticæ Reipublicæ viscera suboriretur. Vix enim credi queat, quanta beneuolentia et moderatione ac prudentia in omnibus moribus suis vtebatur. Legimus complures Reges et principes ita fuisse populares et a subiectis populis dilectos, vt patres patriæ et humani generis deliciæ merito appellarentur. Immo quidam eorum im numerum Deorum referendi putabantur, quod suam ipsorum salutem, et quicquid fortunarum vsquam habebant, sponte et promptissime pro suis impenderent. Sed hic Steno talem se suis semper et vbique præbuit, vt inter quoscumque præcipuos et optimos heroes cum immortali laude connume-

d) Die 15 Maji (v. infra Kalendarium Strengenense)

e) Clarus ille cancellarius Karoli regis, qui sequenti anno obiit (vid. supra pag. 28 not. f.).

f) Consilium et rationem Sueciæ subjugandæ, quæ in hac peregrinatione excogitaverit Kristiernus, videas apud Reimerum Kock (Lübeckische Chroniken ed. Grautoff, Tom. II. p. 708—714).

Digitized by Google

retur. Quippe si pietatem ejus erga Deum et Dei ministros attendimus, nulli in Christiana religione secundus erat. Pontifices et sacerdotes Christi tanta veneratione prosequebatur, ut se nunquam (quamvis tot populorum Princeps esset) prætulerit infimo Pontifici: immo inter pios et præclaros mores æstimabat, minores Ecclesiæ Prælatos, utpote Præpositos, Decanos et similes ad dexteram suam venerando obsequio deducere et primas sedes nedum in templis sed in prætoriis et allis publicus locis eis concedere. Feudalia quoque bona libenter et liberaliter ipsis assignauit, recte existimans eos regendis hominibus aptiores esse, qui diuino obsequio mancipati diuinam legem (sine qua humana iura conseruari nequeunt) continuo studio profitentur. Sciebat enim suam et totius patriæ salutem conseruationemque et honestatem in Pontificum salute et autoritate conseruari. Sciebat præterea a majoribus ad posteros traditum esse, ipsum sacerdotium in Svetia nunquam sine universali totius patriæ ruina corruisse. Neque Pontifices ingrati erga eum erant, quippe qui omni studio prouidebant, ne aliqua domestica aut extranea bella in ipsum præualerent. Sæpeque vna cum ceteris senatoribus nomen et coronam Regiam ei offerebant, etiam supplices rogantes, ut qui omnem Regiam autoritatem haberet, nomen quoque et maiestatem Regiam assumere vellet.

Cap. XII. Sed erat tanta moderatio in illustrissimo Principe, ut omnia mallet quam nomen Regium (quod ob seueritatem priorum Regum ad publicum patriæ odium deuenerat) sibi adaptari pateretur. Quinpotius gaudebat, se infimorum ciuium et incolarum amicum ac fratrem æstimari. Non erat aliquis tam humilis conditionis paterfamilias, in cuius domum cum hospitii gratia introiisset, quin ipsum vna cum coniuge et liberis porrecta manu officiosissime salutaret, secumque tam hanc quam illum decentissime ad mensam collocaret et de eorum salute ac prospero rerum successu diligenter interrogaret. Summaque solicitudine prouidit, ne sui præfecti quemquam iniuriis afficerent aut affici paterentur. Habebatque in omnibus regni angulis exploratores, qui præfectorum fidem et æqvitatem erga subiectos populos inquirentes omnia eorum facta ad ipsum occulte et fideliter deferrent: tamque scrupulosa examinatione de subditorum quiete inquirebat, vt potius sibi ipsi vitam quam subiecto ciui vnam ouem contra iustitiam auferri permisisset. Quo factum erat, vt nullus inter Gothos et Sueones inueniretur, qui non libentius pro eo fortunas et vitam exposuisset: immo vbi aliqua bellorum opinio emersit et Steno vnum ex tota familia pro defensanda patriæ libertate ad bellum euocaret, confestim non vnus sed omnes, quotquot armis idonei erant, armati ad pugnam prodibant. Erupit igitur verax in omnes regiones fama, Stenonem nulla humana potentia superari posse, qui in tam amplissimo principatu, quotquot incolas, totidem haberet milites in omnem casum pro eius defensione præparatos. Erant tamen duo potentissimi principes, qui hanc solidam petram a loco, cui firmiter inhærebat, amouere contendebant, vtpote Joannes Danorum rex et Basilius Magnus Moscouitarum Princeps, eidem Danico regi confoederatus. Nec paruus aut imbecillis erat eorum principum numerus, qui cum eisdem Danis et Moscouitis contra Sueones et Gothos conspirabant: sed totus eorum conatus, vt specie terribilis apparebat, ita inani exitu disparuit. Tentabat quidem Danus aliquoties arma in Vestrogothiam inferre, præsertim cum didicisset Stenonem longo terrarum spatio ab eo loco separatum: sed cum prima Vesgothorum limina intrauisset et iam arcem Erby g) (quæ est in Marchia Vestrogothorum) obsidere cœpisset, ecce Steno valido Sueonum agmine suffultus adeo celeriter ex Stocholmia advenit, vt volasse potius, quam equitasse putaretur: signumque sui subiti adventus tubarum clangore dari præcepit, ne dolis aut insidiis, sed aperto Marte se pugnare velle significaret. Tum Joannes ad suos proceres conuersus dixisse fertur: Commendanda profecto est in hoc hoste tanta magnanimitas. Cum enim nos dormientes et imparatos facile adoriri posset, vult tamen ea virtute præliari, qua palam ostendat, se illam militarem gloriam in memoria habere, quam maiores nostri a dolis et fraudibus alieni diligentius obseruabant.

Cap. XIII. Deinde Steno suis in ordine constitutis præcepit, ne prius in hostem ferantur quam videant ipsum dispositis agminibus vndique præparatum. Itaque Johannes periculosam belli moram ratus, confestim suos perarmat atque in hostem educit. Pugnatum est vtrinque diu et acriter, donec Steno insigni sagittariorum ope adiutus victoriam reportaret. Cæsi fugatique sunt Dani: quorum etiam plurimi per Sueones in captiuitatem redacti fuerunt; quos Steno liberaliter habitos Regi Joanni gratis et nullo redemptionis pretio interueniente remisit, aperte sui animi magnanimitatem eo facto ostendens, quod didicisset arma in hostes et non in calamitosos exercere. Quo magnifico officio Joannes prouocatus, coepit in hoste non solum fortitudinem et in rebus bellicis industriam admirari, sed eximiam morum probitatem venerari. Transieruntque complures anni, in quibus ob constitutas inter Suenos et Danos inducias pax et securitas seruata fuit. Quibus durantibus Steno Hemmingum Gaddum Ostrogothum Lincopensem ad Summum Pontificem in vrbem Romam legatum designauit h), vt ibi circumspectius provideret, ne Dani, cum ipsis arma

g) Nomen hujus arcis erat *Öresten* (in paroecia Örby). et pugna non tempore Johannis, sed patris Kristierni, Karolo rege adhuc vivente, anno 1470 in fine mensis Februari est commissa (v. supra pag. 33 not. i) Johannes Magni in sequenti examplificatione manifeste secutus est recentius exemplar Chronici Rhythmici post annum 1520 scriptum (cfr. Svenska Rimkrönikan ed. Klemming, III. p. 161, 162), quod quidem generositatem Aconis Johannis militis anno 1502 ante Elfsborg in simili casu exhibitam præ oculis habuit.

h) Hanc legationem Hemmingo in annis 1478—81, jam gubernante Kristierno I°, commissam esse, ostendit Allen: De tre nordiske rigers Hist. I. p. 638, not. 31.

Digitized by Google

deficerent, ad callida Romanorum ingenia conuersi Suetiam molestarent. Erat hic Gaddus homo ad omnem astutiam natus, tanquam ad Romanos mores idoneus, vt nullus eo aptior ex tota Suetia in Romam emitti potuisset. Nec solum apud infimos et mediocres Curiales, sed apud Summos Pontifices et amplissimum Senatum Cardinalium summam gratiam inuenit: multaque et memorabilia opera in laudem sui illustrissimi Principis Stenonis in eo Christiani orbis capite peregit, quibus ostendit, se patriæ amorem omnibus huius vitæ fortunis prætulisse. At Danici nominis odium tam pertinaciter imbibisse videbatur, vt vita comite illud minime abiicere potuisset. Interea vero Russi siue Moscouitæ Danorum confoederatione inducti, arma in Sueones transferre contendunt. Quorum conatus Steno repressurus magnas vndique copias contrahit, quas ductore Suantone, nobilissimo regni consiliario, in hostilem terram emittit. Progressus Suanto omnia pro suo voto egit. Nam etsi Moscouitæ satis potentem exercitum coegissent, tamen postquam ad pugnam deuentum erat et aliqvamdiu acribus animis certatum esset, Sueones victoriam adepti, in magnam Moscouiæ partem se diffundebant cunctaque obuiantia ferro et flamma conculcantes eam stragem commiserunt, quæ etiam hodie in hominum memoria perseuerans testatur, ipsos ad impacabilem iracundiam prouocatos pugnauisse. Enimuero complures arces, oppida, villæ, quæ tunc funditus euersæ fuerunt, satis admonuisse videntur Moscouitarum proceres, ne amplius Sueonum patientiam ad arma compellant. Quippe post eum diem Sueones ab illorum impugnatione securi degentes, gratias Stenoni agunt, quod viriliter agendo, posteris tam gratam et necessariam ac diuturnam pacem procurasset.

Cap. XIIII. Parta ea victoria, Suanto ingentem thesaurum ex ditissima præda congessit. Cuius partem cum Steno ad se pertinere affimaret, Suanto ab eo deficiens, non paruum procerum et militum numerum in suæ defectionis societatem allexit. Factumque est, vt Gothica et Svetica Respublica, quæ tot annis sub optimo Principe florentissima et pacata fuerat, ad ciuilem et perniciosam discordiam collaberetur. Nec diu moratum est, antequam Joannes Danorum rex exemplo patris sui Christierni a factiosis quibusdam proceribus inuocatus ad Stocholmensem ciuitatem peruenit. Estque eodem iure et ordine, quo pridem pater eius, a suæ partis proceribus corona Regia insignitus. Sed Steno extenuatas domestico dissidio vires resumens, ipsum Danum ad suam Danemarchiam redire coegit, breuique tempore totum regnum in pristinam libertatem restituit. Ad quod non parum cooperatus est Hemmingus Gaddus, de quo diximus. Hic enim cum Romæ constitutus audiuisset, periculosas in patria controuersias suboriri, confestim in patriam remeauit i), primamque curam adhibuit, vt Steno et Suanto, deposito omni odio, in veram amicitiam redirent. Quo facto ipse Gaddus ab vtroque in maximam gratiam receptus, meruit præcipua eorum cooperatione eligi in Episcopum Lincopensem k). Nec facile fuit Danicæ factionis hominibus, hunc triplicem funiculum dissoluere. Hic enim Lincopensis ecclesiæ Prælatus infulam galea, baculum gladio, togam pelta commutans, tam formidabilis erat inimicis, vt plus eum, quam Stenonem regni Principem formidare viderentur. Erat enim animo audax, consilio prouidus, in philosophica eruditione præcipuus et re militari instructissimus: sed parum religioni et ecclesiasticis rebus inclinatus. Hoc enim autore Steno, deposita illa eximia patientia sua, bellum in Pontifices et proceres, qui Danici Regis introductionem procurauerant, promouit, effecitque facili negotio, vt se ipsos patriæ, et patriam antiquæ restituerent libertati: humaniter quippe bella gerens, ostendit se nimis inuitum arma in ciues conuertere. Siquidem devictos Pontifices non minore reuerentia, quam antea cum liberi essent, tractabat, contentus, quod se ad vnitatem patriæ reductos faterentur. Passimque de eo canebatur: Pacere substratis est nobilis ira Stenonis.

Cap. XV. Accidit etiam eodem tempore, ipsum non paruum exercitum ad debellandum Jacobum Archiepiscopum Vpsalensem, quod Danis inclinatus videretur, coegisse: et iam ad locum deventum erat, in quo non minores copiæ pro Archiepiscopo pugnaturæ conuenerant. Tum Steno benignæ suæ naturæ memor, clam insciis proceribus ad Archiepiscopum in propinqua villa Nees apud arcem Stecham commorantem accessit l), et confestim sine arbitris cum eo in gratiam reuersus, admirabili lætitia omnes, qui in mutuam cædem parati stabant, affecit. Volebat enim potius optimus Princeps, se coram integerrimo Pontifice supplicem exhibere, quam quod tot innocentes ciues ob causam satis dubiam præsentissimo periculo involuerentur. Nec silentio implicandum est, quod alio tempore non minus prudenter egisse videtur. Cum enim considerasset, complures regni proceres fortunis ecclesiarum et clericorum incessabiliter inhiare, conuocato regni senatu, simulabat se Pontifices et Ecclesiæ autoritatem in ordinem redigere velle. Quod cum ipsi proceres magno applausu annuissent, mox vehementi obiurgatione eorum temeritatem reprehendens, inquit: Jam non miror hanc patriam nostram ad plurima incommoda corruisse: sed magis miror, quod saltem ali-

i) Hoc in æstate vel ineunte autumno anni 1500 contigit. Nam hoc anno d. 28 Junii Hemmingus Lubecæ versatur (v. Grönblad: Källor t. Finl.:s medeltidshist. p. 116), et d. 16 Octbris ex Strengenæsia ipse ad Svantonem Sture scribit, se proxime Stenonem primo post reditum in patriam adiisse (literæ in archivo regni Dan.)

k) Electio inter dies 15 et 23 Januarii 1501 facta est, quia priori die adhuc Capellanus (sc Svantonis Sture) et posteriore electus Lincopensis appellatur (literæ eodem loco asservatæ).

l) Die 5 Junii (v. Chronologiam infra in not. n. allatam) ipsa res roboratur literis Stenonis Sture, gubernatoris regni, d. 24 Junii an. 1502 Holmiæ datis, in quibus se presentibus episcopis etc. compositionem cum Archiepiscopo *vid Næs kirkie wedh Stækith* iniisse dicit (literæ originales in archivo regni).

Digitized by Google

quod Reipublicæ vestigium relictum habeamus, cum impossibile sit ipsam Christianæ Ecclesiæ autoritatem corruere, nisi totum regnum pariter collabatur. Proinde quicunque velit regnum penitus desolare, is primo in terris nostris manum apponat, vt ecclesiasticus status (qui in toto orbe Christiano suos propugnatores habet) desoletur. Præterea eius sincera in Deum fiducia, maxime ex eius literis in publicum missis, apparuit. Quippe ad omnia publica negotia sanctæ Trinitatis nomen præmittere consueuit. Tandem postquam tantam patriam tot annis tam bene et feliciter rexerat, ipsamque Danica factione labefactatam rursus liberauerat, memorabile suæ magnanimitatis testimonium ad posteros transmittere volens, Danici regis coniugem Christinam, quam in arce Stocholmensi captiuauerat, non solum summa veneratione ab omni iniuria liberam conseruabat, sed comitante tota Sueonum et Gothorum nobilitate, saluam vsque in Hallandiam deduxit, mirantibus multis, quod acerrimo hosti libere et gratis coniugem reduxisset, quæ forte ante confirmatas publicæ pacis conditiones liberanda non fuisset. Sed erat in Stenone magnus atque excelsus animus, quo didicerat vincere in bono malum: quamuis per illam suam eximiam bonitatem extrema fata sibi accelerauit. Nam in eo vltimo conuiuio, quod cum regina in terris Smalandiarum celebrauerat, pestiferam ægritudinem, qua infra paucos dies in villa Scheflingaryd m) mortuus est, contraxit, anno Christi MDIII, circa principium mensis Decembris n).

Cap. XVI. Svanto deinde nostra ætate hoc modo post fata Stenonis ad Gothorum et Sueonum regna peruenit. Cum enim Steno in loco, quem diximus, animum exhalaret, aderat ipse Gaddus Lincopensis electus, qui mox præsentibus militibus sub poena capitis comminatus est, ne cuiquam eam Principis mortem patefacerent, donec ad regiam Stocholmensem peruenissent. Si enim fama eos præueniret, non solum a regia arce secluderentur, sed omnium præteritorum annorum stipendio priuarentur. Persuasi igitur proceres et milites funus Principis quam occultissime ab eo loco vsque Stocholmiam itinere sedecim dierum deducunt, posito in eius loco viro corporis habitudine non dissimili o). Erat in media via Suanto Ostrogothorum Princeps: hunc Gaddus clanculo de Stenonis morte informatum admonet, vt sub specie comitandi Principem se in Stocholmiam conferat, facile totum Sueonum et Gothorum principatum (si consiliis paruerit) assecuturus. Grata erat Suantoni amicissimi antistitis admonitio. Perueniensque in arcem Holmensem a Gaddo et a tota caterua Princeps regni consalutatur. Quod etsi præter leges et patriæ consuetudinem factum fuisse videbatur, attamen approbante regni senatu in locum defuncti Stenonis surrogatur. Erat enim de tota patria optime meritus natusque ad res præclaras et magnificas, vtpote qui animum excelsum et regium semper et vbique præ se ferebat. Tota quoque eius familia splendida et bonis moribus ornata incedebat: nullus in ea mimus, nullus scurra. Quippe quemadmodum ipse morum grauitate pollebat, ita nullos effeminatæ levitatis homines in suam familiaritatem admittebat, sed audaces, fortes, validos et ex aliorum procerum curiis electos. Erat enim publico prouerbio receptum, quod nullus in familiam Suantonis ascriberetur, qui securi in faciem cæsus conniveret. Erat præterea in suos familiares adeo liberalis, vt sæpe vestes sibi ipsi detraheret et illis donaret. Plus enim in homines militares indulgens erat, quam in se ipsum: sæpeque in largiendis stipendiis fiscum exinaniuit. Neque enim vllam diuitiarum curam habebat, sed virtutem et gloriam sordidis diuitiis longe præferendo, potius fame periisset, quam ex incolarum iniuriis aut ecclesiarum siue clericorum spoliis victitasset, recte existimans, Suetiam adeo opulentum regnum esse, vt eius Princeps satis magnifice viuere possit, absque eo quod cogatur rapinis et sacrilegiis vitam infelicem atque infamem sustentare.

Cap. XVII. Sed silendum non est, quam acerrimo odio insectatus sit mendaces et detractores. Cum enim aliquem absenti obloqui audiuisset, iussit continuo absentem aduocari, vt detractor, qui absentem suggillauerat, coram proponerat, quæ vellet et probare posset. Quo facto optimorum ciuium innocentiam mirifice est tutatus et immortalem gloriam apud omnes bonos est adeptus. Erat præterea in delinquentes valde clemens et mitis, quamuis verba eius summam seueritatem præ se ferre videbantur. Non enim loqui sed fulminare visus est, cum milites suos neglecti officii argueret et obiurgaret: quibus etiam nonnumquam alapam inflixit. Sed continuo, quos duris verbis affecerat, mox singularibus donis et beneficiis afficere non omisit. Quo evenit, ut feliciores se putarent, qui ab eo tam benigniter reprehendi merebantur. At in templis, cum divino officio intenderet, vix minores lachrymas, quam David Hebræorum Rex effudit, ut nullus id considerans dubitare potuisset, quin totam spem suam in Deo, per quem reges regnant, collocasset. Estque a divina clementia consecutus, ut illis octo annis, quibus regnavit, nullum atrox prælium fuerit in Suetiæ incolas illatum, quamvis Joannes Danorum Rex ipsa Gothorum et Sueonum litora classe bellica non raro insiliverit, et spolia nonnulla in mari et terra reportaverit, ipsumque Moscovitarum Principem, ut Sueo-

m) Hodie Skillingaryd in paroecia Toftaryd et territorio Östbo ad ipsam viam inter Vernamo et Jenecopiam; Jenecopiæ autem Stenonem decessisse omnes ceteri auctores tradunt.

n) D. 14 Decembris. Chronicon Rhythmicum (edid Klemming III. p. 189) dicit: die Jovis, tempore Katarinæ martiris; (dies autem Katarinæ est 25 Novembris et hoc anno in sabbathum incidit). Olaus Petri: tempore Luciæ (i. e. d. 13 Decembris). Chronologia manuscripta in Biblioth. Vpsal. (*Hogenskild Bjelkes Samlingar* I. pag. 269), quæ coævo fonte usa est, habet: d. 14 Decembris; diem autem Jovis afferunt etiam literæ in nota sequenti.

o) Johannes Magni Chronicum Rhythmicum supra laudatum hic secutus est; narratio roboratur literis Hemmingi Gaddii d. 15 Decembris datis (in archivo regni Dan.)

Digitized by Google

nes impugnaret, summopere solicitaverit. Sed major erat in Moscovita pactorum et juramentorum ratio, quam quod pateretur se a Danis in aliquod nefarium bellum rupto fœdere induci. Quin potius cum didicisset Reipublicæ summam ad Suantonem, qui pridem dux belli contra Moscoviam fuerat, devenisse, solennes oratores ad ipsum in Stocholmiam mittere, et fœdera, quæ antea cum Stenone iniverat, renovare curavit p). Itaque Suanto Orientalibus Suetiæ partibus securior effectus, totas vires suas ad Occidentalem Daniam convertit. Nec diu moratus, antequam copiis ex Suetia et Vestrogothia contractis, bellum in Hallandos et Schoningianos transferre contendit, ut injurias, quos Dani paulo ante, violatis induciis, intulerant civitati Aboensi, ulciscatur q).

Cap. XVIII. Primum igitur belli impetum in propinquius Vardbergiæ oppidum movens, comperit incolas illud ob Suetïcæ potentiæ terrorem noviter vallo et propugnaculis communivisse. Quocirca ex eo loco progressus, totam Hallandiam et Schoningiam cæde, flamma, direptionibus conculcavit, exercitumque spoliis onustum et incruenta victoria ovantem reduxit. Deinde in Suetiam regrediens, negotium lacessendæ Daniæ nobilissimo Vestrogothorum præsidi Achoni Joannis imponit: qui sequenti anno in Hallandiam descendens, duas munitissimas arces, Lagaholm et Vallen r), uno eodemque die admirabili quadam celeritate occupavit occupatasque incendio consumpsit: et cum nullus contra eum in campum prodiret, nobilem virum et Regiæ arcis præsidem Mauritium Ipson s) captivatum, una cum incolumi exercitu in Vestrogothiam reportavit. Sequentibus etiam annis idem Acho continuo bellorum insultu Danos lacessivit, donec ab ipsis in terra Schoningiæ ad insidiosa loca pertractus, in floridæ juventutis ætate trucidatur t): dignus profecto, cui fata longiorem vitam concessissent. Erat enim natura benignissimus, et in re militari peritissimus, immo patriæ suæ, pro qua obiit, amantissimus. Incidit autem mors ejus in annum a Christo nato MDX. Post cujus occasum, cum Rex Danorum Joannes putaret Vestrogothiam omni præsidio vacuam esse, constituit ipsam in suam redigere potestatem.

Cap. XIX. Collegit igitur tam ex Danis, quam Saxonibus et Vandalicis civitatibus prævalidum exercitum, quem filius ejus Christiernus Vestrogothorum terris majore apparatu, quam felici bellorum successu invexit. Suanto enim, quamvis magno et potenti exercitu succinctus, ex Suetia in Vestrogothiam Christierno congressu(ru)s descendisset, attamen a pugna prudentius abstinens, retro ad sylvam Tiveden abiit, sperans se Christiernum ad insidias perducturum. Sed Christiernus nihil minus cautus, a Vestrogothia per Smalandos ad Ostrogothiam ire contendit. Ostrogothi autem, quos imparatos putabat, maxima multitudine ad arma consurrexerant. Quod cum Christierno, dum in oppido Junacopensi moram traheret, nuntiaretur, subita fuga in suam Daniam remeavit u). Nec longe post Cæsareæ civitatis Lubicensis senatores, cum compertum habuissent Danos tam potenter a Gothis profligatos, expedita ad Suantonem Principem legatione, opem contra Joannem Danorum regem postulabant v). Ad quam quidem legationem, cum in Gothorum ac Sueonum senatu proposita esset, Hemmingus Gaddus Ostrogothus, ecclesiæ Lincopensis antistes, palam omnibus respondens, peroravit: cujus quidem orationem in calce hujus voluminis annectendam curavi.

Cap. XX. Obtinuit enim eadem oratione, ut Sueones cum Lubicensibus et Vandalicis civitatibus statim confœderarentur. Estque bellica classis pro eis contra Danos ex Suetia sine mora expedita x): cui idem Hemmingus Gaddus Principis et senatus decreto præfectus, tanto animi ardore bellum in Danicam gentem assumpsit, ut nihil unquam suæ fortunæ felicius accidisse fateretur. At cum educendæ classi invigilaret, literas Jacobi Archiepiscopi Vpsalensis celerrimo nuntio allatas accepit: in quibus sic scriptum fuisse memoratur: Sincerissima salute præmissa. Orationem illam, quam R. P. V. nuper in senatu regni contra Danos et pro Lubicensibus eorumque confœderatis proposuit, cupide ad nos mitti postulamus. Nec minus gratum esset nobis, illas Saxonis Danici historias quantocyus videre, ut ex eis sufficientius informari possimus, quomodo de cætero a Danorum artibus nos nostramque Rempublicam prudentius præservare et tueri valeamus. Valete. Ad quas quidem literas Gaddus æque brevi Laconismo in hunc modum rescripsit: Sincerissima reverentia præmissa. Orationem illam non tam pro Lubicensibus, quam pro nostra Republica factam, tradidi serenissimo Principi: is eam, cui voluerit, permittet. Saxonis Danici historias apud præfectum curiæ meæ in Lincopia Dominum Torchillum præbendatum deposui: cui etiam præcipiam, ut nuntium Reveren-

p) In autumno anni 1505; v. Allen, de tre nord. rigers Hist. I. 368 et 667, not 22. Cfr. Grönblad: Källor t. Finlands Medelt. Hist. pag. 244 et 245.

q) Expugnata est civitas Aboensis anno 1509 in nocte inter d. 2 et 3 Augusti. v. Allen l. c. pag. 429. Nullam autem incursionem Svantonis in Hallandiam vel Scaniam neque ante neque post hoc tempus nobis cognitam habemus. Forsan incursiones Svantonis in Blekingiam annis 1506 et 1507 animo scriptoris obversabantur (cfr. Allen l. c. pag. 378, 668 not. 32, 392 et 393), quod ex eo affirmatur, quod paulo post dicit, Aconem Johannis *sequenti anno* in Hallandiam irrupisse; hoc autem anno 1507 contigit (Allen l. c. p. 393).

r) Predium equestre in territorio Högh.

s) Lege Jepsson.

t) Anno 1510 d 27 Augusti apud Fantehullet in paroccia Örkelljunga et territorio Norra Åsbo; v. infra excerptum e Serie regum Daniæ a Magno Matthiæ conscripta).

u) Hæc irruptio Christierni an. 1511 in mensibus Jan. et Febr. facta est (v. Allen l. c. pag. 552—555).

v) Seriem temporum scriptor hic quoque perturbavit. Legati enim Lubecenses in Sveciam missi sunt et anno 1509 pluries, ut pacem nostram cum Danis (quæ demum d 17 Augusti Hafniæ inita est) impedirent (Allen l. c pag. 507) et anno 1510 in mense Julii, postquam bellum erat redintegratum (l. c. pag 534).

x) Sc. in vere vel æstate anni 1510.

Digitized by Google

diss: P. V. ipsas, cum illuc venerit. libere transcribere permittat. At mea commentaria, quæ tam de Sueticis, quam de Danicis antiquitatibus longo tempore collegeram, usque ad meum in patriam reditum, in abditis repositoriis conservari mandavi. Felicissime valete Pater Reverendissime. Extant præterea complures aliæ orationes, quas idem Gaddus tam in patria, quam Romæ apud Summos Pontifices, præsertim Alexandrum sextum pro patria sua et contra Danos peroravit. Erat enim orator non parum vehemens et multa audens, utpote qui aliquando coram eodem Alexandro Papa in pleno Cardinalium Consistorio universos Danos, nullo excepto, canes rabiosos appellaverit, quod fœdus cum schismaticis Moscovitis contra Christianissimos Suetiæ incolas pepigissent. Sed nunc his omissis ad expeditionem bellicam, cui Gaddus præerat. me convertam. Is enim fere ad medium lustrum pro patria militans, nunc Danicas insulas vario bellorum apparatu vexabat, nunc civitates Vandalicas ut socias et amicas visitans, quietem a bellicis laboribus captabat. In Lubicensium autem conversatione plurimum gavisus, diuturniorem apud eos mansionem elegit. Deditque operam periclitantibus patriæ rebus, ut ex turbatis tranquillæ fierent et felices, cum interim Ioannes Brascho Præpositus Lincopensis ecclesiam Lincopensem (eo a sede Episcopali excluso) occuparet. At pugnax in Gaddo animus plus bella quam Pontificias infulas curans, se totum in vitam et militares mores conjecit. Nam classem Sueticam cum Lubicensi conjungens, impetuque in Daniam facto, damna plurima innocuæ plebi inferebat. Eodemque tempore ipse et Lubicenses Lalandiam et in ea monasterium divæ Birgittæ y) incendiis et direptionibus vastaverunt, affirmantes se illis paria referre, quæ Dani nuper in terram Finlandiæ commiserunt. Putabant quidem Sueci ea Lubicensium confœderatione se satis securos: sed cum illi seclusis vel inconsultis Suecis, denuo in Danorum amicitiam consensissent, occasionem præstiterunt pertinaciori inter Sueones et Danos hostilitati: quæ utique in publicam Aquilonarium regnorum perniciem emanasset, nisi futuri belli strages, quam Suanto in Danos meditabatur, ejus præmaturo fato intercepta fuisset. Evenit autem hujus optimi Principis Suantonis mors in principio anni a Christo nato MDXII z) in civitate Arosiensi: in qua etiam sepultus, nominis sui gloriam ad posteros transmisit immortalem.

— a)

Liber XXIV.

Cap. I. Steno Sture junior præmortui Suantonis filius, post patris funem [ɔ: funus] difficulter ad paternum principatum pervenit. Erant enim in comitiis Stocholmensibus b), quæ pro constituendo Principe celebrabantur, multæ et variæ ac penitus contrariæ senatorum sententiæ, quibusdam asserentibus operæ pretium fore, Regem aut Principem aliunde accersendum, quibusdam id nequaquam Reipublicæ expedire dicentibus, sed ex procerum senatu juxta majorum decreta et patriæ consuetudinem assumendum. Quo factum est, ut nobilissimus Sueonum Ericus Trolle a magna senatus parte Princeps designaretur c). Erant in hoc Erico plurimæ partes, ob quas non solum Princeps, sed Rex creari meruisset. Nullus enim juste negare poterat, quin moribus esset integerrimus et in rebus gerendis prudentissimus: immo, quod rarum in nostræ ætatis nobilibus esse solet, eximiam in divinis et humanis legibus eruditionem cum summa laude et multorum annorum studio sibi comparaverat. Sed hæc omnia non tantum ei prodesse poterant, quantum illi oberat, quod Trollorum familia publicum patriæ odium ob Danicæ factionis studium contraxisset. Habebat enim hæc familia non parvum apud Danos numerum prædiorum: quæ ne amitteret, Danorum partibus studiosius, quam utilius inserviebat. Quo circa Vincentius Episcopus Scarensis, cæterique Prælati et proceres, qui se magis Sueticæ, quam Danicæ Reipublicæ debitores considerabant, eam Erici nominationem magno consensu cassaverunt, affirmantes se nulla ratione induci posse, ut aliquem sibi præficiant, in quo etiam minima Danicæ factionis suspicio inveniri possit, præsertim cum nullo unquam tempore Danicæ originis homines Sueticis rebus fideliter atque ex animo consuluissent. Tanta etiam est in Sueonum et Danorum moribus disparitas, ut qui eos conjungere velit, nimis imprudentem aut contra patriam insidiosum se esse probabit. Sed de his alibi, nunc ad comitia Stocholmensia redeamus: in quibus Steno, tum ob paterna merita, tum etiam quia patriæ amantissimus habebatur, a majore et saniore senatorum parte Gothorum Sueonumque Princeps efficitur. Eodem anno Christi MDXII, quo pater viam universæ carnis intravit, incidit inter hunc Stenonem et Gostavum præfati Erici Trolle filium, Archiepiscopum Vpsalensem, discordia nimium perniciosa d): ob quam non solum illi duo, sed tota patria ad extremam ruinam devenit. Erant ambo juvenes, ambo illustrissimo sanguine nati, ambo vehementis spiritus: sed Steno justior et modestior in sua causa videbatur, utpote qui legibus ecclesiasticis et bonorum virorum arbitrio se parere velle affirmabat. Fecitque Gostavum tam per Leonem Papam X quam per regni Suetiæ Pontifices sufficienter admoneri, ne patriæ tranquilli-

y) Maribo vocatum. De ipsa re cf. Allen l. c. pag. 686 not 14.

z) "Da hen effter nyåret" i. e. die 2 Januarii. Olaus Petri (ed. Klemming), pag. 303. Chronicon autem Rhytmicum (ed. Klemming, III. v. 5693 et 5792) dicit eum obiisse *ephter jwla högtiid siwnde dag* i. e. die 31 Decembris et sepultum *tionde daghen ephter jwlen* i. e. d. 3 Januarii.

a) Hic sequitur oratio Hemmingi Gadd, quam infra seorsum imprimendam curavimus.

b) In his Steno gubernator regni eligitur d 23 Julii anno 1512.

c) Hoc ante comitia Stockholmensia contigit.. Jam enim in mense Januario Ericus Trolle, a senatu in Arbogis collecto gubernator institutus, hoc titulo utitur (cfr. Allen l. c. II. p. 167).

d) Gustavus Trolle demum anno 1514 archiepiscopus electus est, neque ante annum 1516 inimicitiæ publicæ eruperunt.

Digitized by Google

tatem tolleret aut turbaret. Sed durior erat in Archiepiscopo animus, quam quod permitteret sibi aliquam concordiam persuaderi cum Stenone, qui patrem Ericum a tam amplo principatu seclusisset: spemque maximam in Danorum Rege Christierno se reponere ostendebat.

måltiden war giordh i sorg och bedröffuellse, tå kom itt budh och sade att Biscoperne aff Stregnes och Skara leddes vtt fongna vttaff Slottett, huilckett nähr wij hördett begynte wij alle att skelffua och föllo i stor reddughet, tå suarade Bis[c]op Bellenack som thå war nähr och sade: Thett ähr icke mögeligedtt, att hans K. M. dierffues att giöre nogedtt ondtt på sådane menn, huarföre ähr sådane löngn och skualler intett troendes, aff huilcke ord wij finge och nogen lise, effter then gryme tidende oss bleff först buden; nogedtt ther effter kom ther enn igen med samme thiende som tilförende; tåå suarede Biscop Bellenacke, att thet skulle sannerlige intet wara. Tridie gången kom ther enn tysk Magister benemd Mester Hindrich m) och ropade med gråtande ögenn och sade att thet ähr nu i thet nästa, att the skulle recka theress halss vnder suerdett. Tå bleffue wij alle hordelige bedröffuade aff osäielig sorg och reddogett och löpo vtt hastelige alle tilhope först Biscopen n), att the wille alle gå thill Konungen och förhindra, att han skulle sådane oredelige och grymme gerning, som han hade lenge betengdtt, icke fullkompna. Tåå mötte oss then omilde man och blodgirige meniskie mester Dirich, full med suick och allahanda onsko, huilcken som och war orsack och dichtare med then omildeste Konungen till altt thet onda, som nu försagdt och skett ähr, och sade först påå sijna tyskoo och repeterade thet på latino med sådane ordh: Seer I och well till och betrachtar thenne p) her, att I icke förgåss med the andre förredere. Nähr wij thet hörde, tå bleff all menighetten bekymratt med sorg och redhoga och icke dierffdes gå länger fram före att förbenemde Mester Dirich q) och droge sig alle till thet same rum, ther the thillförne woro och bleffuo ther then dagen och natten ther inne in till annen dagen, bidiandes innerliga till Gudh medh gråtande tårar, att Gud allzmechtigeste wille werde sig att frelse sigh aff thenn slemeste dödzens wåda som the räddes vndergå med the andre, huilckett och såå skedde samme dagen, nähr klockan war widh itt thå ginge wij aff Slottet loffuandes och hedrandes Gudh och hans helgon [som] oss frelste aff alle grymeste Konungs tyranij och omildhett Men huilcken grymhett theres förmalediede r) hender och becklagende leppar bedriffuo öffuer the werdige Fäder och oskyldige Biskoper, Herrer, Edlemen, Riddere, Borgmestere och andre redelige s) Borgere och men som well wore alle ähre och dygdh werdh, nähr the them vtledde, huem kann thet nogen tidh förtelie; på thet siste läthe t) the them halshugga och icke war äntå theres onsko fullkommen, att the döde kroppar lågo welthe i thräckenn och theres egenn blodh, vtan mente äntå, att the woro ouerdige begraffuas och lätte så förbrenne allas förbemälte döde kroppar med strenge herres her Stens leckamen, huilcket som war lagligen begraffuet effter then helige kyrkiones seduenio, sameledes hans H[erra] D[ömes] barnn nepligen 7 dager gamaltt aff sijnn graff opreffue, hnilckett the och med slick stor vanheder lätho förbrenne. Huad ther mer ähr skedtt änu [ɔ : än nu] schriffuit ähr thet må the opfylla u), som thå woro medh i Rådett och Rätte och i allahanda handell ther till besynnerlige vtualde.

m) Hunc Mag. Henricum Slädorm fuisse existimaverunt priores editores. Mirandum tamen est, virum qui Upsaliæ præceptor Gustavi regis fuerit (v. Historiam Gustavi primi a Petro Nigro) et forsan professor Upsaliensis (Peringsköld: Monumenta Ullerakerensia pag. 239), a canonicis Upsaliensibus tamquam hominem ipsis paullo notum memorari. n) Sine dubio Johannes Braskius episcopus Lincopensis hic respicitur. o) Slagheck, notus ille familiaris Kristierni. p) Pro: *thette*. q) Corruptus locus: Forsan excidit: *hindrade* vel *hotade*. r) Vox est deformatio verbi: maledicere. s) Sic H. Bjelke; antea scriptum erat: *richelige*. t) Sic H. Bjelke; antea legebatur: *ledde*. u) Hæc verba *lätho . . . opfylla* in priore editione erant omissa.

Digitized by Google

XII.

CRUDELITAS CHRISTIERNI SECUNDI A JACOBO ZIEGLERO DESCRIPTA.

Hoc opusculum Ziegleri reddidimus secundum editionem, quæ libro Alberti Krantzii, *Regnorum Aquilonarium Chronica* inscripto et anno 1583 Francofortiæ impresso annexa ibi paginas 498—503 complet. Bis jam antea quidem hæc narratio typis est excussa, majori operi geographico Ziegleri inserta, quod annis 1532 et 1536 sub titulis nonnihil diversis impressum est (in editione anni 1536 Argentorati facta inscribitur: "Terræ Sanctæ . . . et Schondiæ descriptio"; cfr. Warmholtz: Bibliotheca Hist. Svio-Gothica I. n. 185). Quia exemplar editionis anni 1532, quod possedit Bibliotheca Upsaliensis, mutilum est in nonnullis locis (folia, quæ Crudelitatem Kristierni continuerunt, sunt descissa) hic editionem Wolfii an. 1583 factam, ut diximus, sequi coacti sumus.

Quibus ex fontibus historiam hauserit, Zieglerus mentionem non fecit. Maximam autem partem ex literis senatus Suecici continuo post electionem Gustavi primi (d. 6 Junii 1523) promulgatis (impressæ sunt in: *Gustaf I:s Registratur* I, pag. 66 seqn.) Zieglerus sumsit: quas sæpe ad verbum reddidit. Fortasse etiam nonnulla a Johanne Magni, archiepiscopo Upsaliensi et Petro Magni, episcopo Arosiensi comperit, quos ipse illo tempore, quo Romæ commoraretur (anno 1523 vel paulo ante), privatos amicos et secum conjunctissime conversatos fuisse dicit (vide præfationem ejus *Schondiæ* prefixam, quæ in editione anni 1532 legitur).

Libellus ante exitum anni 1531 manifeste compositus est, quia scriptor expeditionem Kristierni in fine hujus anni versus Norvegiam factam non memorat.

Christierni Secundi, Regis Danmarchiæ, crudelitas perpetrata in proceres Sueciæ et populum Holmensem.

Præfatio.

Urbium et populorum clades ab hostili manu perpessas et tyrannorum iniurias in cives multas et memorabiles legimus per omnem historiam, tam magna miseratione erga afflictos, quam summo odio in illos, qui suo scelere maleficia in obnoxios exercuerunt. Sed nulla atrocior a memoria historiæ accidit, quam his annis Suecis et Stokholmiæ, regiæ eius gentis urbi. Aliis inter obsidendum induciæ profuerunt, mutui congressus liberi fuerunt sine maleficio: si pacta inita, si icta fœdera, hæc sancte servata sunt: si urbs autem expugnata, sævitum in fortunas iure victoris fuit, et in ætatem præcipue, quæ arma ferret et nocere parata esset neque quietura, donec incolumis foret. Videlicet repensum fuit, quod passuri erant victores fortuna inclinante. Quod si incendio et cæde omnia miscerentur, hic aut proditio, aut defectio, aut grave aliud flagitium obsessorum præcesserit, quod hostem irritaret et faceret pene iustum. Tyrannorum etiam violentia (de exemplis dico gentilis historiæ) in paucos cives, qui inculpata undiquaque vita essent, ita deliquit, ut sine venia debeant criminari. Qui enim pœnis subiecti fuerunt, si in eadem statione ipsi fuissent (quo erant ingenio) similia aut funestiora edidissent in cives. Repetamus a Tyberio ad Maxentium (quem Constantinus imperio depulit) historiam Romanam: quicunque in capitis discrimen adducti sunt, iidem fere sub alio domino capita civium detulerunt, sive palatinos fumos vendiderunt, sive iudicia corruperunt: vel ubi scelere publice carerent, tamen domi in servitia supra barbarum morem sævierunt: servitia diurna opera in agro attrita in ergastulis habuerunt, nuditate et fame afflixerunt, infirmos tecto protruderunt, in vias abiecerunt: alios ob levem offensam barbaricis notis inusserunt, in arenam produxerunt feris laniandos, totis theatris voluptatem domesticorum sanguine præbuerunt. Tales quid crudelissimi tormenti exciperent a Tyberio et Caligula et Domitiano, quod non essent meriti propter admissum alias scelus in humanum genus? Innocentes vero habiti sunt eatenus, quod præsentis accusationis rei non essent: tyrannique sub hoc in inuidiam crudelitatis adducti sunt, quia non ob conscientiam nocentioris vitæ vindicandæ, sed per scelus ipsi quoque cædem facerent. In cætera ei patellæ hoc operculum congruebat. Populus victor, frequens sedit totis theatris, exhibuit sibi sub eodem spectaculorum die paria CCC. gladiatorum, feras, leones, ursos, pantheras et indomitos boves eodem numero, quos se mutuis vulneribus con-

Digitized by Google

ficientes videret ad voluptatem. Captivos quoque adductos ex devictis provinciis, domi honeste natos, suis fortunis præter cuiuspiam iniuriam fruentes, iure autem gentium pro libertate patriæ, incolumitate fortunarum saluteque parentum, uxorum et liberorum pugnantes, et triumphatos circumduxit in catena. attraxit in arenam, obiecit cruentis feris, aut coegit in mutuas cædes. Hic ille populus spectator, qui humanum sensum exuit seque ad omnem immanitatem obfirmavit, neque satis pœnarum sumptum sibi a victis credidit per considerationem, quod miseri patria carerent, fortunis exuti, exarmati et ad reliqua innocui essent, qui in gravi catena constricti male præterea cruciarentur, pro uxore et liberis distractis, pro pudicitia violata, pro salute omnium desperata: quoniam et vitæ et necis ius situm penes alienum dominum nossent. Idem qui nihil tantorum malorum recordatione ad miserationem in reliquum moveretur, quin imperaret magis laniationem fœdum in morem, quid immeritum et sua indignum virtute sustineret sub Caligulæ quamuis atroci voce? vel sub Commodi milite prætoriano, qui in theatrum immissus, populum funestæ et iuxta barbaræ arenæ spectatorem propulsavit, terrore et fuga tumultuantem involvit, ut plurimi obtererentur? Fatebitur, quicunque mores pro æquo expendet, crudelitatem omnem tyrannorum fuisse mitiorem obliuione tanta naturalis iuris et carnificina (communi applausu theatri) admissa in genus humanum. Ista commemorarim non equidem pro voluptate insectandi, sed necessario exemplo: unde inter populos etiam eadem passos interque tyrannos eadem agentes discrimen fieret atrocitatis facti. Non enim conueniat ita factum referri, ut arbitrio legentis stet, qui immerentis casum, ex nocentis exemplo spectatum æque leviter ferat. Ergo is intelligat, populum unum Holmensem purum sceleris, nihil in vita admittentem in genus humanum, non in ipsum hostem Danum (ut quem se obsidentem pavit in dura fame) quocum fœdera icit, quem ultro in urbem admisit, regem prope constituit: eum populum sub Dano sacramenti et religionis desertore, dextræ datæ et syngraphi conscripti, iuris divini et humani eversore, pertulisse mala, qualia nullus præterea populus omnia simul, sed alius aliud malum, et idem aliud alio tempore passus sit. Huius calamitatis ordinem narrare institui: existimans idem solatio futurum populo Holmensi, si is videat, Danum, qui hæc perpetravit, ferre infamiæ suæ notam ad posteritatem: usui etiam plurimum reliquis profuturum, si qui similia facere in obnoxios possunt, iidem unius publica execratione deterreantur, quum viderint tyrannidis memoriam durare post funus, referreque acclamationem, ut humani generis hostes, Deo et homine approbante, æternum damnentur.

Reges Danmarchiæ sepe alias regnum Sueciæ armis tentarunt, cupiditatem faciente ipsis vicina Nordvegia, quam olim factione et armis oppressissent: pulcherrimum fieri existimantes, si totam continentem (quam Schondiam dicunt) sub unum imperium contraxissent. Invitabant præterea eadem quæ cæteros mortales, domi opes minime insignes, Nordvegia a se exhausta, Suecia autem et Gothia integræ adhuc, plenæque argenti et æris. Ita aliena felicitas magnum his studium iniecerat quærendi opes ex alieno. Hoc domesticum exemplum secutus Christiernus secundus, rex Danmarchiæ, Sueciam armis occupare annisus fuit. Verum ubi Suecis in eadem consilia hostis propulsandi concordibus, videt bellum futurum multo gravius suis viribus, ad artes conuersus (quales illi ubique supererant) factionibus dissociare Suecos laboravit: ergo solicitat quoslibet seditiosos, qui genere, opibus et ingenio improbo valerent. In his se principem gessit Gostavus, titulo quidem archiepiscopus Upsaliensis, verum neque ætate neque integritate vitæ par ei professioni. Is anno a nata salute Christiana MDXVII partes Dani curare aggressus aperte fuit, tantisque animis, ut opes domesticas, gratiam apud cives, pietatem in patriam, religionis statum, ipsamque vitam suam proderet pro peregrino domino constituendo. In eum eventum munit arces, cogit occulta consilia consciorum, plures ad defectionem perducit.

Huius conatus persentiens illustris princeps Steno Sture, idemque præses regni Sueciæ per interregnum, archiepiscopum compellat, monet et maiorum malorum timore deterret, ut desistat inceptis. Sed is neque iustis postulationibus, neque reverentia in patriam dimoveri a sententia potuit. Quam hominis perversitatem Steno cognoscens, movet arma et obsidet episcopum in arce Stecho a). Danus quum per nuncios intellexisset, quanto in periculo esset socius, legit domi militem et navigatione celeriter confecta, properabat impedire obsidionem. Quo loco pugnans cum Stenone superatur b): ita concisis copiis et deserto Episcopo rediit in Daniam. Episcopus cernens res suas desperatas, Stenonem in colloquium vocat, permittit se arbitrio ducis: se ecclesia Upsaliensi et publica functione cessurum, se privatum posthac futurum et quaslibet conditiones admissurum spondet, tantum ut sibi patria ignoscat. Videbatur illud ex animo, velle: et atrocitas proditionis ea fuerat, ut omni profligatæ conscientiæ posse inducere pœnitentiam videretur. Sed erat (quod sequens historia ostendet) fictio ex præsentis periculi necessitate adornata. Ergo annuit princeps supplici, eatenus quod omittit oppugnationem: verum causam permittit integram cognitioni con-

a) Lege *Stek* vel *Almarstek*, hodie dejecta arx in itinere maritimo inter Holmiam et Upsaliam. b) Sc. anno 1517 apud *Vädla*, prope septentrionale suburbium Holmiæ (cfr. Allen: *de tre Nordiske Rigers Hist.* II, pag. 566, not. 13).

Digitized by Google

uentus regni. Hic cognitum fuit, archiepiscopum per leges patrias excidisse fortunis et vita: tamen per publicam indulgentiam utrumque illi donatum. In cætera autem ita decretum fuit, ecclesia Upsaliensi abstineat, reliquamque ætatem apud agrum paternum privatus vivat.

Danus hoc secundum incommodum accipiens, videlicet caput totius factionis suæ exarmatum, nec superesse alium qui vicarium bellum administret, rem gerere apertis viribus cœpit, conscribit magnum exercitum ex milite domestico et peregrino, et in Sueciam transportat, et obsidione cingit Holmiam regiam. Urbs est insignis magnitudine, ad sinum Finnonicum (quem paulum deflexa voce Vennedicum veteres dicunt) in circumfluentibus paludibus sita. Mare etiam ei se multa parte infundit, ita ut situm assimilem habeat Venetiarum. Ergo hanc natura et munitionibus, ciueque et conducto ex agro milite munitissimam expugnare, obsidionem quoque diu sustinere posse desperabat. A pabulatione enim prohibebatur per militem Suecum, etiam laborabat miles fame tam acerbe, ut ad cibos infames fuerit compulsus. Duo prope menses transierant ab aduentu in Sueciam c), quod omnibus incommodis conflictabatur, nec reditus in Daniam dabatur, adversantibus ventis. Ergo omnibus consilijs exclusus, quæ manu et virtute impetrasset, conversus ad dolos petit inducias bello. Steno, ut excelso animo erat, concedit inducias: facit præterea exemplum clementiæ et munificentiæ in hostem, prope singulare in omni historia: mittit in castra multa iuga boum, unde confectum fame hostem sublevaret. Danus sane existimans hominem, qui tam benigno affectu tamque indulgenti natura esset, eundem et esse ingenio simplici et minime suspicaci, simulat precipuum favorem in Stenonem et se ostendit percupidum visendi principis et colloquendi: ad hocque impetrandum mittit in urbem obsides, atque eo prætextu evocat in castra Stenonem ad colloquium. Is plane venit in sententiam Dani colloquendi, haud quaquam satis exercitatus ad eiusmodi fraudes deprehendendum: iamque properabat ad manifestum exitium, nisi senatus Holmensis intercessisset d). Danus ut vidit hac non successisse dolos, aliam fraudem confingit. Se ait accessurum in urbem, modo impetret obsides salutis suæ. Hic vero Steno persuasus, deligit nobilissimos ex iuventute: in quibus fuit illustris Gostavus Erichson, quem hodie felicissimum regem Suecia habet. Hi se permittentes fidei et syngraphis Dani, ad naves veniunt: quos is conprehensos in vincula conjicit, atque mox in altum provectus in Daniam cum preda enavigat. Illic Gostavus unus illustrissimus obsidum, furcam ante hospitium paratam sibi et plures mortis imagines comperit vitamque habuit in omne momentum suspensam. Tamen clarissimis historiæ exemplis (quibus maximi sæpe reges per desperatos casus venerunt ad regna) iisdem et Gostavus servatus a providentia venit ad regnum.

Post hanc fugam quievit Danus annos quatuor e), quibus opes et militem confirmavit. Quibus ubi curatum satis putavit, mittit exercitum in Sueciam. Steno celeriter occurrit paratis copiis suis, pugnaturus priusquam hostis a iactatione maris confirmaretur f). Fit pugna, in qua dum præses primas in acie partes obiret, occiditur, corpusque refertur Holmiam. Fuit tanti principis cædes patriæ quam suo maiore detrimento. Tunc enim factiones inter primates Sueciæ recruduerunt: et sub discordia potentissimus Suecorum exercitus dissipatus est, et Danus ad interiora Sueciæ ex sententia penetravit. Tunc etiam Gostavus episcopus, occiso proditionis suæ vindice, provolavit ex latebris in quas damnatus fuerat: ecclesiam Upsaliensem repetit, hujus opibus se confirmat contra patriam. Quos suorum sucessus ut Danus accepit, venit etiam ipse ad exercitum et contractis omnibus viribus pergit rursus Holmiam obsidere, non quia capiendam armis speraret, sed exspectaret occasionem unde illam insidiis circumveniret. Erat in urbe Christina, vidua ab interfecto marito Stenone: hæc principem locum adhuc retinebat. Hanc hostis solicitat ad honestas conditiones, nihil non suscepturus, quodcunque pactorum proponeretur. Christina et senatus Holmensis respondent, populo Holmensi non opus esse aliquibus conditionibus, qui liber sit et suo iure vivat sitque armis longe potentior: tamen se admittere conditiones æquas, quo pax in reliquum sit. Deinde capita proponunt conventæ pacis, rex patrias leges sibi inviolabiles servet, civium libertatem infractam velit, offensas remittat omnium qui arma contra susceperunt. Danus ut fidem certissimam faceret, se hæc capita rata habiturum, addit longe etiam plura, plena moderationis et clementiæ in populum Holmensem. Itaque convenit, interponitur religio sacramenti, syngrapha conscribuntur, et adhibentur omnia instrumenta, quibus pacta et fœdera publice suscepta ad posteritatem communiuntur.

His artibus persuasi cives hostem intra mœnia recipiunt, autoritatemque urbis secuta est multa pars regni. Hactenus esse legitimus rex credebatur: et Danus in suscepta dissimulatione duravit, donec se et militem recrearet et arcem communiret. Nec diutius moratus, vocat ad consilium Danos, aperit eis voluntatem cædis patrandæ in cives: rationem quærit, quemadmodum cædes facta putetur se ignaro et invito.

c) Recte, cfr. supra pag. 30 et 31. In literis senatus an. 1523 (v. præfationem) legitur: per sex septimanas. d) Ita etiam in literis senatus. In literis circiter viginti annis post eventus scriptis dicitur: *för någre farlige ordh skyldh, som Bispen ij Wiborgh her Hans, her Anders och her Claus Bilde för stakot tidh tillforenne ij Stochholm hadhe låtith sig undfalla . . . bleff thett affslagett* (vide: *K. Maj:ts och Suerigis Rijkis besuäringh motth Danmarck;* manuscriptum inter Collectanea Hogenskildii Bjelke in Bibliotheca Upsaliensi, Tom. II fol. 474—483; descriptum anno caret, sed ipsæ quærimoniæ paulo post annum 1537 sunt conscriptæ). e) Lege: duos, vel accuratius: unum et dimidium annum. f) I. e. soluta maris glacie navibus uti posset.

Digitized by Google

Fuerunt quibus placeret seditionem quasi militarem excitari in urbe: sic posse censebant fortunas diripi et necari cives, ut integrum regi sit dissimulare imperatum scelus. Non placuit ea sententia multis. Nam per seditionem excitatam liberum fieri aiebant etiam civi resumere arma: quod si fieret, Danos primos futuros in desperatione salutis g). Magis id placere, ut rex publice convivia instituat per omnes ordines: eos vero qui potentia et nobilitate præirent, vocaret in arcem: ita specie benevolentiæ coactos et hospitali iure securos sibi fieri, obiectos arbitrio regis. Probavit Danus consilium, etsi a dissimulatione priori excludebatur sceleris imperati. Instruit convivium pro regio luxu, ipse se effingit ad omnem speciem comitatis et hilaritatis. Sueci idem et ex animo faciunt, ignari quod impensas forent hospiti sanguine suo soluturi. Triduo toto excepit conuiuas eodem apparatu. Iamque aderat dies cædi destinatus, quum immittuntur satellites et comprehendunt conuivas, conjiciuntque in carcerem in diem sequentem. Portæ urbis communiuntur, præsidiaque intus per regiones disponuntur contra civilem vim: tubicines autem a prima aurora iussi edere terrificum clangorem per totam urbem. Milites iussi adesse graves armis, et qui studio se efferarent in truces vultus: deinde hostili fremitu et armorum concussione timorem omnibus incuterent perdendæ urbis. Videre etiam erat tormenta ænea, disposita tota via quæ ab arce ducit ad forum, quasi privata et publica continue deiectura mixturaque ruinas cum civibus.

Species erat plena rerum mortalis formidinis, et omnes pendebant dubii ad imperium Dani, quum regia repente aperitur, et producuntur duo episcopi, Vincentius Scharensis, et Matthias Strengenensis inter medios carnifices, non quidem quiete, ut possent meminisse (quod ait poeta) *Quæ sit fiducia capto:* sed velluntur, truduntur et retruduntur. Hi vero, ut viros graves et sua dignos professione decebat, nequaquam gerebant vultum abiectum, sed modestum ad venerandum oris habitum. Ubi ad supplicii locum ventum est (hæc area erat ante consularem domum) episcopi orant fieri sibi potestatem sacerdotis, cui faciant exhomologesin, qui his negatus est. Sed abjiciuntur carnificum manibus in pavimentum atque prostrati truncantur capite, pleni sancti desiderii offerendi animas suas expiatas Deo. Post hos proceres producuntur, quicunque pro patria asserenda se strenue gessissent. Inde ab arce trahitur senatus Holmensis et totus trucidatur. Proponitur postea tabula proscriptionum. Hic satellites discurrunt per urbem et proscriptos perquirunt: qui omnes protracti fuerunt, nam in urbe clausa remedium fugæ nullum erat. Trucidatis omnibus qui designati erant, fit impetus per militem in promiscuam plebem, quæ ad crudele spectaculum confluxerat, et passim cæditur. Inuaduntur quoque domus, et inermia corpora ad carnificinam attrahuntur.

Quum vero ad hunc tumultum plurima pars civium sese in obscura loca abiecissent, et sentiret Danus plurimum deesse crudelitati suæ, proponit edictum e domo consulari: quo continebatur impunitas omnium. Ibi infelices cives (toties quamvis decepti) se credunt mendacibus edictis et prodeunt in publicum. In quos priore exemplo immittit satellites, et fit cædes toto die et usque in noctem: sequentibus etiam diebus continuis reliquiæ cæduntur. Et ne nullus novo mortis genere absumeretur (hoc enim statuerat animo suo Danus, ut perfidia et sævitia superaret omnes et qui fuissent et qui post futuri essent) corripit quendam Ioannem Magnum h): quem suffixit cruci nudum membris omnibus. Is diu de cruce locutus, suam innocentiam Deo permisit, multa etiam ad cives questus de statu rerum, quo Danum irritavit. Quare misit satellites, qui virilia abscinderent: quæ abscissa, proiecta sunt in faciem pendentis. Latus postea est transuerberatum tam vasto vulnere, ut manibus rimarentur cor, quod extractum et ipsum abiectum est in faciem mortui. Nulla humani ingenii vena tam dives est, nullaque oratio apposita satis reperiri potest, quæ hanc saltem ex omni reliqua crudelitate particulam digne insectetur. Tyrannus supplicium, quod consensu humani generis abolitum, ob Christi servatoris reverentiam (qui id tormentum conspiratione impiorum pertulisset, quod ignoratum mille annis fuit, quod Turca (Christi quamvis implacabilis persecutor) vix uno et altero exemplo in Christianos hac ætate in imaginum exprobrationem expendit: idem supplicium tyrannus, qui dici hactenus Christianus voluit, revocat ad pœnam innocentum, nihil in religionem et leges delinquentes?(!) pugnantes autem sub imperio patriæ contra hostem alienam possessionem invadentem? et quod ipsum is nunc ignoverat? quod ipsum et cives novo merito deditionis redemerant? si quod benefactum, si quod syngraphum aut sacramentum, si qua dextra data, plus perfidia, sævitia et contemptu religionis apud tyrannum valuissent. Is Ribingam familiam præcipue est persecutus, adeo ut quum deesset iam cædi firma ætas, ad impuberes sit conversus: quos comprehendit et coma constricta in nodum, suspendit a catasta et immisit spiculatores, qui cervices puerorum præscinderent, truncis corporibus decidentibus in terram i).

g) Zieglerus verba literarum senatus aliquid mutavit. Tale consilium propositum et rejectum fuisse, narratur etiam in quærimoniis Gustavi primi supra not. d. laudatis. h) Magnus Joannis apellatur in literis senatus (pag. 73), ex quibus Zieglerus hanc horrendam rem exscripsit. Verisimile est, illum fuisse advocatum castri Arosiensis (cfr. Olaum Petri, edidit Klemming, pag. 324 et 325); Olaus Magni eum "patriæ suæ validissimum defensorem" appellat (v. infra appendicem). In Chronico episcoporum Arosiensium Magnus pater episcopi Petri Magni fuisse dicitur (v. infra sect. II, pag. 128). i) In literis senatus (pag. 74) res ita memoratur: "Nam postquam omnes mature etatis viros, qui ex nobili Ribingorum familia dependebant, occidissent, mox omnes eiusdem familie pueros Herodiano furore dissectos assumpsit." Cfr. de cetero rationes, quibus Allen (l. c. III, 1, pag. 403 et 404) hæc refellere studuit.

Digitized by Google

Corpora omnia occisorum comportari in forum iussit subiecitque oculis et satiavit ferum animum suo immani scelere. Triduo iacuerunt trunca corpora, volutata et fœdata cruore suo, horrendum in modum. Post iussit per cloacarios ejici extra urbem. Cadaver Stenonis (quem pugnantem pro civibus diximus occubuisse) extraxit sepulchro. Quo cadavere sub oculos reddito, tanta rabie tyrannus correptus est, ut illud morsu appetiverit, canis sepulchralis more k). Posthumum etiam Stenonis, eodem mense natum sepultumque, erui iussit. Omnia cadavera congesta cremata fuerunt, et cineres dissipati. Exhausta ad hunc modum urbe viris, ad rapinas conuersus fuit, et viduas et orbos parentibus liberos omnibus fortunis spoliavit l), nulli rei profanæ et sacræ parsum fuit. Quanto tempore tyrannus ista perpetravit, portas urbis tenuit clausas, ne qua fama cædis ad provinciam perveniret, et bellum moveretur pro scelere vindicando. Incendio etiam abstinuit, credo ex illa causa, quia latere non potuisset. Secura enim omnia et quieta esse voluit sibi nunc in fugam spectanti: quod unum videbat præsidium superesse impunitati sceleris perpetrati. In itinere in monasterium divertit: ei Novæ valli nomen est. Monachi loci tyrannum benigne excipiunt et omnia ministrant pro facultate: simulabat etiam tyrannus gratam sibi esse eam promptitudinem. Die quinetiam festo (is erat purificationis Virginis m) adiverat templum, sacrum more Christiano spectaverat, nullum ubique indicium maleficii, quod tractabat, fecerat: quum vix digressos ab altaribus monachos iubet comprehendi, injici vincula, et in profluentem abjici. Abbas forte liberaverat manus et enatabat, quum ministri sceleris adnavigantes hominem vulneribus appetunt, donec is sanguine et viribus defectis mergitur. Sic tyrannus cæde et præda opimus in Daniam venit. Præsidium quod is urbi Holmensi imposuerat (quodque solum fuit virilis sexus in perdita urbe) excursionibus, rapinis, cædibus et omni genere maleficiorum afflixit Sueciam, satagens modis omnibus animo tyranni et præscriptæ formulæ sævitiæ, quam is reliquerat. Gostavus quoque pseudoepiscopus, parricida autem in patriam, militarem furorem æmulatus, possessiones ecclesiasticas exturbabat.

Qvibus malis patriæ excitatus illustris adolescens Gostavus Erichson (quem obsidem diximus, quique ex custodia nuper profugerat) rem supra ætatem, sed magnitudini sui animi respondentem ausus, vindicem se profitetur patriæ pereuntis. Et quarto demum anno post initum bellum, mutato habitu et plebeji hominis veste sumpta, circuit Sueciam et popularibus exponit in quantis malis versentur, nihilque omnium omisit rerum, quibus cives ad arma capienda excitaret. Addebant orationi gratiam egregiæ corporis dotes, et index singularis animi vigor. Itaque eligitur in vindicem libertatis. Is militem legit ex Dalekarlis, bellicosissima totius Sueciæ gente. Montes enim habitant, qua Suecia ad Nordvegiam collimat, apud quos et fodinæ sunt argenti et æris. Itaque sub officinis metalli fodiendi conflandique exerciti, indurantur ad præcipuum robur: quod denique peperit ipsis nomen, ut Dalekarli vocentur. *Dale* enim Vallem dicit, *Karli* autem viros, cum emphasi, eos qui præsenti animi vigore præstent. Addunt Dalekarlis præterea ingentes spiritus opes, quas plurimas habent: suntque ad iniuriam propulsandam supra omnes irritabiles. Hoc milite usus Gostavus aggreditur præsidium Danorum, quod Arosiæ civitati impositum erat atque deturbat. Quo novo casu exterritus episcopus vehementer turbatur ad cladem Danorum. Ergo exercitum a præsidiis deducit cogitque oppressurus inter initia surgentem vindicem. Is volens a se avertere episcopum n) conscientia potius rerum quam armis, mittit nuncium ad hunc cum epistola hortaturque hominem ut resipiscat: satis flagitii hactenus admissum, parcat sibi et relinquat locum veniæ, et patriæ quam tyranni fortunas potius constituat. Addit præmia, si in sententiam veniat, veniam admissi delicti, constructionem de publico arcis ditionis Upsaliensis, que initio belli (quod firmissima erat, ne perditorum hominum receptaculum esset) disiecta fuerat. Addit immunitates alias se permissurum ecclesie, pro initæ societatis premio. Episcopus bene monentem superbe adeo accepit, ut literas abiecerit et pede attriverit. Et certe non erat causa, ut si ab ea episcopus depelleretur, ferociret Neque is erat Gostavus, qui, non dicam ab homine noxio, sed alio sanctissimo contemneretur, vel ob præsens studium in cives, vel quod illustris generis erat et nepos eorum, qui regnum Sueciæ habuissent, et suo iure patriam a vastatore repetebat.

Is ergo irritatior etiam contumelia factus, ducit Dalekarlum militem contra episcopum et præsidia et superat Episcopus ex fuga prolapsus, Holmiam venit ad reliquias Danorum. Videnque Suecos in diem fieri confirmatiores, consilium capit novi militis adducendi, hocque voto in Danmarchiam ad tyrannum navigat. Multa hic conveniunt, quæ obstare molienti ista debuerunt, Dei timor, conscientia religionis, sanctitas professionis, miseratio patriæ, sui existimatio integra, quæ omnia is per crimen nunquam deprecabile violavit. Sed hæc non attingam, qualia nemo secum non colligit: domestica illa recensebo. Noverat

k) Hæc incredibilis res in literis senatus non memoratur. Neque alium fontem, ex quo Zieglerus illud hauserit, indagare potuimus. l) Quærimoniæ Gustavi primi (v. supra not. d.) captivationem procerum in vespere diei 7 Novembris pingentes tradunt: *Såå bleff ock fruer samme ledis förde vp i någre Camerer, huad the alle hadhe till silff gulldh och clenodier thet bleff frå them rychtt, ther war Claus Bille rentemestere före.* m) Etiam hic Zieglerus literas senatus sequitur. Si dies (2 Februarii) vera est, Kristiernus huic cædi non interfuit (cfr. Allen, l. c. III, 1, pag. 358). Sed eadem dies legitur in manifesto Danico. n) Lege: archiepiscopum (Gostauus Trolle), ut legitur in literis senatus, quas etiam hic Zieglerus transcripsit.

Digitized by Google

tyranni institutum, priusquam suspicio belli aliqua haberetur. Is pirata erat, maria vexabat suo terrore, eo prohibuerat commoda Schondiæ exerceri. Noverat genuinum odium Danorum in Suecos et gentis hereditariam crudelitatem. Nordvegia in oculis illi erat, florentissima olim, nunc afflicta maleficio Danorum. Videbat amplissimas eius urbes in vici formam per vexatos cives, per vectigalium et publicorum onerum acerbitatem redactas. Quo admoneri debuit quid patriæ mali conciliaret sub imperio externo. Non etiam deerant domi principes rege digni. Quod si cupiditati suæ ecclesiam unam Upsaliensem sufficere non putabat et sub Dano se explere cupiebat, nulla commoda tanta a peregrino, a Dano, a pirata referre, quanta a domestico rege poterat. Ergo ei multo sanctius consilio et manu (quando et hoc decere episcopum, ut bellator esset, arbitrabatur) adesset: quem faceret non Sueciæ et Gothiæ tantum, sed quoque Nordvegiæ regem. Essetque hoc suum episcopi beneficium æternum apud Nordvegianos, si revocarentur sub domesticum et idem æquissimum imperium, sub quo post longam oppressionem respirarent seseque instaurarent. Verum sive hæc eum rerum optio per ætatem et insolentiam fugiebat, sive simultates ad æquales ulcisci volebat, sive iratus patriæ erat et ultionem sumere alienis armis quærebat, aderat socius tyranno. Proscriptionem cum eodem ex arbitrio composuerat, spectatorque fuerat sceleris Holmensis: satis sibi pœnarum dedisse arbitraretur, quos in bellum ad spoliationem fortunarum et atrocem cædem attraxisset: detestaretur in reliquum, et desereret crudeles partes. Verum etiam malorum magis incentor est, tyranno ipso implacabilior. Quo loco sane licet animadvertere, quam sint detestabiles recessus humanorum animorum, ubi malitia deplorati in præceps ruerint: nulla cæcitas æque in abruptum abit, atque hi in scelus aguntur efferata crudelitate: neque se ab impetu revocant ante exitium.

Sed ad narrationem redimus. Episcopus vbi in Daniam venit, neque splendide neque benigne exceptus est, neque postea in aliqua habitus autoritate apud tyrannum fuit: ita ingentes eius minæ intra ferociam resederunt. Prænoscens quoque domi paratam sibi pœnam pro scelere admisso, et timens privatus redire, desperatione salutis exilium in Danmarchia sibi dixit, ubi hodie inglorius degit. Sed qua ratione potuerit socius a tyranno in communi re deseri, causæ sunt: una, perfidia, qua in omnes erat æqualiter Danus: altera, domestica agitatio, qua rediens exceptus fuit, nam paulo post regno excidit. Ferunt discedentem, ex arcibus corrasisse aulici instrumenti quælibet etiam vilia, tam avare, ut si quis apex æneus inauratus ædiculæ esset, hunc convulserit et ad sarcinas coniecerit o). Uxorem quam habet, aiunt omnem predam in potestatem recepisse asseruareque sibi et filio. Tyrannus domestica etiam præda exclusus, vagusque et inops fatigat hodie alienas aulas p): et habet adhuc, qui eum miseratione dignantur, hospitium indulgent, quam bono exemplo apud presentes et posteros, quamque illustri domesticæ conscientiæ testimonio, nescio. Exemplo: quia supersunt patroni adhuc, qui obstant, quominus vindictam devolvi in se toto malorum cumulo experiantur infamiæ illæ naturæ. Testimonio autem: quia tantorum scelerum sensum minus integrum habere videntur: verum putant tanto intra modum illa adhuc stare, quanto sunt in artificem eorum indulgentiores. Tyrannus est statura iusta, corpore amplo, truci vultu, sed quem in congressibus præcipua comitate contegat: adeo ut hæc pluris quam indicium vultus valere semper sit existimata, vnde de moribus hominis iudicaretur. Qui etiam mentitus habitus Suecis toties imposuit, donec eos ad extrema mala pertraxit. Filium ferunt referre indolem patris et quamvis puerum, nunc esse minaci animo et iactare atroces voces, sese effecturum, ut qui nunc voluptatem sibi capiunt et exultant super eiecto patre, defleant olim suam acerbam sortem. Qualem profecto vocem non conueniat ordines et communem statum regni Sueciæ ignorare, dissimulare et putare vanam: imo longe ante habere consilia parata, quibus prævertat vindictam agitatam. Neque infirmus putandus est, qui puer, qui exul sit. Puer senes celerius habebit, qui conatus adiuvent, propinquitates potentissimas habet, qui regem quam exulem videre potius velint. Nec expenditur hodie, qua culpa exciderint possessione, quam bonam de se spem præbeant, quam integros in administratione futuros existiment quos susceperint tuendos: una causa satis fuerit, propinquus est, rex natus est, repetit nativum titulum. Denique in postremis habetur, cui popularis status afflicti atque reipublicæ funditus collabentis culpa imputetur.

Tyranno eiecto, et maioris belli suspicione sublata, illustris princeps Gostavus contrahit iustas copias ex Dalekarlis, sed et Suecis et Gothis. Lubicenses quoque veteres socios in partem belli vocat. Qui adeo cupide venerunt, ut non modo ex sorte hominum unde hoc tempore mercenarii milites fere scribuntur, sed viri graves et in dignitate constituti, quique prudentia rerum et opibus pollerent, venerint in belli societatem. Quibus copiis reliquias Danorum, quæ in Schondia resederant, persequitur. Holmiam etiam obsedit, intus nihil virorum erat preter præsidium Danicum. Hoc pro maleficio suo in Suecos extrema omnia sibi instare metuebat. Ergo desperatione et munitione loci pariter obfirmatum, difficilem

o) Pæne suspicandum esset Zieglerum hic Kristierno II:o attribuisse, quod Kristiernus primus in arce Holmiensi fecisse accusatur (v. *Danske Kong Kristierns Handel* in: "Handlingar rör. Skand. Hist." V, pag. 14). Legitur tamen apud Hvitfeldt: *och tog met sig hues honom tjenligt vaar at han icke sparde Messings Becken, satte under flöyene på Köbenhaffns sloot.*
p) Hæc verba ostendunt, hoc ante expeditionem Norvegicam in autumno anni 1531 esse scriptum.

Digitized by Google

reddebat oppugnationem. Tamen ducis et civium virtute expugnatum, in potestatem venit, atque urbs recepta fuit. Dux re bene gesta, confectoque ubique bello, dat militibus et sociis amplissimum donativum: adeoque liberalitas hæc insignis fuit, ut ad calones et remiges postremos perveniret. Cum reliquis etiam Germaniæ civitatibus vetera fœdera renovat. Mare rursus aperit et securitatem facit omnibus navigandi. Ob quæ merita in omnes patria, concordibus omnium ordinum Sueciæ et Gothiæ suffragiis, invictum principem Gostavum sibi regem legit. Pro cuius maiestate, ut ea incolumis diu maneat, vota hodie ad Deum faciunt, ut regi domi perpetua rerum tranquillitas, foris pax et victoria, vtroque statu salvus principatus sit, etiam rex in omni vita ita virtutibus omnibus præstet, ut maximorum principum exemplo et merito, felicissimus optimusque fausta acclamatione æternum salutetur.

Appendix.

EX OLAI MAGNI ARCHIEPISCOPI UPSALIENSIS HISTORIA DE GENTIBUS SEPTENTRIONALIBUS EXCERPTUM.

Quamquam Olaus excidio Holmiensi ipse interfuit *), tamen descriptionem ejus narrationi Ziegleri ut appendicem adjecimus, cum eundem fontem (sc. literas senatus Suecici, cfr. supra præfationem nostram num. XII) adhibuerit et illum brevius eodemque tempore plus verbotenus exscripserit, quare etiam minus novi affert. Neque Olaus narratione Ziegleri usus esse videtur, quamquam verisimile nobis apparet eam illi cognitam fuisse, quia Ziegleri Schondia et narratio de Kristierno una jam anno 1532 sunt editæ et Olaus Schondiam semel laudat (v. Historiam de Gent. Sept. lib. IV. cap. 19).

Ex his scriptis tertius scriptor, nescio quis, aliud opus composuit, quod inscriptum est "Rerum gestarum narratio ... quæ in Dania et Suecia ... ab anno 1510 usque ad annum 1520 ... acciderunt ... et coronationis brevis descriptio" et impressum apud S. Schardium: Scriptores rer. German. Edit. II. Giesæ 1673, in folio, Tom. II, pag. 84—87. Hoc enim compositum est 1) ex præfatione Ziegleri, 2) ex illo exscripto ex Johannis Magni Historia Sveonum etc. quod in editione historiæ Olai Magni an. 1567 impressa huic Olai narrationi de severitate Kristierni regis est adjectum, 3) ex ipsa illa narratione Olai, quam scriptor cum exscripto ex Johanne Magni ad unum connexuit, quare omnes quoque locos, ubi Olaus ut præsens loquitur, nonnihil mutare coactus est.

Liber octavus.

Cap. XXXIX. *De severitate regis Christierni.*

Horum et similium, immo majorum consiliorum ac cautelarum immemor Rex Daniæ Christiernus eius nominis secundus, qui diversis temporibus et ingeniis, procuratæ [ɔ : -to] per quosdam Danicæ factionis in regnis Suetiæ et Gothiæ proceres, Danorum consanguineos et affines, (inter quos erat infelicissimus Gostavus Trolle archiepiscopus Upsalensis) aditu in regna prædicta, adeo ferox et severus evasit, ut nullo præstiti juramenti aut sigillatarum literarum aut acceptionis tremendi Dominici corporis habito respectu aut cuiusvis commiserandæ rationis compassione, una die scilicet 8 Novembris MDXX diversorum ordinum principes, magnates, consules ac cives numero XCIIII, me vidente ac trepidante a), impio ferro, impiissimo malignorum consilio stimulatus detruncari juberet, atque triduo ante prætorium urbis Holmensis inhumata eorum corpora, donec extra civitatem comburenda deportarentur, remanere. Profecto horrendum spectaculum, quod ipsi Christierno procul dubio mille miseriis postmodum vexato occurreret, sic instigante crudeli consilio ad gratiam receptos, quos perendie amicabiliter invitatos hospites ad regale convivium habuisset, atrocissime punivisse: idque non usitato sæviendi modo, sed cruci affixum quendam Magnum Joannis præfectum b), patriæ suæ validissimum defensorem, humi in terra tabulaque ligatum, ut primum pudendis, deinde demum

*) Hoc non solum infra in textu dicit, sed etiam in literis ad Gustavum regem an. 1554 scriptis (v. Spegel: skrifteliga bevis etc. pag. 87), et se Holmiæ his annis moratum esse iterato memorat (v. Historiam etc. lib. XIII, cap. 29 et lib. VII cap. 16).

a) Cfr quæ in annotatione ad præfationem diximus. b) Cfr. supra pag. 74 not. h.

Digitized by Google

corde excisis et in vultum patientis contumeliosorum verborum insultu projectis, ad majorem rabiem et perpetuum horrorem actum fuisse ostenderetur. Postea eiusdem diei insequenti nocte infelicissimæ viduæ, quarum mariti ferro consumpti ante ora bestiarum in publico foro iacebant, pecunia et omni supellectili per insatiabiles Daniæ præfectos spoliatæ, inconsolabiliter ingemiscebant. Certe turpissimi et immanissimi erant officiales, solo terrore regii nominis vel pendentis crudelitatis cunctos maxime innoxios usque pudicitiæ et omnis verecundiæ honestatem depredantes. Nec melior erat pupillorum et orphanorum conditio, qui in parentibus torquebantur et omnibus fortunæ bonis spoliabantur. Longa et terribilis per me, tanquam singula lachrymose videntem, texenda foret historia, si singulas huius calamitatis partes enarrare vellem, quomodo videlicet divina et humana confundebantur, nulla promissæ fidei ratio, nullus religioni respectus, omnia temeritate sacrilega agitabantur, ubique gemitus, ubique cædes, ubique mors, nullibi concessum effugere, vivere inter districtos gladios et efferos homines impossibile. Servabatur vigilantissimo custode civitas, ne quis ex eo communi omnium civium carcere erumpat, ut regni incolis patratæ crudelitatis seriem denuntiet: quam si libera populi multitudo persensisset, nihil commissi facinoris inultum remansisset.

Cap. XL. *Adhuc de severitate eiusdem regis.*

Quod cum rex adverteret, in sola fuga salutem suam reponens paucis postmodum diebus inde versus suam Daniam se recipere est coactus: in quo itinere plures rotis, furcis alioque horrendæ mortis genere quartando mortificari jussit, præsertim apud Ostrogothos in Vasteno, terra S. Birgittæ c): demum in Nydalensi monasterio Novævallis dicto: ubi licet humanissimo hospitio susceptus esset, tamen die Purificationis divæ virgini dedicato abbatem cum 7 monachis, peracto altaris sacrificio, manibus a tergo ligatis in rapidum flumen submergi iussit: unde cum abbas naturali fortitudine funibus ruptis ad littus enataret, a regiis satellitibus ferro excerebratus interiit d). Ita et parvuli illustris familiæ Ribbingorum Vestrogothiæ, quibus hostilis barbaries ignoscere solet, ante eius conspectum gladio sublati sunt e). Quo factum est, ut sub eo f) congregatis 30 millibus incolarum armatorum, ipse sibi conscius per devia ac invia potius nocturno quam diurno tempore præcipiti cursu se reciperet intra limites suæ Danicæ ditionis, ubi neque diu sine simili formidine securior est relictus. Adeo velox fama factum eius ante adventum ubique monstravit, maxime apud subditos Cæsareæ Majestatis in terra Batavorum, Brabantorum ac aliarum nationum: ubi dudum cum in honore esset et sublimi gloria, ante tam immanem stragem in plerosque innocentes commissam habitus erat gloriosus. Dicat hic Saxo Danorum historicus libro 12 in omni circumspectione sua, uti superius cap. 37 allegatum est, an hoc spectaculum, ut specie triste, ita re ipsa Danis utile extitit, an crudelium poenarum ac torturarum inflictione, an clementia, modestia, æquitate et reliquis virtutibus regiis quærantur regna et maneant parta: certe per experientiam agnoscet, Danicam severitatem superioribus libris et hoc Christierniano facto ad memoriam revocatam, plus infamiæ et horroris, crudelitatis et despectionis regno et regibus eius parere, quam si humani et justi essent: nisi forsan gloriari velint in malitia, quando adhibitis fraudibus potentes se putent in iniquitate, ut novacularum more faciant dolum: quod absit. Quis etenim secure commercium cum his intentare et firmum manere cogitat? qui (ut Saxo ultimo cap. lib. 4 asserit) mentiri et fallere inter sordes et vitia non ducunt. Sit ergo sermo eorum, Est, est, Non, non, et omnes credent eis. Nec credant me boni homines hæc supradicta propter odium aut simultatem in Danicam nationem illam et vetusta eius gesta aut regis Christierni severitatem in omnibus ostendisse, sed longe terribiliora ex industria, quæ sine suspiriis et horrore legi nequeunt et multo minus in libros referri, reliquisse. Danica tamen nobilitas post exactum regem Christiernum antedictum 44 articulos in urbem et totum orbem pro sua excusatione, cur ab eodem rege defecerat, publice legendos emisit g). Ita et senatores regnorum Suetiæ et Gothiæ ac Norvegiæ tam antea quam postea repetitis vicibus libris et literis sese excusarunt h). Quod autem ego amarius cæteris, verius tamen et parcius scribo, audax testimonium facit, quia cum gravi meo periculo et mœrore omnibus iis tragœdiis inspiciendis interfui, ut dolenter viderem mala gentis meæ, quæ nunc millies aucta videntur et insuperabiliter ob impias legum constitutiones et subditorum oppressiones deteriora.

c) Cfr. Allen: de tre Nord. Rig. Hist. III, 1, pag. 356. In querimoniis Gustavi primi (v. supra pag. 73 not. d) dicitur: *Ty i Vastene haffuer han låthit vpskera leffuandes tuå ärlighe gamble Suensche hoffmenn.* d) Hic Olaus aliquem fontem cum recentissimo Chronico rhythmico communem habuisse videtur (cfr. *Svenska Medeltid. Rim-Krönikor*, ed. Klemming, III, pag. 234, 35). In Codice Nydalensi ita erat annotatum: "A. D. 1521 martirizatus et submersus fuit venerabilis pater, abbas Arwidus, cum conventualibus suis a nephandissimo tiranno Cristierno, Rege Danorum, qui etiam decapitari fecit episcopos et nobiles quamplurimos regni Sueciæ consiliarios" etc. (v. Script. rer. Danic. II, pag. 571, not. x). e) Verbum *Vestrogothiæ* non exstat in literis senatus. f) Sc. Gustavo Erici, postea rege Sueciæ. Olaus literas senatus tam cursim exscripsit, ut non animadverterit, Gustavum antea a se non esse memoratum. g) Sub titulo. *Aarsager huorfaare . . . Bisper Prælater, Herrer . . . haffuer Konning Christen deris Eed . . . opskreffuit*, leguntur apud Huitfeldt, *Danmarks Riges Krönike* foliis 1213—1219 (in editione in 4:te pag. 281—296). h) Literæ Gustavi Erici et Senatus regni d. 29 Decembris 1522 (de anno cfr. Allen III, 1, pag. 401) et literæ Senatus paulo post diem 7 Junii 1523 sunt impressæ in: Konung Gustaf den Förstes Registratur, I, pag. 8—33 et 66—78.

Digitized by Google

XIII.

E Collectionibus Erasmi Ludovici excerpta.

Quamquam Erasmus scriptoribus medii ævi nullo modo adnumerari potest, tamen ex illius scriptis aliqua hic proferre non dubitavimus, cum ætas ejus in proxime sequens tempus incidat, optimos fontes, Chronica et diplomata, in manibus habuerit et inprimis in his subsidiis adhibendis morem veterum annalistarum secutus sit, ut parva vel nulla mutatione facta fontes fideliter descripserit. Cujus rei optima occasio ei præbebatur, quia ut secretarius trium regum *), Gustavi I filiorumque ejus, Erici et Johannis, publica monumenta cujusvis generis inspicere potuit. Primum jussu illorum regum omnia, quæ ad antiqua jura et possessiones hierarchiæ catholichæ pertinebant, inquirens, ut postulata coronæ, tamquam ecclesiæ bonorum heredis, illustraret et firmaret, sensim in historicis quoque studiis delectationem reperit, ut non solum diplomata, sed etiam alia monumenta medii ævi perlustrare et excerpere inciperet. Ex quibus annotatis deinde historicas et genealogicas collectiones comparavit, immo chronica quoque, his annotationibus simplici quodam modo connexis vel potius temporum ordine aggregatis, composuit. Inter opuscula ejus historica in memoriam revocare volumus Continuationem Chronici Gustavi primi a Petro Nigro incepti, nondum typis expressam, Chronicon Erici XIV^{i} (impressum in: Handlingar rör. Scand. Hist. XII, pag. 247—298) et breve Chronicon medii ævi inscriptum: *Ett korth Extract och Vttogh af Sverigis rikes Chröniker . . . aff Rasmus Loduichson anno Christi 1580* (paulo recentius exscriptum in folio possidet Bibliotheca Upsaliensis **). Quamvis Messenius collectiones Erasmi genealogicas contemptione quadam (in præfatione Theatri nobilitatis Suecanæ) memorat, tamen eum et his et reliquis scriptis Erasmi frequenter usum esse ex innumerabilibus locis patet.

Collectionum historicarum Erasmi, ex quibus nonnullæ in Bibliotheca regia Holmiensi signis D. 1, D. 18 et D. 19 notatæ adhuc supersunt, duæ tantum, scilicet D. 19 et D. 1, nobis ita usui fuerunt, ut aliqua inaudita vel minus cognita ex iis eruere potuerimus. Quarum quidem conditionem et rationem jam accuratius exponere volumus.

Codex D. 19 manu Erasmi in papyro scriptus et folio membranaceo (ex missale Upsaliensi) illigatus, in dorso hunc nostro seculo scriptum titulum: *Rasmus Ludviksson, Utkast till en Svensk Krönika 1238—1520* fert. Singulis annis singula folia Erasmus assignavit, ut illic annotata suis locis inscriberet. Quatuor autem folia, in quibus eventus annorum 1517—20 annotati erant, hodie desunt, quæ igitur, si titulo fidem habere possumus, nostro tempore perierunt. Apertum autem est, collectionem terminis annorum 1238—1520 ab initio non coercitam fuisse. Ut enim omittamus haud probabile esse Erasmum ab anno 1238, per se paullo insigni, initium cepisse, in anno 1286 annotationem invenimus, ad quam Erasmus propria manu scripsit: "hæc notentur et recitentur folio 1524." Et in bibliotheca Upsaliensi inter Collectanea Hogenskildii Bjelke (Tom. I, pag. 247—327) asservatur Chronologia anno 1215 ***) incipiens et usque in annum 1581 perducta (quam non uno tempore in scholiis attulimus), in qua omnia, quæ ad annos 1238—1516 pertinent, ad verbum e Codice D. 19 descripta sunt †). Unde jure concludere licet, opus Erasmi olim ab anno 1215, vel potius a remotiore tempore, exordiens, certe in annum 1524 vel longius continuatum fuisse. Animadvertendum quoque est, breve chronicon Erasmi supra memoratum, quod ex annotationibus codicis D. 19 formatum est, res Suecanas ab Erico victorioso rege usque in annum 1522 complecti.

Præcipui fontes, quibus in codice D. 19 conscribendo Erasmus usus est, hi fuisse videntur: a) Diarium minoritarum Holmiensium (supra Tom. I, pag. 67—83 impressum). Hoc diarium tamen, antequam mutilatum erant, vel excerpta ante mutilationem facta inspexit, quia in codice D. 19 omnes illas annotationes ex perdita parte Diarii, quas supra (pag. 21—25) inseruimus, reperimus. Fere suspicandum est, Erasmum excerpta e Diario vel interdum communem fontem in manibus habuisse, cum diversitates

*) Sine dubio idem est ac ille Erasmus Ludovici de Dacia anno 1533 universitati Lipsiensi ascriptus (excerpta manuscripta a C. G. Styffe facta); anno 1594 vita decessit. **) Cfr. de ceteris ejus scriptis: Biografiskt Lexicon. VIII, s. 340. ***) In hoc anno prima legitur annotatio, quamvis postea eventus anni 1208 in vacuo spatio inter annos 1215 et 1216 inscriptus est. †) Chronologiam Hogenskildii collectionem Erasmi secutam esse ex eo elucet, quod Hogenskildius ipse in Codice D. 19 additiones vel correctiones fecerit, quæ omnes in textu Chronologiæ a scriba Hogenskildii confecto reperiuntur.

Digitized by Google

inter illum et Diarium hic et illic obveniunt. b) Chronicon Olai Petri. c) Chronologia Vetusta an. 1288—1473 (supra Tom. I, pag. 92—99 impressa). d) Chronicon Rhytmicum et Chronicon Erici Olai (supra Tom. I et II impressa) paucis tantum locis adhibita sunt.

Codex D. 1, etiam in papyro manu Erasmi scriptus et tegumento scorteo præditus, fert titulum: *Rasmus Ludvigssons Samlingar till en Svensk Krönika.* Hic certa folia cuique regi (a Herodoto (!) rege) initio assignata sunt, donec ad Gustavum primum venerit, cum singuli anni suum locum habent. In anno 1565 subsistit, sed continuatio sicut plurima folia in rege Erico XIV, manifeste evulsa est. Institutio compilationis haud raro temporum seriem aliquid pervertit. Etiam hic Diarium Minorum præcipuus fons est; dum tamen in D. 19 res Diarii sæpe Suetice verterit, hic illas, servata lingua Latina, descripsit. Qua ex re, sicut ex illo quod D. 19 aliquanto plures annotationes, quam D. 1 continet, fortasse quispiam statim concludere vult, codicem D. 1 esse priorem et Erasmum in codice D. 19 conficiendo illius contenta Suetice vertisse et aliunde plura addidisse. Huic tamen opinioni repugnare videtur quod, in Codice D. 1 nonnullæ res (infra edendæ) inveniuntur, quæ in D. 19 desiderantur. Verisimilius quoque videtur collectionem, quæ secundum annos (ut. D. 19) prius quam quæ secundum reges (ut D. 1) res disponit, institutam esse. Quam quidem rem tamen hic pro certo affirmare nequimus, neque illa magni momenti esse nobis videtur, cum quæ quisque Codex nova præbet, diversa sunt.

(E codice D. 19).

1362. Samme åhr stadfeste konung Håkon i Norige som och screff sig för Sweriges förste then gård i Wastena, som hans her fader konung Magnus i Swerige hade giffuit och ärnet till Wårfru clöster a).

1381. Bleff en Riddersman Carl Nilsson slagen ihiel mitt för högaltaret i Gråmuncke Clöster i Stockholm *aff her Boo Jonsson dråttsäten* b).

1405. Konung Albrectz Missiue til hermesteren i Prytzen och hans hele orden, att then rettigheet han haffuer hafft och än haffuer til Gotland och Wisby, then vplater han sin käre frende konung Erick och hans erffuinger och the try rijker Swerige, Danmark och Norige, Datum loco et tempore vt supra c).

1408. Drottning Margareta och konung Erich lote för her aff Riket all breff och instrument på Halland och Schåne etc. Teslikes alle the breff, som giorde wåre i Räffzter til Cronones schade, som nu är för ögen och alle bebindninger, som Sueriges Rike haffuer giordt medh annor land och rike d).

1419. Eodem anno combusta est ciuitas Holmensis et tunc libri memoriales combusti sunt e).

1448. Samme åhr ottonde dagen effter Wårfrudag visitationis giorde konung Christiern fred medh konung Karl i Swerige, så att emellem honom och konung Karl en feelig dag och fred obrotzligen holles skulle in til pingxdaga nestkommendes öffuer ett åhr, och om några hans tienere, vndersåter, medhielpare eller andre giorde konung Karls land, folck, vndersåter etc. innen förscrefne pingxdage öfuer ett åhr något öffuer thenne fredstond, dhå beplichter han seg then schade wele vprätte och igen giffue och rätte öffuer them som then schaden giordt haffue, såsom wederböör, datum Köpenhaffn die et anno vt supra f).

1450. Screff konung Karl til menige man i Södermanneland och giorde sin entskylding om thet ryctet honom oretteligen war på förd, nembligen, att ingen bonde motte haffue mere än 3 flesk, ingen bonde måtte giffte sin dotter medh mindre fogten skulle fåå ther mutor före, ingen bondedotter motte bäre huffuud sölff eller annet sölff, att bönder och theris hustruer iche motte bäre sådane cläder, som the kunde tyge sig, item att ingen bonde måtte haffue skorsten vdi sin gård, med mindre han skulle göre ther synnerlig skatt vttaff.

a) Rem nullo alio loco invenimus memoratam. Donatio Magni reperitur in testamento an. 1346 scripto (Diplomat. Suecan. V, pag. 574). b) Ultima verba ascripsit Hogenskildius Bjelke, forsan diplomate quodam nisus (cfr. Styffe, Bidrag till Skand. Hist. I, pag. 181). In codice D. 25 Bibliothecæ Holmiensis, qui nobis exscriptum excerptorum Olai Petri esse videtur, post verba: "i Stockholm" additur "och ther begraffuen och segyes ath han wart huggen i så små stycken, som ther nu liggia många små stenar för högra altarith vydh södra hörnith på altarith för hvar saker skul veth man icke" c) Sc. "Flensborg S. Catharine dagh" ut legitur in literis superioribus, quæ sunt impressæ apud Jahn: Danmarks Hist. pag. 530. d) Quod ex eo affirmari videtur, monumenta in Archivo Danico adhuc asservari, exempli gratia literas de reductione Margaretæ (impressæ apud Styffe l. c. II). Jam anno 1434 Senatus et Communitas Sueciæ queruntur, privilegia et literas regni foras deportari (vide: Hadorph, Bihang t. Rim-Krönikan pag. 79). Et Johannes Braskius episcopus Lincopensis scribit an. 1523 ad Gostavum Erici gubernatorem regni, se eandem accusationem contra Margaretam et Ericum in antiquis regni registris legisse (Gustaf I:s Registratur I. pag. 291). e) Cfr. supra pag. 24. Quod legitur supra Tom. I, 1, pag. 91 schedis Erasmi ortum debet (cfr. quæ diximus supra pag. 22 in fine præfationis). f) Si excerptum germanum est, legi debet: anno 1449. Nam an. 1448, d. 9 Julii Kristiernus nondum erat rex Daniæ, sed eodem tempore an. 1449 Hafniæ fuisse videtur (d. 14 Julii nondum Hafniam reliquerat, vide Diplomat. Kristierni I:i, pag. 8); neque talis conatus regem Karolum dolo eludendi, dum expeditio Gotlandica compararetur, ab ingenio Kristierni abhorret.

Digitized by Google

1451. Samme åhr lot konung Karl vtgå sine breff til alle landzender her i Riket, ther med han giorde sin vrsect om all then lögn, som the på honom för Rigsens inbyggere hade vtfördt nembligen, att ingen bonde . . *(etc. ut in literis superioribus usque ad finem)* och andre lögner flere som honom vpå sact war. Om g) thet alt eller något annet, som almogens wärste kan ware, kom aldrig i hans hug eller wilie och aldrig komme skall, vtan att han ju altid warit then som sit liff och godz hade offte wåget for Sueriges almoges beste och bestånd skuld, så wilde han än nu göre, så lenge gud vnte honom liffuet, begärendes at the ingen tro til sådane lögn ställe wilde.

1452. Same åhr hölt konung Karl her Tord Bondes bröllop i Wastena medh jomfru Iliana her Åche Axelsons dotter och gaff sin dotter Richissa in vdi Wastena clöster h).

1456. Konung Karl gaff the Ängelska, som feigdede medh them aff Danmark frij hampn widh Billingxborg i) och Gulborg wedh Malstrand, huilke tw fäste han seger seg haffue byggie latit för the Danskes anfall skuld, datum anno 1456 k).

1457. Cause quare archiepiscopus Johannes se opposuit regi Carolo, prima quod inhibitionem fecerit, ne plura prædia darentur ecclesiis et monasteriïs, sed et multa reuocarentur, que diu [fu]erunt ab ecclesiis possessa; secunda, multa festa sanctorum oboleuit dicens ea propter questum instituta, item ne nobiles fierent clerici, nisi prius vendiderint sua prædia suis consanguineis l).

1463. Eodem anno iuit Rex ad Finlandiam, interim in castro Holmensi archiepiscopus Johannes rusticis Vplandensibus remisit tributum, quod per regem et consiliarios regni definitum fuit, vt exigeretur, et Archiepiscopus personaliter in plebescito m) Holmensi rusticos simpliciter absolutos a tributo declarauit, imo dedit eis patentes literas, sed forsan hoc fecit bono animo, vt cessaret tumultus, qui Episcopus eodem anno captus est et castrum Stäck expugnatum.

1464. Samme åhr bleffue några Clösterssens i Wastena ägher lagde vnder S. Peders kyrckie ther sammestedes genom syster Ingeborg Gerdzdotter Abbedissa i Wastena Clöster etc. Hon war hertug Gerdz dotter til Holsten.

1465. Eodem anno diffamatus multum fuit per regnum archiepiscopus Johannes, quod voluerit iterum introducere Cristiernum regem, scribens Holmensibus facit suam excusationem.

1466. Vnum quod objiciebatur Christierno in ejus expulsione erat, quod non debite peruenisset ad regnum, sed illi qui Carolum regem expulerunt, nobilibus et communitate irrequisitis, eum introduxerunt.

Eodem anno conuersionis Pauli electus est her Erick Axelson in gubernatorem regni in Vasteno n), och något ther epter resignauit archiepiscopus Vpsalensis eidem arcem Holmensem mandans ciuibus, vt eidem obedirent. o) Sed forsan postquam vidit eundem dominum Ericum adherere Nicolao Sture et sic velle restituere Carolum regem, incepit penitere facti et venit cum suis domino Erico Nilson et domino Iwaro Green et obsidere cepit ciuitatem Holmensem, scribens ciuibus, quod callide arripuerit regnum gubernandum, cum tamen ipse cum aliis consiliariis regni ipsum ad hoc elegerit, at odium Caroli regis videtur hoc fecisse. Dominus Ericus et Iuarus scripserunt, quod dominus Ericus Axelson inuaserit regnum violenter, volentes (ɔ : volens) introducere suos Danos in regnum. Acta sunt hæc 1467 [tempore] Olaui regis, cum eis etiam fuit Erick Karlson.

1467. Dominus Olauus Axelsson habuit Gotlandian pro pignore a Christierno rege pro C mark lödige huita Ängelska, 360 suåre nobler, 600 mark Pryske, 5600 Rens[ke] gyllene p). Et quia Christiernus se male gessit contra fratres et nepotes domini Iuari, sade han q) konung Christiern vp hulskap och manskap anno 1467 och hölt sig så til the Swenska.

Samme åhr bleff Wastena Stadz inbyggiere effterlatit aff Wastena Clöster att graffua en graff kring om stadhen, som skedde vdi her Nils Stures och her Staffen Wlffsons närware, doch medh så skääl, att thet skulle skee medh Stadzssens och icke medh Clostersens bekostning eller tunge, icke heller Clösterssens rente och skatt ther vdi quitteres.

g) Forsan pro: Och. h) Hoc sine dubio ad annum 1455 est referendum. Chronicon Rhythmicum (edid. Klemming III, pag. 5) utrumque eventum ad eundem annum refert, sed addit legatos Danicos præsentes fuisse. Quum vero Birgitta (Rikizza mendum est), quamvis jam anno 1454 in conventu relicta, tamen primum d. 23 Febr. 1455 consecrata est (v. Diarium Vadstenense supra Tom. I, 1, pag. 170—172) et eodem tempore legati Kristierni Wastenis interfuerunt (vide Hadorph l. c. pag. 185), nuptiæ certe ad an. 1455 pertinent. i) Locus in vicinitate urbis Göteborg juxta *Nya Varfvet* occidentem versus, adhuc Billingen vocatur. k) Cfr. supra pag. 5 not. v. Jam an. 1304 arx in campo Gulberg memoratur; (Chronicon Rhythmicum, Tom. I, vers. 2258; de munitionibus Karoli Kanuti cfr. l. c. III, v. 9—12). l) In secunda causa cfr. defensionem ipsius Karoli (Styffe l. c. III, pag. 114). m) Suetice: burspråk. Annotatio eundem fontem, ac Annales Holmienses supra pag. 28, indicat. Vix ex illis sumta esse potest, cum aliter apud Erasmum plura ex Annalibus excerpta reperiri oporteret. n) Erratum, quod explicare non possumus. Archiepiscopus Johannes erat gubernator regni usque in mensem Octobrem, cum Ericus Axelsson ei successit (vide Hadorph l. c. pag. 247), neque Vastenis, sed Holmiæ hæc mutatio regiminis facta est. Eventus anni 1457 narratio respicere non potest, quia d. 25 Januarii hujus anni seditio nondum in Ostrogotiam manaverat, ut omittam Ericum primum in mense Martio una cum Archiepiscopo gubernatorem electum esse. o) Quæ sequuntur ad an. 1467 pertinent, ut in fine notatur. p) Quamquam idem legitur apud Olaum Petri (pag. 276), rem hic inseruimus, cum ex illo plane non excerptum sit. q) I. e. Iwarus.

Digitized by Google

1469. In octaua S. Birgittæ r) in Vasteno spoliauerunt Ericus Karlson, Ericus Nilson et Trotte Karlson nobilem dominam Magdalenam, filiam regis Caroli, contoralem domini Iwari Absolonis, ejusque familiares captiuauerunt et strenuum militem dominum Birgerum Trolla cum filio suo Aruido Trolle et alios quamplures milites, nobiles et eorum familiares.

Samme åhr befalte konung Karl medh sitt breff her Åche Jönson, lagman i Södermanneland, att han skulle ne[m]pne gode beskedelige danemän til at syne the quernedamer, som bönderne i Södermanneland skedde skade vttaff på theris åkrer och engier, besynnerlige Sictuna dam i Dageheredt, Täckhammer i Rönehäredt och Wadzbro quern i Vpunde heredt, att the damer, som giorde schade, skulde vpriffues och vtkastes.

1470. Eodem anno armata manu est Christiernus ingressus Sueciam, sed repulsionem passus est et perdidit 500 homines inter quos fuere nobiles multi, istud circa Öresten factum est, ubi etiam vulneratus est ipse rex et fugam fecit s).

Eodem anno infra octavas epiphanie Ericus Karlson cum suis in magno excercitu intravit Valles, vbi per strenuos milites, dominum Stenonem Sturo et dominum Johannem Åchesson deuictus fuit et statim Daciam petiit t).

Eodem anno Jacobus Wlphonis, 24 archiepiscopus consecratus est.

Samme åhr bleff gamble her Sten Sture vtuald til Sweriges gubernator u).

1471. Eodem anno feria qvinta post Birgittæ v) commissum est bellum in Brunckeberg circa Stockholm inter regem Christiernum et dominum Stenonem Sture ita fortiter, vt dominus Steno regem cum pregrandi sua potentia victoriose debellauit, captum tenens dominum Nicolaum Runnou, tunc marscalchum Daciæ, baronesque, milites et nobiles in magno numero, et in illo bello plures aqua quam ensis prostravit, cum ad naves fugere temptabant, et fuit pax postea inter regem et dominum Stenonem ultra XX annis.

1474. På S. Bartholomei affton wordo monge stadgar giorde i Calmar aff rigsens råd och her Sten.

x) Sueci semper protestati sunt de placitatione Calmarniensi: si servaretur illa, ipsi quoque vellent eam servare. Nam jam sæpe experti erant, quod non solebant reges Daniæ stare promissis, et propterea Sueci ita ligaverunt Johannem regem in recessu illo, quia viderunt, quam nichil seruatum sit prius, quod promissum fuit in contractu illo inter regna; hoc summe notandum, quod contractus fuit sub certis conditionibus factus, quibus non servatis raptus est contractus. Notandum et hoc, quod se simul juraverunt, non contra Stenonem, sed sive Johannes rex sive alius quispiam eis vel alicui eorum nocere vellet, essent unus homo. Notandum hoc quod in recessu sic ligaverint regem, quod vix posset servare, ut esset occasio contra eum, et ostenderunt, quam parum prius servatum promissum.

1477. Screff her Erich Axelsson sin swåger gamble her Sten Stwre til om thet Nyslott, som han hade latit byggie i Saulax til landwärn, att thet bygdis först medh träverk, men nu loter han thet mure både medh torn, ringemurer och andre nyttige huuss och haffuer ther 16 gode vtlendske muremestere och när arbetesfolcket moste fare effter sand, sten och kalck, dhå måste han haffue en roote medh huar pråm och 12 eller 15 hans egne tienere medh theris harnesk och wärier för Ryssernes skuld, huilket slot han kallade S. Oloffzborgh y).

1481. Samme åhr then 21 Maij z) doo konung Cristiern then förste i Danmark på Köpenhaffns slott och bleff begraffuen i sit Cappel i Roskild, seden han konung i 43 åhr a) warit hade.

1487. Konung Hansses missiue til Sueriges riges Råd, att Hans Nåde theris scriffuelse bekommit hade, lydendes, att the vdi Tälie hade warit församblede och ther öffuerseet Calmarna recesser och dagtinger och funno ther några brister vdi, bediendes, at Hans Nåde wilde ther vdi late vnderuise oss etc. Szå swarer Hans Nåde ther opå, att han weet sig ingen man eller quinne i Swerige haffua oförrettet i någen motte, om han wiste någen sådant skedt ware, wille han gerne late vnderuise sig etc. Datum Haffniæ die Circumcisionis domini.

r) I. e. die 14 Octobris: Karolus rex diem 13 Octobris affert (Hadorph l. c. pag. 253). s) Cfr. supra pag. 33, not i t) Vide Styffe l. c. III, pag. CCXXVII. u) Recte quidem; plures enim literæ ostendunt, Stenonem longe ante comitia an. 1471 Arbogis facta, gubernatorem electum esse. Jam die 5 Julii anni 1470 hujus dignitatis nomen fert (literæ orig. parpyracæ in Skokloster). Cfr. literas d. 10 Januarii 1471 apud Styffe l. c. III, pag. 298. v) D. 10 Octobris. x) Sequentia Erasmus hic perperam intrusit; placitatio Calmarniensis anno 1483 facta est, et tota annotatio in annum 1494 sine dubio rejicienda est. y) Excerptum ex eadem epistola El. Palmsköld fecit (Vide ejus Collectionem in Bibliotheca Upsaliensi, XIV, Tom. 61, pag. 191, unde typis descriptum est in "Åbo Tidningar," 1793, n. 15 pag. 2). Ædificatio arcis jam an. 1475 incepta est; in itinerario Hadorphii (mscr. in 8:o in Bibl. Upsal.) hanc notam offendimus, quam sine dubio ex inscriptione muro insculpta mutuatus est: *Anno domini MCDLXXV let iak Erik Axelsson ridder i Lagnö bygge thette slått Gwdi till loff och then helghe christhne throo till styrckilsse thå heth min hustru Elin.* z) Scriptores inter diem 21 et 22 Maji vacillant. Cfr. Königsfeldt: Genealogiske Tabeller. a) Lege: 33.

Digitized by Google

1488. Stenone existente in partibus Finlandiæ contra Ruthenos, venit (!) ad archiepiscopum Jacobum literæ Innocentii 8 pape mandans (!) eidem, quod ipse et suffraganei sui excluderint [ɔ: -rent] eundem dominum Stenonem ab ingressu ecclesiæ, donec satisfaceret reginæ Doretheæ, quod occupaverit eius dotem Örebro b).

1490. Natus est rex Gustavus in arce hereditaria materna Lindholm c).

Eodem anno dominus Steno Sture huius Gustavi regis cognatus omnium civitatum maritimarum tamquam triumphator et pacis semper amator fuit d).

Jacobus Giselonis doctor Teologiæ legatus papæ exustus in Lösta e).

1491. Samme åhr slogh en borgere i Stockholm sine hustru ihiäl och gich strax med samme gerning til och hengde sigh sielff vp. Thet ärendet wart satt i rätte för rigsens rådh, hoo hans godz tage skulle. Thå wardt thet så dömbt, at erffuingerne skulle thet taga, och epter thenne dag, såsom och tilförende skulle thet i sådane saker hollet warda.

Eodem anno celebrata sunt comitia Telgensia, tunc dominus Steno Sture resignavit regnum consiliariis, ipsi autem petiverunt, ut maneret in regimen [ɔ: -ine], quod et fecit, et ipsi prestiterunt ei iuramentum a novo, sepe etiam prius etc.

Prius in multis comitiis exhibuit se promptum ad resignandum et tamen rogatus mansit; Consiliarii polliciti sunt ei fidelitatem, ipse autem pollicitus est eis cum iuramento se velle eorum consiliis optemperare, ibi statutum est contra blasphemias, om blottanda, Ibi conclusum est de monasterio Gripsholm f).

1492. Samme åhr die assumptionis Mariæ wardt S. Bryniel scrinlagt i Schare domkyrckie g).

1494. Et fuit edictum istud h) per totum regnum publicatum et causa edicti fuit, quod multi principes extranei videlicet filius regis Romanorum i) similiter rex Johannes et eius frater anhelarent ad regnum, et propter Ruthenos et etiam propter fedus illud vetus. Et dixerunt se diutius sine rege esse non posse, tunc facta est coniuratio inter consiliarios regni, quod simul manerent et quod unum tangeret omnes tangeret; tamen ista coniuratio non debuit esse contra Stenonem, modo vellet cum eis manere et servare ea, que eis iuraverat.

In festo pentecostes eiusdem anni celebrata sunt comitia in Ludosia a legatis Suecorum et Danorum et ibi conclusum est, quod ad festum Johannis sequentis anni celebrari deberent comitia in Calmarnia et ibi satisfieri deberet recessui citra longiore dilatione k). Et quia jam non poterant diutius esse sine rege, ideo fecerunt coniurationem, quod simul essent, si rex venerit ad regnum, et [si] nollet stare promissis, ipsi tunc possent ei contradicere.

Samme åhr doo her Nils Sture l).

1497. Eodem anno 11 Septembris intravit Johannes rex Holmiam m). Eodem anno circa Petri et Pauli fuit curia episcopalis Upsalensis obsessa; scripsit obsessoribus archiepiscopus et exhibuit se et suos clericos ad standum juri coram legiferis n) Holmensibus et rusticis. Combusta curia voluit Steno a capitulo scire, an vellent secum vel cum archiepiscopo stare. Capitulum consuluit archiepiscopo, quod conciliaretur Stenoni, et miserunt legatos ad eum in Stäck.

Post combustam curiam excommunicantur dominus Steno, dominus Canutus Eskelsson, dominus Ericus Johansson et Folke Gregersson cum suis complicibus.

Postea obsessa est arx Stäck o).

b) Ita etiam Olaus Petri pag. 281, 282. Bullæ erant datæ in mense Majo (vide: Danska Geheime Arkivets Aarsberetninger IV, pag. 370. Ad ea, quæ illic in hac re afferuntur, addere volumus, literas exsistere, quibus Senatus Sueciæ Jacobo de Caligine, Archiepiscopo Montisfregano, et Mag. Hemmingo Gadd, præposito Lincopensi, Lubecæ vel alio loco, quod Dorotheæ reginæ debebatur, solvendi potestatem tradunt (exscriptum papyraceum in Archivo regni; anno caret, sed inter an. 1489 d. 17 Martii et 1495 d. 21 Augusti scriptum est, ut e nominibus prælatorum elucet. c) Hinc ille notus error emanasse videtur. Fieri non potest, cum avia materna Gostavi, Sigrid Eskilsdotter, primum an. 1475 nupta est (v. literas orig. membranaceas in archivo regni, quibus Magnus Karoli in Eka ei dotem condonat). d) Respicit foedus, quod hoc anno die 12 Octobris inter Sueciam et villas Hanseaticas initum est. Styffe l. c. pag. 136. e) Affirmatur per inscriptionem lapis sepulchralis (vide: Peringsköld. Monumenta Ullerakerensia II, pag. 338). f) Hæc omnia ad annum 1493 pertinent. In eodem errore etiam Olaus Petri pag. 282 versatur, ut comitia Telgensia ad annum 1491 referat, quod sine dubio Hadorphium impulit, ut statuto cuidam sine anno, cui talis compositio inter Stenonem et consiliarios erat immixta, annum 1491 assignaret (v. Bjärköarätten pag. 67). Sed statutum illud editum est circa Johannis Baptistæ an. 1493 (impressum apud Styffe l. c. IV pag. 162). Neque diplomata concilium Telgis an. 1491 habitum produnt, dum octo literæ a Consiliariis anno 1493, in diebus 19—28 Junii, Telgis datæ adhuc in archivis servantur. Cfr. narrationem Chronici Skibyensis (infra edendam) in anno 1493. g) I. e. d. 15 Augusti. Diarium Vastenense (supra Tom. I, 1, pag. 200) habet: in crastino assumptionis Mariæ. h) Sc. Confirmatio recessus Calmarniensis data d. 12 Augusti 1494 (impressa apud Hadorph l. c. pag. 349), ex qua excerptum proxime ante insertum est. i) Idem legitur in literis impressis in: Handl. rör. Skand. Hist. XVIII, pag. 28. Quis autem respiciatur, nescimus. Maximilianus erat imperator neque filius coronam Sueciæ petere potuit. Forsan legendum: Bohemorum. k) Literæ de placitatione Ludosiensi impressæ sunt in: Geheime Arkiv. Aarsberetn. IV, 274, et apud Hadorph l. c. 348. l) Die 25 Augusti, v. infra excerptum ex codice D. 1. m) Lege: 11 Octobris. Calmarniam reliquit d. 11 Septembris (v. Hvitfeldt, Kong. Hansis Krönicke, in 4:o pag. 132). Holmiam intravit "Onsdagen näst före Dionysii", auctore Hvitfeldt (l. c. pag. 134) sed "Onsdagen *efter* Dionysii" (i. e. 11 Octobris) legendum ex accuratis Hvitfeldtii proxime superioribus dictis statim apparet. n) Forsan pro: Magistratibus vel consulibus. o) Diplomata hanc contentionem Stenonis et Jacobi illustrantia impressa sunt in: Handl. rör. Skand. Hist. Tom. XVIII, pag. 141 seqn.

Digitized by Google

Dominica trinitatis fuit Aruidus Trolle in Lyckia p) et tractavit cum Paulo Laxman hoffmester, Eskel Göije Marsch, nomine consiliariorum, quod satisfieri deberet recessui Calmarniensi.

Eodem anno quando tractabatur pro introductione regis Johannis, tunc dominus Steno tractauit cum Vplandiis et Vallibus, qui omnes cum ciuitatibus Vplandiarum fedus inierunt, vt adsisterent Stenoni q), et propterea venit cum exercitu ad Rotebro.

1501. Her Sten Stures förscrifft för doctor Heming Gadd til M[ester] Hans Arnoldi, canick i Lincöpung, thet han wilde ware doctor Heming bistondig i the ärender och saker om Lincöpungx Biscopzdöme, effter the gode herrer som nu församblede wåre i Strengnes hade stor gunst och god wilie til honom och ynnest för hans longelige trotieniste, han Rikit, kyrckione, ridderskapet och thet menige beste troligen medh swår kost och täring beuist hade i Room, at alle honom tacka och är Rikit myckit nyttog en sådane förfaren man. Datum Nycöping 11 dag Jul r).

s) På S. Dionisii dag t) kommo några aff her Sten Stures ryttere på Norre Malm och thå vthdrogo konung Hanses ryttere och brände aff Norremalm i otrengde måle. Söndagen ther epter u) kommo herranar medh heele hären och lägrede sig på Norremalm och skantzede för sigh.

Tijsdagen ther nest epter v) belades Södremalm medh Vpstäderne och Södermenningerne.

Söndagen epter Calixti x) i en feelig dagh och fredh, som sagt war emellen stadhen och slottet, satte the af Slottet elden i byyn på tre sydher och giorde stadenom stoor skada, medh thet kommo the gode herrer i byyn borgerne till vndsetningh. När the aff stadhen wore vthe på Malmen til att dagtinga all ting till thet bästa, thå stickade the på slottet elden på stadhen. Och haffuer Rigsens Rådh gifuit stadhenom ther vetnesbreff vppå, att borgerne icke wore til sinnes att släppe them in i stadhen, för än eelden war vptend y).

In die Laurentii obsessum est Örebro, ibi fuit Jöns Falster, resignata est arx [circa] Mathiæ; [circa] Natiuitatis Mariæ obsessum est Castrum Arosiense per Stenonem Christersson et Gestringos et Helsingos; præfectus erat Nicolaus Besse, resignatum est circa Martini z).

12 Novembris eiusdem anni electus est denuo dominus Steno Sture in gubernatorem a) presentibus consiliariis et episcopis Scarensi, Wexionensi, Electo Lincopensi, Strengenensi, Arosiensi, domino Swanto[ne], domino Kanuto Eskilson, domino Nicolao Claesson, domino Erich Erichson, domino Steno[ne] Cristersson et alii[s].

Dixerat Johannes rex se parum curare, cuius Gotlandia esset, cum ipsius esset vtrumque regnum.

1502. Eodem anno resignatum est castrum Stockholmense Electo Lincopensi, mortuis in obsidione fere 1000 hominibus et vix ex VIC 80 superstites fuerunt b).

Samme åhr Odensdagen epter quasimodogeniti Sondag c) ex Holmia screffue Borgemestere, Råd och menigheeten i Stockholm til menige kopperbergxmen, Söllftbergxmen, Jernbergxmen och menige allmoge i Dalerne medh theris höffuidsman her Sten Sture, her Svante och theris medborgere Ernest Muggi d) och begäre hielp och vndsettning emot konung Hans, om han medh sine skep och folck in för Stockholm komme kunde.

Item theris scriffuelse på samme tijd til menige Helsingeland, att effter the wisse tidender med theris eiget sendebod bekommit hade, att konung Hans giorde sig rede medh et tael folck och actade sig til Stockholm til att vndsettie hans medhielpare, som the ther på Stockholms slott bestallat hade, och att konung Hans hade giffuit menige Rikit til sköflingx både kyrckier, clöster, munckar och nunnor, Riderskapet, fruer och jomfruer, friborne, frelsesmen, köpstäder, bönder, landboor, hoffmen, gerningsmän, vnge och gamble quinnor och barn öffuer alt Rikit, och mene thet så förderffue, att then vnge skulle eij gråte then gamble etc., dherföre begäre the hielp och vndsetning emot förscrefne konung Hans.

Eodem anno fuit arx Holmiæ expugnata die Veneris 28 Aprilis et circiter 100 sunt occisi et lesi. Die Jouis, que fuit Ascensionis domini et tribus diebus precedentibus tractatum est, et tandem tradita est, nam sicut tractatum fuit, quod si rex in propria persona non veniret ad diem Lune proxime sequentem ante 8 horam ante meridiem, deberet tradi arx, sed quia ad murum infra id temporis non venit rex, hora 11 eius diei exiuit regina et alii in captiuitatem et fuit 9 Maji, cui domina Ingeborg

p) Apud Hadorph (l. c. pag. 359—362) perperam legitur: Läkkö. q) Foedera inter communitates rusticorum pacta in Diplomatario Dalecarlico typis expressa sunt. Num alia cum civitatibus vere inita sint, ignoramus. r) I. e. die 4 Januarii. Hemmingus electus est paulo ante diem 23 Januarii 1501 (vide supra pag. 38, not. k). s) Sequentia in hoc anno 1501 apud Erasmum anno 1491 apposita sunt, isque error postea in multorum scriptorum libros manavit. t) Die 9 Octobris. u) Die 10 Octobris. Idem in Diario Minorum supra Tom. I, 1, pag. 76. v) Die 12 Octobris. x) Die 17 Octobris. Cfr. Diar. Minorum l. c., quod uberius est. y) Literæ senatus (d. 21 Octobris datæ) adhuc in Archivo urbis servatæ impressæ sunt apud Styffe l. c. IV, 281). z) Cfr. Diarium Minorum supra Tom. I, pag. 79, 80. a) Ita etiam in Diario citato pag. 80. Sed Steno gubernatoris titulo utitur jam in literis, quas in not. y. attulimus. b) Die 9 Maji, vide infra. Obscurum est, quod de præsidio arcis dicitur. Cfr. Olaum Petri pag. 299. c) Die 6 Aprilis. d) "Ernest Mwggel Rickesins Tollener" an. 1503 comparet (vide Diplomatarium Dalecarlicum n. 184).

Digitized by Google

manum porrexit circa cemeterium ecclesiæ Holmensis, cum regina duceretur per Matthiam episcopum Strengenensem et Stenonem Christiernson. Conclusio facta de traditione arcis facta est in ecclesia in choro S. Nicolai die Ascensionis domini, que fuit 5 Maji e); in illo tractatu non fuit archiepiscopus.

10 Maji venit ad scopulos Sueciæ rex Johannes cum 40 nauibus vel circiter et plura dampna fecit; die Jouis 12 Maji venit [ad] Vadmalsiõ et tunc per ciues incense sunt Malmarna f), 15 Maji nempe dominica retrocessit rex ad Konungxhaffn et hoc circa noctem g)

Dominica nempe 5 Junii facta est concordia inter Stenonem et Archiepiscopum h).

12 Junii venit Archiepiscopus ad Holmiam.

1503. 5 Martii combusta fuit arx lignea Lyckiåå per dominum Stenonem Sture et feudum fuit assignatum Nicolao Claesson, quia dicebatur sibi deberi antiquo iure emptionis i).

Die Solis 12 Martii obsessa est civitas Calmariensis per dominum Stenonem et electum Gadd.

20 Martii combuste sunt 3 naues Nicolai Boossons circa Borckholm per Stenonem.

9 Maii obtenta est ciuitas Calmar k).

14 Decembris obiit dominus Steno Jenecopie, presente Electo Lincopensi, et transformabatur quidam Laurentius Birgersson nomine etc. l).

1504. Circa circumcisionis domini fuit conuentus Vpsalie, vt fieret conuocatio per regnum pro principe eligendo.

Dominica post Henrici m) fuit dominus Swanto Sture, regni Suetiæ Marscalcus, concorditer electus et prestitum ei est homagium, die Martis proxima n) accepit arcem Holmensem.

Die Sigfridi o) consecrata est ecclesia Gripzholm per archiepiscopum Jacobum et sequenti die sepultus est ibi dominus Steno Sture etc.

17 Nouembris celebrate sunt nuptiæ Swantonis et Mettæ p) Holmiæ, archiepiscopo ei (!) benedicente. (Vdi bröllopzbreffuen kallar her Suante her Nils Gedde sin suåger).

Circa id temporis, quando obsessa fuit Calmarnia et ante, fuit quidem rusticus Ebbe Kop nomine, qui iuit in Smålandiis cum 80 viris et interfecit prefectos regis Johannis, et propter eum ante obsidionem non sunt ausi regii exire Calmar.

Anno 1504 feria tertia infra octauas assumptionis domini q) screff her Benct Ryning domino Hemingo Gadd electo Lincopensis (!) och Rigsens Råd til ifrå Malmõ, att han sampt hans medgiffne wåre til samtal medh K. Hans och Rigsens Råd i Danmark, och efter Rigsens Rådhs i Suerige befalning eskede på the 2 slot Calmarne och Borckholm, finge dock ther på inge behagelige suar, wåre förthenskuld rede at drage heem igen vtan fred och vpslag förtröstende sig på her Suantes breff, som the finge hart wed landemercket, dhå the drogo in i Danmark, at hampnen för Calmarna slott war så igen senct, at thet icke stod til att vndsettie, etc. Vnder tess the så reede wåre, finge the wisse tijdender om Calmarna slot, och [ɔ: at] kongen hade thet vndsatt både folck och fettalie, och kom Johan Vrne och fiere, the ther på leget hade och siuke wore, tit til Köpenhampn them till orde. Dherföre och för monge andre merkelige orsaker skuld, dhå ginge the på sådane dagtingan r) medh K. H[ans], att Calmarna slott skulle antvardas her Nils Gedde i slotzloffuen til K. H[ans] och Sweriges Rikes Råds hond, och ther med skulle han aname af Sueriges Rikes Råd staden och lånet och them hålle til Sueriges Rikes Rådhs hond allene, til tess [the] 3 Rigers råd komme tilhope i förscrefne Calmarna på S. Johans dag eller wed then tijd åt året til at åtskillie then tuedrect i minne eller rett, och hvar thet komme til feigde igen, dhå skulle staden och landet kome i Sueriges Rikes Rådhs hender igen quitt och fritt, och slottet i kongens hender igen, Borchholm bliffue ståndendes, som thet nu är, til förscrefne herremõte, och Gotland skal och komme i en retgång. Ther opå haffue the beleuet på både sijder en feelig dag ifrå S. Botolphi dag nestkommendes och til förscrefne herremõte förlupet är, och hvar man i sit behold kommen är; lyster the Suenske än thå örlige, så är thet än thå i theris mact och haffue samme welkor som the haffue nu. Så bleff och

e) De expugnatione et redditione cfr. Diarium Minorum supra Tom. I. pag. 76, 77. Exemplar Suecanum conclusionis tamen die 6 Maji scriptum est (impressum in: Danska Geheime Arkivets Aarsberetn. IV. pag. 305). f) I. e. suburbia. g) Animadvertendum est, Kristiernum jam die 14 Maji in Djurhamn, quod ab Holmia majori spatio, quam Konungshampn, distat, literas subscribere (v. Fryxell, Handlingar rör. Sveriges Hist. IV. pag. 10). h) Cfr. supra pag. 38, not. l. i) Hanc incursionem in Blekingiam nullibi memoratam invenimus, nisi in literis Hemmingi Gadd (Danska Geh. Aarsberetn. IV. 318). Nicolaus Clausson in literis ad Johannem regem die 10 Augusti an 1501 scriptis Lykkå ejusque feudum tamquam justum pignus postulat (Styffe l. c. IV. pag. 274). k) Urbem (non arcem) Calmarniæ anno 1503 a Suecis captam esse certum est, cum in tractatu Hafniensi anno 1504 ut in manibus Suecorum exsistens memoratur (v. Hadorph l. c. II. pag. 392). Chronicon Rhythmicum (III. pag. 186) obsidionem noscit, sed Johannem regem præsentem fuisse false tradit. l) Peder Birgerson nominatur in Chronico Rhythmico (III. vers. 5481). De morte Stenonis cfr. supra pag. 39, not. n. m) Die 21 Januarii. n) D. 23 Januarii. Olaus Petri habet diem Blasii, d. 3 Februarii. o) D. 15 Februarii. Die precedente corpus Stenonis Holmia transportatur (v. Olaum Petri). p) Domina Mætta Ivarsdotter erat vidua militis Norvegici, Kanuti Alfssen, an 1502 interfecti. q) Die 21 Maji. r) Hæc placitatio, die 18 Maji facta, legitur apud Hadorph l. c. pag. 390.

Digitized by Google

beleffuet, att hvar god man må komme til sit gods igen, ee huar the helst liggie och ee hues medhielpere the warit hade i thenne feigde, at på them intet förarges skulde, alle fonger skulle och bliffue löse på både sijder. Ther opå bleff her Nils Gedde skicket til Calmarna slott.

1506. Samme åhr hade her Suante vtskicket sine örlugsskep i sjön til at försuare de Suenske köpmendzskep för fienderne.

Samme åhr finge the Suenske in Lyckio huss och lään, Måndagen effter huite Söndag s).

1507. Samme åhr wåre 9 kong Hanses örlugsskep wed Åland, affbrände ther slottet i grund Tisdagen nest effter S. Jacobs dag t) och förde her Sten Tureson medh sig medh alle the ägodeler the ther finge.

1512. Eodem anno etc. dominus Gustauus Erici domini Stenonis Sture junioris, regni Suetiæ gubernatoris, dapifer factus est u).

1513. Samme åhr gåffue Sueriges rikes rådh Hollenderne förlöff att segle hiit till Suärige, her [ɔ: huar] the frije och säckre hampner haffua sculde v). Så sattes och 6o års dag emellen Suerige och Rysseland och rågången förlängdes i v år.

(E Collectaneis Hogenskildii Bjelke) w).

1518. Samme år vm Bartollomei bleff her Göstaf Erichson, her Lars Siggeson, Jören Siggeson, Oluff Ryning, Benct Nielson och her Hemming Gadd æff vnge her Stenn Sture försckickade till gamble konung Christiernn, der hann låg medh sine skiep i skärenn vt wedh Dalerne, honom til gisler och säkerheet, att han frij och felig måtte, komme till vnnge her Stenn till Åresta i Österhaninge socken. Men så snart dhe kome wdi hans schep, bleffue the emoth all gislerett, breff och segell tagne till fånnger och sedenn medh konungen förde till Danmarch, och strax der efther, dhå vnge her Stenn satt till bordz vdi en lendsmans gårdh i Sottholms häredt, och lensmannen heett Oloff Håkonnsonn i Calsuich x), kom gamble konung Christiernns breff, huilkett breff vnge her Stenn lass öffuerliud, och stodh dher wdi, ofredh i hundrade tusenndhe kneffuel nampn y).

Samme år begynnte Capittelett falle till fögo och begäradhe her Stenns försuarelse breff.

1520. Sedenn hann z) nu Stocholm infått hadhe, sende hann dochtor Heming Gadd till Finland, att hann denn landsände vnder K. Christiernn dagtinge schulle och sennde medh honom desse sine tiennare, Roloff Matzson, att han bleff Ståthållare på Wiborg och Nyslott, Jöns Matzson på Tafuestehuss, Tyle Gisle på Rasborg och Jonncher Tomas på Åbo slott.

(Ex Codice D. 1.)

Margareta regina trium regnorum post constitutam cum Holsatis pacem, cum ad Daniam navigaret, contracta ex marino foetore nausea, antequam ex navi egrederetur, occubuit anno 1412 a).

Anno 1461 obiit nobilis vir dominus Johannes Karlson miles, filius Caroli Cristiersons et sepultus in conuentu fratrum minorum Holmis apud patrem suum eodem die b).

Anno 1468 ex Noraberg screff k[onung] K[arl] til capitelet i Vpsale, at honom för mong åhr skal vare sagt, att vdi huarie Domkyrckie i Suerige skulle finnes gamble påffwebreff och statut så lydendes, att hoo sig setter moth retter Sueriges konung, han är i ban af samme gerning, och ingen haffver macht honom ther före afflöse, utan påffven sielff, at om sådane breff funnes ther, at the them medh sig haffue wille till thet möte som dhå holles skulle c).

1471. Her Stens scriffuelse til Sueriges riges rådh, at han sent j afftons hade bekomit theris breff scriffuit i Söndagx, innehollendes, thet k[onung] C[hristiern] hade seden her Sten foor theden latid

s) Die 2 Martii. De irruptione in Blekingiam fere nihil scimus (Cfr. Allen l. c. I. pag. 668, not 32). t) Diem Erasmus postea addidit. Suspicamur legendum: Tisdagen *före* S. Jacobi dag; i. e. d. 20 Julii. Cfr. Grönblad, Källor t. Finlands Medeltids Hist. pag. 326 seqn. et Handl. rör. Skand. Hist. XX. pag. 137 et 177—179. u) Falsum, quia Gustavus tunc sedecim annorum puer erat. Excerptum tamen servavimus, ut fons hujus dicti cognitus sit. Suspicamur Erasmum vidisse annotationem, Gustavum annum vicesimum secundum agentem in aula Stenonis officium quoddam suscepisse (cfr. P. Swart, Gust. I:s krönika pag. 3), et cum supra eum an. 1490 natum fuisse annotavit, hoc anno 1512 ascripsit v) Verisimile videtur, collatis literis apud Grönblad l. c. pag. 595. w) Codex D. 19. in anno 1516 subsistit, ut supra pag. 79 in præfatione diximus, quare exscriptum Hogenskildii hinc adhibendum est x) Kalfsvik adhuc vocatur prædium prope ecclesiam Öster Hanninge. y) Ultimum vocabulum ab Hogenskildio Bjelke est ascriptum. De ipsa proditione cfr. supra pag. 32. z) Scilicet Kristiernus secundus. a) Cfr. supra pag. 24, ubi causa mortis "pestilencia" vocabatur. b) Hæc forte e perdita parte Diarii Minorum sumta sunt. Karolus pater sepultus est die 4 Octobris 1440 (v. supra pag. 25); et Johannem ante d. 8 Decembris 1461 decessisse ostendunt literæ hæredum hujus diei (orig. membran. in Archivo regni). Anna Bylow in Chronico Genealogico infra edendo dicit: "Her Johan Karllson war en resog vngh man widh xx ahr gammal, han var oförsedher och drunknade wiidh Brunckaberg." c) Idem jam die 7 Decembris anno 1464 Karolus capitulo scripsit (vide Hadorph: Chronicon Rhythmicum II. pag. 235). Statutum ecclesiæ Suecanæ contra eos, qui adversus regem seditionem incitarent, jam anno 1279 prodiit (vide Diplomatarium Suecanum I. pag. 566) et postea ab Nicolao Ragvaldi Archiepiscopo reiteratum est, (Celse: Statuta Synodalia, ed. Reuterdahl, pag. 131).

Digitized by Google

vptage skip och båtar och sent folck i land, huar vdi the wel merckie kunde, at han litet eller intet wille holle aff then fred etc. Item beder han them, at the icke skole setie tro til the draffuels ryckte och segn, som förespå honom, the skulle intet tuiffuel finne medh honom anners än som medh en rätfärdig tro man. Datum ex Fellensbro d) feria qvarta infra assumptionis Mariæ e) anno 1471.

1472. Eodem anno f) s. Tome obiit domina Birgitta Göstaffzdotter, relicta domini Johannis Cristierni, et sepulta est in ecclesia Ryd.

Anno 1494 doo her Nils Sture höffuidsman på Stekeborg. Visitationis Marie antuardade han vp Westerås slot, lögerdagen ther nest epter g) doo hans husfru fru Birgitta Karlsdotter, Odensdagen ther epter S. Olaui dag h) kom her Nils til Stekeborg, Mondagen epter S. Bartolomei i) ther nest bleff han död, Torsdagen ther nest epter S. Katerine dag k) jordades han i Westerårs domkyrka.

1481. Rigsens rådz i Suerige leigde breff för her Iffuar Axelsson at komme til her Sten, huar honom tectis her i rikit til Åbo eller i skären med 50 personer. Datum Arnö 1481 Mongadagen (!) effter inuentionis S. Crucis l).

Anno 1504 die Agnete electus est in gubernatorem regni Sueciæ dominus Suanto Nilson Marscalcus regni.

Die Valentini educitur dominus Steno cum processione magna tam religiosorum quam clericorum extra ciuitatem Stockholmensem ad Gripzholm.

Die Blasii intrauit castrum Stockholmense illustris princeps et gubernator dominus Suanto Nilson m).

1516. Circumuallabat castrum Nicopense dominus Steno Sture feria sexta assumptionis Mariæ et eadem nocte destruxit et incineravit antemurale castri predicti, in quo inhabitabat dominus Steno Christierni et dominica die sequenti n) illud idem domino Steno[ni] Sture resignauit, deinde captus et ad castrum Stockholmense perductus et ibidem in captiuitate mortuus est.

Eodem anno destructa et incinerata est curia domini Stenonis Cristersson dicta vulgariter Salesta per prefectos principis scilicet Steffanum proconsulem Vpsalensem etc. o).

Eodem anno dominus Petrus Tureson violenter p) ad manus principis scilicet Stenonis Sture castrum Stekeholm resignauit, quia fuit in liga cum domino Stenone Christierni ad introducendum regem Daciæ scilicet Cristiernum.

1520. Och vdi samme dactingan brukade han q) myckit Biscop Heming Gadd, som han hade medh sig ifrå Danmark, then ther så wijt förhandlede medh fru Cristine, att hon vpgaff slottet och staden vdi kongens hender, Och förskicke[de] seden samme her Heming Gadd til Findland til att öffuerantuarde kongens befalningsmen alle the slot ther wore, nembligen Roloff Matzson Wiborg, Jöns Matzson Taffuestehus och Tile Gisle Rasborg. Något ther effter sende K. C[ristiern] Roloff Matzson breff och bud, thet han skulle late rette Biscop Heming Gadd. Ther öffuer Roloff Matzson bleff illa tilfreds, effter her Heming Gadd war honom med sin skickligheet och förstond myckit til hielp til kongens beste; lot så Roloff honom see samme breff, och låg vdi breffuet en zedel opå alle them, som kongen vdi Stockholm hade rette låtit. Gaff så B. H[eming] G[add] ther opå sådane swar. Thet haffuer iach tilförende hördt ware spått, att så skee skulle, men icke hade iagh trot at thet vdi thenne kongens tiid skee skulle. Men thet seger iach, att han skal bliffue så fördriffuin och skild ifrå land och rijke och komme i stoor fattigdom och älendigheet, så att han sig aldrig igen vprette skall r).

d) Fellingsbro est paroecia et territorium in præfectura Örebroensi. e) Die 21 Augusti. f) Sc. 1472. Si annus verus est, verba "s. Thome" diem "Thomas confessor" (7 Mars) vel "Tomæ Translatio" (7 Juli) respiciunt, quia d. 5 Septembris an 1472 Birgitta, ut mortua, a fratre Stenone Sture et marito Johanne Kristierni memoratur (v. Rääf, Ydre Härad, I. pag. 269). "Relicta" apertum erratum est, quia Johannes anno 1477 obiit (v. Diarium Minorum supra Tom. I. pag. 74). g) Die 5 Julii. h) Die 30 Julii, quæ hoc anno feria qvarta erat. i) D. 25 Augusti. Confirmatur per literas Erici Ottson militis d. 27 Octobris Sudercopiæ datas, quibus mentionem mortis domini Nicolai Sture Consiliariis Holmiæ congregatis die 21 Augusti allatam esse testabatur (literæ orig. membranaceæ in archivo regni). k) D. 27 Novembris. l) D. 7 Maji. Hoc valde vehemens discidium inter Stenonem et Ivarum atque Laurentium Axelsson, fratres, ortum erat ob feuda coronæ, quæ Ericus Axelsson tertius frater paulo ante (inter dies 16 Februarii et 28 Martii 1481) defunctus possedit. m) Ex eodem fonte, quo Olaus Petri, Erasmus hæc tria annotata hausisse videtur. n) Diebus igitur 15—17 Augusti. Brevem fpisse obsidionem dicit ipse Steno (v. Handlingar rör. Skandinav. Hist., XXIV, pag. 79). o) Peringsköld ex fonte non satis plane indicato et in anno falso eandem annotationem, paulo auctam, in Monumentis Ullerakerensibus (pag. 279) affert; ibi post verbum "Upsalensem" continuatur "et præfectum Helsingorum et Matthiam Laurentii præfectum in Stäkslän". p) Forsan pro: voluntarie. q) Sc. Kristiernus rex, cum Holmia anno 1520 ei redderetur. r) Decollatus est Hemingus d. 16 Decembris an. 1520 ante castrum Raseborg (Juusten. Chronicon episcoporum Finlandensium; vide Porthan Opera Selecta, Helsingfors 1859, in 8vo, pag. 595).

Digitized by Google

XIV.

E Saxonis Grammatici Historia Danica excerpta.

Nullus hodie snperest codex operis Saxonis, et jam cum prima editio anno 1514 Parisiis typis describeretur, unum tantum exemplar manuscriptum non sine magna difficultate deprehendi potuit, quare omnes sequentes editores hanc primam editionem pro fundamento ponere coacti sunt. Inter quos P. E. Müller et J. M. Velschow ultimi fuerunt *), quorum quidem editio, critica ratione elaborata omnibusque historiæ subsidiis ornata tam præ ceteris excellet, ut illam nos in his excerptis faciendis sequi non dubitaverimus.

Saxonem temporibus regum Valdemari I., Kanuti VI. et Valdemari II., id est tribus ultimis decenniis seculi XII^{i} et initio sequentis seculi, vixisse ex ipsius verbis certum est. Quo autem anno natus aut mortuus sit, nescimus, neque certi anni, in quibus opus inceptum et ad finem perductum sit, indicari possunt. Tamen ex præfatione Saxonis elucet, illum ultimam manum operi, quod hortatu Absalonis archiepiscopi inceperat, primum post Valdemarum II^{m} regem factum, i. e. post annum I202 imposuisse. Sed non minus certum est ex ipsius verbis, finem undecimi libri ante mortem Byrgeri Brosa, ducis Sueciæ, (anno 1202) scriptum esse **). Saxonem jam ante mortem Valdemari I (an 1182) in historia elaboranda versatum esse neque tamen prius quam post annum 1208 eam confecisse Velschow (v. prolegom. pag. XLIV—XLVIII) demonstrare conatur, quæ quidem res adhuc in tenebris involuta nobis videtur. Magis probabile illud nobis videtur, qnod idem ingeniosa argumentatione probare vult ***), Saxonem ultimos sex libros primum confecisse, deinde ad remotiora tempora conversum decem priores libros addidisse, ex quo minus difficile fit intellectu, cur Saxo, qui præfationem post annum 1202 scripserit, historiam ultra annum 1185 non continuaverit.

Omnium scriptorum Danicorum solum Chronicon Sialandiæ et epitomator ille seculi XIV, cujus compendium et continuatio in annum 1341 Thomæ Gheysmero vulgo perperam tribuitur †), Saxonis mentionem faciunt; inter exteros tantum Ericus Olai, Hemmingus Gadd et Albertus Krantzius, unde conjicere licet, librum Saxonis medio ævo parum cognitum fuisse. Neque omni dubio caret, Ericum Olai, sicut postea Olaus Petri, potius illo compendio supra nominato, quam ipso Saxone usum esse.

Quibus ex fontibus ipse hauserit, Saxo in præfatione commemorare non neglexit, ubi 1) carmina vetera heroica, 2) narrationes Islandorum. 3) quæ Absalon suo ore tradidit, ut præcipuos fontes affert. Ut aliorum quoque æqualium testimonia consuluerit et diplomata atque alia monumenta vetusta inspexerit, fieri potuit neque absonum videtur; qua tamen in re semper mirum videri necesse est, illi Adamum Bremensem, ut Velschow monuit, cognitum non fuisse.

Titulum "Historia Danica" nos quoque servavimus, quia omnes alii, etiam Velschow, eo utuntur, quamquam illi adsentimur, cum verbis chronici Sialandiæ et epitomatoris seculi XIV^{i} nitens, opus "Gesta Danorum" primo appellatum fuisse et titulum "Historia Danica" iis, qui primam editionem anno 1514 imprimendam curarunt, originem debere, contendit. Quis denique fuerit Saxo, quæ ejus conditio, si quis quærat, profitendum nobis est, id tantum sine ulla dubitatione hodie affirmari posse, Sialandum natione eum fuisse. Utrum autem præpositus Roskildensis an canonicus Lundensis fuerit, doctissimi viri inter se dissentiunt, ad quos igitur legentes relegamus ††).

*) Opus a Müllero ut manuscriptum pæne confectum post ejus mortem Velschow absolvit et edidit. Pars prior textum Saxonis et notas breviores in duobus voluminibus continens Hafniæ anno 1839 est impressa; pars posterior prolegomena et notas uberiores complectens primum an. 1858 edita est. Omnium editionum et diversarum in historiam Saxonis disquisitionum indicem reperis l. c. II. pag. XV. seqn. et apud Potthast: Bibliotheca medii ævi. **) Vide I. 2 pag. 592 in editione Mülleri vel nostrum ex eodem loco infra factum excerptum. ***) Prolegom. pag. XXXVII—XL et L, LI. †) Impressum in Script. rer. Danic. II. 286, seqn. Excerptum ex continuatione infra dabimus. ††) Vide Velschow proleg. pag. IV—XXVI. et Paludan Müller: "Hvad var Saxo Grammaticus og hvor er hans grav" disquisitio inserta in: "Indbydelse til de Offentlige Examina i Nykiöbings Cathedral Skole, Nykjöbing an. 1861". In hac (pag. 107–109) nova gravissima argumenta contra sententiam, Saxonem capitulo Lundensi ascriptum fuisse, afferuntur.

Digitized by Google

In excerptis hoc institutum secuti sumus, ut illa perantiqua tempora, quæ variis et quasi nebulosis sagarum fabulis ornata fere nulla historiæ fundamenta præstent, prætereuntes, ab extremo seculo decimo, cum primum historiæ lumen per res Suecanas diffunditur, initium ceperimus. Signis numerorum margini appositis paginas editionis Mülleri indicavimus, ut si quis forte in aliqua re Saxonem ulterius consulere voluerit, hoc eo facilius fieret.

Liber X.

479. — — — — Ea tempestate a) Sturbiornus, Suetici regis Biornonis filius, a patrui Olavi filio Erico b) regno spoliatus, petendi auxilii gratia ad Haraldum c), cui Thyra mater extitit, cum sorore Gyritha supplex migravit tantoque apud eum paratiorem amicitiæ locum reperit, quanto illi ejusdem sororis suæ matrimonium liberalius permisit d). Post hæc Haraldus armis Sclavia potitus, apud Julinum e) nobilissimum illius provinciæ oppidum, Sturbiorno duce, competentia militum præsidia collocavit. Quorum piratica egregio animorum robore celebrata ac finitimis paulatim trophæis alita eo demum ferocitatis excessit, ut continuis nautarum cladibus septentrionalem repleret Oceanum. Ea res plus Danico imperio quam ullum terrenæ militiæ negotium attulit. Inter quos fuere Bo, Ulff, Karlshefni, Siwaldus aliique complures, quorum prolixam enunciationem, tædio quam voluptati propinquiorem, stylo prosequi supersedeo. Inter hæc Sturbiornus, ultionis aculeo lacessente, acceptam injuriam pensare cupiens, Haraldo in opem accito, memorem damnorum iram adversus invisam Erici dominationem destrinxit. Cujus rei gratia Haraldus Hallandiam proficiscens, Theutonicæ irruptionis nuncium, quæ a Cæsare Othone gerebatur, accepit. Igitur alienæ rei impetitionem quam propriæ defensionem langvidiore studio prosecutus, externæ pugnæ proposito domesticæ curam anteposuit, reflexoque in Jutiam cursu, ad opem oppressis ferendam præcipiti celeritate contendit. Sed eo superveniente, Cæsar Jutiam vtpote regio ductu vacuam nullo resistente permensus, cum Lymici sinus objectu tunc temporis Wendalam aquis claudentis ulterius excurrere vetaretur, conjecta in undas lancea non solum iter ad Eydoram reflexit, verum et simillimum fugæ reditum habuit. Siquidem hastam, cujus usum habebat, maritimos in fluctus relinquendi monumenti gratia jaculatus suum freto vocabulum indidit f). Verum ut impetu gravis, ita exitu vanis apparuit. Haraldus quippe ardentissimo cursu abscedentes hostium reliquias insequutus, Epponem extremi agminis ducem cum iis quos reperit trucidavit. Interea Sturbiornus, contumeliosa militum adhortatione compulsus, fortunam suam temere sociorum fortitudini credidit inque proprium exitium ruens regiarum partium reditum stolida præcessit audacia. Bellum enim præpropere ausus, rebus Sveonum per incuriam lacessitis occiditur. Et sane hostilibus gladiis ultro jugulum subjicit, quisquis in urgenti aliquo discrimine magis alienæ temeritati quam propriæ obsequitur providentiæ g). *(Deinde Saxo merita*
482. *Thyræ matris Haraldi memorat, quia munimen Danavirki exstruxerat).* Eadem quoque, cum sub specie fœminæ virilem animum gereret, Scaniam Suetica dominatione compressam præstandi tributi onere liberavit.

— —

(Narrat Saxo, quomodo mortuo Haraldo Blåtand filius ejus, Sven rex, religionem Christianam im-
495. *pugnat).* Nec tamen erga desertorem sacrorum principem divinæ correptionis aculei quieverunt. Nam Svetiam quoque Danorum rebus infestam fecere. Cujus rex Ericus, agnomen a victoriis mutuatus, per Haraldum jampridem latam Sturbjorno adversus Sveones opem memoriæ subjiciens perquam graviter in Svenonis caput exarsit. Utque sui vindictam perageret, exercitum in Daciam trajecit, expugnatione filii parentis noxam pensare cupiens. Quamquam enim eum arctiore materni sanguinis nexu contingeret h), iram tamen affinitati prætulit eo quidem fidentius, quod Svenonis fortunam sæpius ægram atqve fractam ac crebris detrimentorum incursibus lacessitam, suam jugiter in summo felicitatis cardine versatam noverat. A quo Sveno bello Scanico victus, relicta excellentis pulchritudinis filia Thyra aviæ nomen referente i), (quæ qua matre orta fuerit ignoro) Olavum Tryggonis filium, Norwagiæ regimen gerentem k), exilio petivit

a) In proxime superioribus lineis Saxo mortem Haqvini boni, regis Norvegiæ, [quæ an. 961 contigit] exposuit. b) Islandici scriptores Styrbjörnum filium Olavi et Olavum atque Ericum "Segersäll" filios Björnonis fuisse dicunt. c) Cognomine "Blåtand". d) Hic Saxo res nonnihil perturbavit. Islandi de matrimonio inter Haraldum et hanc Gyritham silent, contra Styrbjörnum Thyram filiam Haraldi uxorem duxisse, quæ postea Olavo Tryggvason regi Norvegiæ nupta sit, narrant. e) Ab Islandicis Jomsborg appellabatur. Prope urbem Wollin situm fuisse putatur. Cfr. Adamum Bremensem. Lib. II. cap. 19. f) Oddesund est pars sinus Lymici in Jutia septentrionali. Dahlman ("Danmarks Historie, Kjöbenhavn 1840" I. pag. 98) hanc expeditionem Ottoni Imo et anno 965 tribuit. Munch (Norges Historie I. 2. pag. 89) autem illam in annum 975, Ottone IIo regnante, refert. Cfr. Mülleri editionem Saxonis II. pag. 285—287. g) Proelium in "Fyrisvall", ubi Styrbjörnus cecidit, aliquanto post expeditionem Cæsaris commissum esse certum est. De anno adhuc ambigitur. Cfr. Munch l. c. pag. 101 not. 2 et Vigfusson: Vm timatal etc. (insertum in: Safn till Sögu Islands) pag. 338. h) Supra enim Saxo tradidit, Gyritham, sororem Styrbjörni, Haraldo filium Svenonem peperisse. Munch l. c. 71, 72 hanc rem infirmare conatur. i) Saxo hic confusione quadam Thyram, sororem Svenonis, filiam ejus fuisse tradit. k) Olavus eo tempore, quo Sveno e Dacia fugatus est, nondum erat rex Norwegiæ. Ordinem annorum a Saxone admodum conturbatum Müller (l. c. II. pag. 304—307) et Munch (l. c. 125, 126, 223—225, 239, 242, 268 et 311) explicare studuerunt.

Digitized by Google

eo quidem ampliori spe, quod patrem ejus jampridem regno exactum Haraldi succursu restitutionem impetrasse meminerat. *(Tam hic quam in Anglia repulsam passus in Scotiam fugit et fidem christianam com-*
497. *plectitur).* Nec segniter poenitentiæ beneficio permulsa Deitas propitii numinis favore pristinum ei fortunæ splendorem conciliavit, amorque ipsius septimo l), decedente Erico promptum regni introitum struxit, pro exilio patriam, pro paupertate amplissimum decus ac summam largita potentiam. Nam Erici filius Olavus cum matre Syritha m) Svetiam repetivit, ibique degens regnum materno arbitrio subjectum habuit. *(Deinde propagationem Christianismi in Dacia Saxo describit et quomodo Olavus rex Norvegiæ a Bernardo Anglico*
501. *baptizatur).* Consimilis ejusdem pontificis n) industria Suetiæ regem Olavum ad Christiana sacra perductum Jacobi nomine venustavit o), morum profectui decus vocabuli tribuens. Utrum autem idem rex ab eo, an a Bremensium pontifice Unnone p) sacrorum usum disciplinamque perceperit, parum comperi. Eo tempore Lundenses sacrarium moliti, sub Gerbrando Roskildiæ præsule rem divinam domestici templi religione gesserunt. Ceterum Unnonis corpus Bircæ, oppidum veteri fama inclytum, Bernardi Lundense hypogæum tenet. Interea rex Norwagiæ Olavus, adhuc coelebs, fruendæ claritatis potiendæque Daniæ cupidine instinctus, quo facilius voti se compotem redderet, petitis Syrithæ nuptiis Sueticas partibus suis vires applicare curavit. — —

512. *(Nuptiis inter Kanutum Magnum et Emmam celebratis* q), *innumerabilem regis munificentia allectam clientelam memorat).* Cujus munificentiæ gratia Ulvonem quendam e Svetia accersitum, dolis magis quam viribus insignem, in militarem ordinem allici contigit. Cujus quoniam incidenter mentionem egi, ortum summatim disseram. *(Seguitur illa cognita historia, quomodo ursus eximiæ granditatis puellam familiæ cujusdam Suecicæ rapuit et ex illa filium procreavit).* Nato itaque filio paternum a necessariis nomen imponitur. Qui tandem agnita suæ veritate propaginis a patris interfectoribus funesta supplicia exegit. Cujus filius Thrugillus cognomine Sprageleg, nullo probitatis vestigio a paternæ virtutis imitatione defecit. A quo Ulfo genitus originem ingenio declaravit, avitum animo sanguinem repræsentans r).

Ceterum ut ad diverticulum, quo excessi, redeam, Olavum s) cum Haraldo fratre Danis atrociter imminentem Canutus classe ex Anglia petitum [ɔ: -ta] ad socerum Gerithaslavum Orientalium ducem t) exilio migrare compulit; recuperataque Norvagia rediens Rikardum, acerrimum uxoris osorem effectum patria exegit u); sed et sororem Sialandiæ redditam regiarum partium functione donavit. Interea absumpto Sveonum rege Olavo, succedit Omundus e vitæ diuturnitate cognomen sortitus v). Cujus fato Olavus Norvagiensis repetendæ patriæ fiduciam nactus, contracta Sueonum ope, Norwagiæ summam audaci usurpatione corripuit, quod Canutum fra-
516. ternæ opis cassum x) ac celeberrima virium parte defunctum adverteret. — — — — *(Merita Olavi in religionem christianam exponuntur)* y). At Ulvo ob virtutis æmulationem gravibus in Canutum odiis efferatus, quia tuto inimicitias gerere nequibat, quo efficaciores insidias necteret, instrumentum doli simulatione officii texit. Suetis enim assidue Scaniam irrumpentibus, primus ad constringendos eos proficisci poposcit: impetratisque petiti ministerii partibus, Estritham quæcunque imperasset exequi literis signatorio annulo impressis juberi petivit. *(His literis usus Estritham ad nuptum commovet).* Et ne Canutum in Dania ultorem opperiretur, declinandæ vindictæ gratia in Suetiam sibi cum conjuge transeundum providit. Ubi invadendæ Daniæ propositum pertinacius animo volvens, Omundo Olavoque consilii participibus factis, alteri maritimis Sialandiam copiis alteri Scaniam terrestribus impetendam proponit, ipse se classem e Suecia ducturum promittit. Cujus rei molitione detecta, Haquinus quidam e villa Stangby, amantissimus regis, arrepta quam celerrime navigatione, Canuto cuncta ex se cognoscendi copiam tulit, eaque humanitate, quanta principis ac patriæ cari-

l) Sc. anno: quod excidisse videtur. m) Sigrid Storråda vulgo appellata, quæ postea inter annos 998 et 1000 Svenoni Tjugeskegg nupta est. n) Sc. Bernardi. Nostri scriptores S. Sigfrido hunc honorem tribuunt. De anno cfr. infra sect. II. pag. 115 not. a. o) Saxo hic Olavum cum filio Anundo, qui in baptismo nomen Jacobi accepit, confundit. p) Unni jam anno 936 Bircæ mortuus est (teste Adamo Bremensi I. cap. 64). q) Anno 1017 secundum Chronicon Saxonicum. r) Björn igitur erat nomen patris Thrugilli. Unde haud improbabilis fit conjectura Langebekii (v. Script. rer. Danic. III. 281 not. m.; cfr. pag. 287, 288) cui Munch (l. c. pag. 101 not 1) assentitur, Styrbjörnum supra memoratum, qui in Fyrisvall occubuit, avum Ulfonis fuisse. Ita declaratur, cur Ulfo ex Suetia accitus esse dicatur et quomodo fieri posset, ut sororem Kanuti potentissimi regis in matrimonium duxerit. s) Sc. Olavus Haraldson, cujus frater Haraldus Hårdråde tamen puer duodecim annorum erat, cum Kanutus an. 1028 Olavum in Sveciam et Russiam fugere coegit. t) Jaroslavus rex Holmgardiæ (Novgorod), qui Ingeburgem, filiam Olavi Skotkonung et sororem Astridis, uxoris Olavi Haraldson, in matrimonio habuit. u) Saxo enim supra memoravit, Kanutum sororem Estridem primum Rikardo duci Norrmanniæ nuptum dedisse (circa annum 1017). Adamus Bremensis fere idem dicit (II. 52), quamquam eam Margaretam nominat. Tamen hæc tota de primo matrimonio Estridis narratio suspecta est (v. Mülleri editio I. pag. 512 et 514 et Munch l. c. 477 not. 5, qui Ulfonem sine dubio jam an. 1016 Estridem uxorem habuisse monuit. v) Olavo Skotkonung mortuo (jam 1021—22, Munch l. c. pag. 612) successit Anundus, cujus nomen etiam scribitur Amundus, quem Saxo nominum similitudine deceptus, cum fratre Emundo, cui cognomen Gamal (senex) dabatur, hic confudit. x) Saxo enim Kanutum, sicut Olavum Skotkonung, filium Sigridis Storråda fuisse arbitratur. Kanutum vero in primo matrimonio Svenonis Tjugeskegg cum Gunnhild filia Mieczyslavi, ducis Poloniæ, esse procreatum Munch demonstravit (l. c. pag. 126 not. 1). — Præterea temporum seriem Saxo omnino pervertit; quod annis, quos in notis singulis eventibus assignavimus, comparatis statim patet. y) Sequens narratio diversorum errorum plena est. Munch ad quem legentes referimus (l. c. pag. 678—685 et 725—735) de hac re copiose disputavit; ex iis, quæ attulit, hæc præcipue nobis hic memoranda videntur 1) Ulfonem comitem jam anno 1016 Estridem uxorem habuisse et filium ejus Svenonem probabiliter circa annum 1018 natum esse, 2) pugnam apud fluvium Helga anno 1027 commissam esse testibus sagis vetustis, dum Chronicon Saxonicum perperam annum 1025 exhibet, 3) dubium esse, num Ulf comes a partibus Olavi et Anundi regum steterit; fieri enim posse, ut scriptores nomina Ulf et Olaf permiscuerint.

Digitized by Google

tate teneretur, aperuit. Rex tantæ conspirationis nuncium exercitu subsecutus, ne rumoris autorem præmio vacuum præteriret, fidem nuncii, quod et longam et periculosam navigationem egerat, præmii loco duum jugerum agri Scanici donatione pensavit.

Interea Olavus, classe sua apud insularum unam acquiescere jussa, habili expeditoque navigio Sialandiam petiit. Ubi accersitum concionis nomine populum ad deditionem, quam potuit, disertissimo provocabat colloqvio, modo universorum modo singulorum compositis blanditiarum figmentis animos demulcendo, eam demum tutiorem potentiam credens, quæ pace magis quam prælio constitisset. Igitur a majorum quodam astu benignissimæ responsionis exceptus, simulatum plebis favorem spe eximia complectebatur. Tandem inter varium plebis tyrannique sermonem speculatorum unus ex maritimis superveniens, grandia terris vela propinquare narrabat. Igitur fluctuantem Olavum senior, regis adventum opperiens, interrito se animo gerere cohortatus, consvetam littoribus mercem advehi prædicabat, non aliam premendi inimici occasionem aptiorem futuram ratus, quam si odium benevolentiæ specie suppressisset, spemque ejus vano sermone protrahere potuisset. Secundo quoque pari nuncio accepto, concionantis metum consimili affirmatione discussit. Tum demum Olavus assertionem ejus suspicione insecutus, emissum in littus speculatorem explorare jubet, Canutusne esset an negociatorum aliqui venientis exercitus speciem præbuissent. Quo reverso seque frequens classe pelagus prospexisse perhibente, continuo senem mendacii damnans colloquium solvit. Ille nihilominus vera se omnia retulisse contendens, eos adventare dicebat, a quibus Daniam ferro comparare quis posset. Olavus vix fuga usus, pertinaci remigio sociam repetit classem. Subinde Canutus portum classe complexus, victum labore remigem nocturna quiete firmavit. Ubi ab incolis, Omundum terrestri agmine Scaniam, Ulvonem navali fluvium Helgam z) occupasse cognoscit. Ipse igitur Omundum excipit, classem ad opprimendos, qui ad amnem appulerant, mittit. A quo cum navium duces Omundum apud Stangam montem a) insigni pugna obrutum comperissent, ipsi quoque consentaneam fortitudinis operam edere cupientes, ne rege audacter agente, ignavum gessisse militem viderentur, quo promptius in eam, qvam hostes occupaverant, insulam trajicerent, aliam eidem vicinam ingressi medium amnis spatium contabulatis molibus sternunt. Illic siqvidem fluvius, latius manantibus aquis, amnis modum excedens ingentis stagni speciem præbet. Tum Ulvo suos, ne hostem coepto deturbarent, admonitos trajicientem telis eminus ac sagittis incessere jubet, futurum taliter inquiens, ut ipse sua sibi manu ultimam fati semitam strueret. Progresso vere longius opere, veluti nostros transitu prohibiturus in adversa ripa phalangem explicat. Quo viso Dani trajiciendi cupidiores effecti, frequentes oneravere pontem. Ubi dum conserti, sed in quam periculosum iter progrederentur ignari, bellum instanter appetunt, subito desidente congerie inter undas avidum pugnæ spiritum deposuerunt. Si quem vero (ut in eo discrimine accidere solet) semel ad summum fluctus retulit, protinus alterius amplexibus implicatus in profundum perituras abstrahebatur. Ita dum mixti atque alius alii cohærentes invicem opem exigunt, mutuo sibi exitum pepererunt et quem salutis quis autorem petiit, infelicem fati comitem habuit. Neque enim armorum pondere pressi tutum natandi eventum assequi potuerunt. Ita Ulvo Danorum deceptor magis quam victor alienat temeritate, quod propriis viribus nequibat, obtinuit, certissimam hostium virtutem salubrius cunctatione pugnæ quam impetu proculcando. Cujus facinoris insecuturam metuens ultionem, quod sibi hinc classem obstare, inde regem imminere conspiceret, salutis obtinendæ consilium, ut viribus difficile, ita arte promptissimum reperit. Fugam namque diligentius animo circumspiciens, cum unicum ejus diverticulum in classis desertione restare animadverteret, noctu, majoribus navigiis relictis, in proximam ripam universum scaphis trajecit exercitum sicque clandestino secessu usus potitum latebris agmen abducit. Diluculo Dani sociæ cladis ultionem avidius sitientes, dum in hostium navigia irruunt, eadem propugnatore vacua reperiunt. Rex, lacu lustrari jusso, mersorum corpora uncis aut everriculis capta apud Asum b), contiguum amni oppidum, supremis procuravit officiis. Olavum vero per Norvagiensium quosdam pecunia a se corruptos domestico bello opprimendum curavit c).

(Mortuo HardeCanuto [1042] et Magno, filio sancti Olavi, in regem Daniæ electo, Sven Estridson, Anglia
543. *relicta, cum Magno in Jutia manus conserit et vincitur).* d) Cumque se omni auxilio desertum nec hostium tantum, sed etiam suorum contemptu perfusum videret, Sialandiam Scaniamque prætergressus, Svetiam maternæ necessitudinis fiducia e) petere cogitabat. Quem Magno terra marique pertinacius insequente in Jutiam re-
545. pente Sclavicus effudit exercitus (*Magnus eos prosternit*). Sveno vero desperatis jam rebus in Scaniam ut

z) Adhuc nomen "Helgå" hic amnis in septentrionali Scania fert. a) Montem hujus nominis in parochia Winslöf et territorio Vestra Göinge exsistere Suhm (Danm. Hist. 3 pag. 634) monens, distantiam locorum non observavit. Scriptor Svecus Saxone recentior Emundum, Anundi successorem, in proelio contra exercitum Kanuti apud pontem Scaniæ, Stangapelle, cecidisse narrat (v. supra Tom I pag. 4), quod jam ex eo refellitur, quod Emundus regnum post mortem Kanuti accepit. b) Hodie Åsum ecclesia prope Kristiansstad. Minus recte refertur ad Åhus (antea Aos, id est ostium amnis) oppidulum in ostio fluminis Helga situm. c) In pugna apud Sticklastad anno 1030. d) In sequente narratione Saxo eventus annorum 1043—1047 quasi in unum annum contraxit, ut e sagis Islandicis et Adamo Bremensi elucet. Cfr. uberem expositionem, quam facit Munch in Tomo IIo historiæ Norvegiæ. e) Estridis mater Svenonis erat filia Sigridis Storråda et Svenonis Tjugeskegg.

Digitized by Google

diximus profectus, Svetiam (nam paternum inde genus traxerat) revisere proponebat. Quem Magnus concitato animi impetu subsecutus, cum oppidum Alexstadiam f) præteriret, deturbato per occursum leporis equo, trunco cujus præacuti forte stipites eminebant, adactus exstinguitur. — — — —

Liber XI.

(Cædes Haraldi Hårdråde (anno 1066) *memoratur, deinde corrupta vita Svenonis Estridsson regis describitur liberique ex pellicibus nati nominantur).*

557. Tandem rex animum suum ab illecebris luxuriæ et immoderato Veneris usu retractum genialis tori castitate cohibere constituit. Ut ergo multorum pellicatuum experientiam decenti nuptiarum usu uniusque matrimonii lege redimeret nec talibus ulterius cubiculis majestatis suæ vigorem absumeret, Gutham, Suetico rege genitam g), sanguine conjunctam sibi legitimæ prolis cupiditate complexus simulata conjugii religione collegit ejusque coitum pro matrimonio habuit. — — — — *(Eginus tamen episcopus Lundensis et*
559. *præsertim Vilhelmus Roskildensis pontifex conscientiam regis ita agitant, ut Gutham a se removeat).* Gutha quoque paternos penates repetens, susceptis viduitatis insignibus cum summa morum sinceritate consenuit castitatemque votis professa virilis concubitus experientiam abdicavit et, quia injusto se toro maculaverat, nullum ulterius sibi juri esse permisit. Sanctitatis siquidem amplexa propositum reliquum vitæ tempus coelebs exegit, ingentique pudicitiæ severitate illiciti concubitus noxam licentis evitatione pensavit. Sed nec inerti otio tempus effluere passa, quotidiana consuetudine exquisita sacrariorum ornamenta fingebat inque eandem operam continuam ancillularum curam cogebat. Inter quæ chlamydem sacerdotalem sutilibus sigillis excultam preciosæque materiæ impensa ac mirifici operis arte elaboratam Roskildensi sacrario doni nomine largita est. Alia quoque complura divini cultus insignia sacrorum usibus operata est. — — —

(Post mortem Svenonis [1076] *ejus filii Haraldus et Kanutus de regimine certant; Haraldus eligitur; Kanutus fugit in Scaniam).*

571. Ubi fraterna legatione regni communionem spondente reverti monitus, spretis mandatorum blanditiis Suetiam fugibundus intravit h), perquam stultum ratus ejus se promissis infracta fortuna credere, cujus eadem adhuc vigente, minas acceperit. Mox perinde atque injuriarum oblitus, intactis patriæ rebus bellum adversus orientales vivente patre coeptum enixe prosequitur — — —

(Cædes Kanuti regis exponitur i).

592. Hæc audiens regina patriam k) cum filio impubere repetit, geminis post se relictis filiabus; ex quibus Ingertha Folconi, Sueticæ gentis nobilissimo l), nupta Benedictum Kanutumque filios habuit iisdemque mediantibus m) Birgerum, qui et nunc exstat, Suetiæ ducem n) cum fratribus suis nepotem accepit. Verum ex Ceciliæ matrimonio Ericus, Gothorum præfectus, Canutum cum Carolo o) procreavit, ex quibus generosissimarum imaginum numerosa posteritas clara propinquitatis serie cohærens emersit. — — — —

Liber XII.

(Dani post cædem Kanuti Olavum fratrem regem eligunt).

595. Quod audiens Ericus p), contumeliæ memor, quam ei communis fratris jussu inflixerat, ultionis metu cum conjuge Botildâ, quæ Ulvoni Gallitiano ex filio Thrugoto neptis obvenerat, Svetiam petivit. — — — —
600. *(Moritur Olavus rex)* q). Huic Ericus natu proximus e Suetia revocatus magno omnium favore sufficitur. *(Erico Bono in Cypro insula defuncto, Dani fratrem ejus Nicolaum regem faciunt* r)).

Liber XIII.

616. — — — — Duxit s) autem Margaretam patre Ingone, Sveonum rege, matre vero Helena natam, cujus castitatem rex Norvagiensium Magnus conjugio deliberavit t). Qui cum sedulo Sveones adortus in Hallandenses etiam arma proferret, inopinata eorum irruptione perculsus, ut erat calceamentis vacuus pro-

f) Langebek (Script. rer. Dan. I. pag. 56) putat, Alexstad, hodie Alsted pagum in Sialandia haud procul Sora hic respici. Islandi contra Magnum in classe apud Jutiam an. 1047 obiisse narrant. Cfr. Munch. l. c. II. pag. 155. g) Doctissimi viri, Langebek (Script. rer. Danic. III. pag 335, not. a) et Munch (l. c. I. 2. pag. 315, not. 4 et II. pag. 189, not. 2) ad hanc occultam rem illustrandam ingenii acumen et eruditionem adhibuerunt. Uterque Svenonem bis matrimonium iniisse sc. cum Gyda filia Anundi Jacobi, regis Sveciæ, et cum Gunnhilde, vidua ejusdam Anundi, judicat; quæ autem prima fuerit uxor, concordare nequeunt. h) Hanc Kanuti fugam in Sveciam, si vera est, inter mortem patris an. 1076 et annum 1080, quo mortuo Haraldo fratre rex Daniæ electus est, incidisse necesse est. i) Anno 1086. k) Sc. Flandriam. Nam Edla vel Adela vidua Kanuti sancti erat filia Roberti comitis Flandriæ. l) Est ille celeberrimus gentis Folkungorum progenitor. Recentiores scriptores etiam patrem avumque ejus memorant (v. Genealogiam folkungorum infra edendam). m) Ericus Olai (supra Tom. II. pag. 40) Kanutum patrem Birgeri Brosa ducis facit. Genealogia Folkungorum, quam Olavus Petri pag. 56 et Chronicon Skibyense [Script. rer. Dan. II. 556] adhibuisse videntur) Benedictum, cognomine Snifvels, procreasse Birgerum narrat. n) Birgerus Brosa, dux Svetiæ, primum anno 1202 obiit. Fratres ejus erant Karolus dux et Magnus Minniskiold. o) Kanutus et Karolus sine dubio iidem sunt, ac fratres ejusdem nominis, qui infra Svenonem (Grathe) in expeditione contra Sverkerum seniorem anno 1153 sequuntur. Ericus dux cum filiis Kanuto et Karolo anno 1145 testes sunt diplomatis Eskilli archiepiscopi. De prole Erici cfr. Script. rer. Danic. III. pag. 277 not. n et pag. 630 et Mülleri editionem Saxonis I. 2. pag. 896. p) Ericus "Eiegod" vel Bonus vocatus, postea rex Daniæ 1095—1103. q) Anno 1095. r) Ericus obiit 1103, Nicolaus eligitur 1104. s) Sc. Nicolaus, Svenonis filius, rex Daniæ. t) Margareta, cognomine Fridkulla, anno 1101 Magno Barfot desponsata et anno 1103 illo orbata, brevi post Nicolao nupta sit necesse est, cum Magnus filius jam anno 1127 matrimonium init.

Digitized by Google

brosum ad naves recursum habuit ejusque fugæ deformitatem etiam cognomine usurpavit u). Cujus manum Ingo saluti suæ perniciter imminentem ferre nequiens, merendæ pacis gratia filia ei in matrimonium tradita periculum beneficio repulit. Ex hac itaque Margareta Magnus prolem non sustulit, Nicolaus infelicibus sobolem auspiciis propagavit. Cujus filius Ingo initio adolescentiæ effrenis equi lascivia excussus ejusdemque ungulis artuatim obtritus, splendidissimum sanguinem luteis viarum sordibus erogavit tristissimoque fati genere consumptus, sparsis viatim membris lacerum humi cadaver jacuit. Pædagogus quippe eum equo assuefacere cupiens habenas manu continere permisit, quarum regimini intempestivus adolescens, pede subselliis inhærente, contiguum solo corpus habuit. Magnus vero felicioribus naturæ quam fortunæ incrementis evectus, teterrimum consanguineæ cædis piaculum edidit atque ad notissimum perfidiæ exemplum evasit. Cui mater ampliorem propinquorum favorem affinitatum beneficio creare cupiens, Henrico v) Regnaldi fratris x) filiam, Ingertam, Canuto y) Ingiburgam, sororis filiam z), conjugio copulavit. Paterna vero bona in æquales admodum portiones partitione redegit, unam sibi, cæteras nuptis, quas præfatus sum, divisionis parilitate contribuens. Hinc Danorum Sveonumque dissensio orta ac deinde compluribus inimicitiarum incrementis coalita ad hoc usque tempus veteris odii tenacissima perseverat. — — —

928. *(Kanutus Laward ducatum Sleswicensem accipit et postea fit dominus Slawiæ a), litem inter Haraldum et Ericum fratres suos componit).* Eodem tempore Henrici Svenonis filii conjunx b), mariti convictum ingenti perosa fastidio, aliena veste sumpta, suis se penatibus intempesta nocte subduxit. Apud quam juvenum quidam (ut fama est) plurimam obsequio familiaritatem adeptus callide effecit, ut ad suum eam amorem perduceret. Deinde ne res amborum periculo proderetur, muliebriter allectam, viriliter cultam furtive devexit. Quam vir ejus fortuitis subsecutus indiciis apud Alaburgiam in cultu familiari deprehensam, amatore delapso, domum reduxit. Verum hanc ignominiam a clandestino Canuti consilio profectam ratus, integerrimi viri innocentiam tacitis suspicionis motibus insontem notabat.

Interea Sveticarum partium rege absumpto c), Gothi summam, cujus omne pene Sveones arbitrium erat, Magno deferre ausi, alieni privilegii detrimento dignitatis sibi incrementa quærebant. Quorum Sveones autoritate contempta veterem gentis suæ prærogativam in aliquanto obscurioris populi invidia deponere passi non sunt. Igitur antiquæ dignitatis speciem intuentes, titulum injusta collatione præreptum novi regis electu d) cassarunt. Qui mox a Gothis trucidatus, morte Magno imperium cessit. At Magnus incidentem sibi nuptiarum cupidinem Polonorum præsidis Bokisclavi filiam e) postulando complevit. — — — —

930. *(Magnus Ripis celebrat nuptias, quibus etiam Kanutus interest).* Idem postmodum Orientis partes piratica pervagatus cum speciosa domum spolia retulisset ideoque se dignitatis incrementa accepturum speraret, pro gratia accusationem expertus est, culpatus a rege, quod in re Svetica prædam egisset f). Cujus operam valenter editam consimili probitatis genere æmulatus Magnus, inter cætera trophæorum suorum insignia inusitati ponderis malleos, quos Joviales vocabant g), apud insularum quandam prisca virorum religione cultos in patriam deportandos curavit. Cupiens enim antiquitas tonitruorum causas usitata rerum similitudine comprehendere, malleos, quibus coeli fragores cieri credebat, ingenti ære complexa fuerat, aptissime tantæ sonoritatis vim machinarum fabrilium specie imitandam existimans. Magnus vero Christianæ disciplinæ studio paganam perosus, et fanum cultu et Jovem insignibus spoliare sanctitatis loco habuit. Et adhuc quidem eum Sveones perinde ac coelestium spoliorum raptorem sacrilegum autumant. Sed utinam initiis ejus exitus respondisset. — — — —

u) Saxonem morem vestiendi Scotorum, quem Magnus adoptaverat, ignorasse manifestum est. Proelium memoratum est illud an. 1101 apud Foxerna (in territorio Vestrogothiæ Flundre). v) Henricus (Skatelär vocatus) erat filius Svenonis Estridsson regis; ex eo Magnus, qui anno 1160 Ericum sanctum, Sveciæ regem, occidit, natus est. x) Ragvaldus ille filius Ingonis senioris alias vocatur. y) Hic est Kanutus "Laward", dux et martyr, filius Erici Eiegod et pater Valdemari primi. z) Parentes Ingeburgis erant Mstislav vel Harald Wladimirovitch magnus princeps Ruthenorum et Cristina filia Ingonis senioris. Cfr. Genealogias regum et Sagas Islandorum infra excerpendas. a) Kanutus, teste Helmoldo, Slaviam ab Lothario imperatore anno 1129 accepit. b) Sc. Ingerdis supra memorata. c) Hic Ingo junior, filius Halstani, respicitur. Quo anno obierit nullibi narratur. Successor ejus in Svecia Ragvaldus Knaphöfde dicitur occisus esse an. 1130 vel circiter (Ericus Olai supra Tom. II. pag. 42). Saxo Ingonis mortem et electionem Magni ante expeditionem, in qua conjux Magni a Polonia deferebatur narrat. (Quo anno expeditio facta sit incertum. Suhm in Historia Danica V. 213, 297 annum 1127 affert. Dahlman I. pag. 274, 275, seriem Saxonis sequens, 1130 conjicit). Et in oratione Kanuti Lavardi (vide excerptum paulo infra) postquam rex Obotritarum factus est, quæ igitur ad annum 1129 vel 1130 pertinet, Saxo Kanutum dicentem facit, Magnum *nuper* regis nomine apud Gothos potitum esse. Munch (l. c. II. pag. 672) mortem Ingonis usque in annum 1123 retrudere vult. d) Sc. Ragvaldus Knaphöfde, cujus in scholio superiore mentionem fecimus. e) Rikiza filia Boleslawi III^{i} regis Poloniæ ter erat nupta 1) Magno Nicolai anno 1134 apud Fotevig occiso, cui Kanutum V. peperit. 2) Volodaro Glebowitch, principi in Minsk, cui Sofiam uxorem Valdemari I. regis Daniæ genuit. 3) Sverkero seniori (1156 occiso) in secundis illius nuptiis, cum quo filium Boleslawum habuit. Cfr. Script. rer. Danic. II. pag. 162, not. h et Munch l. c. III. pag. 29. f) Müllerus I. 2 pag. 630 not. 2 hoc partem Estoniæ, quæ forte ditioni Sueticæ subjecta erat, significare putat. g) Saxo ita vertit vocabulum Svecanum: "Thorshamrar". Cfr. Müllori explicationem pag. 630.

Digitized by Google

(Magnus suspicionem patris incitat contra Kanutum, qui tamen se longa defendit oratione, in qua
634. *inter cetera hoc excidit.)* Esto vocari me regem; en filium tuum Magnum nuper apud Gothiam regii cultus et nominis insignibus potitum comperimus. — — — —

(Kanutus dux a Magno interficitur [d. 7 Januarii 1131] h*); quam ob rem Nicolaus rex Magnum*
643. *a se alienare cogitur).* Arbitri siquidem regis facultatem exilii, quod Magnus apud Gothiam, cujus rex esset, agere poterat, intuentes, conditione utendum monebant, futurum rati, ut interim in omnium animis odii ejus habitus exolesceret ipseque prolixioris absentiæ beneficio mitiorem patriæ sententiam reperiret. Populum quippe exilii ejus miseratione movendum, iram, quam sceleri inflixerat, poenitentiæ remissurum sperabant. Ita pacato popularium motu, rex Jutiam, Magnus Gothiam, exilii speciem præbiturus, petivit. — — —

(Ericus Emun, frater Kanuti, ab Lothario imperatore juvatur i*), sequenti anno Magnum apud Sy-*
651. *ram vincit* k*). Haraldus Kesia, frater Erici, ab illo desciscit).* Interea Sveones, quod Magnum domesticis bellis occupatum audierant, Sverconem quendam, mediocri inter Sveones loco natum, regem constituunt l), non quod illum tantopere diligerent, sed quia externi hominis imperium recusarent, cervices indigenam ferre solitas peregrino duci submittere formidantes. Hic Sverco Ulvildam Noricam, quam Nicolaus in matrimonium, emortua Margareta, receperat, amatoriis primo legationibus sollicitatam, mox viro furtim abstractam ad suum usque connubium perduxit m). Cujus coitu pro conjugio usus Carolum ex ea, qui et post ipsum in Svetia regnabat, suscepit. Per eadem tempora divi Canuti filia, jampridem regi Noricorum desponsa, per legatos ab eo in Daniam missos nuptura ducitur. n). —

(Hibernis peractis Ericus apud Weram pontem superatus, ad Norwegiam fugit, ad Scaniam circa
655. *natale domini revertitur).* Aestate o) vero præter Scanicam omni Danica classe contracta ad Fotam sinum p) appulit q). — — *(Pugna describitur).* Neque bellum aliud crebriorem pontificum cruorem absumpsit. Quippe Petrus Roskildensis et Henricus, Sueticarum partium pontifex r), omnesquæ Jutiæ præter unum antistites hoc proelio oppressi traduntur. — — — —

Liber XIV.

(Ericus Lam eligitur s*). Eskillus fit Archiepiscopus Lundensis.* t*) Olavus, filius Haraldi Kesia* u*),*
668. *regem opprimere frustra conatur* v*).* Olavus perinde ac suo proposito victus, in Svetiam contendit x), sed mox Erico Scania excedente revertit concionemque in valle Arnensi y) sub edicto contractam liberioris vitæ promissis agressus regium sibi nomen illecto popularium favore conscivit — — — — *(Olavus vero apud*
669. *Glumstorp ab Erico superatur).*

Qui in Gothiam confugiens, interjectis diebus per Blekingiam revertit itemque ab Erico fugatus cum

h) Kanutum anno 1131, non 1130, interfectum esse, certissimum est. (vide Script. rer. Danic. II. pag. 610. not. n.). i) Anno 1131 (Saxo hoc in eodem anno contigisse, quo Kanutus occiditur, dicere velle videtur). Plures Annales Germanici Lotharii in Daniam expeditionis in anno 1131 mentionem faciunt. k) Anno igitur 1132. l) Sverkeri electio igitur facta est anno 1132. Saxonem hic ordinem annorum accuratissime servasse, ex omnibus elucet. Tres annos cum dimidio inter mortem Kanuti et pugnam Fotvicensem elapsos invenimus, si computationem Saxonis investigamus. Et testimoniis, quæ refelli non possunt, demonstratur, Kanutum d. 7 Januari 1131 occisum (vide supra not. h.) et pugnam apud Fotevig 1134, d. 4 Junii commissam (vide infra not. o.). m) Ulfhild, filia Finn Harecksson de Thiotta, primum maritum habuit Ingonem juniorem regem Sveciæ, deinde Nicolaum, regem Daniæ, (post annum 1130, quo Margareta Fridkulla vita decessit), tertium Sverkerum in primo ejus matrimonio. Vide Munch l. c. II. pag. 600. n) Cristina, filia Kanuti Lawardi, Magno Sigurdsson regi Norvegiæ nupta. o) Scilicet 1134, ut jam ex superiori temporum designatione apertum est, d. 4 Junii (v. infra excerptum ex Chronico Anonymi Roskildensis). p) Suetice: Fotevik, sinus ab Skanör, oppidulo Scaniæ, versus orientem paulo distans. Finitima est ecclesia (et hodie diruta villa), Hammar, ex qua pugna nonnunquam nominatur. q) Sc. Nicolaus rex Daniæ. r) Henricus Sictunensis in æquali Necrologio Lundensi (Script. rer. Danic. III. 448) vocatur. s) Ericus Emun interfectus est d. 18 Sept. 1137 (Necrolog. Lundens.; Script. rer. Danic. III. pag. 457. Ericus Lam eodem anno electus est, vide l. c. pag. 433 et narrationem Saxonis. Obiit 1146, non 1147, cfr. Jaffé: Gesch. Keiser Conrad d. III. pag. 152. t) Anno 1138 inter dies 8 Augusti et 1 Septembris, ut videtur. Electio anno 1137 ascribi solet, sed perperam. 1) Ex Saxone et æquali Chronico Anon. Roskild. (Script. rer. Danic. I. 385, 386) patet, Eskilli electionem post Erici regis electionem factam esse neque breve tempus, antequam Riko æmulus Eskillo sedem cessaverit, elapsum. 2) Exstant literæ Eskilli datæ anno M. CXXX [ɔ: M. C. XXXIX] *Indictione II, VI Idus Augusti, Archiepiscopatus domini Eskilli anno I, regis Erici tercii anno secundo* (Thorkelin Diplomatarium I. pag. 245). "Indictio II." annum 1139 indicat. 1138 per se impossibile est, quia Ericus Lam d. 8 Augusti 1138 nondum primum regni annum expleverat. Hamsfort has literas ad annum 1140 pertinere putavit (SS. rer. Dan. I. 273) quod adhuc absurdius est, sive annos regis sive archiepiscopi respicimus. 3) Anno MCXLV *Indictione VIII, Kalend. Septembris* literæ *anno Eskilli VIIIo* subscribuntur (Diplom. Suecanum I. n. 35) u) Harald Kæsia erat frater Kanuti Laward et Erici Emun, per hunc anno 1135 occisus. v) Hæc cædes frustra tentata non longe post electionem Eskilli, si Saxonem recte intelleximus, accidit, igitur in posteriore dimidia parte anni 1138 vel in initio anni 1139. x) Jam antea post cædem fratrum (an. 1135, in mense Augusto) ad Sverkerum fugerat. Vide Chron. Anon. Roskild. infra excerpendum. y) Sine dubio locus, qui hodie Arendala in paroecia Hardeberga dimidio miliario a Lundis distans vocatur. Hæc electio anno 1139 facta est. Coævum Necrologium Lundense (SS. rer. Danic. III. pag. 433) habet: "Ericus Lam Rex MCXXXVII Tercius f. r. IX. Tercio anno regni ejus insurgit contra eum Olavus. Olavus rex MCXXXIX f. r. II." Scriptor annum 1139 appellat annum tertium Erici minus recte, cum annus tertius Erici demum in extremo anno 1139 initium cepit. Præterea Saxo eventus duorum vel trium annorum seditionis Olavi forte in nimis breve tempus contraxit, cum tot dimicationes tradit contigisse inter electionem Olavi et occisionem Rikonis episcopi Roskildensis, quæ anno 1139 d. 18 Octobris facta est (Necrolog. Lundense l. c. pag. 460).

Digitized by Google

ad montium angustias pervenisset, eorum præsidio fretus proxime insequentes delevit. — — — (*Denique Sialandiam bis adortus, in secunda dimicatione Rikonem episcopum Roskildensem necat*).

683. (*Sveno rex Daniæ æmulum Kanutum filium Magni apud Wiburgam vincit* z) At Canutus ab Alaburgo Liuthusium a) petens apud vitricum Sverconem exul aliquamdiu demoratus est. Huic siquidem occiso Magno Canuti mater conjugio obvenit b). (*Infelix status Daniæ et ignavia Svenonis describitur*). At Canutus apud Svetiam primum vitrico optatus, mox onustus haberi coepit, ita ut pro comparandis alimentis, quicquid illic prædiorum possederat, venditaret. Neque enim ulla gens exules aut promptius recipit aut facilius respuit. Sed et filius Sverconis Joannes, ut plurimum strenuus, ita parum facetus, irrisorio carmine fugam ejus præliaque retexuit et quasi cantilenæ specie pudibundi hominis verecundiam lacessivit. Ut enim hospitem rubore et contemptu perfunderet, fortunam ipsius ludibrio lacessere coepit aspersisque jocis et ignominioso verborum genere ignaviam ei bellique tristes exprobrabat eventus. His Canutus opprobiis irritatus, navigio commeatuque empto plurimum in avunculi c) et materna fisus necessitudine, Poloniam profugit. —

696. (*Conventus Frederici imperatoris, Svenonis, Kanuti et Valdemari in Merseburg* [*an. 1152*] d) *et quomodo Sveno in Daniam reversus Kanutum fraudat narratur*). Ea tempestate Carolo, Hallandiæ præside e), provinciam egresso, conjugem ejus sororemque viduam Sverconis filius Joannes excellentis earum pulchritudinis opinione corruptus, ad libidinis commercium raptas in Suetiam usque devexit. Quibus tam contumeliose usus proditur, ut eas in stupri vices noctibus evocaret alternis, ingenuæ pudicitiæ foeminas obscoenissima
697. foeditate proculcans, neque aut hujus matronalem torum aut illius coelibem castimoniam, quo voluptatum suarum ignibus indulgeret, reveritus. Ad ultimum patre et populo tantæ temeritatis facinus execrante, utramque remisit. Quod flagitium Sveno perinde ac commune probrum in omne Sveonum regnum ulcisci statuit, publicum ruborem communibus armis submovendum existimans. Sed nuptiarum apparatu præventus (quippe Saxonum satrapæ Conradi f) filiam, nuper deponsam, uxorem ducturus erat) propior privatæ copulæ, quam publicæ vindictæ militiam retentabat. Per hanc Svenonem in peregrinos ritus adductum falsa plebis opinio referebat ejusque super consvetudinum novitate consilium accusabat.

Per eadem tempora Nicolaus urbis Romæ cardinalis, Britannicum permensus oceanum, Norvagiam, Lundensium adhuc ditioni parentem, immunitate concessa, maximi pontificatus titulis insignivit g). Quod in Svetia quoque legationis potestate peragere cupiens, Sveonibus et Gothis de urbe et persona tanto muneri idonea concordare nequeuntibus, certamini decus negavit, rudemque adhuc religionis barbariem summo sacrorum honore dignatus non est. Verum inspecto temporis habitu, cum per oceanum reverti hibernæ navigationis metu in periculis duceret, Daniam reditui suo percommodam arbitratus, offensam ejus ex Norvagiæ promotione contractam beneficii delinimento sedare constituit. Eskillum igitur mandatis aggressus, plus novæ dignitatis, quam veteris amiserit, recepturum promittit, definiens se ereptæ Norvagiæ damna Svetici primatus munere pensaturum. Rapuit promissum Eskillus cupideque legati copiam flagitat. Qui veniens apud ipsum futurum Svetici sacerdotii insigne deposuit dandum ei, in quem concors Sveonum Gothorumque suf-
698. fragium convenisset. Statuit quoque, ut quicumque maximi Sveonum pontifices creandi essent, pallio a curia dato per Lundensem insignirentur antistitem eamque sedem perpetuo venerarentur obsequio. In hoc privilegio dato confirmationem ad curia adsciscendam promittit, quod effectu perfacile fuit. Siquidem Romam reversus, decedente Eugenio, maximus pontifex subrogatus est peregitque publicæ religionis præsul, quod privatæ legationis minister annuerat h). Qui mos usurpatione posterorum firmatus sub hoc usque tempus antiqui tenoris observatione perfruitur. His peractis Nicolaus nondum Dania egressus, Svenonem Suetica meditabundum bella Romana industria a proposito revocare conatus, locorum difficilium, inopis regni, infructuosæ victoriæ habitum prætendebat. Siquidem ejus militiæ negotium ingens, fructus exiguos fore priusque ei cum vastis et immanibus scopulis quam cum hoste certandum. Quo victo nihil præter ignobilem prædam et sordida spolia victoribus occupandum. Postremo cum stolidam regis perseverantiam consilii sui sapientia superare nequiret,

z) Hanc pugnam apud Wiborg, fugam Kanuti in Sveciam deinde in Poloniam et novatam Kanuti in Daniam ingressionem Suhm in unum annum 1151 refert (Hist. af Danmark VI. pag. 94). Indubium certe est ex accurata Saxonis narratione, fugam Kanuti in Sveciam ante annum 1152 incidere, quia conventum Svenonis, Kanuti et Valdemari cum Frederico Barbarossa in Merseburg, quem certissima testimonia ad annum 1152 referunt, antecedit. Annales fugam in anno 1152 ponunt. a) Id est Lödöse. b) Cfr. supra pag. 93 not. e. c) Sc. Boleslavi IVi, fratris Rikizzæ, matris Kanuti. d) Anno 1152 d. 18 Maji in Merseburg illi tres principes Dani literas Friderici regis obsignant (Mecklenburg. UrkundenBuch I. n. 54). e) Probabile est eundem fuisse, quem Saxo supra ut Kanuti Sancti regis ex filia Cecilia nepotem memoravit. Vide supra pag. 92 not. o. Cfr. infra in fine expeditionis Svecicæ. f) Erat Marchio de Wettin. g) Nicolaum anno 1152 mense Julio Norwegiam appulisse certum videtur (Munch l. c. II. pag. 865, qui cardinalem a Norwegia in Svetiam mense Septembri vel Octobri deflexisse censet). Nostri annales consilium Lincopense a Nicolao celebratum falsis annis 1148 et 1168 adscribunt (Vide supra Tom. I. pag. 23, 48 et 61). E Saxone patet Nicolaum Sveciam ante exitum anni 1152 deseruisse. h) Nicolaus, ut papa Hadrianus IV. appellatus, an. 1154 d. 4 Decembris electus est. Bulla Hadriani de primatu Lundensi, si quando exstiterit, perdita est.

Digitized by Google

inertiam ejus facetissime cavillatus est. Nam araneam eum æmulari dicebat, quæ telarum figmentis cum discrimine vitæ et viscerum suorum egestione consertis quid nisi scarabeos putres et vilia prenderet animalia. Cujus exempli evidentia araneæ regem, militiam telæ, victoriam venatui conferebat. Ita avidum ducem exiguæ rei cupiditate se ipsum viribus exinanientem inutili bello delectari monstrabat. Cujus Sveno dignitatem potius quam monitum veneratus abeuntemque eum ad regni fines usque commeatibus prosecutus, destinati olim belli studium animo revocavit; quippe quem magis potiendæ Svetiæ cupido, quam aut injuriæ dolor aut pudoris irritamentum accenderat. Maximam siquidem invadendæ ejus opportunitatem tum ob senium imbelliamque Sverconis tum ob factiones inter eundem et plebem recenter ortas (nam Joannem agrestes concionantem occiderant) arbitrabatur. Spe quoque tam rata victoriam complectebatur, ut ante militiæ exordium inter milites suos Sveticarum jura provinciarum tamquam belli præmia partiretur. Duo quoque ex
699. proceribus ejus ad opinionem unius Sueticæ virginis libidinis æmulatione correpti, magnis inter se jurgiis dissidere coeperunt. Cujus nuptias rex in beneficio suo reponere par æstimans, capta Suetia fortiori connubium pollicetur. Quo promisso libidinis æmulis magnum virtutis certamen ingessit. Tanta apud Danos fruendæ Suetiæ fiducia fuit. Interea Sverco belli metu crebras ad eum de pace legationes direxit, sed nullis conditionibus ad eam impetrandam assurgere valuit. Igitur frustra fatigari se videns, non se proelio offerre, non arma, non expeditionem parare, sed ignotos locorum recessus quærere summamque belli Sveonibus credere. Ut autem Sveno difficillimorum itinerum evitaret anfractus, instrumentum belli hyemis exspectatione suspendit, ab astrictis glacie paludibus profectionis compendium petiturus. Hyberni itaque temporis beneficium nactus, expeditiora legit itinera rapinisque et incendio Finniam i) prædabundus aggreditur. Occurrunt indigenæ supplices patriam seque dedentes; nec sic se subjecisse contenti etiam commeatibus præbitis hospitalitatis eum obsequiis prosequuntur. Post hæc Werendiam intrat. Ubi ab incolis neque Marte neque deditione exceptus flammis omnia ferroque pervadit, viris ac foeminis passim solitudinum inaccessa petentibus. Sed et prealtæ nivium moles totis ferme campis incesserant, frigorisque tanta vis erat, ut uberibus admoti infantes, algore hebetatis membris, inter ipsa lactis alimenta decederent, matresque simili fato propinquæ extincta pignora moribundis complexibus attrectarent. Dani quoque eadem aeris inclementia afflicti, non in
700. castris noctes exigere, non militares excubias observare; pars foco sibi, pars tecto consulere; aeris, non armorum sævitiam in metu reponere; cuncti plus coelum quam hostem cavere. Werendenses autem quoad regis gratiam paciscerentur, iter intercipere cupientes, cæsis nemoribus, truncorum arborum coagmentis faucium, quas permeaturus esset, angusta præcludunt. Tantis siquidem circumjacentium rupium anfractibus claudebantur, ut absque ingenti dispendio a latere præteriri nequirent. Quorum ausu rex inter coenitandum accepto, moræ omnis impatiens, discussis mensis equum involat militibusque adesse jussis ad rupem conci-

tus fertur, indigne ferens coeptorum suorum cursum vilibus agrestium obstaculis retardari. Rogatus a Nicolao quodam iræ parcere incertamque admodum rem curiosius explorare, interpellanti se, uxoratum quemque timidissimum esse respondit, ad ejus nuptias alludens, qui ducta conjuge postridie militiam ingressus fuerat. Ille ob contumeliosam monitorum suorum repulsam ira percitus, facturum se brevi, quod Sveno non audeat, subintexuit exprobratamque sibi ignominiam, invicem in eo rejecto meticulositatis opprobrio, vindicavit. Quæ vox ab iracundia profecta celerem ipsius obitum ominata est. Ubi ventum ad fauces, delapsi equis milites, quamquam tenui armatura essent, quod eis festinationis ardor periculorum contemptum ingesserat, arboream struem oppugnare coeperunt, indigenis, qui ad eam defendendam convenerant, ingenti pacem clamore poscentibus. Tunc Nicolaus acceptam a rege contumeliam conspicuæ probitatis operibus demere cupidus, ne magis uxorius, quam strenuus videretur, dum conserta truncorum robora obstinato ad pericula gradu superare conatur, ab agrestibus e strue tamquam ex muro propugnantibus caput hasta trajectus opprimitur. Similis aliorum conatus saxis sudibusque repellitur. Sveno propinquitate noctis impetusque præproperi poenitentia revocatus, signo receptui dato, propter aggerem castra constituit, luce postera
701. majore vi ac paratu proelium exequuturus. Verum hostibus noctu sibi diffugio consulentibus mane vacuum propugnatoribus iter nullo negotio superavit. Werendos deinde resistendi fiducia defectos in fidem accepit. Igitur cum pleraque sibi ex voluntate respondere cognosceret, felicibus fortunæ experimentis evectus in omnem se Suetiam effundere statuit. Sed nimietas frigoris equorumque ex asperitate itinerum inopiaque pabuli coorta debilitas processum negabant. Tunc qui ex equitibus ad pedites redacti fuerant, commilitonum equos suis oneribus instravere eosque præ se onustos agentes ignaro rege domum dilabebantur. Qui tandem furtivum militiæ discessum expertus clandestinam ejus elapsionem data revertendi licentia præcurrit statimque compendiaria ad Scaniam via cursum reflexit. Igitur Carolus cum Canuto fratres k) receptorum obsidum fiducia spem liberæ tutæque reversionis præsumens, cum Hallandiæ propemodum confiniis accessisset, a Finnensibus l) insidias hospitalitate tegentibus convivio exceptus majorem noctis partem commessationibus extraxit.

i) Ita nomen provinciæ Finvid vel Finveden in Smalandia haud raro Latine redditur.
k) Cfr. supra not. e.
l) Id est: inhabitantibus Finvediæ.

Digitized by Google

Temulentia gravis in horreum annonà vacuum pariter se et comites sobrietate exutos cubitum recepit. Quibus altiore somno spirantibus, Finnenses foris valuas obicibus obserantes igni sparsere tectum. Jamque major ejus conflagraverat pars priusque ædes in cinerem prope collapsa fuerat, quam pressos mero sensus vis ardoris expungeret. Postremo propiore flammarum fervore correpti, dum nudi valvis erumpere gestiunt forinsecus eas occlusas cognoscunt. Urgebat intus incendium, foris hostis vetabat egressum. Sed præsens poena sequentis metum levabat instantisque mali periculum futuro tristius putabatur. Quo evenit, ut Dani ferro quam flammis opprimi præoptantes, validius connisi præjecta foribus claustra convellerent utque unum periculorum effugerent, in aliud ruere non dubitarent. Egregiæ indolis pueri, quos sibi in clientelam Carolus
702. respectu propinquitatis adsciverat, absque ætatis miseratione sub Nyssæ amnis glaciem nudatis corporibus barbarorum ludibrio mersi in eodem alveo fatum ac tumulum recepere. Ita paucorum agrestium fraude maximæ expeditionis labor exinanitus est. — — —

(*Sveno in Scaniam irrumpit seditionemque ibi exortam prosternit*). Ea Svenonis irruptio Canuto m)
703. novandarum rerum spem fiduciamque restituit. Sed hunc ausum præcipue Svenonis ac Waldemari concordia castigabat. Nam quantum regis odium, tantam ducis apud omnes gratiam intuebatur, alteriusque flagitia alterius virtute redimi denotabat. Arbitri quoque Canuti prius sodalem regi quam otium eripiendum rati, ejus cum Waldemaro concordiam connubii affinitate componendam duxerunt. Cujus efficiendi gratia uterinam Canuti sororem Sophiam n) apud Waldemarum eximia pulchritudinis laude de industria prosequebantur. Sed Waldemarus, quo minus ad hanc copulam intenderet, inopiam virginis obstare dicebat, quod patre Ruteno procreata nullorum in Dania bonorum hæres existeret. Quamquam enim suasoribus tacite pareret, plus se tamen paupertatem puellæ fugere quam speciem admirari fingebat. Igitur a Canuto totius patrimonii sui parte tertia sponsalium loco promissa, puellam despondet eamque matronæ cuidam Botildæ adusque maturam toro ætatem educandam committit o). Quamobrem neglectum sangvinis vinculum ac diu funestis odiis laceratum tanta animorum integritate refectum est, ut nulla veterum inimicitiarum macula, quas vel ipsi vel eorum parentes gessissent, novæ societatis habitum infuscaret. Quorum amicitia quo invicem purior, hoc regi suspectior extitit. Sed eos et tacite cavit et palam offendere metuit, quod maximam a se virium partem cum Waldemaro migrasse cognosceret, cujus fortunæ suam incumbere non dubitasset. Itaque licet amborum fidem notaret, suspicionem tamen, ne odium proderet, obscuravit. Illi regiæ dissimulationis haud inscii accepta commeandi licentia quasi bona sua apud Svetiam p) invisitaturi regem ejus Sverconem accedunt.
704. Re autem vera Canuto Sverconis filiæ q) postulandæ negotium fuit. Quorum præsentiam Suerco tanta affectione amplexatus est, ut præteritis liberis futuræ affinitatis spe hæredes eos nuncupare proponeret. Quod votum ei sive filiorum inertia sive excellentis proci nobilitas inseminabat. Reversi itaque hoc invisiores regi, quo hosti concordia junctiores, fuere. Canuto deinde in Jutiam digresso, Waldemaro vero Ringstadium invisente, Sveno post eum contentius pergit conventumque diu perfidiæ et proditionis probris everberat. Neganti confictas a se literas tradit, tamquam ab amicis porrectas, sed titulo de industria vacantes, quæ ejus ac Canuti initam cum Svercone concordiam nunciarent r). — — — —

(*Waldemarus et Kanutus a Jutis reges* [an. 1154]s) *eliguntur, Sveno Daniam relinquit, fautores ejus*
712. *plurimi cum victoribus gratiam ineunt*). Ulf et Thorbiornus spectatæ in regem fidei cum hoc veniæ genus in probris ducerent, domi suæ comprehensi Sverconique regi in custodiam traditi, exilio capita quam hosti dedere maluerunt. — — —

(*Sveno tribus annis* t) *apud socerum Conradum de Meissen commoratus, auxilio Henrici Leonis Jutiam*
713. *invadit*) u). Eadem fere tempestate Sverconem regem servus, qui cubiculo ejus præerat, noctu dormientem occiderat v). Quod scelus divinitas haud segnius quam justius ulta est. Nam parvo post tempore Magnus x), qui occulta regnandi cupiditate servo peragendi facinoris autor extiterat, in eo conflictu, quo filium Sverconis Carolum, quem patre spoliaverat, regno etiam exuere gestiebat, sceleratæ machinationis poenas morte persolvit y).

m) Scilicet Kanutus V, filius Magni regis. n) Rikiza in primo matrimonio Kanutum pepererat, in secundo cum Valadaro Glebovitch (cfr. supra pag. 93 not. e) Sofiam, quæ nunc apud Sverkerum vitricum educabatur. o) Nuptiæ anno 1157 paulo ante proelium in "Gratehed" celebratæ sunt. Vide Saxonem pag. 729 in editione Mülleri. p) Avia Kanuti, Margareta Fridkulla, erat filia Ingonis senioris. Altera filia Ingonis, Kristina, erat avia Valdemari. Cfr. supra pag. 93 not. z. q) Sverconem hanc filiam, cujus nomen ignoramus, in primo matrimonio cum Ulfhilda Norica procreasse apertum est. r) Quæ e Saxone de Kanuti et Valdemari cum Suecis commercio supra excerpsimus, ad annum 1153 pertinere videntur. s) Quare 1159 annus qvintus Valdemari appellatur. Vide Script. rer. Danic. III. pag. 434. t) Saxo spatium temporis minus propria, sed hoc tempore non insolita, computatione exprimit, cum Sveno ab autumno anni 1154 ad autumnum anni 1156 exul fuisse videtur (v. Müller pag. 712 not. 2). u) Hoc exeunte anno 1156 contigit. "Hyemali tempore" dicit Helmoldus. v) "Julæ ætto, sum han skuldi till kyrkiu faræ", ait vetustus scriptor ex initio seculi XIII^{i} (supra Tom. I. pag. 11). Quod si verum est et fides habenda est narrationi Saxonis, Sverkerum eodem fere tempore, quo Henricus Leo et Sveno Daniam aggrederentur, interfectum esse et Kanutum matrem viduam ut consolaretur, in Svetiam se contulisse, conjicere licet Sverkerum die 25 Decembris 1156 occubuisse. Mirum tamen est, Kanutum in hoc rerum statu Daniam relinquere ausum esse. In die fortasse erratum inest. x) Magnus erat filius Henrici Skatelär et Ingertæ, filiæ Ragvaldi, filii Ingonis senioris. Vide supra pag. 93 not. v. y) Anno 1161, autore Chronico e seculo XIV° (supra Tom. I. 1. pag. 83). Saxo omnino prætermittit Ericum sanctum anno 1160 per eundem Magnum occisum esse.

Digitized by Google

Ea res Canutum solandæ matris gratia Suetiæ superiora petere coegit. Interea Waldemarus, apud Sialandiam Theutonici motus opinione suscepta, ad Jutiam concitus tendit, remisso coævo atque collacteo suo Absalone, qui revertentis a Suetia Canuti post se maturaret adventum. (*Henricus et Saxones revertuntur in patriam; tres reges Daniam tripartito dividunt*). — — —

770. (*Waldemarus rex et Eskillus archiepiscopus Lundensis inimici fiunt. Regi minantia verbi excidunt*). Quibus Eskillus ex Gerardo z) cognitis impatientiam metu mutavit tantumque illi pavoris surrepsit, quantum prius furoris incesserat. Igitur evitandi periculi gratia longinquas Werendiæ partes accessit, salutem secessu non bello quæsiturus. (*Castro Eskilli apud Lætlıræ expugnato, Eskillus venia regis impetrata in Daniam redit, deinde iter Hierosolymitanum ingreditur*) a). — — —

786. (*Waldemarus magnum concilium ecclesiæ* [*an. 1162*] *in Burgundia celebratum visitat*). Insignem hunc annum filii ejus Canuti ex Sofia suscepti natalis effecit b), qui etiam pontificali Absalonis ministerio stato lavacri tempore regenerationis sacramenta suscepit. Quod religiosæ executionis officium Sveonum ducis Guthormi c), qui neptem Valdemari eorundem regi Carolo desponsam d) abducendi causa legationem attulerat, præsentia venustabat — — —

791. (*Res in Norvagia gestas Saxo depingit. Österio* [*an. 1157*] *occiso asseclæ ejus Haquinum* [*Herdabred*] *regem faciunt*). Verum pluribus continuis proeliis subacti in Svetiam tandem cum pupillo diffugiunt e).

792. (*Hieme inita reversi Ingonem regem interficiunt, Erlingus cum filio Magno in Daniam fugit, unde rediens Magnum filium regem declarat*). Ita novis rebus increbrescentibus Haqvinus a Sivardo f), quod ei impensas belli negasset, deseritur acieque cum Magno congressus occiditur g). Sivardus ad Svetiam dilapsus dum interjectis diebus in patriam revertitur ab Erlingi militibus interficitur h). Quo evenit ut obscura et ignobili cæde spiritum deponeret, quem honeste in acie profundere noluisset. At qui ex Haquini militia superfuerant partim novarum rerum cupiditate partim hostium fortunæ invidia accensi, Marci cujusdam alumnum i) optimæ spei puerum in regem adsciscunt nec felicius quam proxime fortunam tentarunt. Siquidem proelio ab Erlingo obtriti victoria pariter ac rege privati k) ad Carolum Svetiæ regem profugiunt ipsumque belli ducem exposcunt, cui cum Norvagiæ regibus etiam aliqua necessitudinis communio videbatur. A quo diu promissorum alacritate protracti postquam eum magis de proprio regno servando quam alieno obtinendo sollicitum compererunt, legatos ad Waldemarum auxilium implorantes misere. Tandem ipsi benignioribus responsis invitati venere. — —

846. (*Waldemarus Arconam in Rugia expugnat* l). *Sed etiam capta Rugia classes Danicæ cum piratis sæpius confligunt*). Per idem tempus legati regis, quos ut sibi paternæ animæ sanctitatem sacris honoribus venerari liceret Romam transmiserat, consentaneas voto literas retulerunt m). Quibus cognitis rex omni Danica nobilitate sub edicto Ringstadium evocata circa solenne Joannis quod in æstivo solstitii colitur et parenti coelestes honores et filio regios celebrare constituit. (*Expeditioni navali contra piratas instructæ impe-*

848. *perat, ut ad diem Johannis redeant, aliaque dat monita*). His monitis incalescentes se in Ölandiam appule-

z) Abbas conventus Esromensis. a) Fuga Eskilli in Verendiam ad annum 1161, iter ejus Hierosolymitanum ad annum 1162 pertinere videtur. Vide: *Hovgård, Tidsregningen i Valdemar I:s Historie* (Dansk Historisk Tidsskrift, fjærde Række, Bind II. pag. 478 et 485, 86. b) Hovgård l. c. 487 et 505 Kanutum natum anno 1163 mense Martio putat. Saxo habet quidem *hunc annum*, i. e. annum 1162, sed horum temporum computandi ratio annum 1162 usque ad Pascha anni 1163 extendit. Annus 1163 eo roboratur, quod annus 1164 primus annus Kanuti, 1170 septimus a Saxone appellatur. c) Duobus locis in diplomatis sine anno comparet (Diplom. Suecanum I. n. 59 et 66). Eodem vero tempore etiam Ulfo dux vel comes memoratur (l. c. num. 49 [anno 1164] 50 et 51). Filia Gutormi Helena ex Valdemaro secundo Kanutum ducem Revaliæ genuit (Diplom. Suec. V. n. 3909). Fortasse obiit Guttormus 1169. In Donatione enim De la Gardiana (Biblioth. Upsal.) sub n. 28 exstat manuscriptum inscriptum "Collectanea Chronologica ex Calendario Martini Petræi abbatis Sorensis" (Calendarium videtur esse compositum in seculo XVI°), ubi legitur: "Aprilis die XIV. a. d. MCXXIX. Dux Suetie Gotormus pater Helenæ . . . obiit." Sine dubio legendum MCLXIX, quod eo firmari videtur, quod Birgerus Brosa anno 1176 ducis dignitatem tenet. d) Cristina erat filia Stig "Hvitaleder" et Margaretæ, sororis Valdemari I. e) Anno 1160, ut videtur, cum Saxo Ingonem anno sequenti occisum esse narrat, quod anno 1161 evenit. (Cfr. Munch l. c. II. pag. 901—907). f) Sigurd af Reyr a scriptoribus Islandicis vocatur; ducis dignitatem ab Haqvino accepit. Fortasse ille respicitur in annotatione anno 1257 facta de possessionibus monasterii" Wårfruberga" in Sudermannia, ubi legitur: "Hæc sunt possessiones, quas contulit dux Siwardus et filia ejus domina Ingeburgis huic loco, qui etiam fundatores hujus loci fuerunt". (Exscriptum papyraceum e seculo XVI° in Bibliotheca Upsaliensi). g) Anno 1162, Munch l. c. pag. 915—917. h) Anno 1163, Munch l. c. pag. 919—923. i) Sigurd Markusfostre in sagis Islandicis. k) Anno 1163 mense Septembri (Munch l. c. pag. 924). l) Anno 1168 mense Junio. Nonnulli commentatores annum 1169 conjecerunt, sed recentissima inquisitio annum 1168 novis testimoniis firmavit. Cfr. Hovgård l. c. [vide supra not. a] pag. 487—498 et 516—526. m) Saxo hic narrationem contraxit, annum 1169 fere totum prætermittens. Quum enim translatio Kanuti Lawardi anno 1170 die 25 Juni, quod jam exploratissimum est, fieret, hos legatos, a quibus bulla papalis de translatione impetraretur et deferretur, vertente anno 1169 vel ineunte 1170 in Daniam reversos esse oportet. Cfr. Mülleri editionem I. 2. pag. 846, not. 2 et Hovgård l. c. 526, 529 et 530. Hamsfort, cui ad alios perditos fontes aditus manifeste patuit, dicit legatos mense Septembri anni 1169 rediisse (Script. rer. Danic. I. pag. 277); pæne suspicandum est, "Septembri" errore quodam legentis vel scribentis pro "Decembri" irrepsisse.

Digitized by Google

runt. Verum quamquam Sveones ac Dani inimicitias gererent, ne destinatam paganis cladem Christianis infligerent, insulæ parcendum duxerunt, religionis concordiam regnorum odiis præferentes. Hic ab indigenis permixtos Estonibus Curos propinquo in portu piraticam exercere perdocti indicatum sibi locum, ut cuique navitionis celeritas suppetebat, cum contemptu hostium regii monitus immemores, certatim subintrant (*Victoria re-*
852. *portata redeunt in patriam*). Qua inita Waldemarum apud Ringstadium magna cum optimatum frequentia regio apparatu feriantem reperiunt; ubi Lundensis pontificis ministerio, cujus id exequendi officium erat, et patris ejus ossa aræ traduntur et filius septem annos natus, Canutus, rex consecratur, regia in sella purpura venustatur n). Quibus debita religione celebratis Helgo, pontifex Asloensis, et Stephanus Upsalensis o) ab Erlingo missi, editiore loco occupato, pacem Noruagiensibus benigno precabantur alloquio. Quam a rege eo potissimum die concedendam esse monstrabant, quo et filium diademate et parentem altario honoratum vidisset. Tantumque excellenti eorum facundiæ tributum est, ut Erlingo familiaris colloquii aditus promitteretur. Ad quem Esbernus, poscente Helgone, nondum resanatis vulneribus legatus dirigitur, Erlingo et Iuaro Norvagiensibus interim obsidum loco apud regem retentis. Multa illi in concione Erlingus insolenter, hic multa Erlingo audacter respondit. Quo Erlingus domi suæ detento Waldemarum allocuturus, Sialandiam quatuor nauigiis Stephano Upsalensi comitatus accedit. Quem cum Absalon nuper a regis in Jutiam proficiscentis comitatu magna classe regressus Isörensi in portu p) adventantem videret, sociis quicquam hostiliter conari vetitis, ne superuenientibus metus injiceretur, tranquille ejus navigationem excepit, quem etiam, majore classis suæ parte dimissa, ad regem perduxit. Is cum prima colloquii die objurganter exceptus de concordia desperaret, Absalonem per Stephanum orat, tuto sibi discedere liceat. (*Erlingus conditionibus Waldemari se subjicit*). — — —

(*Waldemarus et Henricus Leo apud Eidoram flumen conveniunt.* q) *"Iisdem fere temporibus" Sverre"*
895. *Norvegiam venit regnumque appetit*). Idem quum adhuc privatus Svetiæ ducem Birgerum petisset, sacerdoti, cujus forte hospitio usus fuerat, stolam præcipuum diaconi insigne cum libro sacerdotalia sacra continente dono dedisse fertur r). — — —

(*"Per idem tempus" Magnus, Erici Lam regis ex pellice filius, et Karolus atque Kanutus, Walde-*
903. *mari regis et Eskilli archiepiscopi cognati* s) *conspirationem machinantur, quæ tamen a rege detegitur*). Quæ res Magno proxima nocte navigio Lubecam proficiscendi indeque Henrici contubernium expetendi causam præstitit. Eodem nuncio Canutus et Carolus per Benedictum accepto tacite Ripensium urbe egressi, conscensa apud Randrusium nave, præfectum Gothiæ Birgerum propinquitatis fiducia t) petivere. (*Waldemarus recusat Carolum et Canutum in gratiam recipere, qua re Eskillus ita afficitur, ut gravi morbo in hyeme la-*
912. *boret*). Qua u) finita Waldemarus, Daniæ Suetiæque primoribus accersitis, regales filio v) nuptias exornat.

Liber XV.

(*Absalon archiepiscopus consecratur* x). *Expeditio in Slaviam, in qua Fredericus antistes Slesvicensis*
929. *submergitur. Classis haud longo interjecto tempore revertitur*). Quo y) postmodum apud Jutiam diversante, Kanutus et Karolus petulantiore manu quam validiore delecta, Hallandiam adorti, exilii proprio scelere contracti supplicium a patria sumere conabantur. Qui dum Hallandensium multitudine, quam sibi fauturam speraverant z), repellerentur, fatum fugæ anteponentes, propter nemus, quod Hallandiam a Gothia secernit, aciem ordinant. Ubi infelicibus auspiciis proeliati graves tentatæ patriæ poenas dedere. (*Karolus occumbit, Kanutus in carcerem conjicitur, utriusque bona in fiscum addicuntur*) — — —

n) Hoc dicto Saxonis Kanutum filium Valdemari tunc septem annos natum fuisse, jam satis probatur translationem Kanuti Lavardi anno 1170 factam esse. Neque vero alia desunt testimonia; vide Hovgård l. c. pag. 517, 519 et 527. o) Cum ex bullis papæ Alexandri IIIi de translatione (apud Thorkelin, Diplomat. Arnæmagnæanum pag. 27 et 251) reperimus Stefanum nuntium Valdemari fuisse, et ex Saxone eum post reditum in Daniam in pactione Norvegica occupatum esse videmus, verisimile videtur, Stefanum, Karolo rege Suetiæ anno 1167 interfecto, patriam pro tempore deseruisse. p) Hodie Issefjord in Sialandia. q) Anno 1177, cum, ut expositio Saxonis ostendit, duo anni præteriissent post expugnationem Stettinii anno 1175 (cfr. Hovgård l. c. pag. 546—549 etc.). Quod eo certius videtur, cum etiam fontes Norvegici Sverrerum regnum Norvegiæ 1177 appetentem faciunt. r) Hunc Sverreri ad Birgerum Brosa accessum Munch ad finem anni 1176 collocat (l. c. III. anno pag. 62). s) Filii erant Karoli præfecti Hallandiæ, quem Saxo plus semel memoravit (v. supra pag. 92 not. o. et pag. 96 not k). De gente eorum cfr. editionem Mülleri I. 2. pag. 896 et Scriptores rer. Danic. III. pag. 277 not. n et 630 not. f. Quæ sequuntur ad annum 1177 pertinent. t) Vide supra pag. 92 not. o. Cum Karolus et Kanutus, tum Birgerus erant Kanuti sancti ex filiabus pronepotes. u) Sc. hieme; sequentes nuptiæ ergo ad ver anni 1178 pertinent. v) Sc. Kanuto VI. Editio prima habuit: "filiæ", sed jam diutius dubitari non potest, lectionem "filio" præferendam. Cfr. Müller scholion in hoc loco et Hovgård l. c. pag. 608, 609, 651—654 et 672—674. x) Anno 1179 in vere (forsan in Februario). y) Sc. Waldemaro Io. z) Müllerus his verbis firmari observat, patrem horum fratrum Karolum præfectum Hallandiæ fuisse. Vix nobis monere opus est, hanc incursionem ut ex temporum ordine apud Saxonem videtur, exeunte anno 1179 vel circa contigisse.

Digitized by Google

Liber XVI.

(*Waldemaro primo mortuo* a), *Kanutus succedit, sed rustici Scanienses tumultu denuo concitato nobiles*
961. *ubique adoriuntur*). Pars b) fretum navibus complexa se et opes undis quam ædibus credere præoptabant; pars apud Absalonem exulare solatii et lenimenti loco duxit. Cujus atque Canuti equites suam æque ac dominorum fortunam afflictari cernentes, cum injuriam armis propulsandam duxissent, seditionis principes frustra a se sine duce res novari superiore tumultu experti, Haraldum quendam regii sanguinis c), sed obtusi cordis impe-
962. ditique sermonis e Suetia adsciscunt, hominem prorsus regno imparem, cum in eo nihil præter generis nobilitatem natura aut fortuna commendabile reddidisset. Igitur majore cum opprobrio talem virum Suetia miserit an Scania receperit, incertum est. Quo rumore attoniti perculsique magnates prout se hostium adventus fama variabat dubiis Absalonem legationibus fatigant, nunc opem ejus transitumque poscentes, nunc eundem cum tota manu supersedere jubentes. Nondum enim Scaniæ partes Haraldus irruperat. Quas cum Canuti, Suetiæ regis, ejusdemque satrapæ Byrgeri præsidiis irrupisset, ad novi principis opinionem cupide congestum vulgus incredibiles ei copias sociabat. Quibus fretus Lundensi urbi portas sibi claudenti
963. excidium minatus est. Igitur ex magnatibus complures alternis internunciis contracti fortique invicem cohortatione firmati propter Lummam amnem d) castra constituunt, aliis regiorum militum per ignorantiæ simulationem venire supersedentibus. (*Acies rusticorum superatur*). Hac igitur partim cæsa partim capta Haraldus cum Akone, quem affectati regni auctorem habuerat, Svetiam refugus petebat.

a) Anno 1182, die 12 Maji. b) Sc. nobilium. c) Origo hujus Haraldi tenebris involuta est. Langebek conjecit eum filium fuisse Olavi, filii Haraldi Kesia, quorum principio libri XIVi mentio fit. Cfr. Müllerum in hoc loco. d) Hodie "Lomma å" paulo a Lundis versus meridiem distans. Quamquam e Saxone non satis liquet, tamen breve post quam Valdemarus decessit, hoc certamen accidisse videtur. Chronicon 1074—1219 repulsam Haraldi in annum 1183 refert (Script. rer. Danic. III. 261), et certe illo autore Chronicon Sialandiæ idem narrat.

XV.

Ex Annalibus et Chronicis Danicis excerpta.

Annales Suetici et Danici, quam intime inter se cohæreant, nemo est, quin etiam re leviter considerata statim videat; quemcumque enim fere in fontem inciderit, singula enuntiata, imo ampliores expositiones inveniet, quas in alio fonte, interdum fere ad verbum similes, mox offendet et recognoscet. Hanc vero affinitatem, si propius inspicimus, fere omnes fontes Sueticos ex Danicis oriundos vel rectius super fundamentis ex libris Danicis assumtis superstructos esse reperimus. Quare etiam in plerisque nostris annalibus usque ad finem seculi XIIi, rebus Sueticis parcissime interspersis, Danica prævalent, in seculo vero XIIIo Suetica et Danica fere æquabiliter miscentur et ab ineunte seculo XIVo res Suecanæ Danicas superant et tandem prorsus fere submovent.*) Neque hic plus quam duo excipi possunt, sc. Chronicon 1160—1320 (v. supra Tom. I. 1. pag. 83), quod Chronicon Upsaliense recte appellandum esset, cum ex hac metropoli (sine dubio præsertim ex libris memorialibus capituli et conventuum) originem aperte repetit, et Chronologia 1298—1473 (l. c. pag. 92).**) Hanc sententiam de generatione nostrorum annalium Chronicon 916—1263 (l. c. pag. 47) optime illustrat. Manuscriptum enim nobis Chronicon Danicum in anno 1254 subsistens eadem manu scriptum perhibet, cui postea alia manus ex primis decenniis seculi XIVi annotata Suetica in seculo XIIIo facta aliunde descripta admiscuerit. Et quamquam conditio manuscriptorum ex

*) Hanc rationem scriptor Germanicus (*Dietrich Schæfer: Dänische Annalen und Chroniken etc. Hannover 1872*) indagatam jam patefecit (vide l. c. pag. 90). **) Catalogus quidem regum Sueciæ (supra Tom. I. 1. pag. 7) adventiciis elementis caret, sed annalibus proprie numerari non potest. Et Chronica Rhytmica partim ad posteram ætatem, qua vernacula historia jam effloruit, pertinent, partim ratione ab annalibus prorsus aliena composita sunt, quod multo magis in Chronico Erici Olai valet, qui tamen fontibus Danicis in libro conscribendo usus est.

Digitized by Google

quibus ceteri annales sumti sunt, cum descripta sint et plerumque e posteriore ætate, nos impedit, ne visu rem judicemus, tamen interiora testimonia ad eandem conjecturam nos celeriter ducunt. Mirandum rursus non esset, si nonnulli quoque annales Danici eodem modo aliqua ex parte fontibus Sueticis usi essent, sed res non ita se habet. Cum enim illi res Suecanas attingunt, ex nostris fontibus mutuati non sunt, sed per se et proprio modo ea annotaverunt (excepto fortasse uno Chronico 1241—1410, quod ex eodem fonte Svetico, quo Chronicon 826—1415, aliqua sumsit). Quæ res eo simpliciter declaratur, quod situs metropolis ecclesiæ Danicæ, urbis Lundensis, rerum Sueticarum notitiam facilem, fere naturalem effecit, dum societas et communio, quibus membra ecclesiæ Romanæ inter se jungebantur, perpetuum commercium peperit. Videtur enim nobis, hic in capitulo Lundensi plurimas annotationes de nostris rebus, quas in annalibus Danicis offendimus, esse factas. Hic sine dubio, ut memoria gravissimarum rerum melius retineretur, clerici principio eas libris ecclesiæ, kalendariis et registris, mandarunt, ex quibus postea annalium conscribendorum incitamentum et materia dabatur. Quod jam in antiquis illis libris Memorialibus Lundensibus cum vetustis annalibus comparatis omnino patet ***). Neque minus certum hodie apparet, uberiores quosdam annales ibi inceptos et gradatim elaboratos olim exstitisse, ex quibus plurimi annales Danici, qui hodie servantur, diversis modis originem trahunt. Quos hodie perditos critici scriptores Annales Lundenses Majores nominaverunt †), neque non jam fieri posse videtur, quin collatis his derivatis chronicis hi Lundenses Majores certe aliqua ex parte restitui possent, præsertim cum vestigia eorum etiam in nostris fontibus satis aperte cernantur.

Qvamvis vero annales Danici multa igitur cum Sueticis communia habeant, ut in quibusdam primo aspectu hæsitari possit, utrum ad illos, an ad hos numerandi sint, tamen in universum satis certe statui potest, num sive originem scriptorum vel annalium sive ea, quæ illis contineantur, consideraverimus, Danici aut Suetici appellari debeant. Quorum jam, qui ad literas Suecanas ex maxima vel admodum magna parte pertinent, cuncti huic collectioni integri inserti sunt. Restant autem annales Danica origine orti eorumque res gestas potissimum comprehendentes, quos tamen totos hic proferre non necessarium. sed tantum res Sueticas illis admixtas hic reddere satis duximus. Nos sane non fugit, hanc ex ea edendi ratione difficultatem exoriri, ut ætatem scriptorum et fidem, proprium cujusque componendi modum, singularum partium annalium nexum et rationem, qua sint fontibus usi, investigare et recte dijudicare legenti non liceat, qua in re totos annales in uno conspectu ponere necesse est. Sed tempore et spatio præter necessitatem abuteremur, si aliter ageremus, propiusque si quis optat fontes inspicere, illud in integris editionibus, haudquaquam aditu difficilibus, facere potest. Et aliqua ex parte huic inevitabili difficultati, quæ ex annalibus consecandis exoritur, eo occurrere speramus, primum quod annales, tempore confectionis respecto, ordine quodam chronologico disposuimus, deinde quod in singulis annalibus manuscriptorum conditionem atque annalium ætatem, fidem et affinitatem, si fieri potuit, indicavimus.

Jam tamen hic fortasse supervacaneum non apparebit, etsi in singulis fontes propius memorare nobis curæ erit, si collectiones principales annalium Danicorum tam impressas quam manu scriptas breviter attigerimus. Maxima quidem, quæ fere omnia comprehendit, est illud grande Langebekii et Suhmii opus, quod Scriptores rerum Danicarum inscribitur (octo volumina in folio Havniæ 1772—1834), in quo et fontium conditio accurate explicatur et textus copiosis commentariis illustratur. Jam antea duodecim annales ex vetustis quidem codicibus, sed sine ulla rerum interpretatione editi erant apud Ludewig: Reliquiæ Manuscriptorum, Tomus IX, Francofurti et Lipsiæ, anno 1731, in 8vo; nonnulli etiam apud Westphalen: Monumenta inedita rer. German. Tom. I. pag. 1389, Lipsiæ 1739 et Tom. III. pag. 540, Lipsiæ 1743, fol., in quibus edendis ex parte manuscripto Stephanii utebatur ††). Tres gravissimi fontes ab editoribus Germanicis nostra ætate separatim sunt editi, sc. annales Ryenses et Lundenses atque Continuatio Chronici Sialandiæ ab anno 1357 in annum 1363 (de quibus vide, quæ infra in præfatione singulorum afferimus). Variantes lectiones multorum annalium, qui in Scriptoribus rer. Danic. inserti sunt, Lappenberg ex manuscripto Hamburgensi collegit et edidit in Michelsen: Archiv für Gesch. Schleswig Holst. II. pag. 187—213, Altona 1834, 8vo, adjunctis duobus adhuc non evulgatis annalibus, sc. supradicta Continuatione Chronici Sialandiæ et Chronologia 1188—1319. Hoc vero manuscriptum Hamburgense in seculo XVII° (ut ait Lappenberg) confectum nihil est, nisi collectionis Stephanii in Bibliotheca Upsaliensi servatæ

***) Excerpta ex iis (Necrologium Lundense et liber daticus Lundensis vetustior) impressa sunt in Scriptoribus rer. Danic. III. 422 seqn. Ipsos codices Paludan Müller in libello supra pag. 88 not. †† laudato diligenter recensuit (vide eum p. 55 seqn.).
†) Cfr. Usinger: Die Dänischen Annalen und Chroniken etc. Hannover, 1861, et Schäferi proxime supra memoratum librum.
††) In Chronico Sialandiæ Westphalen (l. c. I. 1390) ipse scribit "ex codicibus Stephanianis".

Digitized by Google

descriptum, ut ex omnibus patet †††) et Lappenberg suspicari videtur. Jam ad collectionem Stephanii nos convertimus. In donatione De la Gardiana bibliothecæ Upsaliensi anno 1669 data volumen, quod numeros XXV—XXIX comprehendit et titulo "Chronologiæ Danicæ systema .... opera et studio Stephani Johannis Stephanii" manu ipsius Stephanii scripto præditum est, invenitur, quo multi annales Danici ex vetustis codicibus exscripti continentur, quorum nonnullos Stephanius propria manu descripsit, plerisque ab alio librario confectis solum titulos, subjuncta fontis mentione, indidit §). Quæ collectio hodie eo pretiosior est, cum multi codices, quos Stephanius adhibuerit, in incendio bibliothecæ Havniensis anno 1728 perierunt. Langebek descriptis ex illa confectis plus semel usus est, quæ tamen nonnumquam ipso inscio vitiis non carebant, quibus pretium editionis aliquid attenuatur. Manuscriptorum Danicorum in bibliotheca regia Holmiensi expositio apud Molbech, Dansk Historisk Tidsskrift IV. s. 129—167, reddita est.

Ad extremum præcipua subsidia nobis memoranda videntur, quorum usu singulæ res Danicæ illustrari et, si quis quærit, accuratius determinari possunt. Primum locum tenent, quæ editores Scriptorum rer. Danic. in quoque libello et loco exposuerunt; tum opus Suhmii inscriptum: Historie af Danmark, quatuordecim tomos in 4to complectens, quod magis regestorum fere absoluta collectio, quam propria historia est; tum Regesta diplomatica Historiæ Daniæ, Tom. I. in 4to, Havniæ anno 1847 §§); tum propter genealogias regum, seriem episcoporum et temporum rationem Molbech: Historiske Aarböger I—III, Kjöbenhavn 1845—51, in 8vo; denique libri historici omnibus noti, quos Hvitfeldt, Dahlman, Munch, Allen, Paludan-Müller cum pl. conscripserunt. — Interiorem annalium nexum, eorum quasi ortum et propagationem Rudolf Usinger et Dietrich Schäfer in libellis supra allatis explicare studuerunt. De scriptoribus Danicis in tempore Reformationis viventibus, eorum vitis atque scriptis, Holger Rördam in libro: "Historieskrivningen og Historieskriverne i Danmark siden Reformationen, Kjöbenhavn 1867", inscripto est consulendus. In alio ejusdem auctoris libro, qui nunc editur: Monumenta Historiæ Danicæ I. Kjöbenhavn 1873, sunt fontes, qui ultima tempora medii ævi complectuntur et nonnumquam vetustiora, etiamsi in tempore Reformationis exscripta, tractant.

††) Unum exemplum sufficit. Apud Lappenberg l. c. pag. 208 legitur, fontem Chronologiæ 1020—1323 in suo manuscripto ita indicatum esse: "Ex MS in membrana codice, qui in *mea* asservatur bibliotheca"; ad *meam* eandem manum, qui titulum scripserit, annotasse: "scil. Steph. Jo. Stephanii, nunc autem in bibliotheca Vpsalensi donatione De la Gardiana. n. L. — E. B.". Si vero nunc manuscriptum Stephanii in Bibliotheca Upsaliensi inspicimus, in eadem Chronologia hunc titulum: "Ex MS. in membrana .... Bibliotheca". *Stephanii manu* scriptum invenimus; ad quem *Erici Benzelii Bibliothecarii* manus addidit: "nunc autem in bibliotheca .... de la Gardiana N° 50". §) Indicem Systematis et reliquæ donationis De la Gardianæ (nonnulli enim fontes Danici etiam sub aliis numeris exstant) invenies apud Celsium: Historia bibliothecæ Upsaliensis, Upsaliæ an. 1745, in 8vo, pag. 75—115. §§) Vix monere nobis opus est, copiam diplomatum post tempus, quo Regesta edebantur, et in continuatione librorum, quos Regesta adhibuerunt, et in diversis diplomatariis atque alias in lucem prolatam esse.

---

1. Ex Anonymi Roskildensis Chronico Danico

826—1157.

Descriptum autographum Stephanii in donatione De la Gardiana n. XXV. 2 (Biblioth. Upsal.) secuti sumus, in quo conficiendo ille se "antiquissimum in membrana MS. Codicem Bibl. Hafniensis signatum E. 39" adhibuisse dicit. Westphalen in Monumentis ineditis rer. Germ. I. 1408 exscripto Stephanii usus est. Langebek vero in Script. rer. Danic. I. 373 apographo Petri Olai Roskildensis in seculo XVI° facto utebatur. Illi adsentimur, codicem Petri Olai eundem ac Stephanii fuisse; variantes enim lectiones apud Petrum Olai aut ex male lectis vocabulis aut ex annorum numeris, quos Stephanius in suo exscripto addidit, ortæ sunt.

Usinger in libro citato (v. pag. 101 not. †) pag. 14 bonis argumentis demonstrat Chronicon in annis 1137—1139 proprie subsistere et clerico vel monacho Roskildensi, qui eventibus hujus temporis ipse interfuerit, originem debere. Huic chronico alius scriptor, forsan ex ineunte seculo XIII° aliqua de sequentibus eventibus breviter apposuit, (quæ ab enuntiatione: *Rex autem* in 8va linea pag. 386 in Script. rer. Danic. incipiunt). Priorem scriptorem igitur ætate fuisse Saxone superiorem vix attinet dicere. Adamo Bremensi aperte et fortasse Chronicis Anglicis, ut Langebek putat, usus est. In regno vero Nicolai Svenonis et igitur in iis, quæ excerpsimus, res suæ ætatis exponit.

(Narrat scriptor, quomodo Ericus Emun, postquam a Norvegia auxilium contra fratris Kanuti Lawardi occisores, sc. patruum Nicolaum regem ejusque filium Magnum, frustra petiverat, tandem a Scaniensibus juvatur). Eo tempore Lundia muro et vallo jussu Herici est circumdata. Nicolaus interea expeditionem

Digitized by Google

terris sibi subditis indicavit et ut omnes meliores pridie Nonas Junii a) in Scaniam venirent, cum omni diligentia precepit. Nam predicto termino sancta dies pentecostes celebrabatur b). Igitur secunda feria incaute de navibus ascendentes nec de rebus suis sapienter disponentes, occurrit eis Hericus cum suo exercitu et inenarrabile et irrecuperabile dampnum toti Danie intulit. Heu crudelis annus, dies amara, dies mortis, dies tenebrarum, doloribus plena, singultibus onerata. Heu dies, in qua Magnus occiditur, flos Daniæ deprimitur, pulcherrimus juvenum, fortis robore, hilaris dator et sapiens et constantiæ amator. Magnus occiditur et cum eo duces et quinque episcopi, Petrus Roskildensis, Thoricus c) Ripensis, Kettillus Vestervicensis d), Henricus expulsus de Suethia e). Adelbertus Slesvicensis insanabili vulnere sauciatus, vix annum et dimidium supervixit. Sextum autem Eskillum Episcopum duobus annis ante istud bellum Hericus fecit interfici in ecclesia matutinis horis inservientem, virum pulcherrimum et prudentissimum et optime literatum. — —

(Ericus postquam natale domini in Scania degerat, fratrem Haraldum (Kæsia) in Jutia interimit et deinde octo filios ejus, quos usque ad Augustum mensem in compedibus tenuerat, pariter occidi jubet). Olavus vero, capto patre et fratribus, mendicis et peregrinis se sociavit et sic eorum vestibus indutus ad regem Svethiæ, nomine Sverki, pervenit et supplex ab eo auxilium petiit f). Qui postquam totam seriem cognovit, qualiter et pater ejus interfectus fuit et fratres, sperans aliquid boni ex eo futurum, in sua eum suscepit et partem regni sui omnibus diebus Herici ad necessaria sibi benignissime concessit. Byorn g) et Hericum diaconum anno uno ante mortem patris ad castellum quod est ante portum Slesvic submersit. Magnus duodecimus in Scania cum Magno Nicolai regis filio in bello cecidit. Omnes isti filii Haraldi et omnes isti immatura morte consumpti sunt. Olavus unus superest h) belua multorum capitum.

a) Die 4 Junii, quæ anno 1134 erat secunda feria, in qua ut paulo infra dicitur pugna commissa est. Dies Pentecostes hujus anni in d. 3 Junii incidit. Idem dies (4 Junii) et annus legitur in pæne coævo Necrologio Lundensi (Script. rer. Danic III. pag. 448). b) Langebek: celebratur. c) Lege: Thorirus. d) Ita episcopi in diocesi Börglum interdum vocabantur (v. Script. rer. Danic. I. 382, not. d. e) Henricus Sictunensis in Necrologio Lundensi appellatur. Knytlinga Saga dicit: *oc var ein ofann af Svithiodi.* f) Hoc igitur anno 1135 contigisse videtur. g) Björn, cui cognomen *Järnsida* (ferreum latus) datum fuisse Sven Ågeson narrat, cum uxore Katerina, filia Ingonis senioris, teste Knytlinga Saga, filiam Kristinam Erico sancto regi Sueciæ nuptam procreavit. h) Scriptor neque mortem Olai (1141) neque rebellionem ejus contra Svenonem regem (de qua vide supra excerptum e Saxone) memorat.

2. Ex Chronico Danico

980—1286.

In Scriptoribus rer. Danic. II. 433—438 ex apographo seculi XVI^{i} manu Cornelii Hamsfort, ut Langebekio videtur, scripto editum est; qua editione, cum nullum aliud manuscriptum vel editionem reperimus, usi sumus.

Usinger (pag. 25) illud vetustum esse negat, quia enuntiata solito breviora sint et fontes, ut Saxo, vita Kanuti, quidam Hystoriographi, memorentur. Schäfer contra pag. 52—56 ejus vetustatem defendit, inusitatam dictionis brevitatem ita declarans, chronicon nihil aliud esse quam memoriæ causa ex perditis Annalibus Lundensibus Majoribus (et aliis scriptis) factas annotationes, ex quo etiam intelligitur, cur dicta hujus Chronici singula in singulis Annalibus ex eodem perdito fonte derivatis reperiantur. Nos id Schäfero assentimur, Chronicon vetustis fundamentis niti, sed, corruptorum annorum et in quibusdam locis quasi recentis dictionis ratione habita, res nobis ita se habere videtur, ut principio quidam vetustos fontes, præsertim Annales Lund. Majores, excerpserit, quos deinde alius scriptor multo posteriore tempore describens et verisimiliter augens male et legerit et reddiderit.

1135 i) Nicolaus fugit de Scania et quinque episcopi occubuerunt, quatuor de Jutia et unus de Sialandia et surrexit k) unus de Suecia, unus de Scania, unus de Jutia.

1144. Ericus duxit uxorem sororem Hartvici episcopi Bremensis. Et conventus missus est Alvastrum et Nydal l).

1152. Exulavit Kanutus in Svetia et Ruscia m).

1208. Dani corruerunt in Lænæ.

1210. Suercherus rex corruit. Et rex Svecie duxit sororem Valdemari.

i) Lege: 1134 v. supra not. a. k) Forsan pro: supervixit; in quo scriptor errat, ut ex loco modo citato videtur. l) Cfr. infra Annales Ryenses et Chronicon Sialandiæ. m) 1151 Saxone teste legendum videtur. Cfr. supra pag. 95 not. z.

Digitized by Google

1231. Ericus rex coronatur. Offo archiepiscopus consecratur et rex Sveciæ etiam n).

1246. Sore combusta. Folkenne o) corruerunt.

1256. Rex Daciæ et Sveciæ p) pacificati sunt in Haffn.

1265. q) Guido Cardinalis fuit in Dacia. Obiit Birgerus dux Sveciæ.

1275. Dani percusserunt Svevos regem destituentes r), *alium substituentes. Benedictus fuit in Dacia, nuncius domini papæ pro decima colligenda. Conventus venit Helsingborch et Holbek.*

1286. Capitulum fuit Syctuniæ et frater Johannes tunc prior domus illius factus est episcopus Findlandensis ibidem presente domino rege Magno, et prior Roskildensis frater Olaus factus est prior provincialis ibidem s). In vigilia omnium sanctorum visum est signum mirabile, quasi tres soles, et qui erat ultimus, ascendit in medium coeli et factus quasi Iris. Parum post rex Daciæ Ericus occisus est a suis turpissime in lecto suo de nocte juxta Wibergium in nocte beatæ Ceciliæ virginis.

n) Strinnholm: Svenska Folkets Historia, IV. pag. 303 hoc de Kanuto rege dictum accipit. Ericus Erici, expulsus rex, jam erat coronatus (v. Diplom. Suecan. I. pag. 240). Cum autem, quod hic in anno 1231 legitur, ad annum 1232 referendum videtur (permulta uno anno ante a scriptore redduntur v. 1226, 36, 37, 40, 65) et in Annalibus Lundensibus in anno 1232 legitur: . . . "Ericus rex Sueciæ rediit in terram suam", suspicandum est verbum *etiam* esse mendum pro *rediit.* o) Lege: Folkungi. Cfr. Annales Sigtunenses (supra pag. 4) in anno 1247: Sora quoque 1247, non 1246 igne periit. Vide Suhm: Hist. af Danmark, X. 82. p) Lege: Norvegiæ et 1257 pro 1256. q) Lege: 1266. r) Sequentia: "alium substituentes" etc., quæ cursivis literis reddidimus, apud Langebek in anno 1269 leguntur. Illa huc pertinere manifestum est et ex contentis et ex annotatione de monasteriis Helsingborg et Holbek (cfr. Annales Sigtunenses). Qua re hæc absurda enuntiationis distractio evenerit, declarare non possumus. s) Cfr. supra Annales Sigtunenses.

3. Ex Annalibus Ryensibus in Annum 1288

cum versione Danica in an. 1314 continuata.

Hos annales sub inepto titulo "Chronicon Erici regis" Lindenbrog an. 1603 primum edidit, deinde Stephanius an. 1629*), tum Langebek in Script. rer. Danicarum I. 148, qui quamquam scriptorem fuisse monachum conventus Ruris Regii (Rude vel Ruhe kloster in Jutia meridionali) recte agnovit, tamen falsum titulum servavit, cum manuscripto deficiente illos secundum duas priores editiones evulgavit. Ad extremum Lappenberg eos, reperto in bibliotheca publica Hamburgensi antiquo codice, denuo in Monumentis Germaniæ Tom XVI. 386—414 in lucem emisit nomenque Annalium Ryensium recte indidit. Hic codex, quem editor eundem esse, quo Lindenbrogius uteretur, demonstrat, in membrana exeunte, ut videtur, seculo XIII° est scriptus et, ut vitia et lacunæ manifestum faciunt, non auctoris autographum, sed librarii descriptum est. Hanc Lappenbergii editionem nos, præsertim cum manuscriptum Stephanii ignotum sit, in excerptis nostris secuti sumus. Versio Danica ad annum 1314 continuata ex codice membranaceo Bibliothecæ Universitatis Havniensis seculo XV° scripto a Nyerup edita est in Nye Danske Magazin, V Bind, Kjöbenhavn 1827 in 4to, pag. 161. Quam solum, cum a textu Latino differt, lateri hujus apponere necesse duximus, ceteroquin, si nonnulla textus Latini in versione Danica omittuntur, illud attendere satis putantes.

Annales, quæ eorum nunc est forma, circa tempus, quo finiuntur, id est in fine seculi XIII^i^ scriptos esse, jam conditio codicis demonstrat. Eos autem, ut plura opera ejusmodi generis, sensim elaboratos esse, usque dum præsentem formam acceperint, verisimile est, et Schäfer l. c. pag. 55 seqn. annales in anno 1262 primitus desiisse putat, quia versionis Danicæ cum textu Latino similitudo ab hoc anno evanescit et illa postea ad annales Lundenses propius accedit. Præterea eum, qui versionem Danicam curaverit, alium textum Latinum, quam quem in annalibus Ryensibus hodie possideamus, in manibus habuisse, facile apparet **). Hi annales perditis illis Lundensibus Majoribus profecto nituntur (qua de re cfr. Usinger et Schäfer), unde multa, quæ cum ceteris annalibus Danicis communia habent, declarantur, et ob eandem causam in eventibus, qui ad finem seculi XIII^i^ se extendunt (imo fortasse aliquid longius), plane non dici potest, utrum hi annales alios, an alii hos secuti sint, cum omnes ex communi illo fonte, Annalibus Lund. Maj. plerumque hauserint ***). Adamum Bremensem inter fontes annalium Ryensium esse neminem fugit. Saxonem vero in eis adhibitum esse Lappenbergius negat, Usinger instituta accurata inquisitione se ostendisse putat. Scriptores seculi XIV^i^ et posterioris ætatis, præsertim Kornerum in Chronica novella, annalibus Ryensibus vicissim usos esse, certum est (qua de re cfr. Monumenta Germaniæ XVI. 391).

*) De Lindenbrogii et Stephanii editionibus vide Monumenta Germaniæ XVI. pag. 386. **) Hic monendum videtur, Laurentii Stralii Annales Danicos 1084—1314, qui vocantur (Scriptores rer. Danic. III. 302), nihil esse præter excerptum ex hac versione Danica Latine redditum. ***) Quod Schäfer l. c. pag. 14 et 15 recte attendit contra Lappenbergium, qui Chronicon Sialandiæ fontibus annalium Ryensium adnumerare vult.

Digitized by Google

A. d. 902. Arnulphus imperator Danis in Teutonia occurrens prostravit ex eis 100 (milia) hominum bello coelitus administrato. Eodem anno obiit Ericus Barn et regnavit pro eo Olaf rex Sveciæ.

82 a). Olaf rex Sveciæ. Iste vi et armis optinuit regnum in Dacia et regnavit 5 annis. Huic successit Gyurth.

90. Sven Tyugöskög. Iste propter scelera sua a Slavis ter captus est et redemptus, semel tanto pondere auri, quantum in armis ponderabat et bis tanto pondere argenti. Novissime de regno expulsus apud regem Sueciæ b) 14 annis exulavit. Tandem ad Christi fidem conversus baptizatus est et mox deo favente regnum suum recepit, occiso rege Norvegiæ in Mesund c), qui regnum ejus tenuerat d). — — —

100. Vivente adhuc prædicto Nicolao rege filius ejus Magnus factus est rex Danorum et Gottorum. Scanienses vero elegerunt prædictum Ericum Emune, filium Erici Egothæ, in regem, contra quem venerunt reges Nicolaus, et Magnus filius ejus et bello inito in Fothwik anno domini 1135 e), ubi corruit Magnus et cum eo 6 episcopi, 4 de Jutia, unus de Syalandia, unus de Suecia et multi nobiles de Dacia cum eis. Nicolaus vero fugiens venit Sleswic, ibique occiderunt eum sutores f) Sleswicenses. Huic successit Ericus Emune memoratus.

1142. Bellum fuit Diffling g) ter uno die et uno anno 42 h) vicibus inter Ericum et Olavum, et semper fugit Olavus ante Ericum. Et conventus missus est in claustrum i).

MCXLII. Eric oc Olof stridæ thrysæ een dagh, oc hvært sinnæ flyde Olof. Clastær kom forst til Aluastær.

1144. Ericus duxit sororem Hartwici k) Bremensis episcopi. Conventus missus est in Herivadum et in Nidal l). Coelestinus papa sedit mensibus tribus. Lucius papa 2 annis.

1149. Eskillus archiepiscopus captus est a Suenone rege. Bellum fuit apud Arcune in Sclavia.

MCXLIX. Kuning Swen fangethæ erkebescop Eskil. Closter kom til Wernæm.

1150. Sanctus Ketillus m) præpositus migravit Wibergensis. Bellum fuit in Slangthorp et fugit Kanutus. Conventus mittitur in Wernaem n). Kalend. Maii o), qui professus est postea in Esrom.

MCL. Sanctæ Kiel word prouæst i Wiburg. Strid wor i Wiburg oc Knud rymdæ af landæ.

1151. Bellum fuit Wibergis et iterum fugit Kanutus.

1152. Exulavit K[anutus] in Rusciam p), qui assumpto auxilio de Saxonia pugnavit et fugit.

MCLII. Knud foor in i Rytzen oc met Thydeskæ hiælp stridæ han oc flydhæ.

1154. Desponsavit Waldemarus, filius sancti K[anuti], Sophiam sororem Kanuti regis q). Dani omnes elegerunt duos reges scilicet Kanutum memoratum et Waldemarum filium sancti Kanuti. Tunc Sueno rex fugit in Saxoniam.

1160. Conventus venit in Saba r).

1164. Conventus missus est in Gutualiam s) 6 Idus Septembris.

MCLXIIII. Idus Septembris: Gutualia Closter word først bøyd.

1208. Dani corruerunt in Lenæ. Rex Waldemarus castrum Hwiceborg u) destruxit. Pons ultra Albiam factus. Castrum Heræborg jussu Waldemari factum est.

MCCVIII. Danskæ Jebbæ t) Sonesøn oc Laurens met thære tilfyliæ blævæ slafnæ wed Lænæ. Kuning Woldemar brøth Hwittænburg næyær oc laat han byggæ Horeburg. Bro word giord øwer ælwæn.

1210. Expeditio facta est in Pruciam v) et Samland. Mistwin dux Poloniæ factus est homo regis. Swærkerus rex Sueciæ occiditur. Conventus venit de Aurea insula in Rus regium.

1221. Obiit Berengaria, mater regum Erici, Abel et Christophori. Obiit Rikæcæ regina x).

a) Id est octogesimus secundus rex Daniæ. b) Scriptor Adami verbum: "Scotorum" perperam accepit. c) "Mesund hodie Missund est fretum sive trajectus brevis in sinu Slesvicensi sive flumine Slia." Langebek. d) Quæ typis minoris formæ impressimus, maxima ex parte sunt ex Adamo Bremensi, Lib. I. cap. 49 et 50, Lib. II. cap. 27 et 32, excerpta. e) 1134, d. 4 Junii, v. supra pag. 103 not. a. f) Codex habet *sittore*. Lappenberg conjicit *littore*. Langebek rectius *sutores*, ut etiam Cornerus habet, quod verbo *sudhere* in versione Danica roboratur. g) In aliis chronicis scribitur *Dystling*, *Dyssing* sive *Dyssiæ*; quare Langebek proelium in campo circa amnem Dysia in Scania, quasi in *Dysiælyng* commissum putat. h) Sic. Chronicon Sialandiæ: duodecies. i) Lege: Alwastrum. Annus incertus videtur. Chronicon Sialandiæ fundationem Alwastri ad annum 1143 refert. Sed res forsan citius facta est, cum annales Ryenses et Chronicon Sialandiæ mortem Erici Emun in 1139 pro 1137, obitum Olavi Haraldi filii in 1143 pro 1141, occisionem Rikonis in 1143 pro 1139 habent. k) Codex perperam: Henrici. l) Nydala in Wærendia. m) Codex habet: "Dictus Retillus." n) Hic est lacuna in codice. o) Hic aliqua excidisse apertum est. Fortasse *per Henricum* vel tale aliquid. Cfr. Scriptores rer. Danic IV. 459. p) Hoc ad annum 1151 verisimiliter pertinet. Cfr. Saxonem (supra pag. 95 not. z), qui (sicut Ann. Lundenses et Chron. Sialandiæ) Kanutum primo ad Sueciam fugisse narrat. q) Cfr. supra pag. 97 not. n et o. r) *Sæby* in Stephanii editione. Monasterium postea e parochia Juleta in Sudermannia, in qua est Säby prædium, quod Kanutus rex monachis donavit, (Diplom. Suec. I. pag. 91) nomen accepit. s) In Gotlandia insula, postea *Roma kloster* vocatum. t) Idem ac: Ebbe. u) *Byzenburg* Stephanius, quod Lappenberg approbat. v) Codex: Penciam. x) Alii annales utramque reginam an. 1220 obiisse narrant. Collatis annalibus et ceteris fontibus certum videtur, ut Suhm, Hist. af Danmark IX. 381, ostendit, Rikizam, viduam Erici Kanuti regis Sueciæ, d. 8 Maj 1220, Berengariam d. 27 Martii 1221 decessisse. Si jam annus a pascha numeratur, Berengaria an 1220 mortua esse dici potest. Hinc ortum est dictum reginas eodem anno obiisse, et ita declaratur eos, qui Berengariam an. 1221 defunctam esse sciverint, mortem Rikizzæ in eodem anno annotasse.

Digitized by Google

1249. Obiit Ericus rex Sueciæ y).

1266. Venit Guydo cardinalis in Daciam et excommunicavit regem et reginam. Byrger z) dux Sueciæ obiit.

1275. Duæ turres ecclesiæ sancti Petri in Sleswik corruerunt et magna pars ejusdem ecclesiæ. Obiit dominus Johannes Abbas. Cardinalis a) relaxatum est interdictum per regnum Daciæ. Expeditio facta est ad Sweciam et victi sunt Sweni.

1276. Obiit Ørlandus archiepiscopus electus Lundensis et successit Thrugotus IX b) archiepiscopus. Obiit papa Gregorius. Innocentius sedit. Post quem Ottobonus sedit quinque septimanis. Ericus dux Sueciæ obiit d). W[aldemarus] rex Sueciæ exulavit in Dacia cum uxore et filiis.

1277. Creatus est papa Johannes XXI e). Obiit Petrus episcopus Roskildensis. Et Stigotus eligitur.

1278. Rex W[aldemarus] rediit ad Sueciam filio pro obside relicto f). Obiit papa Johannes.

1288. Stigotus marscalcus cum suis multa mala fecit in Noriutia clandestinis incursibus. Obiit domina Mechthildis regina g).

MCCLXXI. Ripe brænde. Item iordskiælf wor somstædæ i Swerig. Item kuning Erik bygynnethæ at øthæleggæ Sønderiutland.

MCCLXXV. Consilium generale wor i Lund, klærkæmood, under Gregorius pauæ thiit thæn tiende. Item erkebiscop Jæiop døthæ. Ærland word karin.

MCCLXXVI. Thæt forbot ther Dansk (!) Danmarch wor i, thæt word løst. Item strid wor i Swerighæ, oc the Swænskæ tabethæ. Kuning Woldemar wor wtdrewin af Dan c) righet.

MCCLXXVII. Hertig Erik af Swerig blef døth. Thrughæt wort wtwold til erkebiscop.

MCCLXXVIII. Biscop Pæthær af Roskild blæf døth. Stig word wtkarin. Item Thrughet word weyd til erkebiscop. Junkær Alff blef døth. Erkebiscop Thrughæth holt consilium, raat, met klerkæ oc leghmæn i Wæthlæ.

MCCLXXXVIII. Foor een in i Danmarch oc halt seg for at wære keyser Frethric. Item kuning Eric giorde brullop met kunings datær af Swerighæ h). Item biscop Tyko af Ripe oc biscop Tyko af Aarus døthæ.

MCCXCVI. Slæswig moxen i) alt samæn forgik af brand ny aars nat. Item hertigj) Eric giorde brullop met kuning Magnes dather. Item oc møtes kuningin och hertigin met beggæ theræ hær på Somerstætheet k).

MCCCVI. Kuning af Swerighæ, hans draning oc hans børn worde fangnæ af hans brother[e] af greue l) Eric oc greue Woldemar.

MCCCVII. Kuning Eric foor met stor hær in i Sverigh.

MCCCVIII. Kuning foor annæn thiit jn i Swerig or øthælaudhæ mangæ stæthæ met roff oc brand.

MCCCIX. Kuning foor thredyæ sin in i Swerig oc foor in i Østærgylling m). Item biscop Eskil af Arws word erkebiscop i Lund. Item Johannes Grand word ærkebiscop i Bremen.

MCCCV n). Hertig Eric af Laland døthæ. Item Howf wor i Helsinburg, oc ther møttæs kuning af Danmarch, kuning af Swerighæ oc kuning af Norgæ oc grewer kunings brothere af Swerighe och giorde een statfast sanæ o).

y) Lege: 1250. z) Codex: Biggeer. a) Ita Lappenberg: Codex habet: *cardinal relaratum*. Guido cardinalis interdictum promulgaverat. Forsan *cardinal* est mendum pro *eodem anno*. b) Codex habet: II. c) Sic: Corruptus locus vix e textu Latino apposito male intellecto exortus esse videtur. d) Annales Sigtunenses (supra) et Annales Lundenses (infra) habent 1275, quod rectius esse apparet. Cfr. Diplom. Suec. I. p. 506. Diem XVI. Kal. Decembris affert Necrologium Eskiltunense infra edendum. e) Electus est Johannes d. 15 Septembris 1276. f) Hoc forsan ad 1277 referendum est. Sequens dictum de obitu Johannis papæ ad annum 1277 pertinet; parem errorem anni in nota superiore vidimus, ut scriptor res uno anno serius, quam acciderint, annotasse videatur. Jam anno 1277 Waldemarus partem Sueciæ accepit (vide supra pag. 6) et jam d. 3 Januarii 1278 in superiori Suecia fuisse videtur (Diplomat. Suecan. I. pag. 522). g) Vidua Abelis regis Daniæ et Birgeri ducis Sueciæ. h) Cum fere omnes annales Suetici et Danici nuptias in anno 1296 collocant, hic aut errat scriptor aut de sponsaliis solum loquitur. In anno 1154 vocem textus Latini "desponsavit" eodem modo *giorde brullop* reddidit. i) Id est: fere, pæne. j) Lege: *konung*, sc. Ericus Menwed, rex Daniæ. Sequens vox *hertigin* Waldemarum ducem Jutiæ meridionalis spectat, k) Campus prope Hadersleviam in eadem Jutiæ parte. l) Scriptor sic "duce" reddidit. m) Suetice: Östergötland. n) Lege: MCCCX. o) Pro *sone*, id est compositio, pactio.

Digitized by Google

4. Ex Anonymi Nestvedensis Chronologia 821—1300.

Hanc Stephanius "ex antiquissimo Codice Membranaceo MS. Reg. Bibl. Hafniensis signato E. 39" manu propria descripsit (in donatione De la Gardiana Bibl. Upsal. n. XXV. 1). Ad idem manuscriptum Stephanii editio Westfalii (Monum. ined. rer. Germ. I. 1404) et variantes lectiones, quas Lappenberg attulit (Michelsen: Archiv etc. II. 191), referuntur. Ex apographo Arnæ Magnæi, verisimiliter ex eodem codice sumto, sed nonnihil corrupto, Langebek eam edidit in Script. rer. Danic. I. 368. Nos autographon supradictum Stephanii secuti sumus.

Hanc quoque chronologiam ex perditis Annalibus Lundensibus Majoribus effluxisse Usinger (pag. 79, 80) docet, cujus inqvisitionem Schäfer (pag. 23—29) continuavit et ampliavit. A coævis igitur scriptoribus res literis mandatæ sunt, præsertim in ultimis decenniis seculi XIII^{i}, ubi annotationes uberiores fiunt.

MCCVIII. Exercitus Danorum cecidit in Suethia apud Lenam.

MCCXX. Richice regina Svethiæ et Beringera regina Danorum obierunt a).

MCCLXXV. Bellum fuit in Suecia apud Houæ inter Danos et Suecos, et Dani habuerunt victoriam. Et parvo tempore post hoc Waldemarus rex Sueciæ per fratres suos captus est et regno suo privatus. Eodem anno obiit Archielectus Erlandus et dominus Thrugotus Thorstani in Archiepiscopum electus est b).

MCCLXXXI. Filia regis Daciæ data est filio regis Sveciæ c).

MCCXC. — — — — Magnus rex Sueciæ obiit.

MCCXCVI. Ericus rex duxit Ingheborg filiam regis Sveciæ.

a) Cfr. supra pag. 105 not. x. b) Obitus Erlandi et Thrugoti electio ad annum 1276 pertinent. c) Idem Petrus Olai ex affini, non eodem fonte, ut videtur, in anno 1280 annotavit (Script. rer. Danic. I. 187). Bulla papalis matrimonium concedens data est anno 1284 (Diplomat. Suec. I. pag. 649). Ericus Olai epistolam Erici regis Daniæ de eadem re profert, quæ anno caret, sed ante annum 1286, quo interfectus est, scripta sit, necesse est (Script. rer. Suec. II. pag. 66).

5. Ex Annalibus Lundensibus in annum 1266 postea in annum 1307 perductis.

Horum annalium duas redactiones, quæ vocantur, possidemus, unam quæ anno 1266 *) terminatur, alteram quæ in annum 1307 continuatur. Illam anno 1841 G. Waitz in bibliotheca urbis Erfurt invenit et postea imprimendam curavit (in Nordalbingische Studien V. pag. 1—55, Kiel 1858). Manuscriptum una eadem manu e seculo XIII° confectum, vitiis et erroribus haud paucis deformatur, quod descriptum, non autographum, illud esse demonstrat. Alterius redactionis in annum 1307 continuatæ duo manuscripta exstant, 1) Codex Membranaceus in Bibliotheca Acad. Hafniensis n. 841 in 4to, in seculo XIV° scriptus, secundum quem **) Langebek eos sub titulo Annalium Esromensium edidit in Script. rer. Danic. I. 212—250, 2) Manuscriptum a librario Stephanii concinnatum in donatione De la Gardiana Biblioth. Upsaliensis n. XXVI. 15, cui ipse superscripsit: "Ex vetustissimo Codice Membranaceo MS. Nobilissimi viri Stigoti Pors: ***) cujus apographum extat in Codice MS. Bibliothecæ Hafniensis, signato A. 9. " §). Exemplar Stephanii adhibuit Ludewig in Reliquiis Manuscriptorum Tom. IX. n. 1. Ex eodem codice Stigoti Pors alius librarius seculi XVI^{i} annales descripsit (qua de re vide Rördam: Monumenta Historiæ Danicæ I. pag. 260 seqn.) Manuscriptum vero Stephanii a codice, quem adhibuit Langebek, valde differt. Dum enim hic ante annum 1266 cum codice Erfordensi, qui ibi finitur, fere ad verbum conspirat, MS^{tum} Stephanii multo brevius est. Ab anno 777 §§) initum capit, omissa tota præ-

*) Ultima annotatio: "Obiit Birgerus dux Sweworum" anno caret, sed ad annum 1266 (non 1267, ut Waitz conjicit) pertinet. Hic quoque memorari debet, excerptum ex hac redactione sub titulo: Breve Chronicon 1246—1265 in Script. rer. Danic. V. 570 impressum esse. **) Langebek etiam fragmentum alius codicis, quod in Svenone Tjugeskeg substitit, adhibuit. ***) Rördam: Monumenta Hist. Dan. I. 264, Stigotum Pors præfectum Lundensem, anno 1556 obiisse tradit. Alius Stigotus Pors Judex in anno 1282 comparet (vide Scriptores rer. Danic. I. 293). §) Ex eodem codice A. 9. Stefanius plura (ut Chronicon Sialandiæ, Chron. 826—1415 etc.) sumsit. Vide Indicem donationis De la Gardianæ in Celsii Historia Bibl. Upsal. pag. 95 seqn. n. 1, 12, 16—20. §§) Incipit: A. D. DCCLXXVII obiit Godefridus rex etc., quod apud Waitzium in anno 776 legitur.

Digitized by Google

cedente narratione, et fere omnia historiam universalem attinentia et nonnullas res Sueticas et Danicas præterit, atque etiam post annum 1266, quæ ad regna aquilonaria non pertinent, omittuntur. In excerptis nostris primum editionem Waitzii in annum 1266, omissa vel vitia apud Stephanium (et nonnumquam apud Langebekium) subjicientes, deinde editionem Langebekii secuti sumus. Quæ ex Adamo Bremensi ad verbum sumta sunt, (singularibus typis Waitzius illa effert) hic prætermisimus, quia ex illo infra excerpta dabimus.

De ratione, qua hi annales in præsentem formam ex diversis fontibus, præsertim e perditis Annalibus Lundensibus Majoribus, gradatim creverint, legentes uberes disquisitiones Usingeri et Schäferi inspiciant. Multa a coævis scriptoribus diversis temporibus aperte annotata sunt, exempli gratia, quæ de ultimis temporibus seculi XII[i] narrantur et quæ annos 1261—1287 complectuntur.

1152. Kanutus pugnavit contra Swenonem et devictus est et exulavit in Sveciam et Rüciam a).

1154. Hic rediit Kanutus et assumpta milicia pugnavit contra Swenonem; et Waldemarus desponsavit sororem Kanuti Sophiam b).

1171. Sanctus Thomas Cantuariensis archiepiscopus martirizatus est. Hoc anno c) translatum est corpus sancti Kanuti Ringstadis, filii Erici Egothe. Die illo Danis omnibus gaudium dupplicatur ex parte una, quod pater regis autorizatur d), ex parte alia quod regis filius Kanutus in regem inungitur. Interfuerunt diei illius sollempnitati rex ille Waldemarus, archipresul e) Æskillus de Lundis, archipresul de Suecia Stephanus, lator f) litterarum martirem sanctum autorizantium g) autoritate domini pape Alexandri et cum eis Absalon Roskildensis, Symon Othoniensis, Swen Arusiensis, Ralf Rypensis, Tucho Burglanensis, Nicolaus Wybergensis. Frithericus Hethebyensis Hælghique electus de Norwegia: qui die eadem pronunciavit pacem inter Daciam et Norwegiam. Aderat etiam cum primis et primatibus terre tam cleri quam plebis populus innumerabilis — — — h).

1192. Episcopus Waldemarus sibi doli conscius, nemine fugante i), ad regem Swecie fugam tenuit et bellum in pace exercens armata manu rediit k) sequenti anno, regisque nomen sibi usurpavit; et prout racio postulavit, digno victoria victore existente, a rege Kanuto est captus 8 Idus Julii l). Obiit Lucius papa: successit Urbanus II. annis 3. Et coenobium omnium sanctorum Lundis combustum est m).

1208. Bellum fuit in Lena.

1209. Hoc anno Waldemarus episcopus ejectus est de sede Bremensi et iterum excommunicatus; et expedicio facta est in Pruciam et Samland; et Waldemarus bonus natus est filius Dagmarh, et Ericus rex Swecie duxit Rykizam sororem regis Waldemari n).

1210. Hoc anno Sværkerus rex corruit in Gyestilren o).

1220. Hoc anno Jerusalem capitur a cristianis. Rykiza regina Swevorum obiit p). Rex Waldemarus secundo ivit ad Estoniam: et Andreas archiepiscopus Lundensis resedit q).

1229. Hoc anno Uffo archiepiscopus consecratur; et Ericus rex Swevorum fugit de Olostru bello in Daciam r).

1230. Hoc anno Otto Cardinalis fuit in Dacia. Eclipsis solis facta est die dominico s).

1231. Obiit Waldemarus junior III[ns] rex Danorum et regina ejusdem.

1232. Hoc anno Ericus rex coronatur; et Abel dux factus est t); et Ericus rex Swecie rediit in terram suam u).

1251. Hoc anno Folkunga interfecti sunt v).

1261. Hoc anno Byrgerus dux Sweorum venit Kœpmannahafn cum exercitu magno x); et eodem anno captus est rex Ericus et mater sua regina Margareta in Loheth, et meliores regni Dacie interfecti et quidam capti, et episcopus Slæswicensis captus et carceri mancipatus.

1262. Hoc anno archiepiscopus Jacobus exulavit in Sweciam — — — y).

a) Stephan. omittit: *et Rusciam.* Ad annum 1151 fortasse pertinet. Cfr. supra pag. 95 not. z. b) Stephan. hoc in 1153 habet. c) Stephan. omittit: *Sanctus Thomas . . . Hoc anno.* d) *Canonizatur*, Stephanius. e) *Archiepiscopus*, Stephanius. f) Stephanius: *simul de Succia Stephanus lector.* g) Sic Langebek. Codex et Stephanius male: *autorizandum.* h) Narratio de morte S. Thomæ iterum traditur. i) Stephan. *persequente.* k) Apud Langebek hic insertur: MCXCIII. l) Omnes reliqui annales solum in Norwegiam Waldemarum se contulisse narrant. Sed coævus Arnoldus Lubecensis (Monumenta Germaniæ XXI. p. 191) dicit: "Waldemarus . . . . auxilium regum Northwegiæ et Sueciæ sibi contraxerat. m) *8 Idus Julii . . . . combustum est* desiderantur apud Stephanium. n) Ejectio Waldemari episcopi et partus Waldemari III[i] ad annum 1209, expeditio in Prussiam et nuptiæ Erici ad 1210 pertinent, ut comparatio ceterorum fontium ostendit. Chronicon 1074—1219 (Script. rer. Danic. III. pag. 263), quod de rebus Succicis hoc solum memorat, rectos annos habet. o) Stephanius hoc priori anno ita alligat: *Et corruit Sverkerus rex Sueciæ anno sequenti.* p) *Hoc anno . . . . Swevorum obiit* omittit Stephanius. q) *Recessit* Stephanius. r) Cfr. Annal. Sigtunenses supra pag. 3 not. r. s) Omnia, quæ in annis 1229 et 1230 leguntur, apud Stephanium prætermittuntur. t) Sequentia *et Ericus . . . terram suam* desiderantur apud Stephanium. u) Hoc dictum nullo alio loco offendimus. Res suspecta videtur, cum æmulus Erici, Kanutus rex, testantibus pluribus chronicis, an. 1234 mortuus est. v) Stephan. *Folkungi interfecti sunt in Suecia.* Cfr. supra pag. 4 not. r. x) De hac re cfr. *Hakonar Konungs Saga.* Mechtildis, vidua Abelis regis, quam Birgerus eodem anno uxorem duxit (Annal. Regii Island., Script. rer. Danic. III. 103; cfr. literas Urbani IV[i] re paulo recentiores l. c, V. 610), huic expeditioni auctor fuit (v. infra Chronicon 1188—1319). y) Sequentia solum res Danicas spectant.

Digitized by Google

[1266] z). Cardinalis Guido venit in Daciam. Obiit Byrgerus dux Swevorum a).

MCCLXIX b). Hoc anno circa assumpcionem sancte Marie c) venit domina Sophia regina Swecie ad patrem suum beatum Ericum regem.

MCCLXXV. Bellum fuit Hobro d) in profesto Viti et Modesti e) et fugati sunt Sweui a Danis. Et post breve rex Waldemarus et regina uxor sua capti sunt. Obiit Erlandus electus Lundensis et Thrugotus Thorstani eligitur. Eodem anno obiit Hericus dux Swecie.

MCCLXXVI. Rex Hericus obtinuit castrum Almethorp f). Et convocato generali concilio Nyburgh, filius ejus Ericus accepit nomen regis, et principes, excepto Stigoto Marescalco suo, sub juramento sollempni fecerunt ei fidelitatem. Eodem anno natus est Cristoforus secundus filius ejus in die Michaelis. Eodem anno Magnus Sweorum rex duxit filiam comitis G. g) Holstzacie in uxorem, et celebratis nuptiis h) Sweui Hallandiam et Scaniam furtive cum exercitu intraverunt. Devastatisque quibusdam villulis in extremis finibus, iidem audientes adversum se indigenos congregari, solo metu vulnerati et in fugam conversi cum dedecore recesserunt i). Eodem anno Thrugotus archiepiscopus est a summo pontifice consecratus.

MCCLXXVII. Hericus rex Dacie Sweciam a die epyphanie usque ad pascha k) diversis insultibus impugnavit, depredacione et incendio devastando, tandem personaliter ingressus civitatem Scare cepit, ibidem tamdiu moratus, donec eum donata pace et inito federe placaverunt l). Eodem anno redit dominus archiepiscopus Thrugotus et missam suam in festo apostolorum Petri et Pauli celebravit.

MCCLXXVIII. Consecrati sunt in ecclesia Lundensi archiepiscopus Swecie m) et Stigotus Roskildensis episcopus a Thrugoto ejusdem ecclesie archiepiscopo.

MCCLXXXV. — — — — n) Ericus dux Hallandie factus est miles a Magno rege Swecie o). — —

MCCXCVI. Rex Ericus fecit nupcias cum Ingeburg sorore Birgeri regis Swecie.

MCCCIV. Rex absolutus fuit ab excommunicacione, qua tenebatur pro capcione supradicti domini Johannis Grand. Expedicio koggonum p) indicta fuit toti regno. Obsessa fuerunt castra Hallandie in hyeme q), sed non potuerunt expugnari.

MCCCVI. Multitudo Noricorum apud Thornburgh r) gladio et submersione periit. In quo conflictu dominus Jacobus Olaffson, miles strenuissimus, incaute navem hostilem insiliens submersus est. Ericus et Waldemarus duces Svechie captivaverunt fratrem suum Birgerum regem, comedentes cum eo in die beati Michaelis. Magnus primogenitus ejusdem Birgeri regis pridem in regem electus clam ductus est in Daciam.

MCCCVII. Rex Ericus in nativitate domini s) duxit validissimam expedicionem in Swechiam, sed gravissima hyeme impeditus rediit, acceptis treugis. — — t).

z) Annus deest in Codice. a) Totum annum et Langebek et Stephanius omittunt. b) Hinc, ut in exordio diximus, textum Langebekii secuti sumus. c) *Hoc. a. c. a. s. Mariæ* omittit Stephanius. d) Forsan pons paulo ab ecclesia Hofva (v. supra pag. 5 not. o) orientem versus distans. Chronicon Nicolai Archiep. Lundensis (v. infra) habet: *Örebro:* et Chronicon 1188—1319 (quod tamen hic erroribus scatet): *proelio primum ad pontem Ore, deinde ad villam Houæ facto.* e) Die 14 Junii; cfr. supra pag. 5. not. o. f) Situm hujus castri ignoramus. g) Gerhardi I. h) Kalmarniæ in festo s. Martini ejusdem anni, dicit Chronologia Wisbyensis (v. supra Tom. I. 1. pag. 41). i) De hac Magni in Scaniam irruptione cfr. Chronicon Rhythmicum. k) 6 Januarii — 28 Mars. l) Cfr. Annales Sigtunenses supra pag. 6. m) Sc. Jacobus Israelis, qui adhuc d. 9 Julii 1278 Archielectus vocatur (Diplomat. Suecanum I. pag. 529). Successor ejus Magnus Boson anno 1285 dicit, Henricum episcopum Lincopensem "dominum Jacobum antecessorem nostrum Lundis pro consecratione obtinenda" secutum (l. c. I. pag. 664). n) Proxime superiora omnino Danica sunt. o) Hic Ericus, filius Kanuti ducis Revaliæ (qui patrem habuit Waldemarum II., regem Daniæ) et frater Svantepulki legiferi Ostrogotiæ (v. supra pag. 4. not. h) ducatum Hallandiæ meridionalis anno priore obtinuit. p) Suetice *koggar*, ut naves tunc temporis appellabantur. q) Inter annos 1304 et 1305. r) Prope Korsör in Sialandia. s) I. e. Expeditio incepta est in nativitate domini anni 1306 et in annum 1307 continuabatur. t) Sequentia nos nihil attinent.

Digitized by Google

6. Ex Chronico Danorum et præcipue Sialandiæ in annum 1282 cum continuationibus in annum 1363.

Duo hujus chronici temporis extensione inter se differentia manuscripta olim exstabant *). Unum erat "pervetustus codex membraneus bibliothecæ Academiæ Hafniensis" incendio anni 1728 absumptus, ex quo Arnas Magnæus illud Lipsiæ anno 1695 in 8vo edidit, quam editionem Langebekius in Scriptoribus rer. Danic. II. 602—644 denuo reddidit. Ex præfatione Arnæ-Magnæi (quam Langebek suo operi inseruit) videmus, codicem exhibuisse Chronicon in anno 1307 terminatum, in quo primus librarius (autographum enim id non fuisse, sed descriptum, innumerabilia vitia satis declarabant) omnes numeros annorum usque in annum 1307 inscripserit, sed annotationibus eos non ultra annum 1282 expleverit. Deinde "variæ antiquæ manus" diversis annis nonnulla addiderunt et continuationem brevem in annum 1307 subjecerunt. Postremo "duæ recentes manus" pauca nonnullis locis inseruerunt. De tempore, quo hic librarius vel sequentes manus scripserint, editor omnino silet, sed conjicere licet, cum Chronicon anno 1282 initio substiterit, et primus librarius in illo describendo seriem annorum in 1307 continuaverit, hunc librarium anno 1307 vixisse. Has "antiquorum et recentium" manuum additiones Arnas Magnæus (et Langebek) desecuit separatimque in fine reddidit. — Alterum manu librarii Stephanii scriptum servatur in donatione De la Gardiana Bibl. Upsal. n. XXVI. 1., cui Stephanius ipse superscripsit: "Chronologia rerum Danicarum ab anno Christi CIↃ XXVIII ad CIↃ CCCLXIII incerti autoris: ex codice MS. Regiæ Bibliothecæ Hafniensis, cui Titulus: Antiquitates rerum Danicarum a Canuto III. ad Margaretam signato A. 9." **). Hic non modo Chronicon, quod in 1307 desinit, verum etiam continuationem in annum 1363 ***) reperimus, sed omnia eadem manu et uno tenore, nulla cujusvis divisionis operis mentione facta, scripta sunt. †) Quam continuationem ab anno 1308 (priore Chronico aperte ob id quod jam editum erat omisso) primum Westphalen in Monumentis ined. rer. Germ. I. 1390 ex codicibus Stephanianis, ut ibi dicitur, deinde Suhm in Script. rer. Danic. VI. 519—531 ediderunt. Hic exscripto utebatur, quod Langebekius manu propria confecerat et in quo annotaverat: exemplar, si recte memini ante plures annos mihi Holmia aut Upsalia transmissum est. Dubio procul exscriptum ex . . . Systemate Stephaniano inter MS. Donationis De la Gardianæ in Bibl. Acad. Upsal. etc. Utraque autem editio, Westphalii et Suhmii, quamquam manuscriptum Stephanii se adhibuisse dicunt, non ad finem in anno 1363 perducuntur, sed iisdem verbis in medio anno 1357 abrupte consistunt. Qua ex re commentatores conjecerunt, duas in manuscripto Stephanii exsistere continuationes, unam 1308—1357, alteram 1357—1363; imo hac a Lappenbergio edita, interiora vestigia hujus discrepantiæ se percipere crediderunt. Illud vero primo conspectu codicis refutatur, quia textus illic sine intermissione ad finem perducitur. Hoc satis dubium esse infra monstrabimus. Restat tamen declarare, qua re acciderit, ut duorum editorum exscripta, præsertim accurati Langebekii, eodem loco abrupta sint. Instituta vero vel minima comparatione duarum editionum et manuscripti Stephanii statim elucet, Langebekium memoriam fefellisse, cum exscriptum suum ex illo Stephanii sumtum esse se recordari opinatus sit, nam editionem Westphalii exscripsit et emendationes ex sua rerum cognitione, non ex manuscripto Stephanii fecit ††). Westphalium vero aut mancum descriptum codicis Stephaniani accepisse aut, si integrum receperit, posteriorem partem amisisse (in titulo "continuata appendix . . . ad annum 1363 . . . scripta." legitur) et deinde defectus immemorem vel mentionem facere negligentem, solum priorem partem edidisse nobis verisimile videtur.

*) Tertium manuscriptum a Johanne Svaningio seniore confectum, quod non vidimus, exstat, autore Suhmio (Historie af Danmark XIII. 339) in Bibliotheca Univers. Hafn., sed editionibus brevius et pejus esse dicitur. **) Manuscriptum Hamburgense, quod Lappenberg (Michelsen Archiv etc. II. 204) cum editionibus contulit et ex quo partem annos 1357—1363 comprehendentem ab iis prætermissam evulgavit, ex hoc systemate Stephanii, ut supra pag. 102 diximus, exscriptum est. ***) Pervagata fuit opinio, chronicon in MSto Stephanii ad annum 1368 continuatum esse. Hic error, quem aspectus codicis statim refelit, ex eo ortus est, quod in Celsii Historia Biblioth. Upsal. pag. 95 mendo typographico 1368 pro 1363 irrepsit. †) Quæ omnia suspicionem Langebekii, Stephanium continuationem 1308—1363 aliunde sumsisse, refutant. Neque Stephanius tale aliquid memorare omisisset. ††) Exempla nonnulla dabimus. MStum Stephanii signamus S., Hamburgense (apud Lappenberg) H., editionem Westphalii W., Langebekii L. — In anno 1308 S. habet *Tuno Lauridtzön*, H = S., W. *tunc L.*, L. *Timme L.* —— 1309. S. *Tertia expeditio in Sueciam*, H. = S., W. *Tertiam expeditionem in Sveciam fecit*, L. = W. —— 1310. S. *Dexterior pars*, H. et W. = S., L. *ditior pars* —— 1311. S. *Sterilitas agrorum fuit per totam terram*, H. = S., W. *Sterilitas f. p. t. t. agrorum*, L. = W. — Eodem modo falsos annos 1311 et 1312 apud Westphalium pro rectis 1310 et 1311, qui in S. et H. leguntur, Langebekius servavit. Plura proferre non opus est; si quis optat, variantes lectiones apud Lappenbergium consulat, ubi satis superque inveniet.

Digitized by Google

Ex iis, quæ de conditione manuscriptorum breviter disseruimus, ratio quæ nobis in excerptis statuenda est, ipsa sese exhibet. Priorem enim partem chronici in annum 1307 ex editione ArnæMagnæi, collato Stephanii descripto, reddimus, ita tamen, ut additiones, quas ille separavit, nos singulis annis, prout ipse codex manifeste eas habuerit, tribuamus et simul perspicuitatis causa eas singularibus typis imprimendas curemus. Ubi editio ArnæMagnæi finem capit, descripto Stephanii usque ad finem utimur, ceteris, cum omnia ex hoc sunt derivata, prætermissis. In annis 1316—1322 lateri ejus excerpta ex Annalibus Danicis 1131—1325 adjunximus, quia hi in annis 1311—1325 ex eodem fonte, ex quo continuatio Chronici Sialandiæ, aperte hausti sunt †††).

Jam nonnulla de Chronici natura, quibus ex partibus sit coalitum, dicenda sunt. Quæ de codice ArnæMagnæi supra diximus ostendunt, primam partem chronici in anno 1282 substitisse, cujus quasi singula membra, quomodo cum fontibus, præsertim istis Annalibus Lundensibus Majoribus, cohæreant, Usinger (56 seqn.) et Schäfer (13—15) patefacere studuerunt. Secunda pars additiones ad annos ante 1282 et continuationem 1282—1307 complectitur, de quibus iidem (inprimis Schäfer pag. 45 seqn.) disseruerunt. Quod vero nunc ab anno 1308 sequitur et Continuatio Chronici proprie appellari solet, nullo arcto vinculo cum priore parte conjunctum est et, ut Schäfer observavit, eodem jure Annalibus Lundensibus, qui pariter in anno 1307 subsistunt, applicari posset. Quæ sententia fere ipsa continuatione firmari videtur. Editio enim Arnæ Magnæi finitur: "1307 Ericus rex cum magno exercitu profectus est in Sweciam." Sed in descripto Stephanii sic legitur: "1307 Ericus rex — — — in Sweciam. *Et Ericus dux Sweciæ Hallandiam vastavit.* 1308 *Ericus dux Sweciæ Hallandiam vastavit.* Ericus rex Daniæ Sveciam intravit" etc. Si quis vero Chronicon continuare voluisset, num eandem rem in duobus annis 1307 et 1308 iterasset. Objici tamen potest, vastationem Hallandiæ fortasse postea in anno 1307 esse a quodam insertam, qui hanc rem annno 1308 assignatam invenerit et ita Chronicon emendare voluerit. Utcunque est, Chronicon etiam ab anno 1308 in partes dividere licet; annos 1308—1312 et 1313—1325 Usinger et Schäfer sejungunt eorumque affinitatem cum ceteris brevibus fontibus ostendunt. Sed etiam in sequenti, ubi isti solum animadverterunt, coævum fortasse scriptorem ab anno 1326 annotationes fecisse certamque, etiamsi parvam, similitudinem inter eas et breve chronicon 1275—1347 (SS. rer. Danic. VI. 253) exsistere, nos plures partes discernere nobis videmur. Dum enim anni 1326 et 1328 varias et eadem plane ætate scriptas res comprehendunt, jam in anno 1329 brevem et corruptam (v. infra textum) annotationem offendimus, et in universum anni 1329—1339 aut annotatis etiam de gravissimis eventibus carent aut admodum brevia vel interdum minus accurata præbent, quare etiam has duas partes inter se distinguendas censemus. In iis vero, quæ ab anno 1340 sequuntur, difficilius est aliquid pro certo affirmare. Fusior quidem inde fit narratio, sed mirum videtur, mortem Nicolai Ebbeson hic in anno 1342 narrari, dum continuator Saxonis eventui coævus et Detmar hanc rem anno 1340 assignant. In anno vero 1343 scriptor plurima in præsenti tempore tradere incipit et ita usque ad finem continuat. Fieri quidem potest, ut anni 1343—1363 variis et tamen coævis §) scriptoribus originem debeant, sed contrarium nobis verisimile videtur. Sialandia semper est qvasi centrum narrationis ejusque res auctor melius noscit et sæpius exhibet. Et id quidem Usingero et Schäfero minime assentiri possumus, terminum quendam illic esse ponendum, ubi editiones Westphalii et Stephanii in medio anno 1357 abrumpantur, ut Continuatio 1357—1363 alius scriptoris esset opus. Manuscriptum tali opinioni nullam ansam præbere, potius contrariæ favere, jam supra docuimus. Interiora igitur restant testimonia. Schäfer in illo offendit, quod prope finem editionum initio anni 1357 vaticinium extranei cujusdam comparet, quod horrendam rem mense Majo ejusdem anni eventuram prædicit, cujus tamen exitus in sequenti non tangitur. Sed non necessarium nobis videtur, scriptorem postea hujus rei meminisse atque vaticinii vanitatem memorasse debere. Rem aperte solum in transitu quasi aliquid insolitum memoriæ mandavit. Usinger hoc attendit, in priore parte exercitum Alemannicum pluries, in posteriore autem ejus loco semper reges et principes proferri. Sed exercitus Alemannici nos semel tantum ineunte anno 1357, ubi rei bene convenit, mentionem factam esse invenimus, ceteroquin principes tam ante quam post ut rerum ductores exponuntur. Idem in transitu a vexatione Jutorum per regem Waldemarum (qua re prior pars in anno 1357 finitur) ad discordiam inter regem ex una et Jutos, comites Holsatiæ atque ducem Slesvicensem ex altera parte (qua re posterior pars incipit) saltum quendam reperire vult. Nobis vero nexus hic naturalis videtur, cum scriptor a causa ad effectum transit. Quam tamen rem ad legentium judicium conferimus et item sententiam Usingeri, posteriorem partem melius et majore rerum contextu compositam esse. Copiosior sane fit oratio, quod eventibus ingravescentibus

†††) Hi Annales ex descripto Stephanii in donat. De la Gardiana n. XXVI. 7. (quod nos igitur sequimur) in Scriptoribus rer. Danic. IV. 281 impressi sunt. De eorum in tres partes divisione cfr. Usingerum p. 87 seqn. et Schäferum p. 62 et 63.
§) In quoque fere anno res aperte a coævo annotatas offendimus, sicut 1344: In profesto etc. fuit ventus vehemens. 1346: nota hic de cruce in Thoreby. 1349: in nocte ventus vehemens et terræ motus. 1350: mirabiles circuli circa solem etc. Uberior expositio ab anno 1352 omnino vetat, ne quisquam nisi coævus illam scripserit. Exempla multiplicare facile esset.

Digitized by Google

mirum non videtur. Sed multæ quoque similitudines apparent. Res Sialandiæ hic ut antea primum locum occupant, cujus rei testimoniis textus abundat. In priore parte de molendinis, fossatis et vallis a rege ædificatis ineunte anno 1356 aliqua memorantur. Sed in posteriore legitur in fine anni 1357: "Item ab ædificiis molendinorum et *aliorum* rex non cessat. Sed per ea claustra, civitates et plebem nimis gravat." Et sicut anno 1357 vaticinium Mileti de Toleto inseruit scriptor, ita aliam prophetiam in anno 1359 breviter tangit. Cfr. rationem, qua vexationem rusticorum Sialandiæ in annis 1355 et 1359 exponit. Minoris, sed tamen alicujus momenti est, quod eædem dictiones non solum in singulis vocibus recurrunt, ut *diffidare*, *se infundere*, *conglobare*, *in locum applicare*, *pecunia castigare*, sed tota hæc periodus in anno 1351 *pejori titulo sunt separati quam venerunt* ad verbum in anno 1358 iteratur.

Schäfer (p. 67) auctorem continuationis clericum Lundensem fuisse putat, quia duobus locis de Benedicto duce ob ejus persecutionem ecclesiæ Lundensis acerbe loquitur. Clericum quidem fuisse hoc et multa alia testimonia affirmant; qui autem tot de rebus Sialandicis narret, Scanica vero pauciora exhibeat, imo gravissima, ut Archiepiscopi captionem per regem Ericum an. 1358, interfectionem ejusdem ducis Benedicti an. 1360 in ipsa Scania omittat, eum non fuisse Lundensem, sed Sialandum, verisimile nobis apparet.

MCXXXV a) bellum fuit Fotævig Scaniæ inter Nicolaum regem et Ericum Emunæ, et facta est plaga magna in exercitu Nicolai, et Magnus filius ejus, et quatuor Episcopi de Jutia et Petrus episcopus Syalandiæ, et Henricus Sveciæ b) peremti sunt, et Nicolaus rex fugit et interfectus est.

MCXLIII c). Olavus filius Haraldi interfectus est. Eodem anno claustrum Alvastrum in Svecia fundatum est. De eo ita legitur in Libro de Exordio Cistertiensis ordinis . . . d).

MCLII e) exulavit Kanutus in Sveciam et Ruciam.

MCLIV. desponsavit Valdemarus Sophiam sororem Kanuti *et reconciliati sunt reges* f).

MCLXXXIII. Haraldus Skreng a Swecia vocatus, ut regnaret in Scania, fugatur g).

MCCVIII. Dani corruerunt in Lenæ Sveciæ. Ebbo Sonæsun h).

MCCX. Expeditio facta est in Samland et Prusciam. Rex Sverkerus corruit. *Pons ultra Albiam factus. Ericus rex Sveciæ duxit sororem Valdemari* i).

MCCLXXV. Bellum fuit in Swecia apud Houæ, ubi rex Valdemarus captus est.

MCCLXXIX. Domicellus Abel et Marianna relicta domini Johannis Niklessun obierunt. Ericus rex Danorum Wæstrægothiam rapina et incendio vastavit k).

MCCLXXXVI. obiit Johannes Episcopus Otthoniensis, cui successit Gisico. Obiit Sophia regina Sweciæ.

MCCXCVI. Rex Ericus duxit Ingeburgh, filiam Magni regis Sweciæ.

MCCCVII. Ericus rex cum magno exercitu profectus est in Sweciam l).
Et Ericus dux Sveciæ Hallandiam vastavit m).

1308. Ericus dux Sveciæ Hallandiam vastavit. Ericus rex Daniæ Sveciam intravit et vastavit quasdam partes incendio et rapina et obsedit Nycöping n), ubi Tuno Lavridtzon o) et quidam de exercitu recesserunt a rege.

1309. Tertia expeditio in Sveciam, quando Ostrogothiam p) militibus obstantibus circumivit. Tamen munitiones ejus non obtinuit.

1310. Johannes Grand archiepiscopus factus est archiepiscopus Bremensis et Isarnus episcopus Salernitanensis factus est archiepiscopus Lundensis q). Et Esgerus episcopus Arhusiensis translatus est ad sedem Lundensem. Parlamentum fuit Helsingburgh inter regem [o: -es] Daciæ, Norwegiæ et Sveciæ, et duces fratres regis

a) Lege: 1134, cfr. supra pag. 103 not. a. b) Sc. episcopus. c) De anno cfr. quæ supra pag. 94 not. y attulimus. d) Sequentia nos infra suo loco separatim reddemus. e) Lege: 1151, cfr. supra pag. 95, not. z. f) Quæ hic et in sequenti literis cursivis, quæ vocantur, impressimus, duobus recentibus manibus sunt addita (vide præfationem). g) Quæ typis distractis (spärrad stil) reddimus, antiquis manibus subjuncta erant (cfr. præfationem). h) Sc. occubuit vel tale aliquid. i) Utraque enuntiatio literis cursivis impressa recenti sed non eadem manu addita est. k) Hoc falso anno 1279 pro 1277 insertum est, vide supra Annales Lundenses. l) In verbis: — — *profectus est in Sweciam* codex et editio ArnæMagnæi terminabatur. Sequentia, ut diximus in exordio, ex manuscripto Stephanii depromta sunt. m) Idem legitur etiam in anno 1308, sed monendum est, coævum Chronicon Rhytmicum nullam vastationem Hallandiæ per duces in hieme 1306, 1307 memorare et in expeditione hiemis 1307, 1308 expresse dicere, duces vastationem Hallandiæ prohibuisse. n) Nycopiæ obsessio ad tertiam expeditionem et annum 1309 pertinet, ut accurata expositio Chronici Rhytmici et Continuatoris Saxonis monstrat. Ericus Menved literas Nycopiæ anno 1309 d. 15 Novembris signat (Meklemb. Urkund. Buch V. n. 3352). o) Lege: Timmo Lauridsson. p) Ostrogotia pertranseunda erat, ut ad Nycopiam in Sudermannia perveniret. q) Et tempora et res nonnihil turbantur. Johannes Grand jam anno 1302 a sede Lundensi remotus, an. 1307 sedem Bremensem acceperat. Et Isarnus, successor suus Lundensis, an. 1310 archiepiscopus Salernitanus nominatus est (vide Schäfer: Die Dänischen Annalen pag. 65, not. 2).

Digitized by Google

Sveciæ, ubi Ericus dux Sveciæ desponsavit filiam domini Nicolai in Slavia sororiam regis r). Et pace facta reconciliati sunt omnes. Et dux Ericus factus est miles feodalis regis de Hallandia. Dexterior pars civitatis Roschyldensis cum quinque ecclesiis et claustro fratrum minorum incendio perit.

1312. Civitacenses de Rostoch et aliis civitatibus Slaviæ incenderunt Helsingör, Amache s), Scanör cum castro et quasdam insulas in mari. Rex fecit multos rusticos suspendi apud Haffn. Waldamarus dux Slesvicensis moritur. Ericus dux Sveciæ secundo duxit filiam regis Norwagiæ, repudiata priori sponsa sua, sororia regis Daniæ. — — —

1317. — — — Eschyldus Krake invasit omnem Schanniam usque ad fluvium Rugen t). Ericus et Waldamarus duces Sveciæ cum multis aliis capti sunt a rege Byrgero in Svecia.

1318. Nicolaus Ollufsson dapifer regis obtinuit turrem Langeholm u) et castrum Falchenbierrig. Eschyldum vero Krake et alios in utroque præsidio constitutos cum rebus suis liberos exire permisit. Duces Sveciæ Ericus et Waldamarus in carcere apud Nycoping Sveciæ mortui sunt. Rex misit Danos et Teutonicos regi Birgero in auxilium, cum quibus pugnans adversus Vestrogothos magnam ex eis multitudinem prostravit, tandem ob inertiam suam fugit v) in Gotlandiam, et demum circa finem anni de Gotlandia fugit cum uxore sua in Sielandiam. Sveci vero post fugam Byrgeri ad Gotlandiam obsidentes castrum Nycoping et castrum Stakeburg funditus destruxerunt utrumque. Magnum filium Byrgeri regis de castro Stakeburgh captivum duxerunt. Postmodum vero Sveci circa festum omnium sanctorum una cum duce Christophoro et Esgero archiepiscopo Lundensi Scaniam invaserunt et pugnaverunt contra Danos et victoriam obtinuerunt x). Rex indixit et cepit de omni aratro dimidiam marcham argenti.

1319. Haquinus rex Norwegiæ, Marchio Waldemarus, Ingeburgh regina obierunt. Ericus rex Daciæ indicta prius per eum dimidia marca argenti vel quatuor denariorum pro quolibet aratro obiit.

ANNALES DANICI 1131—1325.

1316. — — — Eskillus Kraac invasit Scaniam. Ericus et Waldemarus duces Sveciæ capti sunt a Birgero rege fratre suo.

1318. Nicolaus Olafsön dapifer regis obtinet terram ducis Christophori in Lagholm et castrum ejus Falchenbiergh. Eskillum vero et ceteros liberos exire permisit. Duces Sveciæ in carcere Nyköpingh mortui sunt fame. Rex Daciæ misit exercitum Birgero in auxilium, qui pugnans contra Westrogothos multos prosternit. Tandem propter inertiam suam fugit in Gothlandiam. Sveci destruxerunt Stækeburgh et capientes Magnum filium Birgeri decapitarunt w). Postea cum duce Christophoro et Esgero archiepiscopo Lundensi Scaniam invasere, obsidentes castrum Helsinghæburgh et Falsterbothæ; tandem factis treugis recesserunt. Tunc siccitas magna et sterilitas fuit et pecorum mortalitas. Rex recepit de omni aratro dimidiam marcam argenti.

1319. Haquinus rex Norvegiæ obiit. Ingeburgis regina obiit. Rex Ericus obiit. Marchio obiit. Magnus Erici ducis filius in Svecia, puer trium annorum, factus est rex Sveciæ et Norvegiæ. Dux Christophorus venit in Daciam.

1322. Johannes electus Roeschyldensis confirmatus a Papa et consecratus in curia. Canutus Porse et Nicolaus Olaffsön collecto exercitu de partibus Slaviæ et Holsatiæ intraverunt hostiliter Scanniam et eam devastaverunt.

1326. — — — — *(Seditionem contra Kristoferum regem Daciæ ejusque fugam in Rostock atque electionem Valdemari ducis Jutiæ in regem scriptor narravit).* In festo assumptionis beatæ virginis Mariæ sollenniter placitum in Nyburgh est celebratum; ubi Canutus Porse ducatum Hallandiæ, Samsö et Holbech y) et Laurencius Jonæsson dominium super Langlandiam ab eodem rege acceperunt. Item Gerhardus comes Holsatiæ regis ac tutor regni est effectus.

1327. Rex Christophorus fratri suo, Johanni comiti, reconciliatus in regnum redire cogitabat. Item Canutus Porse duxit Ingiburgam, filiam Haquini regis Norwagiæ z).

1329. Divisum est regnum Daciæ. Nam Comes Gerardus factus est tetrarcha Jutiæ et Fioniæ, Laurentius Jonæsön tetrarcha Langlandiæ et Errie. Canutus Porse tetrarcha Hallandiæ a) Sielandiæ et Scanniæ, quam etiam postmodum accepta magna pecuniæ summa regi Sueciæ sub titulo pignoris assignavit.

r) Rixa, soror Erici Menwed, Nicolao domino de Werle nupta, ei filiam Sofiam pepererat (vide Meklemb. Urk. Buch IV. n. 2722 et 2750 et Diplomat. Svecanum II. pag. 625). s) I. e. insula Amager apud Havniam. t) Hodie: Rönne-ån. u) Lege: Lagaholm. Hanc arcem et Falkenberg Eskillus Krake tenuit, ut præfectus Hallandiæ ex parte Kristofori ducis, qui tunc contra fratrem, Ericum regem, insurgens, cum fautoribus ducum Sueciæ foedus inierat. v) Sc. Birgerus. w) Decapitatio Magni an. 1320 facta est. x) Cfr. infra Chronicon 1316—1389. y) Placitum generale re vera d. 15 Augusti in Nyborg celebratum est; sed etiamsi de feudis Kanuti Porse jam tunc actum sit (Detmar idem narrat), ipsa donatio ducatus et tituli aliquid dilata sit necesse est, cum Kanutus solum miles in autumno sæpius appellatur. Munch, Norges Hist. 2 Hovedafdel., I. pag. 86, not. 2 conjicit, ducatum in nativitate Christi anni 1326 plene traditum esse. z) Annus a Detmaro firmatur. Messenius, Scondia Illustrata, XII. 174 nuptias sollennes in diem 21 Junii collocat. a) Hic aliqua inter *Hallandiæ* et *Sialandiæ* excidisse manifestum est. Forsan verba: *Samsö et Estonie; Comes Johannes tetrarcha Lalandiæ.*

Digitized by Google

1342. Bellum fuit Manebiergh, ubi Nicolaus Ebbesön superatus b). In die Johannis et Pauli c) bellum fuit Haffnis, ubi Fridericus de Loken marschalcus regis Waldamari d) cum Danis contra Marqvardum de Schone e) juniorem, capitaneum in castro Wordinburgh, cæteros Holsaticos, Alemannos et Oplandenses f), quos in auxilium conduxerat, dimicavit, et Alemanni cum suis ceciderunt et Marqvardus fugit, succumbente Halvordo Pilt de Sveciæ [ɔ: -cia], Magno et Agæo quoque gigante. Obiit papa Benedictus de ordine Cisterciensi et succedit Clemens de ordine Cluniacensi. Rex iterum committit Alemannis castra sub titulo pignoris.

1346. Dapifer cum exercitu transit Lalandiam post epiphaniam et obsedit munitiones, quæ in ea erant. Ericus filius Magni regis Sveciæ duxit filiam Marchionis g). — — — —

1349. Conventio facta est per regem Valdamarum Ringstad die beati Canuti h), in qua rex pro redemptione castrorum docet se XXX. marcarum auri puri de regno levata exsolvisse, insuper X. de proprio addidisse. Helevigis peperit sibi filiam Catharinam. Rex transit in Hallandiam ad regem Sveciæ i). Parlamentum celebratur Roeschild festo inventionis sanctæ crucis k). Expeditio facta in Alemanniam et combusta terra Pole.

Die Margarethæ parlamentum factum in Norwegia l). Expeditio in Marchiam. — — — —

1350. — — — Obierunt Haquinus et Kanutus, filii Canuti Porse, duces Hallandiæ. — — —

1351. Comites Holsatiæ regem et regnum diffidarunt, castrum m) firmatur et grangiæ regis sumptuose ædificantur. Rex misit exercitum duci Valdemaro in auxilium et sic transivit Alemanniam, sed dux inimicis regis sociatus exercitum regis diffidavit, et ideo exercitus est reversus. Discordia oritur inter regem et Nicolaum Lambeck. Rex Sveciæ parlamentum tenet in Helsingburgh n). Die Simonis et Judæ o) rex transit in Rostock et post in Stralsund et reversus est in die Edmundi regis p). Tres episcopi de Dacia et tres de Svecia convenerunt Lundis ad dominum archiepiscopum pro pace inter duo illa regna. — — — —

1352. Rex collegit exercitum et applicavit in Slaulosiam, sed propter ventum continuum per plures dies non transivit. Rex [ɔ: Reges] Daciæ et Sveciæ convenerunt in Öreburgh q). Rex Waldemarus Sialandiam rediit et collecto exercitu transivit in Fioniam et venit Otthoniam, ubi multi principes et terrarum domini occurrerunt, et rex cum Magnipolensi ad oppidum quoddam divertit: ibi cum ipsis principibus causas inter ipsos ventilatas definivit. Electis ex vtraque parte arbitris, castra et munitiones arbitris committuntur, unde firmius definire tenerentur. Parlamentum in Helsingburgh celebratur r), ad quod comites (!) Magnipolenses pluresque terrarum domini per Sialandiam transitum faciunt in expensis regis Waldemari, quo celebrato rex Sialandiam redit, nec multum post transit Lychosum s), ibique reges exclusis æmulis bene confoederantur — — — — — —

1353. Regina peperit filiam, quam venerabilis pater, dominus Henricus episcopus Roeschyldensis, de sacro fonte levavit et vocata est Margaretha. — — — —

1354. Rex intravit Frisiam eosque rebelles castigavit et in magna summa pecuniæ mulctavit, obsidibus receptis ab iisdem. In festo Johannis Danehof Nyborgh celebratur, ubi per dominum Ripensem ex parte domini regis publicantur infrascripta, prout sequitur: — — — —

Celebrato Dannehof statim rediit rex in Sialandiam et misit tres episcopos ad totidem episcopos de Svecia aliosque consiliarios regi t) in Helsingburgh, ipse a[utem] venit Wordingburgh, ubi Hennichino Broythæ et Johanni Allemose seu filiis suis ignovit — — — — — —. Item nuptiis interfuit Meoniæ, quibus celebratis occurrit Roeschyld nunciis regis Sveciæ. Tandem post plures internuncios hinc et inde transmissos rex Daciæ Waldamarus et rex Sveciæ Magnus Helsingburgh convenerunt circa festum Michaelis. Reversus in Sialandiam sollennes nuncios sexus utriusque in Alemanniam transmisit, qui de Wismaria filiam suam u) sollenniter reduxerunt. Die beati Martini omnes advocatos suos Sialandiæ Slaulosiam citavit. — —

1355. Sequenti die epiphaniæ venit edictum a rege ad placitum generale Sialandiæ, ut suis armis et equis minoribus expediti sibi Ripis die conversionis Pauli occurrere festinarent. — — —

b) Cœvus continuator Saxonis Nicolaum Ebbonis in proelic juxta Skanderborg an. 1340, d. 2 Novembris occubuisse narrat (SS. rer. Danic. II. 392). Eundem annum Detmar exhibet. c) Die 26 Juni, sc. 1342. Cfr. infra excerpta ex Detmaro et Chronico Johannis Vitodurani. d) Erat miles de Suabia. Sigillum ejus imaginem superioris partis cygni vel similis avi ostendit (literæ originales datæ Mergenburch an. 1347 d. 26 Februarii in bibliotheca Upsaliensi servatæ). e) Lege: de Stove. f) Langebek dicit "Erant Sveci", ad Hvitfeldtium I. 480 referens, quod non improbabile videtur, cum arx Havniensis hoc tempore Magno regi Sveciæ erat impignorata. g) Forsan vitio insertum in an. 1346 pro anno 1356, quo nuptiæ celebrabantur, nisi Ericus, quamvis puer, more hujus ætatis jam anno 1346 Beatricem de Brandenburg desponsavit. — Quæ sequuntur tantum Daniam attinent. h) Die 7 Januarii. i) In mense Aprili, ut videtur, cum Magnus in his locis versatur. k) Die 3 Maji. l) Die 20 Julii. Magnum regem tunc in Svecia fuisse observat Munch (l. c. I. pag. 497). m) "Forsan Wordingborg." Suhm. n) In mense Septembri Magnus ibi moratur. o) D. 28 Octobris. p) Kalendaria hunc sanctum modo in die 20 Novembris, modo in die 20 Decembris habent. q) Langebek legit Örebro, quod distantiæ causa minus verisimile videtur. Öreburg forsan idem est, quod alias Örekrog, hodie Helsingör, appellatur. Conventus regum ad initium anni pertinere videtur, quod necesse est, cum Magnus die 3 Februari Arosiæ comparet. r) Munch l. c. I. 570 hoc mense Aprili vel Majo factum esse putat. Magnus enim ab extremo mense Martio usque in Augustum in his locis versabatur. Die 14 Maji dapiferum regis et præfectum Scaniæ in Helsingborg invenimus (Riks Ark. Perg. Bref n. 70). s) Lege: Ludosiam, hodie Lödöse, cujus in vicinitate Magnum in mensibus Junio, Julio et ineunte Augusto reperimus. t) Sic codex. Sine dubio legendum: regis, ut Langebek habet. Ubi Magnus tunc exsisteret, nescimus. Die 16 Junii eum in Örebro, d. 3 Augusti in Bohus invenimus (Riks Ark. Perg. Bref n. 179 et 183). u) Ingeburgis filia Valdemari erat Henrico, filio Alberti Magnipolensis, desponsata.

Digitized by Google

Rex in Sialandiam rediens occurrit regi Sveciæ Helsingburgh circa festum Johannis, ubi treugatum est inter regna. — — — —

Obiit venerabilis patèr dominus Petrus Johannis archiepiscopus Lundensis et electus est dominus Jacobus Nicolai, et cum moram Aveinonis v) pro confirmatione faceret, bona episcopalia per ducem Benedictum imo maledictum et præfectum Schaniæ (sed rex Sveciæ pro instinctu huiusmodi notabatur) omnimode sunt confiscata. — — — —

1356. — — — — — — — — Magnus rex Sveciæ exaltavit quendam Benedictum x) et fecit eum ducem addiditque dominio suo terras et insulas multas. Sed orta est discordia inter ipsum et Ericum, filium regis Magni socerum y) scilicet regis Waldamari. Ideo ipse Ericus regem Waldamarum petivit venitque ad eum Hafnis z) et honorifice susceptus moratusque apud eum per dies aliquot xeniisque regiis ditatus ad propria est reversus prævaluitque contra Benedictum ipsumque de terra fugavit. Bo Falck, qui sequebatur cum navigio, ut patrem ejus a) in negotiis regis Waldamari peteret, captus est ab eodem. Misit ergo rex aliquos de terra sua, ut stipendiarios conducerent, sed tardavit eos vis algoris.

Anno domini CIↃCCCLVII. Exercitus Alemannicus b) Schaniam se infuderat sub eventu dubio. Juti etiam conglobati murmurare dicebantur contra regem. (*Waldemarus Jutis in Nyborg initio mensis Februarii occurrit, deinde parlamentum in Kallundborg die 25 Martii celebrat et die 16 Aprilis Roskildis cum episcopo ibidem tractat).* Et post in Jutiam est decessum ibique morando majores et minores variis impositionibus aggravat c). Cum duce Slesvicensi et comitibus Holsatiæ et Juttis discordiam init. Unde factum est post ejus decessum in Sialandiam, [quod] d) quasi omnes in uno [ↄ: unum] conglobati ipsum publice diffidare studuerunt. Et castrum Töndern, propter quod lis magis orta dicitur, obsidentes vicerunt. Castrum in Randers, quod noviter XI. ecclesiis destructis ædificavit [et] domino Petro Lauridtzön servandum commisit, ipso expulso devicerunt. Deinde Fioniam se infunderunt (!). Armatos regios de Otthonia expellunt, civitatem tributariam suis [ↄ: sibi] faciunt. Et sic in manu forti castrum Brobierg e) circumvallarunt. Rex hisce auditis iratus, deinde dominum Petrum Lauridtzsön cum germano suo Johanne et dominum Jacobum Oleffsön cum germano suo Olao f) vinculavit pluresque alios militares captivavit, quos suspectos habuit. Sed interpositis fidejussoribus et pecuniaria mediante pactione in gratiam revocavit, quatuor primis custoditis et ipsorum bonis confiscatis et procuratione eorum commissa et subjecta aliis.

Festo Martini transfretavit rex in Fioniam ad liberandum obsessos g) et primo in conspectu hostium plures fecit milites et post vadit contra eos pugna eqvestri et terrestri totumque exercitum eorum dissipat. Ubi multi sunt interfecti, multi de potioribus Holsatiæ capti, similiter de terrigenis in armis non propriis. Duo etiam comites vulnerati et capti dicuntur. In paludibus et dumetis plurimi periclitati h). Sicque hostibus captis, fugatis et contritis rex ad spolia revertitur, quibus divisis ad partes aliquas, quæ sub dominio comitum erant, divertit easque prædatur et tributo et igne castigat. Et statim victor capta præda ad Sialandiam reditum cum suis magno numero fecit. Deinde vertit manum ad advocatos et procuratores suos et quod scivit eos a plebe multa per fas et nefas et multas cávillationes extorsisse, ipsos talliat unumquemque singulariter et aliquos deponit novosque jejunos inducit, ut illi ex parte evacuati [sint] et isti famelici gravius a plebecula, prout sibi placet, extorqueant et emulgeant. Item ab ædificiis molendinorum et aliorum rex non cessat. Sed pro [ↄ: per] ea claustra, civitates et plebem nimis gravat. Festum natalitiæ domini in Calundburgh celebrat cum suis et plures armatos in Jutiam et Fioniam transmittit.

Anno domini CIↃCCCLVIII. Factum est verbum in aula regis Waldamari, ut se defenderet. Nam tertia feria post diem epiphaniæ i) a rege Sveciæ juniore, domino Magnipolensi et aliis pluribus terrarum dominis ex novo est diffidatus. Unde edictum fecit, ut omnes sui armis expediti Roeschyldiæ occurrerent dominica ante diem conversionis Pauli k). Præcogitabat, ne malum veniret ab Aqvilone, sicut semper svevit. Interim fossata in urbibus et castris fieri rex præcepit sumptuosa satis et plebi onerosa.

v) I. e. Avinione. x) Est ille notabilis Benedictus Algoti filius, qui tamen ante annum 1356 ducis dignitatem acceperat. Adhuc non satis constat, utrum anno 1353, an anno 1355 hoc contigerit. Munch hoc verisimilius putat (l.c. pag. 590, not. 1). y) Errat scriptor, nam Valdemarus erat avunculus Beatricis, quam Ericus hoc anno uxorem duxerat. Cfr. litteras Magni regis d. 25 Octobris 1356 Holmiæ datas, in quibus nuptias primogeniti (Erici) *jam dudum* celebratas esse dicit (Lagerbring, Svea Rikes Historia, III. 424). z) In mense Septembri hoc contigisse, Munch opinatur. Jam die 17 Octobris Ericus proclamatione contra Benedictum ducem Calmarniæ evulgata rebellionem inceperat. a) Sc. Erici. b) Albertus dominus Megalopolensis et Adolfus comes Holsatiæ Ericum copiis suis comitabantur. c) Hic in verbis *impositionibus aggravat* editio Langebekii finitur, sed manuscriptum Stephanii, ut in præfatione diximus, uno tenore continuatum, etiam sequentia, quæ Lappenberg primum divulgavit, comprehendit. Quæ cum semel tantum impressa sunt, hic integra reddimus, etiamsi hic et illic solum de rebus Danicis agitur. d) Verba uncis inclusa hic et in sequenti sunt a nobis addita. e) Hvitfeldt, qui nostro chronico usus est, hic *Gamborg* legit, quod etiam Suhm approbavit. Sed Reinhardt (Historisk Tidskrift, fjærde række, Bind 3, Kjöbenhavn 1872, pag. 205—221) observans apud Detmarum quoque Braberch legi (sed in falso anno 1362), hic fortalitium apud villam Bro in confiniis territoriorum Vend et Skovby in Fionia a Valdemaro exstructum respici putat. f) Verba: "Johanne . . . . Olavo" in exscripto Hamburgensi prætermissa sunt. g) Sc. in supradicto castro Broberg. h) "Cfr. Presbyter. Bremen. c. 26." Lappenberg. i) Die 9 Januarii. k) Die 21 Januarii.

Digitized by Google

Circa medium Qvadragesimæ l) fecit rex edictum, ut omnes armis expediti Slavlosiæ occurrant, tam militares, quam civitacenses et bondones. Et tunc cogitavit, si hostes terram aliqualiter intrarent, ut nihil iis intactum relinqueret; misit ad omnes civitates et quicquid in illis inveniebatur annonæ, brasei m), butyri, lardi, halecium, carnium, corymbi aliarumque rerum, quæ ad usum cibi et potus spectant, scribi facit scriptaque navibus vel curribus imponi et ad munitiones et castra deduci fecit. Hoc facto licentiam dedit illis ad propria repedare, ita ut sub poena privationis bonorum et vitæ octava paschæ n) concurrere non omittant expediti armis sicut prius. Tunc congregavit sibi de civitatibus panes, potum, halecia Schaniensia, pisas et fabas et misit ad naves aliaque necessaria in præparationem pugnæ. Sicque collecto exercitu grandi applicuit in Nyborrigh et castrenses ibi secum tulit, quorum loco civitacenses et sagittarios de Sialandia collectos subterstituit et exercitum movet ad Langlandiam et quasi inopinato castrum Trankier circumvallavit et quæ circumcirca terram, quæ protunc Svøndons Röde o) convincere p) dicebatur, infra quindenam (licet forte castrum antea dicebatur) strenue devicit, quo q) cum terra uni de principibus suis commisso, recepit se ad naves venitque ad Hæyndtzgaffuel r) et quod cognovit, quod magna pars sui exercitus deflexerat, nam plures naves errore noctis vel nebulæ ex comitatu suo deviarunt, postque [ɔ: postea] recessit ab obsidione ad [ɔ: et] civitates aliquas et insulas circumfusas taliavit. Reversus Sialandiam numerum militum restauravit, moenia duplicavit navesque expensis honoravit. Sicque feria tertia [post] s) corporis Christi iterum mare legit venitque in Asiam t), ubi partem exercitus sui misit castrum aquilonare u) obsidere. Quod levi negotio tertia die subjugavit. Rex autem cum reliquibus [ɔ: -quis] de exercitu urbem circumdedere australem v) et erectis machinis arietibusque collocatis ceterisque vasis bellicis in obsidione dispositis, coepit castrum impugnare et terrigenas ad expensas et argentum compulit infra breve sibi exsolvendas. Videns autem ducissa x), mulier sapiens et faceta, cum dux præsens non fuit, quando fiebant y), descenditque cum puellis suis in occursum regis et ipso venerabiliter salutato pro impetranda gratia facunde exoravit. Videns rex ipsius honestatem et reminiscens germani ipsius z) magis quam mariti amicitiam iram aliquantulum mitigavit; vocato [ɔ: -us] ab ipsa ad convivium de gratia distulit, donec tributum terræ impositum sustulisset. Quo accepto restituit ipsi ducissæ terram cum urbibus sub conditione tali a) scilicet, ne aliquis æmulorum regis vel regni refugium aliquod ibi habeat, nec ipse dux castra intret, nisi cum tribus b) sociis tantum sine aliqua cavillatione guerra durante, quæ ad præsens instat. Super hoc cautionem militum recepit. Tunc dux cum quibusdam nostris pro placitatione regem accessit, et dum omnia quasi bene perfecissent, quidam de consilio regis, sicut prius consveverat, totum eorum consilium dissipavit. Tunc rex per Slijam velificavit et habitantes Angul maximis expensis, pecunia et navibus castigavit. Sed et [in] Swøndon c) aliqua oppida incendio destruxit. Inde cursu[m] dirigit ad Imbriam d). Sed Imbri a rege prius diffidati portus navium naviculis et curribus obstruxerunt. Sed exercitus ad alium locum declinavit terram attingere attentans, sed Imbri ibi in ripa viriliter resistentes, accessum negare conabantur, ubi quidam aliis audacior regem lancea impetivit. Ideoque rex motus, ut par erat, jussit eum cum reliquis perire, quod et factum est. Nam mox ab exercitu trucidati et capti cum primario suo conatus suos ineptos luebant. Cum aliquantulum a mari terram attigissent, viderunt alium exercitum hoc minorem. Rex convocatis suis novos creat milites et sic in hostes irruit eosque vicit, mactavit et cepit. Deinde misit ad ecclesiam, ut hi, qui ad eam confugerant, similiter mactarentur, ni submitterent se regi, qui sanum consilium respuentes, nuncios perdere laborabant. Sed et ipsos rex delevit et qvarto repugnare redeuntes oppressit. Sequenti die, licet nimis sero, qui remanserunt, regi se submiserunt seque dedentes ei obtulerunt N. N. e) marcas Lubeck monetæ. Capitaneus autem castri Glambech, cum vidisset regem in tanta multitudine navium applicuisse, cum uxore et aliis, quæ ad manum habere poterat, fugam inire festinat. Et rex accepto castro istud fortificavit ac uni de primariis suis assignavit.

In diebus illis quidam de exercitu regis, ut deprædarent naves æmulorum, circa Vismariam venerunt et dum avid[i]us prædæ incumberent, venit eis ventus contrarius, ita ut cum ipsa præda redire non valebant [ɔ: -erent]. Quod ut viderunt civitacenses, fortificati pugnabant cum eis successive, ita ut cum alii essent fessi et desisterent, novi recentesque bellum intrarent, et sic requies non dabatur nostris. Cum autem non sic eos possent debellare, naves sarmentis, remis et tramialibus f) repleverunt, [et] igne superposito ventorum adminiculo

l) Dominica Lætare hoc anno in diem 11 Martii incidit. m) Sic Lappenberg emendavit. Codex habet: braicæ. n) Die 8 Aprilis. o) Corruptum est nomen loci; quomodo restituatur, nescimus. p) Lege: communiter. Lappenberg. q) Sc. castro. Lappenberg addere vult: *facto*. r) Hindzegavel in litore Fioniæ Jutiam versus. s) Id est d. 5 Junii. Ita legendum esse eo firmatur, quod ducissæ pactio cum rege de Sönderborg, quæ infra memoratur, die 19 Junii data est (vide Suhm: Hist. af Danmark XIII. 831). t) Pro: Alsiam. Lappenberg. u) I. e. Nordborg in Alsia. v) Sönderborg. x) Rikizza, uxor Waldemari ducis Jutiæ et soror Erici ducis Saxoniæ. y) Textus aliquo modo est corruptus. z) Vide not. x. a) Literæ hodie exstant: vide not. s. b) "Vigiuti" dicitur in illis literis. c) Hvitfeldt legit: Sundevit. Lappenberg melius: Svansö, quæ est peninsula in australi ora sinus Sliæ. d) Insula Femern. e) Sic codex, quamquam librarius exscripti Hamburgensis se "XX" legere potuisse credidit. Hvitfeldt habet: 4000. f) Hoc vocabulum in Glossariis omittitur. Fortasse ex stirpe *tramen* (vimen, sarmentum) vel *trames* (lignum in scala); vide Supplementum Glossarii a Du Cange compositi.

Digitized by Google

eos adgressi sunt. Cum autem ipsi quatuor elementa sibi contrariari viderent, propter plagas et lætifera vulnera, quæ a civitacensibus inferebantur, se dedentes in civitatem capti deducuntur. Alio tempore [in] terra Fliggø g), dum quidam essent de nostris in terra et per naviculas vellent majores naves ascendere, orta subito est tanta tempestas, quod non terram, quam reliqverant, repetere nec naves qvas vellent intrare possent, pulsu ventorum ad terram æmulatorum pulsi et ibi capti, singuli in singulis ergastulis custoditi. Deinde Flensburgh et Bornoburgh h). Et ubique collegit expensas, pecuniam, naves et alia, quæ desideraverunt oculi ejus; quod timor et tremor et hebitudo (!) mentis venit super omnes, per qvos transitum fecit. Nam castigavit omnes satis enormiter ferro, flamma, captione et morte, quousqve ejus parerent voluntati. Circa festum assumptionis beatæ virginis Mariæ i) rex reversus [est] Sialandiam, et siluit terra paucis diebus. Magnipolensis aggregato magno exercitu Scaniam intravit, cogitans Sialandiam visitare. Sed rex paratus eum [ɔ: erat], si ausus esset procedere, condigne occurrere. Quod ille perpendens desistit a proposito et unum de illis, qui secum venerant, dirigit ad regem, Barnum scilicet ducem Stetinensem, qui inter ipsos treugavit et institutum est parlamentum Sundis celebrandum, in quo plures domini duces et comites homagium a rege Waldamaro receperunt k). Inter alia definitum ibi erat, ut Jutti Nyborrig regi occurrant. Sed rex Sialandiam rediens per se noluit illuc venire. Sed filium suum aliquantis l) de consilio misit, qui nihil finaliter tractantes causas omnes regi observabant m). Et aliquot de Juttis sub conductu regis et regis filii aliorumque nobilium in Slaulosiam cum dominis episcopis, Nicolao Otthoniensi et Petro Ripensi deduxerunt, ut ibi regis adventum præstolarentur. Sed rex venire distulit usque ad vigiliam vigiliæ nativitatis Christi, qui veniens conditiones aliquas eis proposuit, quæ minime eis placuerunt, et jam pejori titulo sunt separati, quam venerunt, treugis ad octo dies duraturis. Rex Roeschyldiam revertitur, volens Haffnis dies festos cum rege et regina Sveciæ celebrare. Sed ipsi non venerunt. Ideo Roeschyldiæ diebus festis remansit. Domini prædicti episcopi Tornborgh natale domini celebrabant. Dominus Bugghe in redeundo cum Offone Stigsön et Petro Andersön in Myætelfarö n) interfectus est. Quidam tunc temporis sinistre interpretantes, regem pro morte ejus notaverunt.

Anno domini CIↃCCCLIX Magnus rex Sveciæ et uxor sua regina Blanche cum filio suo Haquino rege Norwegiæ venerunt ad regem Waldamarum Hafnis o). Ubi idem Haquinus filiam Waldamari juniorem Margaretham tunc septimum attingentem annum sollenni[ter] desponsavit et xeniis donisque pretiosis rite subararavit p). Et quod Magnus filium Ericum in regem Sveciæ et super Schaniam sublimasset, milites et militares nullum honorem Magno deinceps deferentes filio qui bene ornatus et quod [ɔ: quasi] omnibus gratiosus videbatur adhærere satagebant. Magnus itaque videns se a filio despectum et irrisum, regem Waldamarum in auxilium vocavit, promittens se urbem Helsinge q) resignaturum. Waldamarus itaque Schaniam et Lyster r) cum magno exercitu intravit: Sylvessburg et pluria alia castella castellanis devictis et ejectis aliisque institutis, magnam terræ partem Magno regi servire coegit. Sed dum necessaria in victualibus rarescebant, rex cum de reditu cogitaret, ne vanus rediret, Petrum dictum Daa s) cum alio, quamvis per regem Magnum conducti fuerant, captivos in Sialandiam duci facit et diligenter custodiri. Quod Magnus videns et timens, ne plures, qui sub ejus conductu militabant, simili sententia plecterentur, destitit a proposito et nec terram nec castrum resignavit. Et Waldamarus cum suis est reversus. Ericus itaque audiens Waldamarum reditum fuisse, multitudinem permaximam de nobilibus et plures de plebeis congregavit, qui protunc Knubbe her t) dicebatur. Et quod Dani de victualibus reliquerant, ipsi ad plura miliaria radicitus consumpserunt u). Concordatus itaque Ericus cum patre omnia acta Waldamari irritavit et pervertit. Erectus itaque in superbiam contra dominum et ecclesiam se erexit, ita ut fugientes ad ecclesiam perimi juberet. Et qui[a] non facile ab ecclesia avelli poterant, christianam ecclesiam cum sacra eucharistia et reliquis mysteriis ac populo ad ipsam confluente incendio consumpsit. Nec Domino irreverentia sua impunita fuit. Nam longe non post ipse, uxor sua cum prole justo dei judicio celeri et miserabili morte perierunt v). Flet pro morte sua non multum dux Benedictus x).

g) Flekke est parva insula prope insulam Ærö. h) *Navigavit* vel tale aliquid desideratur, Lappenberg. Bornoburg forsan est Brodeburg arx in Sundeved, quæ hoc tempore plus semel memoratur. i) 15 Augusti. k) Die 30 Octobris 1358 Barnim dux Stetinensis literas de compositione inter Waldemarum et comites Holsatiæ Sundis scribit (Vide Hvitfeldt). l) Lappenberg conjicit: cum aliquibus. m) Forte legendum: reservabant. n) Middelfart in Fionia. o) In Januario vel Februario Munch putat, quia Waldemarus deinde expeditionem in Scaniam et Lister fecit, quæ jam ineunte mense Aprili terminata sit necesse est, cum Ericus suo exercitu stipatus Scaniam intraret (vide infra not. u). p) Cfr. verba in bulla Coelestini III^{i} papæ (Diplom. Suecan. I. n. 825): "adolescens et . . . juvencula . . . invicem consensum suum . . . arrarum donatione roboraverunt." q) Lege: Helsingborg. r) Territorium hodie Blekingiæ adnumeratum. s) Fortasse ille Petrus Duvæ, cui Magnus rex an. 1358, die 23 Oct. Wardbergis curiam Aranæs et Kinne in Vestgotia (literæ in, Danska Geh. Ark.) et anno 1360 d. 25 Septembris pariter Wänehered et curiam Nygård impignorat (Diplomat. Norvegic. VI. 1. pag. 291). t) Sine dubio "klubbehär" legendum. Clavis rustici his temporibus usi esse videntur; in hoc nostro chronico legitur in anno 1256: "Et rustici sævierunt in milites cum clavis. u) Jam die 13 Aprilis Ericus Scaniam intraverat (vide Regesta Danica I. n. 2424 et 2425). v) Obiit Ericus die 21 Junii: vide supra pag. 14, not. o. De uxore et filio cfr. pag. 18. x) Hoc, præter multa alia, aperte monstrat scriptorem res, dum agerentur, annotasse. Nam Benedictus sequenti anno occisus est (vide supra pag. 14, not. m).

Digitized by Google

Canutus filius Nicolai Bugge pro morte patris regem ad tempus habuit suspectum, sed rex cum filio et pluribus militibus sollenniter se purgavit, se nunquam consilio, auxilio, conspiratione, consensu vel voluntate aliqualiter interfuisse; imo interfectores ejus odio in perpetuum habiturum; ipsum vero Canutum quasi filium amaturum. Filius quoque suus Christophorus confraternitatem firmam et stabilem se y) sub attestatione juramenti promittebat. Et quoscunque de Juttis, amicis vel cognatis ejus, in gratiam regis inducere vellet per modum mediatoris, plenam per annum habeat facultatem, et ad arbitrium ejus forma concordiæ fieri debet. Stigothus Andersön dolens pro morte filii sui domini Vffonis, qui interfectus fuit cum Buggone, aliisque injuriis provocatus, regem deseruit. Et rex omnia bona sua in Sialandia confiscavit et bona quæ in Jutia habuit, per Petrum Nicolai fecit conscendi [confiscanda!].

Megapolensis cum comitibus Holsatiæ iterum collecto magno exercitu navali, naves etiam regis deprædavit, Ymbriam vicit et castellanos cepit pluraque oppida et insulas devastavit, incendit, multos de potioribus captivavit. Petrus Dane, qui captivus cum suis Wisæmer z) vinctus qui a) pluribus cathenis et ferris plumbo repletis, per invocationem sanguinis, cujus memoria civitas Sverinensis solennis habetur, mirabiliter a vinculis liberatur.

Guerra inter dominum regem et Juttos aquilonares nondum expiravit, quod Jutti libertatibus paternis sibi per regem modernum in Dannehof nuper permissis cupientes uti, ac ipsi regi de bonis suis tributa, vectigalia et per militiam ulterius servire plus quam patres eorum fecerunt aliquando se obtulerunt. Sed æmuli regis pacis qui (!) inimici semper, qui regem a bono semper perverterunt, resistere. Jutti etiam videntes, quod tyrannide rex super populum Sialandensem regnaret, quod multi ex ipsis in luto et látere castra ædificarunt, nec palea eis dabatur, vulgusque de cujuscunque familia, sed magis ecclesiæ ad maximam inopiam propter labores gravissimos quasi ad nihilum est redactum: ergo dixerunt: nolumus hæc onera super nos, sed melius est nobis gloriose mori quam videndo mala gentis nostræ ignominiose vivere. Ideo rex circa nativitatem beatæ virginis b) misit de suis ad Jutiam, qui sociatis sibi aliis, qui erant prius in castris regis, obsederunt Randerss, ponentes machinas arietes in circuitu. Sed obsessi exeuntes castrum, quod erexerant, incenderunt et plures vulnerarunt, aliquos etiam occiderunt. Unde reliqui ab obsidione recedentes bellaverunt Collem catti c). Festo Michaelis transivit rex in multitudine navium necessariis onustarum, Denique Collem catti et aliud castellum Escenbdorp d) destruit et incendit. Vicit insuper Clausholm e). Sed post reditum ejus in Sialandiam Jutti castrenses ejecerunt et possederunt, sicut prius. Et rex in navibus morabatur, ortaque tempestate plures naves periclitabantur, ubi liburnus regis cum militibus ac nobilibus et preciosa supellectili et scrinio suo cum sigillo regio fractus, evomuit omnia, quæ continebat. Pauci tabulis innixi, vivi ad lucem venerunt. Et cum periculum maris evasissent, a castrensibus Collis ursorum f), qui prædam de fractis navibus diligenter observabant, colligendo sunt captivati. Tunc mare Waldamarum spolians ditavit et ursum.

Rex autem Sialandiam reversus, ecclesiarum decimas, quas in eundo gratanter dimisit ecclesiis, in redeundo acrius reparavit g). Frater Johannes de Rupe[s]cissa h) ordinis minorum libellum edidit, qui intitulatur: Vade mecum in tribulationibus. In quo quasi prophetando tractat de tribulationibus in proximis annis præventuris et de innovatione status Christianitatis, qui [ɔ: quæ] erit infra decem annos.

Anno domini CIↃCCCLX. Rex Waldamarus Christophorum filium dominum super Lalandiam constituit. Civitacenses et claustrales coggones i) suos liburnos coguntur emittere, in expensis propriis necessaria providere tenebantur aliisque oneribus et gravaminibus diversis aggravantur. Circiter idem tempus Waldamarus rex congregato magno exercitu et assumpto filio Christophoro duce Schaniam manu armata introivit et castrum Helsingburg viriliter obsedit; tandem veniente Magno Sveciæ rege, videns j) quod resistere non valeret, sibi supradictum castrum multis conditionibus interjectis libere resignavit k), quo obtento munitiones in eadem terra nobilium violenter acquisivit. Et ipsi nobiles veniam ab eodem rege Waldamaro postulantes homagium voluntarie receperunt. Castrum autem Lindholm l) partim minis et partim magna pecuniarum summa quasi in continenti acquisivit et adeptus fuit anno CIↃ CCCLXI m).

Anno domini CIↃ CCCLXI guerra inter Magnum Sveciæ et Waldamarum Daciæ reges ut prius exorta super multis articulis et promissionibus prius habitis et in posterum habendis. Rex Waldamarus dormire inutiliter nolens, sed magis in insontes sevire volens, maxima classe navium cum exercitu congregata partes domini regis Sveciæ petiit et insulam Øland invasit castrumque ibidem Borcholm obsedit, quo debel-

y) Lappenberg conjicit: sui. Nonne: "pro se" legendum. z) I. e. Wismar. a) "Lege: vinctus est". Lappenberg. Nonne: vinctusque erat. b) Die 8 Septembris. c) Danice: Kattebierg; pagus in paroecia Mariager hodie nomen retinet (Suhm). d) Lege: Esseudorp; hodie Gammel Estrup in paroecia Faussing. e) In paroecia Voldum. f) Danice: Björnsholm; hodie Högholm in paroecia Thirstrup. g) Forte pro: recuperavit. h) Sæpe *Rochetaillade* Gallico nomine vocatur. i) l. e. navigia. j) Sc. idem Magnus. k) Hæc Scaniæ occupatio adhuc tenebris est involuta. Cfr. Styffe, Bidrag till Skand. Hist. I. XXVI—XXX, et Munch, Norges Hist. Anden Hovedafdel., I. 691—700. l) Castrum hodie deletum in territorio Bara prope lacum Börringe. m) Annus fortasse postea ex sequenti linea hic irrepsit; minus enim verisimile videtur, arcem tamdiu defendi potuisse, quod etiam verbis "quasi in continenti acqvisivit" firmari videtur.

Digitized by Google

lato capitaneos suos ibidem imposuit, munivit et totam insulam sibi subjugavit. Dehinc tandem usque in Gotlandiam proficiscitur, ubi tribus bellis in ipsa terra peractis ipse victor cum suis quasi sine læsione existens totam Gotlandiam n) infinitis inquilinis prostratis ad villam Visby, quæ ultro sibi aperta invenitur. Tandem sibi auro, argento, pellibus variis et aliis infinitis divitiis exinde protractis cum suis ad propria feliciter remeavit.

Anno domini CIↃ CCCLXII. Civitas Lubicensis et omnes aliæ civitates maximæ o) condolentes et ægre ferentes, quod regi Waldamaro in Gotlandia prospere successisset, paraverunt se superbiendo [ↄ: -veniendo] regem prædictum extirpare cogitantes. Congregata ergo multitudine magna classium et assumptis principibus terrarum, Henrico comite Holsatiæ in capitaneum electo p), in Schaniam cum navibus et multis militibus et millibus hominum introierunt et castrum Helsingburgh obsederunt, admoventes XVI machinas, jactantes et non pausantes die neque nocte. Ipse autem rex Waldamarus quosdam de ipsis captivavit in terra, quosdam occidit et quosdam in mari cum navibus apprehendit. Finaliter vero omnes naves ipsorum desumpsit, ad ultimum treugis interpositis, ad patriam illa magna multitudo confusibiliter remeavit. Sed capitaneus eorum [consul] Lubecensis civitatis, Johannes Hvittenburgh, quia nec castrum destruere nec Daciam illis supprimere potuit, in civitate Lubicensi in foro communi ante prætorium fuit publice decollatus et sic treugæ fuerunt per annum integrum et ultra q).

Anno domini CIↃ CCCLXIII. Haqvinus filius Magni regis Sveciæ duxit in uxorem filiam Waldamari regis Daniæ, et nuptiæ celebratæ sunt Hafnis dominica proxima post pascha r), ubi domina Blancha regina Sveciæ infirmabatur et moritur, et exequiæ ejus sollenniter præparantur. Eodem etiam tempore Christophorus, dux Lalandiæ et Hallandiæ, filius Waldamari regis Daciæ, in infirmitate captus per aliquot septimanas perdurante tandem eadem infirmitate expiravit et cum exequiis sollennibus in ecclesia cathedrali Roeschyldis est sepultus s). Anno autem commemorato Waldamarus rex Daniæ de divitibus, pauperibus, piscatoribus et aliis pecuniam magnam congregavit.

n) Expugnat" vel tale aliquid desideratur. o) Sine dubio legendum: maritimæ. p) Hic errat scriptor; quamvis enim Henricus bello interfuerit, capitaneus Lubecensium non erat. Vide: Hansè Recesse. Leipzig 1870, in 4to I. 199, 200. q) Cfr. de hac expeditione excerpta, quæ infra ex Detmaro et Kornero dabimus. r) Die 9 Aprilis. s) Die 11 Junii (Script. rer. Danic. III. 272).

---

7. Ex Chronico Danico

936—1317.

Excerpta nostra sumsimus ex Systemate Stephanii in donatione De la Gardiana (Bibliothecæ Upsaliensis) XXVI. n. 4, secundum quod Chronicon jam antea in Scriptoribus rer. Danic. II. 169—176 editum est. Ab eodem fonte manuscriptum Hamburgense a Lappenbergio (Michelsen, Archiv II.) memoratum, ut sæpe diximus, originem repetit. In descripto Systematis Stephanii hic titulus legitur: "Incerti authoris ex antiquissimo codice MS. Bibliothecæ Haffniensis, cui Titulus Veriloquium Vetus insignito E. 42." *)

Ex perditis illis Annalibus Lundensibus Majoribus etiam hoc Chronicon effluxit, unde similitudines ejus cum Annalibus Ryensibus et Lundensibus atque Chronico Sialandiæ (proprie ab anno 1308) optime declarantur, qua de re Usinger (pag. 82—84) et Schäfer (pag. 37—42) **) uberius disseruerunt. Quæ tamen ab illis de hac communitate dicuntur, maxime in rebus Danicis valent, ut comparatio excerptorum nostrorum ex singulis fontibus demonstrat.

*) Ex eodem codice Stephanius plura descripsit. Cfr. Indicem donationis De la Gardianæ (supra pag. 107, not. § memoratam) n. 5—9. **) Hic ostendere conatur, Annales Danicos 1101—1313 (Script. rer. Danic. IV. 22) nihil nisi exscriptum hujus chronici 936—1317, cui aliqua ex Annalibus Ryensibus postea sint addita.

A. d. MCCVIII. Bellum fuit in Lena, ubi Dani corruerunt.

A. d. MCCLXXXVI. Rex Ericus filius Christofori captivavit Waldemarum ducem a) volentem ire in Sveciam contra eum procuraturum exercitum.

A. d. MCCXC. — — — Magnus rex Sveciæ obiit.

A. d. MCCXCVI. Rex Ericus duxit filiam regis Sveciæ Ingeburgh apud Helsinghæburgh.

a) Sc. Jutiæ. Res tamen, testantibus ceteris, anno 1285 accidit. Cfr. Suhm (Hist. af Danmark) X. 900.

Digitized by Google

A. d. MCCCII. Waldemarus filius regis obiit. Johannes Grand translatus est ad sedem Rigensem. Ysarnus Capellanus domini Papæ factus est archiepiscopus Lundensis. Duces Sveciæ Ericus et Waldemarus fecerunt homagium regi Danorum b).

A. d. MCCCIV. Rex absolutus est ab excommunicatione propter captivitatem archiepiscopi. Domicellus Waldemarus frater regis obiit in Rostock et translatus est in Soram. Solenne parlamentum in Knarruth c), ubi reges ac reginæ Daciæ et Sveciæ convenerunt. Agnes quondam regina Daciæ obiit.

A. d. MCCCVI. Rex Sveciæ captus est cum regina et liberis et [ɔ:a] fratribus suis.

A. d. MCCCVII. Rex duxit exercitum in Sveciam, qui inanis est reversus.

A. d. MCCCVIII. Rex secundo intravit Sveciam et vastavit quasdam partes, obsedit Nyköping d).

A. d. MCCCIX. Rex tertio intravit Ostrogothiam sed parum profecit, nam fraude suorum deceptus est, sicut prius.

A. d. MCCCX. Johannes Grand factus est archiepiscopus Bremensis e): Ysarnus Lundensis factus est Salernitanus, et Esgerus Arusiensis translatus est ad sedem Lundensem. Ericus dux Langlandiæ obiit. Ericus filius Waldemari ducis Jutiæ desponsavit filiam domini N. de Sclavia sororiam regis Erici f). Parlamentum fuit Helsingheburgh inter reges Daciæ, Sveciæ et Norvegiæ et duces fratres regis Sveciæ, ubi Ericus dux Sveciæ desponsat filiam alteram domini N. de Sclavia et factus est miles regis et feudalis de Hallandia. Rosckildis pars incenditur.

A. d. MCCCXII. Civitatenses de Sclauia incendunt Helsingör, Amag[er], Scanör cum castro et quasdam insulas. Rex Ericus fecit multos rusticos suspendi juxta Haffnis. Waldemarus dux Slesvicensis obiit. Agnes filia ducis Christofori obiit et sepelitur in Sora. Ericus dux Sveciæ duxit filiam regis Norwegiæ repudiata priori sponsa.

A. d. MCCCXV. Ericus et Waldemarus Duces Sveciæ venerunt in Feoniam in adjutorium regis contra Ericum ducem Jutiæ f).

A. d. MCCCXVII. Birgerus rex Sveciæ captivavit fratres suos Ericum et Waldemarum, qui in vinculis mortui sunt.

b) Hoc ad annum 1305 probabiliter pertinet. Cfr. Suhm l. c. X. 491 et Munch, Norges Hist. IV. 2. pag. 430. c) Knäröd, paroecia in Hallandia, ob conventus notabilis locus. Chronicon Rhythm. (v. supra Tom. I. 2. p. 29 et edit. Klemmingi I. p. 75) conventum regum Sveciæ et Daciæ in Fagradal in æstate anni 1304 memorat. Magnum, filium Birgeri regis, hic successorem electum esse videmus ex literis ducum Sveciæ d. 14 Septembris 1305 (Diplomat. Suecanum II. n. 1480), in quibus legitur: "— — Cum . . . Byrgerus rex . . . frater noster nec non et prælati ac barones . . . . . domicellum Magnum . . . regis filium . . . in regem Sveciæ . . , elegerunt . . . . . in parlamento inter magnificos principes dominos reges Sveciæ et Daciæ apud Faværædaliæ jam ultimo celebrato . . . nos . . electionem . . approbamus . . ." Ericus Olai (v. supra Tom. II. pag. 78 et 79) electionem in anno 1303 collocat, imo literas a ducibus de hac re d. 24 Junii 1303 datas esse dicere videtur. Sed quæ supra ex coævis fontibus attulimus, his repugnant. — Fagerdala adhuc locus vocatur in paroecia Hinnaryd et territorio Sunnerbo in confiniis Smalandiæ et Hallandiæ atque paulo plus miliario ab Knäröd distans. d) Quod in tertia expeditione anno 1309 contigit. Vide supra pag. 112 not. n. e) Cfr. supra pag. 112 not .q. f) Hoc nullis testimoniis firmatur. Anno 1313 hic Ericus duxit Agnetem sororem Gerhardi (Magni) comitis Holsatiæ, neque cognitum est eum antea uxorem habuisse. Omnis res sine dubio exorta est ex confusione sequentis narrationis de sponsaliis inter Ericum ducem Sveciæ et Sofiam, filiam Nicolai de Werle. g) Ericus dux anno 1314 d. 19 Julii foedus cum Erico Menved, rege Daciæ, inierat (vide Diplomat. Suecan. III. n. 1973).

---

8. Ex Chronologia rerum Danicarum

1188—1319.

Ignota erat hæc chronologia, donec Lappenberg, manuscriptum Hamburgense adhibens, aliquot abhinc annis eam edidit in Michelsen, Archiv etc. II. pag. 227—252. Cum autem, ut diximus, hoc manuscriptum e sæpe dicto Systemate Stephanii, in quo Chronologia sub n. XXVI. 3., nulla fontis mentione facta, exscripta exstat, depromptum est, nos in excerptis hoc descripto collectionis Stephanii usi sumus.

Primo aspectu chronologiæ dubitari sane poterat, num hæc chronologia libris medii ævi adnumeranda esset, cum ex duobus locis apparet, eam, qualis quidem ejus nunc est forma, post medium seculum XVI^{um} compositam esse *). Præterea scribendi genus ab illo usitato annalium more et in sin-

*) In anno 1201 dicitur sepulcrum Vilhelmi abbatis Ebelholtensis an. 1531 apertum esse. Et in anno 1274 legitur, Waldemarum, ducem Slesvicensem, primum Slesvicum ut feudum accepisse, et deinde: "Penes comites illos annis plus minus CCXCV permansit."

Digitized by Google

gulis vocabulis et in verborum collocatione valde differt; multisque etiam libellus abundat vitiis, quæ non minus librariorum incuriæ, quam ignorantiæ scriptorum debere videtur. Nihilominus pretio non caret, quia facile elucet, fundamentis antiquorum annalium eum niti, etiamsi eorum verba nonnumquam mutaverit et ipsas res temporumque ordinem deformaverit. Quare illum in nostro opere locum dedimus et simul menda attendere atque corrigere studuimus.

Anno domini CIↃCXCVIII moritur Sophia Waldemari primi vidua 3 Idus Maji a), quæ Ringstadii apud maritum humata est. — — —

A. d. CIↃCCVIII gravissimum proelium commissum ad pagum Jæne b) in Svecia pridie Calendas Februarii, in quo occubuerunt Ebbo et Laurentius filii Sunonis de Knarderup, quos cum exercitu mille octingentorum militum in subsidium Sverchero regi miserat Waldemarus rex, quorum corpora Soræ sepulta sunt.

A. d. CIↃCCX. Rex Sembios, Prutenos, Primeranos [ↄ: Pomeranos] et alios bello aggressus, eos superat. Regiza Waldemari filia Erico Svercheri filio nuptum datur, quæ nuptiis non diu supervixit c). —

A. d. CIↃCCXX. Moritur Beringaria ac Ringstadii conditur VI Kal. Aprilis d). Moritur etiam Regiza Sveciæ regina. — — —

A. d. CIↃCCL. V. Idus Augusti — — — Ericus rex cervicem feriendam carnifici præbuit — — — —. Filiæ hujus Erici, Ingeburgis Magno Nortwegiæ regi, Sophia Magno (!) Sveciæ regi nupserunt; Agnes et Jutta coenobium Roschildiæ Agnetis dictum de suo patrimonio condiderunt, in quo etiam ad mortis diem vixerunt.

A. d. CIↃCCLVIII e). Corpus Erici regis, quem Abel obtruncari curaverat, Ringstadium Christophori cura translatum est. In Scania convenere rex Christophorus et Birgerus Sveciæ dux, ut iniretur concordiæ inter Christophorum et Jacobum constituendæ ratio, sed frustra omnia tentata fuerunt.

A. d. CIↃCCLXI. Mechtilda ex Suecia cum duobus filiis reversa filio Erico, qui Slesvicensi ducatui præfuit, author fuit, ut non solum ducatum invito rege occuparet, sed etiam ad regnum occupandum animum adjiceret f). Quod cum Ericus rex intellexit, coacto magno exercitu una cum matre in Holsatiam venit et in campo Lohethe XXVIII Julii facto proelio cum hostibus perfidia Petri Timonis g) amissa magna parte exercitus capitur cumque Margareta matre Hamburgum missus custodiæ traditur.

A. d. CIↃCCLXXIV h). Waldemarus Sueciæ rex, stuprata germana sorore i) Sophiæ uxoris suæ, Erici regis Daniæ filiæ, metuens sibi ob hoc tam dirum facinus, Hallandiam flamma ferroque vastat k). Stigotus vero marschallus a rege cum exercitu missus Suecos magnis cladibus afficit ac tandem proelio primum ad pontem Ore deinde ad villam Howæ facto l) Waldemarum regem captum in Russiam m) exulatum dimisit. Waldemaro regi successit Magnus Ladelaas dictus.

A. d. CIↃCCLXXIX n). Ericus rex Sueciam cum exercitu ingressus multum damni Suecis infert, quod intelligeret Haquinum hostem suum ab ipsis juvari. Haquinus in Cimbriam traducto exercitu Scaveniam o) aliasque maritimas urbes et pagos incendit.

A. d. CIↃCCLXXXVI moritur Sophia regina Sueciæ. quæ Ringstadii sepulta est.

A. d. CIↃCCXCVI. Regi Erico nubit Ingeburgis, Magni regis filia, et Margareta soror Erici regis Byrgero, Magni regis Sveciæ filio, uxor datur.

A. d. CIↃCCXCVIII. Moritur Agnes mater Erici regis p). Mortem quoque obiit Christophorus Erici frater, qui regnum diu multumque affectavit q). Byrgerus Sveciæ rex cum Margarita regina in Daniam venit, qui a rege sororio humaniter exceptus est r).

A. d. CIↃCCCVI. Ericus rex in Femariam insulam profectus dissidia orta inter vicinos principes et Lubecenses sustulit ac petiit auxilium ab ipsis adversus Svecos, a quibus pulsus fuerat Byrgerus verus rex ipsorum s).

a) Lege: III. Nonas Maji (v. librum daticum Lundensem, Scriptor. rer. Danic. III. 512). b) Lege: Lænæ. Sequens dies rectus est. Cfr. supra pag. 2 not. b. c) Minus recte, obiit enim 1220, ut infra dicitur; cfr. etiam supra pag. 105 not. x. d) Hoc contigit an. 1221; vide locum modo citatum. e) Lege: 1257. Hoc enim anno corpus Erici regis translatum est (v. Molbech, Historiske Aarböger, I. pag. 63, not. 4), et conventus Kristoferi et Birgeri ad eundem annum pertinet (vide Processum litis inter Kristoforum et Jacobum archiepiscopum, Script. rer. Danic. V. 596). f) Cfr. Annales Lundenses supra pag. 108, not. x. g) Lege: Finonis. h) Lege 1275. i) Jutta nomine. k) Quod nullo alio loco legitur et ceteris fontibus repugnat, qui Magnum, fratrem Valdemari, et Danos in Vestrogothiam irrumpere et Valdemarum adoriri faciunt. l) Cfr. quæ diximus supra pag. 5, not. o et 109, not. d. m) Valdemarus in Daciam postea fugam fecit. Unde error ortus sit, dijudicare nequimus. n) Lege 1277. Idem error de anno, quo Ericus Sveciam intrabat, invenitur in Chronico Sialandiæ (supra pag. 112). o) Lappenberg conjicit Skagen, quod, est promontorium Jutiæ. Tota res incerta est. Fortasse respicit auctor expeditiones Norvegorum anno 1284. Conf. Script. rer. Dan. II: 527 ("Skaffen vastata est a Normannis.") et hic supra Tom. I. p. 41. p) Agnes obiit anno 1304 (v. Suhm Hist. af Danmark XI. 464. q) Error nobis ita declarandus esse videtur. Agnes et Valdemarus, frater Erici regis, eodem anno 1304 obierunt. Sed scriptor, qui fortasse aliquo loco solum viderit, fratrem quendam Erici regis eodem anno, quo Agnetem reginam, obiisse, neque alium fratrem quam Kristoferum noverit, utrumque obitum in anno 1298 inseruit et nomen Kristoferi addidit. r) Res nullo alio loco memorata. Nuptiæ Birgeri et Margaretæ eodem anno die 25 Novembris celebratæ sunt (vide supra Tom. I. 1. pag. 26). s) Detmar (Lübeckische Chroniken ed. Grautoff. I. 189) hoc ad annum 1307 refert, quod narratione Hvitfeldti (II. pag. 93–97, in 4to) firmatur.

Digitized by Google

A. d. CIↃCCCVII. Haqvinus Norwagiæ rex Hafniam veniens filiam suam Ingeburgin Magno filio Byrgeri regis in Dania exulantis promittit certis conditionibus additis t). Sed Haqvinus mutato consilio eandem filiam Erico duci Saxoniæ u) despondit; qui Ericus irruptione in Hallandiam facta multum damni incolis infert v). Rex Ericus comparato magno exercitu in Sveciam progressus, flamma ac ferro multa vastat. Sed perfidia Thimonis Laurentii et aliorum rei bene gerendæ occasione amissa in regnum misere ingenti cum periculo revertitur x).

A. d. CIↃCCCIX. Regressus rex in Sveciam cogit duces Byrgeri regis fratres, ut condicionibus pacis, quas ipse præscriberet, se acquieturos promitterent.

A. d. CIↃCCCX. Escherus Jul, episcopus Arhusiensis Isarno archiepiscopo surrogatus est. Rex Ericus comitia Helsingburgi celebrat; quo venerunt Henricus, dux y) Mechelburgensis, regni vasallus, Gerhardus comes Holsatiæ etiam vasallus et fratres Byrgeri regis, inter quos hæc ineundæ concordiæ ratio sancita est, ut Sveciæ regno in tres partes diviso major pars Byrgero, reliquæ duæ partes fratribus attribuerentur, ac regi Daniæ pro expensis in bellum factis repræsentarentur CIↃ Marcæ argenti puri z).

Erico duci Sveciæ ab Erico rege ducatus Hallandiæ in feudum concessus est, illique desponsata filia Nicolai comitis a) de Werle, neptis Erici Daniæ regis, qua paulo post repudiata [H]Aquini Norwegiæ regis filiam uxorem duxit b). Qua re offensus rex ipsi ducatum Hallandiæ adimit.

A. d. CIↃCCCXVIII. Rex nobilibus et clericis decimas omnium proventuum ejus anni tributi nomine pendendas indixit; qua in re Escherum regni primatem adversantem habuit.

c) Byrgero Sveciæ regi, cui ob fratres duces Sveciæ in turri fame necatos bellum fecerant Sveci, exercitum misit Ericus rex, cui præfecit Nicolaum dapiferum suum, qui recuperatis arcibus Stochholmo d) et Stageburgo e), quas transfuga Eschillus Tache f) occuparat, Byrgero regi, ut jussus erat, se conjungit. Qui Vestrogotis occurrentes initio magnam stragem ediderunt, postea vero g) resumptis animis fortiter regiis restiterunt. Quo anidmadverso Byrgerus Magno filio suo Stageburgo arci præfecto in Daniam se recipit, ubi non multo post cum uxore, quam secum adduxerat, mortuus sepelitur Ringstadii pridie Kalend. Junii h).

Sveci Stageburgum, in quo erant Magnus Byrgeri filius et regni hæres, gravi obsidione premunt, adeo ut Magnus, promissa sibi et Danis qui in præsidio fuerunt incolumitate, arcem dederet. Sveci vero non ita multo post violata jurata pace Magnum comprehensum obtruncant i) et Stockholmii in coenobio divi Fransisci in tumulum Magni regis avi sui inferunt.

Postea k) duce Christophoro regis Erici fratre et Eschero archiepiscopo Lundensi in Scaniam irruptionem faciunt; qui mox positis armis ad sua redeunt. Rex omissis curis leges condidit, quibus hodie utuntur Selandi, Lolandi, Langlandi, Fionii et alii l).

t) Hoc ad annum 1309 pertinet. Vide Munch l. c. IV. 2. 519—521., aperte, quæ ex pluribus locis et annis collegit, in unum connectere studuit. Verisimile quidem est Haqvinum, violata promissione Hafnis an. 1309 data, Erico duci filiam Ingeburgem nuptui se daturum sequenti vere pollicitum esse (cfr. Munch l. c. IV. 2. 532), sed irruptio Hallandiæ in annum 1307 aut 1308 est referenda. Vide supra pag. 112 not. m. u) Lege: Sveciæ. v) Scriptor hic expeditionem Erici in Sveciam an. 1309 spectat. Cfr. supra Chronicon Sialandiæ, quod idem in an. 1308 narrat, et Continuatorem Saxonis (infra). x) Hoc tertiam y) Lege: dominus. z) Verisimile est duces Sveciæ hanc summam exsolvere promisisse. Sed attendendum est, Birgerum præter decem milia, quæ Hvitfeldtio testante (pag. 127) ab Erico mutuo acceperit, ultro pro quatuor milibus marcarum se Erico obligatum esse an 1310 confiteri (v. Bekker. Danske Arkiv Registraturer III. 363, 364). a) Lege: domini. b) Hoc anno 1312 contigit. Sed, quævis fuerit ira Erici Menwed regis, certum est Ericum ducem Hallandiam conservasse. c) Sequentia melius redduntur in Chronico Sialandiæ (supra pag. 113), quod eodem fonte, quo hæc Chronologia, usum est. d) Fortasse distortio nominis Lagaholm. e) Lege: Stägeborg; quamquam illud non in manibus Eskilli erat; cfr. Chronicon Sialandiæ. f) Lege: Krake. g) Sc. Westrogothi. h) Sc. anno 1321; vide Tabulam Ringstadiensem, (Scriptor. rer. Danic. IV. 281). Uxor vero Margareta demum anno 1341 obiit (dies est incerta; et VI. Non. Martii et V. Non. Octobris afferuntur; vide Script. rer. Danic. IV. 281 et 312. i) Anno 1320. k) Post scilicet expugnationem Stegeburgi an. 1318. l) Cfr. Suhm, Hist. af Danmark, XI. 833.

Digitized by Google

EX ANONYMI CONTINUATIONE HISTORIÆ SAXONIS IN AN. 1341.

Circa medium seculum XIV^{um} scriptor quidam nomine ignotus, cui opus Saxonis diffusius ejusque stilus obscurior videbantur, compendium historiæ illius elaboravit brevemque addidit continuationem de eventibus, qui post finitam historiam Saxonis usque in tempus, quo ipse scriptor vixit, contigerant. Hujus compendii et continuationis codicem, in sæpe dicta donatione De la Gardiana n. 44 signatum, Bibliotheca Universitatis Upsaliensis possidet. Codex est papyraceus, 166 folia in 4to comprehendens, cujus in primis 85 foliis manus prioris partis seculi XV^{i} hoc compendium et continuationem secundum quoddam vetustius manuscriptum inscripsit. Opus incipit: "Gesta Danorum quidam egregius grammaticus, origine Syalandus, nomine Saxo conscripsit" — — —. Finitur: "postquam in Sialandia plus quam per annum moram contraxisset." Deinde alia nonnihil recentior manus verso folio 85 et folio 86 registrum addidit, quod incipit: "Tabula super gestis Danorum. Primo de regni partibus et mirabilibus, quæ sunt in Ysland" — — —, et finitur: — — "De Gerardo, quem Nicholaus Ebbeson interfecit."*)

Continuatio, omisso præcedente compendio, manu seculi XVI^{i} descripta etiam exstat in codice n. 52**) in eadem donatione De la Gardiana. Incipit a verbis: "Hic terminatur opus Saxonis" . . ., et finitur, ut codex n. 44 in verbis . . . ." moram contraxisset." ***) Registrum, quod in codice 44 exstat, hic omittitur.

Tertium manuscriptum est codex membraneus in 4to Bibliothecæ Academiæ Hafniensis, quem Langebek in sua editione totius operis (Scriptores rer. Danic. II. 286—400) adhibuit. Stilus hujus codicis nostro codice, supradicto n. 44, recentior fere videtur, si tabulam editioni Langebekii insertam inspicimus, et abbreviationes scripturæ in codice 44 multo freqventiores et lectu difficiliores esse videntur. Sed majoris momenti sequens discrepantia est. Post enim verba, in quibus codices 44 et 52 terminantur, in codice Hafniensi diversæ annotationes de vetustis regibus (pag. 393, 394 apud Langebekium) sequuntur; deinde (pag. 394) hæc verba: "Incipit registrum hujus compendii§), qnod in se continet VII. libros distinctos — — —. Primus autem liber de hiis VII. continet in se Excerpta de Gestis Danorum" — —; deinde (pag. 395—400) registrum sequitur horum excerptorum, quod tamen a supradicto registro codicis 44 valde discrepat; tum (pag. 400) registra II^{i}—VII^{i} librorum, maxime theologici argumenti, breviter memorantur; ad extremum (pag. 400) hoc legitur: "Finis et consummatio hujus compendii facta est anno domini MCCCCXXXI per reverendum et benevolum fratrem Thomam Gheysmer oriundum Sundis, conventualem Ottoniensem . . . . mediante scriptore Henrico Duvel, civi Ottoniensi."

Hanc ob annotationem Compendium et Continuatio Saxonis huic Gheysmero auctori diu tributa fuerunt. Res tamen nobis longe aliter se habere videtur, et Usingero (p. 89—93) atque Schäfero (p. 81—83) assentimur, Gheysmerum non esse auctorem, sed opus ab alio scriptore jam compositum suo compendio, quod vocatur, inseruisse. Jam ea, quæ de registro hujus compendii Gheysmeri supra attulimus, nobis satis aperte indicare videntur, Gheysmerum in compilatione quadam, cui maxime diversas res inseruerit, Compendium et Continuationem Saxonis aliunde sumtas inscribi fecisse. Ex contentis vero hujus Continuationis elucet, eam centum fere annos ante tempus, quo collectio Gheysmeri facta sit, compositam esse. Nonnulla exempla ex editione Scriptorum rer. Danic. dabimus. Pag. 316 dicitur: "Intravit (sc. Valdemarus II.) Estoniam . . . . Danisque subdidit usque in præsentem diem," sed constat Valdemarum III^{m} hanc terram anno 1346 vendidisse. Pag. 392 narratur, quomodo Otto, filius Kristofori an. 1334 captus sit, sed de liberatione ejus in anno 1341, quo Continuatio abrumpitur, nihil dicitur. Neque quemquam, qui annalium naturam sibi cognitam habeat, fallit, uberiorem et vividam narra-

*) Reliqua contenta codicis exposita sunt apud Schlyter: Corpus Juris Sveo-Gothorum, Tom. IX Skånelagen, in pag. XLI. præfationis. **) Codex varia historica Danica comprehendit. Initio legitur: "Reverendo viro . . d. Joanni Langio Assoniensi, liberalium artium magistro et professori s. Theologiæ . . . . dat Cornelius Hansfortius [sic] Cimber CIↃIↃXXCV. ***) Hanc continuationem solam, sed ex codice 44, rever. Er. Benzelius in opere, "Monumenta Vetera eccl. Svio. Goth." pag. 144–156 (cfr. præfationem pag. XLIV, XLV) sub titulo *Anonymi Veteris Appendix ad Saxonem Grammaticum* edidit. §) Hic igitur, ut ex sequentibus verbis apparet, non de compendio historiæ Saxonis, sed de compendio Gheysmeri (de quo infra), cujus operis primum librum compendium Saxonis et continuatio expleverunt, agitur.

Digitized by Google

tionem annorum 1340 et 1341 a coævo scriptore confectam esse oportere; etiam abrupta terminatio in mediis eventibus anni 1341 scriptorem repente stilum in media compositione deposuisse indicat.

Quod de Continuatione Gheysmero minus juste tributa diximus, etiam in Compendio Saxonis valet, quia unum ab eodem scriptore compositum opus efficiunt. Jam prima verba continuationis "Hic terminatur opus Saxonis" ostendunt, compendii auctorem etiam continuationem scripsisse, quod ex hoc dicto exordii compendii firmatur, ubi dicitur: — — "Ideo hoc opusculum [sc. compendium] excerptum . . . cum additione aliquorum, quæ post dictum opus editum acciderunt."

Exteriora quoque vestigia codicis n. 44 testari videntur, opus compilatione Gheysmeri vetustius esse. Codex enim noster manifeste aliud et multo antiquius exemplar descripsit; interdum verba nonnulla librarius præteriit, qua re observata vocabulis jam scriptis puncta subjiciens, prætermissa suo ordine inseruit; interdum abbreviationes legere vel recte explicare non potuit, qua re vitia ut *sancto* pro *facto*, *in etellis* pro *metallis*, *apertis* pro *a porcis* irrepserunt (copiam exemplorum proferre possemus), Graves quoque discrepantiæ inter codicem 44 et codicem Gheysmeri comparent. In nostro codice omittitur titulus: Incipiunt Gesta Danorum Saxonis Grammatici. Quod in codice Gheysmeri (pag. 288 apud Langebek) legitur: "Excerptum ex prologo Saxonis" in nostro codice alia manu est margini adscriptum. Eodem modo superscriptiones, quibus libri Saxonis et regna singulorum regum apud Gheysmerum distinguuntur, in codice 44 desiderantur; et numerus ordinalis cuique regi assignatns in codice 44 alius est atque apud illum.

In fine seculi XV^{i} hoc opus lingua inferioris Germaniæ versum et in annum 1480 continuatum typis Lubecæ (in 4to, sine anno) evulgatum est sub titulo: "Dyt is de denske Kronecke de Saxo Grammaticus de poeta ersten geschreven in' that Latine unde daerna in de Dudesk ghesettet." De quo cfr. Nyerup, Spicilegii bibliographici specimen pag. 160 et Dahlmann, Forschungen etc. I. 332.

Quibus denique fontibus auctor Continuationis Saxonis in iis, quæ suam ætatem prægrediantur, usus sit, Usinger et Schäfer in sæpe laudatis libellis indagare studuerunt. Totum opus (compendium et continuatio) tempore medii ævi et paullo posterius late sparsum fuit. Non solum Danici scriptores, ut Petrus Olai minorita in Chronico regum Danorum (Scriptores rer. Danic. I. 68), a quo Chronicon Vulgare appellatur, auctor Chronici Rhythmici Danici, Kristiernus Petri et Hvitfeldt illud adhibuerunt, sed etiam Suecі, ut Ericus Olai et Olaus Petri ex hoc opere, quod Chronicon Danicum appellare solent, cognitionem de rebus Danicis maxime hauserunt.

Waldemarus secundus. — — — — anno V. ρccurrit imperatori et fugavit eum. Anno vero sequenti quidam Dani scilicet Ebbo Swn[e]son et socii sui intrauerunt Sweciam ad pugnandum et ceciderunt circa villam Lenæ anno domini M°CC°VIII. — — —

Ericus filius Christophori successit ei in regno anno domini M°CC°LX°. — — — — Anno ejus 17 Dani pugnaverunt contra Suecos juxta oppidem Houæ ac deuicerunt deposueruntque regem Waldemarum ac Magnum fratrem ejus regem Swecie fecerunt. — —

Ericus a) igitur primogenitus successit patri in regno — — — — — — Hic duxit sororem Birgeri regis Swecie in uxorem, qui etiam versa vice habuit sororem Erici regis uxorem, propter quam affinitatem magnas expensas Ericus rex fecit. Nam dictus Birgerus rex cum uxore sua per germanos suos Ericum et Waldemarum duces captus et in turre positus fuit. Qui postea manum eorum evadens in Daciam ad regem Ericum confugit. Ericus igitur bis exercitum in Sweciam contra dictos duces misit b), sed propter falsitatem Danorum nichil ad intentum suum factum fuit. Tertia autem vice venit personaliter in Sveciam cum duobus milibus et quingentis dextrariis c), eratque numerus tocius equestris exercitus LX milia equitum. Statim autem dicti duces a facie ejus fugerunt ad castra sua maritima d), parati ulterius fugere extra regnum, si eos insequtus fuisset. Transiuit igitur pacifice per Fynlandiam e) et Ostgociam, nullo presumente resistere, intravitque superiorem Sweciam ac potenter obsedit castrum Nykyøpense adeoque illud machinis impugnavit, ut ab intus manentibus defendi non posset. Cumque ad eum exire vellent et castrum resignare, ecce quidam pociores Dani occulte corrupti promissionibus dictorum ducum exercitum regis diuiserunt atque regem verbis graviter inuadentes ab eo quasi cum majore parte exercitus recesserunt in tantum, ut ibi vel captus vel peremptus fuisset, nisi extraneos Teutonicos

a) Sc. Ericus Menwed, annis 1286—1319. b) Duæ primæ expeditiones Erici ad Sveciam in annis 1306 et 1307 liberationem Birgeri anno 1308 præierunt. c) Idem numerus in Annalibus Lubecensibus infra excerpendis, qui sine dubio eodem fonte usi sunt. d) Eorum nomina, Kalmar et Stockholm, in nostro Chronico Rhytmico traduntur. e) Lege: Finwediam, quæ pars Smalandiæ Scaniam et Hallandiam attingebat. Eandem fere nominis deformationem videmus apud Saxonem, supra pag. 96 not. i.

Digitized by Google

secum habuisset, scilicet dominum Mægelburgh f) cum suis, qui secum fideliter permanserunt. Coactus igitur redire dictos proditores post reditum suum in Daciam iuste vita priuavit. Dum autem esset in redeundo premissis legatis, occurrit ei alter dictorum ducum scilicet Ericus sicque cum eo placitavit, ut rex Birgerus tertiam partem regni Swecie meliorem pacifice possideret g). Dum autem dictus rex Birgerus in parte sua moraretur, intellexit, quod dicti duces iterum in malum suum machinarentur, sed astute preueniens eos ad se inuitatos cepit, sicud prius ipsum ceperant prodiciose, ac posuit in turri in castro Nykopensi, ubi ipsum captum prius posuerant, ibique miserabiliter fame mortui sunt h). Qui autem in terra pro dictis ducibus zelabant, occulte exercitum congregabant atque subito supervenientes regem Birgerum de terra fugaverunt. Veniens igitur in Daciam ibi mortuus est i) et cum regibus Ringstadis sepultus. k) Rex autem Ericus iterum misit sororium suum domicellum Magnum, filium dicti Birgeri regis, in Sweciam cum exercitu ad pugnandum. Qui dum Westgociam intrassent, occurrentes sibi in bello trucidabant atque venientes in Ostgociam intraverunt castrum Stakæburgh. Populus autem prophanus illius regni superveniens castrum obsedit ac pugnavit, ut intus manentibus euasio nulla esset, propter quod dictus domicellus pro liberacione Danorum, qui secum erant, se ipsum Swecis tradidit, ea condicione, ut non lederetur in vita vel in membris. Super quo iurabant omnes nobiles illius regni, facientes super hoc publicum instrumentum sub sigillis suis l). Set mortuo Erico rege, quem plurimum metuebant, perfidissimi et periuri m) dictum domicellum, cui homagiati fuerant, dum pater suus in regno potens erat, tamquam hostem regni et inuasorem puplice iudicantes decollabant. Qui sepultus est cum auo suo rege Magno Stokholm in ecclesia fratrum minorum. — — — —

(*Narratur de pugna in Lohed anno 1331, de morte Erici filii regis Kristoferi et quomodo ipse Kristoferus in castro Aleholm incarceratur*). Sed cito postea liberatus transivit in Falstriam ibique in castro Nykyöping mortuus est et in supra dicto monasterio sepultus. Circa hoc tempus n) Scanienses plurimos Teutonicos occiderunt Lundis et circa Helsingburgh miseruntque nuntios ad regem Swecie Magnum, filium Erici ducis Swecie, exhibentes ei terram suam. Qui annuens promisit Teutonicis pro dicta terra et castro Helsingburgh LXX[a] milia marchas o) puri argenti, datis multis obsidibus Dacis p) et Swecis, quousque dicta summa solueretur.

f) Henricus, dominus Magnopolensis et Stargardensis, ut testis in literis ante Nycopiam datis, quas supra pag. 112, not. n. attulimus, comparet. g) Transit scriptor in eventus exeuntis anni 1317. h) Anno 1318. i) Anno 1321, vide supra pag. 122, not. h. k) In seqventi cfr. supra Chronicon Sialandiæ in anno 1318. l) Hæ literæ hodie non exstant. m) Ante vocabulum *periuri* librarius scripsit *perpotens*, sed punctis subjectis expungendum indicavit. n) Kristoferus anno 1332 obiit. Eodem anno in mensi Novembri Scania empta est (v. Diplomat. Suecan. IV. n. 2951). o) Summa erat trigintaquatuor milia marcarum (v. literas in nota superiori allatas), quæ anno 1343 in 49.000 aucta est, ut etiam Chronicon Rhythmicum habet. Sed hic falsus numerus (70000) apud plures scriptores comparet (v. Chron. 826—1415, supra Tom. I. 1. pag. 57 et Ericum Olai l. c. II. 102). p) Etiam milites de Scania, quæ antea fuerat provincia Danica, obsides pro pecunia solvenda dati sunt (v. literas supra allatas).

10. Ex Annalibus Danicis.

1316—1389.

Nostra excerpta sumta sunt ex una editione, quæ exsistit, in Scriptoribus rerum Danicarum VI. 531—535. In præfatione scribit Suhmius: "Hoc descripsit b. Langebekius anno 1738 ex chartula quadam in Archivo Regio, censuitque eam a diversis coævis fuisse scriptam, quorum ultimus vixisse videtur primis annis reginæ Margaretæ. — — Conjicio hanc Chronicam fuisse scriptam ab aliquo Lundensi ecclesiæ addicto, quia tam solerter adnotat nonnulla de hujus ecclesiæ archiepiscopis."

Quæ in ultimis annis, præsertim in nono decennio seculi leguntur, coævo scriptori originem aperte debent, ut jam accurata et uberior expositio docet; Usinger attendit scriptorem in anno 1387 dicere: "Moriebatur . . . rex . . . Olavus . . ., qui nobilior omnibus regibus nunc viventibus dicebatur . . .". In iis, quæ annum 1360 præcedunt, magna est similitudo inter hos Annales et eam partem Chronici archiepiscoporum Lundensium *), quæ sub Nicolao archiepiscopo (obiit 1372) scripta est. Schäfer (pag. 73, 74) putat Annales hoc Chronico usos esse, præsertim quia in anno 1326 Annales habent. "Tempore domini Karoli archiepiscopi" . . et an. 1340 "Tempore domini Petri archiepiscopi" . . , et utraque enuntiatio paulo discrepans in Chronico legitur. Mirum autem est, si Annales Chronico, Nicolai opera conscripto, usi sint, ex omnibus, quæ ad tempora ipsius Nicolai pertineant et in Chronico compareant, unam solum et meliorem annotationem in Annalibus et ibi in recto anno 1358 (dum Chronicon 1359 habet) reperiri. Fortasse et Annalibus et Chronico annotationes in libris capituli Lundensis factæ erant communis fons.

*) Vide Script. rer. Dan. VI: 623—638 et infra n. 12.

Digitized by Google

Anno Christi MCCCXV a). Duces Sveciæ Waldemarus et Ericus a fratre Birgero suo rege Sveciæ captivantur.

MCCCXVII b). Duces Sveciæ Waldemarus et Ericus in captivitate obierunt. Bellum fuit in Svecia in XL c) inter Danos et Suevos. Esgerus Lundensis archiepiscopus a Scania recessit, qui remittens literas præcepit clero suæ dyocesis excommunicare Ericum regem Daciæ, sed . . . . . d) totius regni ei se per appellationem opposuit.

MCCCXVIII. Suevi cum duce Hallandiæ Christoforo et Esgero Lundensi archiepiscopo feria quinta ante festum apostolorum Symonis et Judæ e) debellabant Scanienses in Melkælangæ f) et totam Scaniam exceptis octo provinciis deprædati sunt.

MCCCXXVI. Tempore domini Karoli archiepiscopi, qui fuit prius præpositus Lundensis, Rex Sveciæ Magnus optinuit Scaniam Blecungiam et Hallandiam, devictis Holsatis et ejectis g).

MCCCXLVIII. Magnus Sveciæ, Norwegiæ et Scaniæ rex intravit Rusciam cum copioso exercitu, expugnans castrum Pikelsart h) rediit cum victoria.

MCCCLVIII. Captus est archiepiscopus Jacobus in Aosia i) per regem Sveciæ Ericum et amisit LX caballos cum tot paribus armorum servitorum suorum k).

MCCCLX. Interfectus fuit dux Hallandiæ Benedictus in Ryghnæholm l) a Suevis. Rex Daciæ Waldemarus optinuit Scaniam in manu forti et castrum Helsingburgh per resignationem Magni regis Sveciæ.

MCCCLXII. Reversus est in terram consecratus in Auinione m). Waldemarus rex duxit exercitum in magna classe ad Gotlandiam, bello inito cum communitate terræ multis interfectis cepit civitatem Wisby n).

MCCCLXIII. Rex Norwegiæ Haquinus duxit Margaretam filiam Waldemari regis Daciæ in uxorem et fecit sollennes nuptias Hafnis o), ubi archiepiscopus Nicolaus celebravit suam primam missam.

MCCCLXXXII. Dominus Tuvo Galen præfectus Scaniæ perdidit castrum Thurstorpsö p) et dominus Holmgerus miles Scaniæ ibidem interfectus est.

MCCCLXXXIV. Rex Sveciæ Albertus adjunctis sibi non paucis militaribus de Scania intravit Scaniam et Hallandiam et optinuit castrum Lavæholm q) in manu forti, qui tamen superveniente Margareta matre regis Daciæ Olaui cum dapifero et aliis Danis fugam dedit versus Sueciam non sine verecundia, mulierem non audens in campo regaliter exspectare.

MCCCLXXXVII. Facta est magna strages in bondonibus per quendam Bydelbach advocatum regis de castro Biritzholm r), in ipso cimiterio Asum in capite jejunii. Similiter eodem anno consimilis strages rusticorum facta est de castro Sjöthorp s) per quendam tyrannum Alamannicum advocatum nomine Snakenborch t) in Jærlæstæthæræt. Eodem anno moriebatur inclitus et nobilis rex Daciæ et Norwegiæ Olavus in castro Falsterbothæ, qui nobilior omnibus regibus nunc viventibus dicebatur antiquitate sanguinis regii et stirpe regia ex utroque latere. Eodem anno quo supra, dominica ante festum beati Laurentii u) ejus corpus ad Sora translatum est, intestina vero ad ecclesiam Lundensem et ibi humata in medio ecclesiæ ante altare beatæ virginis Eodem tempore mater sua domina Margareta, filia regis Waldemari IV, uxor dudum regis Norwegiæ Haquini, regina Daciæ, Sveciæ et Norwegiæ, electa est de consilio potiorum regni ad regimen totius regni Daciæ, cui Dani propter sapientiam sibi a Deo datam homagium præstiterunt in placito generali Scaniæ, præsentibus archiepiscopo Magno, Nicolao Roskildensi et Johanne Arusiensi episcopis, domino Henningo dapifero, cum communitate et regni potioribus.

MCCCLXXXVIII. Dominica ante festum apostolorum Petri et Pauli combustum est totum monasterium Dalbyense et tota ecclesia parochialis et medietas ecclesiæ claustralis et duæ partes villæ dampnosæ [ɔ:- natæ], et tunc sancta crux ducta fuit de ecclesia Dalbyensi ad civitatem Lundensem pro elemosina petenda in capitulo provinciali fratrum prædicatorum. Eodem anno illustris regina Daciæ et Norwegiæ Margareta misit exercitum copiosum armatorum de Dacia et Norwegia in Sveciam contra regem Sveciæ Alamannicum tam navigio quam per terras.

a) Lege: 1317. b) Lege: 1318. c) I. e. Quadragesima. Dies Cinerum hoc anno in diem 8 Martii incidit, Pascha in diem 23 Aprilis. d) "Forte: clerus" Suhm. e) Die 26 Octobris. f) "Miolkalang" in Chronico Rhythmico vocatur. Mjölkalånga adhuc pagus in paroecia Finja et territorio Vester-Göinge appellatur. g) Hoc ad annum 1332 pertinet; v. supra pag. 125. not. n. h) Pekensaari alias vocatur, quod erat nomen a Fennis datum huic arci apud flumen Newa, quæ a nobis Nöteborg, a Russis olim Orechowetz, hodie Schlüsselburg appellatur (Munch Norg. Hist., 2. Hovedafd., 1. 487, 488). i) Hodie Åhus, oppidulum in Scania. k) Chronicon Archiepiscoporum Lundens. (infra) hoc ad annum 1359 refert, sed Munch (l. c. pag. 653 not. 3) annum 1358 præfert. l) Diruta arx, quæ verisimiliter in insula amnis *Rönneån* prope urbem Engelholm, sed paulo inferius sita erat. Rönaholm appellatur in Chronologia 815—1412 (supra Tom. I. 1. pag. 44). m) Sc. Jacobus archiepiscopus Lundensis, cujus electio in anno 1361 narratur. n) Quod tamen an. 1361, chronicis et diplomatis testantibus, contigit. o) Die 9 Aprilis; v. supra pag. 119 not. r. p) Probabiliter ob secreta commercia cum Alberto, rege Sveciæ. Cfr. quæ Styffe attulit, Bidrag t. Skand. Hist. I. pag. XLVII, not. 2, et pag. LXVIII et LXIX, atque foedus Scaniensium cum Alberto an. 1381 (apud Suhm l. c. XIV 322). — Thurstorpsö erat arx, hodie diruta, in territorio Wemmenhög (v. Styffe, Skandinavien und. Unionstiden, pag. 60). q) Hodie Laholm in Hallandia. r) In territorio "Færs härad" (in Scania), ubi hodie Bjersjö-ladugård sita est. Gevard Bydelsbak miles an. 1389 comparet (v. Riks-Ark. Perg. bref n. 2423). s) In territorio Albo prope curiam Kristinehof. t) Sine dubio Johannes Snakenborg miles, cujus vidua in curia Gladsax in territorio Järestad habitabat (Styffe, Skandinavien etc. pag. 65). u) Die 4 Augusti.

Digitized by Google

MCCCLXXXIX. Die beati Mathiæ apostoli v) procurante et auxiliante deo, in cujus manu pendet omnis victoria, commissum est grande bellum inter regem Sveciæ Albertum et Danos, in quo corruerunt multi milites et militares, videlicet dominus Parow capitaneus Norvegiæ et Fikko x) capitaneus Calmarnensis, milites strenui et alii quamplures ex utroque latere, et captus est rex Sveciæ Albertus et filius suus Ericus ac comes Holsaciæ Gerardus et comes de Repiin cum XX militibus et aliis non paucis nobilibus, qui omnes per nobilissimam reginam Margaretam missi sunt captivi in Daciam. Deo laus in secula, qui dedit victoriam inopinatam in manu feminæ, videlicet reges in compedibus et nobiles eorum in manicis ferreis.

v) Die 24 Februarii. x) Fikke van Vizen, senior, miles regis Alberti.

---

11. Ex Chronico Danico

1241—1410.

Descriptum in »Systemate» Stephanii in sæpe memorata donatione De la Gardiana XXVI, n. 16 secuti sumus, ubi superscriptum legitur: »Incerti autoris ex vetusto codice MS. Bibliothecæ Haffniensis signato A. 9.». Sine dubio hic erat idem codex Haffniensis, cujus descripto Ludewig in sua editione (Reliquiæ Manuscriptorum IX. 79) usus est; editionem Ludewigii Suhm in Scriptoribus rer. Danic. V. 528 adhibuit.

Chronicon in duas partes, ut Schäfer (pag. 83—89) demonstrat, distingui potest. Prior pars fere ad annum 1300 extendens est compilatio quædam ex diversis fontibus Danicis hausta; in posteriore parte scriptor omnia fere ad verbum descripta*) ex Chronologia Svecica 826—1415 (supra Tom. I. pag. 50—61 inserta) excerpsit. Quam ob causam hæc excerpta ex nostra chronologia aliis typis imprimenda curavimus.

Schäfer odium scriptoris adversus Danos et quod in seculo XIV° res Svecicæ solum traduntur, attendens, eum Svecum fuisse censet. Et nobis quoque verisimile videtur, primum scriptorem Chronologiæ 826—1415 Svecum fuisse, sed æque probabile nobis videtur eum, qui compilationem Danicam in an. 1300 fecerit et excerpta ex Chronologia adjecerit, Danum fuisse. Vocabula: *Östenbroe, Broersön, Smech* leniorem elocutionem Danicam indicant. Nonnulla dicta ex ore Danico potius, quam e Svecico fluxisse videntur, quamquam mirum est, illa hac forma jam in Chronologia 826—1415 vestita esse. Sic legitur in anno 1360: Waldemarus rex [»Daciæ» omittitur]... abusus simplicitate Magni regis *Sveciæ* iterum vindicavit Scaniam ex *Svecorum* possessione etc. Cfr. annos 1361—1363. Falsa lectio *Wexadam* pro *Upsaliam* in anno 1319 vix librario Svetico originem debet.

*) Mortem Magni regis Chronicon tamen recte ab anno 1372 ad an. 1374 transtulit.

Et anno Christi M.CC.LXVI. Obiit Byrgerus dux Sveciæ pater Waldemari ejusdem a) et eodem anno venit legatus in Daniam Guido Cardinalis, et Andreas pincerna captus est.

Anno Christi M.CC.LXXV. Magnus dux Sveciæ expulit fratrem suum regem Waldemarum de regno, fretus auxilio regis Daniæ et regnavit pro eo. Eodem anno relaxatum est interdictum suprapositum a Guidone legato.

Et postea anno MCCLXXVI. Rex Magnus Sveciæ invasit Schaniam et eodem anno Waldemarus rex Sveciæ exulavit in Dania cum uxore et filio duobus annis b). Et regina Agnes peperit secundum filium regi.

Et 7° anno c) Ericus rex Daniæ fecit expeditionem bis in regnum Sveciæ, ut restitueret dictum Waldemarum sed non prævaluit.

Sed anno M.CC.LXXVIII. Ericus rex Daniæ vastavit Westgothiam, et Waldemarus redit in Sveciam d), et domicellus Abel, filius Abel regis, obiit Svinborrig e) et sepultus fuerat [ɔ: fuit] ibidem apud fratres minores.

a) Sc. Waldemarus, rex Sveciæ, qui tamen in præcedenti non comparet. Compilator aliquid in manuscripto, quod excerpsit, manifeste præteriit. b) Annalibus Ryensibus vel eodem fonte usus est scriptor (vide supra pag. 106, not. f.). c) Id est: 1277. d) Vastatio Vestgothiæ ad eandem expeditionem anni 1277, quæ supra memoratur, pertinet. In eodem anno Waldemarus quoque probabiliter rediit (vide supra pag. 106, not. f.). Obitus Abelis vero ab omnibus antiquis annalibus in anno 1279 traditur; Chronicon Sialandiæ supra etiam vastationem Vestrogotiæ ad an. 1279 refert. e) Svendborg in Fionia.

Digitized by Google

f) Anno Christi M.CC.XCVIII. Factæ sunt nuptiæ regis Byrgeri et reginæ Margaretæ in Stockholm.

Anno Christi M.CCC.IV. Facta est magna discordia inter Byrgerum regem Svecie et illius fratres, scilicet Ericum I. g) et Waldemarum duces, quos postea dolo cepit nocte nudos in lectis suis et mox posito omni pudore in vincula conjecit, plagis ac verberibus afflictos ac fame interfecit, ob quod proceres et milites dictorum fratrum insurrexerunt contra Byrgerum regem et castris prius occupatis ipsum cum uxore et familia ejecerunt de regno, qui fugiens in Daciam ibi mortuus est anno Christi M.CCC.XXI. et Ringstadis sepultus h).

Anno Christi MCCCXIX. Obiit Haquinus rex Norwegiæ, et eodem anno electus est in regem Sveciæ Magnus Smech, Erici ducis filius, apud Wexadam i).

Anno Christi MCCCXXXII. Interfecta est magna multitudo Alimannorum in ecclesia Lund[ensi] k).

Anno Christi M.CCC.XXXIV. Magnus rex Svecìæ emit Scaniam pro 70 millibus marcarum argenti puri a dominis Holsatiæ, qui illam in pignus acceperant a Christophoro rege l).

Anno Christi M.CCC.LIII. Magnus rex Sveciæ creavit in ducem Findlandiæ et Hallandiæ Benedictum Algothi m).

Anno Christi M.CCC.LVI. Ericus rex filius Magni regis obsedit castrum Wardberrig, fugato Benedicto duce, sed anno MCCCLIX obiit Ericus rex filius Magni regis.

Anno Christi M.CCC.LX. Waldemarus rex dolo et fraude, abusus simplicitate Magni regis Sveciæ, iterum vindicavit Scaniam e Svecorum possessione, exustis omnibus literis Magni regis super Scaniam n).

Anno Christi M.CCC.LXI. Waldemarus rex Daciæ occupavit Olandiam et Gotlandiam, privatus est tamen eodem anno Olandia o), Gotlandia retenta.

Anno Christi M.CCC.LXI. Rex Magnus captus est Calmarniæ ab Haquino filio suo, quia passus est se decipi in amissione Schaniæ tanti emptæ a Svecis, proceribus regni Sveciæ hoc agentibus, qui filium adversus patrem excitabant p).

A. C. M.CCC.LXII. Haquinus rex Norwegiæ accepit q) in uxorem Margaretham filiam Waldemari regis.

A. C. M.CCC.LXIII. Albertus filius ducis Magnopolensis in Sveciæ regem eligitur in odium et destructionem regis Magni Smech et incredibili Svecorum damno et jactura.

A. C. M.CCC.LXV. Bellatum est apud Östenbroe inter Albertum et Magnum reges, ubi rex Magnus captus est r), multis occisis et Haquino rege Norwegiæ fugato, qui volebat patri suo Magno regi esse præsidio.

A. C. M.CCC.LXXI. Liberatus est a captivitate rex Magnus per Haqvinum filium suum s), qui Haqvinus obsedit civitatem Holmen[sem]. Eodem anno t) et peperit regina Margaretha, uxor Haquini regis, Olaum Norwegiæ et Daciæ regem.

A. C. M.CCC.LXXIV. Obiit Magnus rex Smech in quodam stagno Norwegiæ.

A. C. M.CCC.LXXX. Obiit Haqvinus rex Norwegiæ, Magni regis filius.

A. C. M.CCC.LXXXVII. Obiit Olaus rex, Margarethæ filius.

A. C. M.CCC.XC:[VIII] u) Domini de Prussia occupaverunt civitatem Wisby, expulsis inde piratis.

A. C. MCCCC.III. Dominus Abraham Bröerssön v) et dominus Algothus Magni cum exercitu magno venerunt in Gotlandiam circa festum Martini ibique extruxerunt quinque munitiones fortissimas, quæ essent illis præsidiorum vice obsederuntque civitatem Wissby.

Sed anno M.CCCC.IV. Magister Prussiæ, instructus magna militum copia et ingenti navium classe, succurrebat civitati Wissby jam obsessæ subvertitque omnes munitiones, quas Dani et Sveci struxerant, accepta interim magna populi sui clade, ceciderunt namque multo plures de Prutenis quam de Danis aut Svecis.

A. C. M.CCCC.V. Fuit continua pluvia a festo beati Olavi usque ad festum nativitatis Christi putrefactæque sunt omnes fruges tam agrorum quam pratorum, eratque hyems levis et instabilis.

A. C. M.CCCC.VI. Dominus Thuricus x) cum duobus nobilibus de Dacia Angliam profectus est, ducturus Erico regi in uxorem filiam regis Angliæ Philippam nomine celebratæque sunt nuptiæ Lund[is] circa festum omnium sanctorum y).

A. C. M.CCCC.VIII. Paulo post festum Paschæ z) combusta est civitas Stockholmb repente et totaliter.

f) Hinc excerpta ex Chronologia 826—1415 incipiunt. g) Scriptor hoc numero eum fortasse a nepote Erico, filio Magni regis, distinguere voluit. Numerus vero II rectior esset, cum Magnus Ladulâs fratrem quoque Ericum ducem haberet. h) Omnia fere ad verbum in Chron. 826—1415 in annis 1304, 1317, 1318 et 1321 inveniuntur. i) Lege: Upsaliam. k) Hoc desideratur in Chronologia 826—1415. l) Emptio anno 1332 facta est (v. supra pag. 125, not n.). m) "Circa festum purificationis beatæ virginis" additur in Chronologia 826—1415. De anno cfr. supra pag. 115, not x. n) Probabilior est alia accusatio (v. supra pag. 80, not. d), has literas tempore Margaretæ et Erici e regno deductas esse. o) Hoc eo firmatur, quod Magnus an. 1362, d. 28 Sept. insulam urbibus Vendicis impignorat (Hanse-Recessen I. p. 201). p) Cfr. Chronologiam Wisbyensem (supra Tom. I. 1. p. 44). q) Chron. 826—1415 rectius: desponsavit. Nuptiæ celebrabantur sequenti anno, v. supra p. 119, not. r. r) Chronologia addit: III die Martii. s) Chronologia addit: circa festum assumptionis beatæ virginis. t) Chronologia addit: circa adventum domini. u) Omissos numeros ex Chronologia sumsimus. Ludewig habet: MCCCCX. Cfr. de cetero additiones in Chronologia. v) Lege: Brodersson. x) Lege: Thurirus; Benedicti additur in Chronologia. y) Die 1 Novembris: Dies erat 26 Octobris cfr. infra pag. 130, not. n. z) 16 die post pascha [i. e. d. 11 Aprilis] dicitur supra Tom. I. 1. pag. 73.

Digitized by Google

A. C. M CCCC.IX a). Ericus rex cum Margaretha regina redemit Gothlandiam e manibus Prussiorum pro 10 b) millibus nobilium Anglicanorum, quam ipsi tamen Pruteni habebant impignoratam pro 20 c) nobilium.

A. C. M.CCCC.X. Ericus rex Gothlandiam veniens d) ædificavit fortissimam arcem circa civitatem Wissby, cum antea fuerit ibidem nulla arx exstructa. Hic plurimas nobilium uxores immodica raptus libidine violavit e).

a) Lege: 1408. (Cfr. Styffe, Bidrag etc. II. p. XLVI, XLVII.). b) Lege: 9. (Cfr. Styffe l. c.). c) Sc. millibus; quod Chronologia habet. Summa autem erat 10,000 (v. Styffe l. c. XXVII.). d) Hoc anno 1411 contigisse videtur (cfr. supra Tom. I. 1. pag. 46, 47.). e) Hæc ultima annotatio in Chronologia 826—1415 non exstat.

---

12. Ex Chronico Archiepiscoporum Lundensium.

Hoc Chronicon Thomas Bartholinus Havniæ an. 1709 in 8vo primus edidit, cujus editionem Suhmius postea in Scriptoribus rerum Danicarum VI. 621—639 repetiit. Duobus exemplaribus, utroque in Birgero archiepiscopo (an. 1497—1519) subsistente, Bartholinus utebatur; unum erat amplius et nomen Nicolai archiepiscopi (an. 1361—1379), ut auctoris, præ se ferebat, quod Bartholinus e codice membranaceo bibliothecæ Ottonis comitis de Rantzow exscripserat; alterum aliquid brevius, nomine Tuvonis archiepiscopi (an.1443—1472) inscriptum et in codice membranaceo bibliothecæ Universitatis Hafniensis et in exscripto chartaceo exstabat. Suhmius etiam ex duobus aliis exscriptis chartaceis variantes lectiones sumsit neque discrepantes locos, quos Nettelbladt (Schwedische Bibliothek in 4to, III. 201, 202. Rostoch et Leipzig 1729) ex suo manuscripto comparavit, afferre omisit. Aliud quoque manuscriptum, ex codice quodam Arvidi Hvitfeldtii depromptum, in illo Systemate Stephanii XXVI. n. 14 servatur, sed ut Lappenberg recte judicavit (Michelsen, Archiv II. 210), nihil est nisi ex amplioribus exemplaribus haud paulo contractum opus, quare illud omnino præterire potuimus *).

Qua ratione exemplaria Nicolai et Tuvonis inter se conjuncta sint, Schäfer (l. c. 71—79) optime explicuit. Ostendit amplius exemplar, quod nomine Nicolai præditum est, in duas partes dividi posse. Prior pars, in morte Nicolai an. 1379 desinens, forsan, ut in titulo dicitur, ab eo ipso composita, certe ejus tempore scripta est, ut insolita ubertas narrationis brevibus de vitis successorum annotatis collata aperte monstrat. Attendit quoque Schäfer, Annales 1316—1389 (v. supra n. XVI. 10) ut ibi diximus ex hoc chronico Nicolai, dum in vetustiori et breviori forma exstaret, aliqua hausisse. Posteriorem partem clericus quidam tempore Tuvonis composuit, brevia solum de ceteris Nicolai successoribus adnotans, sed de eventibus ætatis Tuvonis copiosius et accuratius narrans. Deinde Tuvo archiepiscopus ex hoc chronico, quod Nicolai nomine inscriptum esse continuavit, aliud nonnihil abbreviatum elaborandum curavit, cui ideo nomen Tuvonis inditum fuit. Ad extremum aliqua de Johanne Brostorp (1472—1497) et Birgero Gunnari (1497—1519) archiepiscopis a coævis scriptoribus addita sunt.

Hanc ob similitudinem inter duo manuscripta, præsertim in rebus Sueticis, duos textus juxtapositos, ut Suhmius fecit, hic reddere superfluum nobis visum est, sed ex chronico Nicolai, ut vetustiore excerpta sumsimus et ex opere Tuvonis solum in notis variantes lectiones **) et uno loco, quo uberior est ejus narratio, in textu excerptum afferre satis duximus. Editionem Suhmii in sequentibus excerptis adhibuimus. In notis exemplar Tuvonis lit. T., exscriptum chartaceum Bartholini lit. B (ut Suhmius), variantes et additiones ex Nettelbladtio lit. N et duo exscripta chartacea, quæ Suhmius memorat, solum lit. C. (quia omnino congruisse videntur), significavimus.

*) Ex hoc MSC^{to} Stephanii Ludewig Chronicon in Reliquiis Manuscriptorum Tom. IX. 166 edidit. Hic quoque monendum videtur, Chronicon 1274—1497 (Script. rer. Danic. V. 624) etiam esse excerptum ex hoc chronico archiepiscoporum cum nonnullis ex Annalibus Lundensibus sumtis additionibus conjunctum. Auctorem Mag. Petrum Ivari, canonicum Roskildensem, circa medium seculum XVI^{m} viventem, fuisse, H. Rördam in libro (supra pag. 102 in præfatione numeri XVI) citato p. 56, 57 demonstravit.

**) Textus Tuvonis corruptos locos in exemplari Nicolai interdum emendat, ut melius manuscriptum chronici Nicolai, quam quod hodie exstat, secutus esse videatur. Sic Tuvo recte habet *extraneos* pro *transiens*, *prius* pro *primus*, *Sampsö et Hallandie* pro *Saxonie et Hollandie* etc.

— — — — In hujus a) tempore anno domini MCXXXV b) bellum fuit in Fodevich in Schania, ubi Magnus rex Dacie et sex episcopi cum eo occisi sunt, videlicet unus de Svecia, unus de Selandia et quatuor de Jucia, a fratre suo c) Nicolao rege, qui post modicum tempus a sutoribus in Slesvig occisus est. — — —

a) Sc. Asceri primi archiepiscopi. b) Lege: 1134; v. supra pag. 103 not. a. c) Scriptor rem prorsus confudit. Ericus Emun in hac pugna patruum Nicolaum fugavit et Magnum filium ejus occidit.

Digitized by Google

Cui d) successit electus Erlandus, qui sedit uno anno et ante suam promotionem mortuus est. Hujus tempore fuit bellum in Örebro e) in Svecia inter Dacos et Suecos, sub anno domini MCCLXXIIII f), et fugati sunt Sveci a Danis die beatorum Viti et Modesti martyrum. Item eodem anno Stigotus marscalcus Dacie, qui prius bellum vicerat g), captivavit Valdemarum regem Svecie cum uxore sua Margareta h) et deposuit eum de sede et potenter instituit Magnum fratrem Ladeloss loco sui in regem, qui tres filios generavit, videlicet Birgerum regem Svecie, Ericum Finie et Smalandie, Valdemarum Öslandie (!) duces i). — — — —

Cui j) successit Johannes Grandh Sielandensis (*Describitur, quomodo Christoferus dux Sampsö et Hallandiæ ex parte fratris Erici Menved regis Johannem captivavit).* Dux vero quater ejectus est de regno, et octo pueri regum simul cum eo mendicabant. videlicet Birgerus rex Svecie, uxor sua Margareta, filie sue Agnes et Katherina, dux et tres filii sui videlicet Ericus, Otto et Waldemarus. — — — —

Cui k) successit Ysarnus Gallicus — — — — Item hujus tempore rex Ericus totam Suetiam usque ad castrum Stæget hostiliter devastavit l), et tantus fuit hyemps, quod inter omnes terras et insulas Dacie et Svecie omnes pontus per XIIII septimanas et ultra quasi in solidos pontes conversi. Tunc Dani primo habuerunt usum capuciorum sub anno domini MCCCVI m). — — — —

Cui n) successit Karolus primus o) prepositus Lundensis, qui sedit annis novem. Hujus tempore liberata fuit Schania ab Holsatis, et idem Karolus consilio Schaniensium fretus p), regem Magnum Svecie in Schaniam, Hallandiam, Blegundiam introduxit anno domini MCCCXXVI q).

Cui successit Petrus, qui sedit annis XXI. Hujus tempore sub anno domini MCCCIX r), Valdemarus qvartus filius Christofferi rediens ab exilio habitis nupciis suis in Synderborg s) cum Helvige, sorore Valdemari ducis Jucie, intravit Daniam circa pentecosten, qui ultimo t) tempore viriliter debellando omnes Holsatos, Alemannos, Svecos et quoscumque alios transiens u) de omnibus castris [et] munitionibus a mari Adriatico v) usque ad terminos Svecie ejecit e regno. — — — —

Item hujus tempore Magnus Svecie, Norvegie, Schanie rex intravit Ruciam cum exercitu et apparatu magno et divisit x) castrum Pukkenzait y), in quo captivavit regem Rucinorum z) cum quingentis hominibus promiscui sexus sub anno domini MCCCXL octavo. — — — —

Cui a) successit Jacobus Nicolai, qui sedit annis VI et qvarto pontificatus sui anno captus est Aosie cum omnibus suis in dolo de b) rege Svecie Erico sub anno domini MCCCLIX c). Ob cujus archiepiscopi captivitatem tanta infelicitas subsecuta est, quod post modicum temporis ipse rex, uxor sua Beatrix, primogenitus suus d) et omnes consiliarii sui e) interierunt. Et pater suus Magnus rex Svecie deductus est f) ad manus exterorum. Item hujus tempore Valdemarus qvartus predictus Schaniam manu valida intravit et castrum Helsingborgh in profesto sancti Kanuti regis et martyris g) obsedit et Schaniam totam, Hallandiam, Blegundiam cum castris et municionibus suis obtinuit et regem Magnum de finibus illis h) expulit. Et eodem tempore fuit magna mortalitas in Dacia i).

Cui successit Nicolaus, qui sedit annis XVIII. Hujus tempore rex Magnus Svecie in medio regni sui juxta Öneköbinge k) circa mediam Qvadragesimam a nepote suo Alberto in dolo captus est sub anno domini MCCCLXIII l). — — — —

Cui m) successit dominus Jacobus Gerhardi et sedit annis XIX. Hujus tempore anno domini MCD sexto crastino beatorum Crispi et Crispiniani martyrum n) dominus Ericus Dacie, Norvegie o), Slavorum Gottorumque rex et dux Pomarensis celebravit nuptias suas in curia Lundensi cum regina Philippa filia regis Anglie p). — — — —

d) Sc. Jacobo Erlandi. e) Vulgo e villa Hofva proelium cognominatur. Cfr. quæ supra pag. 109 not. d. diximus. f) Lege: 1275. g) I. e. priorem victoriam reportaverat. h) Lege: Sofia. Scriptor eam cum uxore Birgeri regis confudit. i) N. *Oelandie.* Tituli minus recti sunt. Valdemarus dux Finlandiæ an. 1302 factus est (v, supra Tom I. 1. pag. 27) et hunc titulum fert usque in autumnum anni 1306, a quo tempore semper se scribit ducem Sweorum, ut frater Ericus dux semper consveverat (cfr. Diplomatarium Svecanum et Hildebrand: Svenska sigill etc. passim). Neque Ingeburgis, vidua Valdemari, ducissa Ölandiæ ante annum 1340 appellatur (Dipl. Svec. V. p. 703). j) Sc. Johanni Dross. k) Sc. Johanni Grand. l) Hæc enuntiatio: "Item hujus tempore- - - -devastavit" apud Tuvonem desideratur. m) Expeditio in Decembri anni 1306 incepta usque in annum 1307 continuata est (v. Ann. Lund. supra pag. 109). Unde hic error ortus sit, Ericum usque ad castrum Stäkeborg in Ostrogothia penetrasse, cum eum jam in Vestrogothia meridionali constitisse certum sit, explicare nequimus. Munch (l. c. IV. 2. p. 445) hic confusionem cum expeditione anni 1318 auguratur. De verbo "Capuciorum" cfr. Script. rer. Danic. V. 627. n) Sc. Esgero Juel. o) T. recte *prius.* p) T. addit *potenter.* q) Lege: 1332. Idem error supra pag. 126, not. g. r) T. recte: MCCCXL. s) T. *Svinburge Alsye.* B.: *Sönderborg.* Lege: Sönderborg in Alsia. t) T. *multo.* u) T. *extraneos alios.* v) Forsan pro *Atlantico.* x) Lege: devicit. y) N. *Pakkenzart.* Lege: Pekensaari; cfr. supra pag. 126, not. h. z) Fama captivationem Bojari cujusdam ita amplificavit. Quod de bello Russico narratur, apud Tuvonem omittitur. a) Sc. Petro. b) T. recte *a.* c) Alibi 1358, v. supra pag. 126, not k. d) Cfr. supra pag. 18. e) Quod diplomatis nullo modo firmatur. f) T. melius *Magnus rex Svecie captus et totum regnum deductum est,* g) D. 9 Julii. Adhuc ambigitur, utrum in mense Julio, an potius in Augusto obsessio castri Helsingborg instituta sit (cfr. Styffe, Bidrag etc. I. pag. XXIX et Munch l. c. Anden Hovedafdel. I. pag. 691). h) T. *hujus modi.* i) B. addit *anno domini 1361.* k) Lege: Enköping. Pugna commissa est d. 3 Martii (v. supra pag. 128, not. r). Scriptor igitur septimanam post dominicam Invocavit (quæ in d. 2 Martii incidit) Qvadragesimam vocat. l) Lege: 1365. Tota res a Tuvone omittitur. m) Sc. Petro. n) D. 26 Octobris. Petrus Olai (v. infra) eundem diem habet. o) N. addit *Sveciæ.* p) T. omittit totam enunciationem *Cui successit . . . . regis Anglie.*

Digitized by Google

Cui q) successit Johannes Laxman, primus r) decanus Lundensis, qui sedit annis septem. Hujus tempore Ericus rex Dacie, Svecie, Norvegie cessit regnis et intravit Gotlandiam ibi ad certos annos manendo et s) dominus Cristofforus dux Bavarie eligitur in regem Dacie, Svecie, Norvegie. Quem idem dominus Johannes Laxman in regem t) Ripis coronavit sub anno domini MCDXL tertio die Circumcisionis domini u). — — — —

Cui v) successit dominus Tuo, prius Archidiaconus Lundensis, in artibus magister et sacre Theologie doctor, Viburgis in NorJucia oriundus, anno domini MCDXLIII septima die Junii. Hujus tempore Cristofferus Dacie Svecie Norvegieque rex in castro Helsingburg obiit circa festum Trium Regum x) anno domini MCDXL octavo y). Et eodem anno in profesto beati Michaelis Archangeli z) dominus Cristiernus comes in Oldenborg et Delmenhorst in regem Dacie in placito generali Lundensi eligitur et in monte Treloyeborg a) confirmatur b), et idem dominus archiepiscopus dicto domino Cristierno vexillum regni tradidit et eodem c) anno circa festum Symonis et Jude in ecclesia Haffnensi in regem coronavit ipsi insignia regalia conferendo. Item hujus archiepiscopi tempore anno domini MCDXLIX in die beati Olavi d) Visby et Gotlandiam Daci obtinuerunt a Svecis, quam civitatem et terram Sveci minus juste occupaverant e). Item hujus tempore anno domini MCDLII Karulus rex Svecie modicum ante Carnisprivium f) Schaniam cum multis milibus hominum manu hostili fraudulenter intravit et magnam partem Schanie combussit et qvasi omnia bona sedis archiepiscopalis incineravit et curias archiepiscopales Helsingborg, Borby g), Verpinge h) et Geltoffte totaliter combussit. Sed dominus archiepiscopus cum concapitularibus et aliis ecclesiam et curiam Lundensem manu armata defendit, rege Karulo moram per noctem in Opagre i) trahente. Qui mane surgens intravit Dalby k) et sic ad Sveciam redeundo Gersherret qvasi totaliter combussit. Item familiares domini archiepiscopi multos de comitatu regis Karuli apud civitatem Lundensem captivaverunt tempore, quo rex Karulus jacuit in Dalby. — — Item hujus tempore Cristiernus rex Dacie obtinuit castrum Ælvesborg die Apostolorum Petri et Pauli p) anno domini MCDLV et post modicum Schanienses edificaverunt castrum dictum Dæneholm circa Tofftebro in Svetia in diocesi Lincopensi q). Hujus tempore Sveci expulerunt regem Karulum propter sua demerita, et ipse rex Karulus expulsus navigio venit ad civitatem Dantske anno domini MCDLVII r) circa medium Qvadragesime s) et Pruteni eodem anno festo Philippi et Jacobi elegerunt regem Polonie in dominum eorum et idem tunc temporis obtinuit castrum Marienburg. Item eodem anno Sveci elegerunt Cristiernum regem Dacie in regem eorum in festo Johannis Baptiste t). — — — Item castrum Wiborg Findlandie devictum fuit per Dacos et Svecos et obtentum et per incendium devastatum u). — — — Item hujus tempore Johannes archiepiscopus Upsalensis captus fuit in castro v) Stocholmensi per dominum Cristiernum regem etc. de consensu et voluntate pociorum militum regni Svecie et captivus ductus est navigio ad castrum Haffnense circa festum Martini x) anno domini MCDLXIII. Item hujus tempore

[*E textu Tuvonis.*]

et curias archiepiscopales Helsingburg, Borgeby, Werpinge et Gieltoffte apud Anosiam i) *combussit, ita quod nihil remansit. Et feria qvinta ante carnisprivium* k) *civitatem Lundensem obsedit et magnam ejus partem combussit. Sed predictus dominus archiepiscopus Two cum suis familiaribus ac aliis sibi adhærentibus ecclesiam Lundensem ac curiam archiepiscopalem manu armata viriliter defendit, rege Karulo per noctem in Apager moram trahente. Qui mane surgens Dalby intravit, ubi plures Schanienses inermes* m) *immaniter interfecit et sic ad Sveciam redeundo celeriori via per provincias Gersherret et Wittlandherret* o) *properavit majorem ipsarum partem comburens. Sed ubi vidit resistentiam, videlicet apud curiam principalem Weetsköfflœ, celerius fugit, quod ibi una nobilis domina unico jaculo unius bombarde ipsum Karulum regem cum suo toto exercitu fugavit et sic curiam suam viriliter defendit. Item familiares — —*

q) Sc. Petro Lycke. r) T. et N. *prius.* s) Verba *hujus tempore . . . manendo et* prætermittuntur a T. t) T. addit *Daciæ.* u) D. 1 Januarii. v) Sc. Johanni Laxman. x) D. 6 Januarii. y) T. præterit: *Hujus tempore Cristofferus . . . MCDXL octavo.* z) D. 28 Septembris. a) T. *Treleyebardhöy.* Hic collis principio *Leerbeks hög.* postea *Sanct Lybers* [Liborii] *hög* vocabatur. b) N. addit: *eodem fere tempore Carolus Canuti quoque in regem Sveciæ eligitur.* c) T. recte *sequenti* i. e. 1449, d. 28 Octobris. d) D. 29 Julii. Præcedente die Kristiernus in terram egressus erat; d. 31 Julii ipsa pactio de urbe tradenda inita est. e) T. omittit: *Item hujus archiepiscopi . . . juste occupaverant.* N. post *occupaverant* addit: *Hoc tempore rediit in Pomeraniam Ericus Margaritæ ex sorore nepos.* f) Carnisprivium vel Dies Cinerum hoc anno in d. 23 Februarii incidit. Tota expeditio, quæ non ultra tres septimanas duravit, jam ante Carnisprivium fere ad finem perducta erat. (v. Styffe Bidrag t. Skand. Hist. III. pag. LI—LIII). g) Hodie Borreby juxta ostium amnis *Lydde ån* in territorio Torne. h) Hodie Trolleberg apud *Lomme ån*, prope Lund, occidentem versus. i) Jälltofta prædium adhuc vocatur in paroecia Rinkaby, non longe ab ecclesia Åsum distans (prope urbem Kristianstad). k) Die 17 Februarii. Cfr. locos supra pag. 33, not. a. allatos. l) Hodie ecclesia Uppåkra prope Lund meridiem versus. m) C. *juvenes.* n) Ecclesia paulo plus miliario a Lundis orientem versus distans. o) Hodie territoria Gärd et Willand. In priore curia (et ecclesia) Widtsköffle, infra memorata, sita est. p) D. 29 Junii. q) De situ hujus loci vide supra pag. 33 not. g. r) N. addit: *postea autem in Sveciam reversus monachus factus est in Wadsten.* s) Minus recte. Medium Qvadragesimæ (a dominica Oculi ad Lætare) dies 20—27 Mars hoc anno comprehendit. Sed continuatio Detmari (infra excerpenda) Karolum d. 27 Februarii Dantiscum pervenisse narrat, quod aliis testimoniis firmatur. t) N. addit: *regnicolarum unanimi assensu.* In vigilia Joh. Bapt. d. 23 Junii electio facta est (v. supra pag. 27 not. l). u) Exaggeratio scriptoris; cfr. Chronicon Rhytmicum (ed. Klemming) III. pag. 22. Hæc omnia: *Item hujus tempore Kristiernus . . per incendium devastatum* omittuntur in T. v) T. *civitate.*

Digitized by Google

anno domini MCDLXVII sabato Trinitatis y) serenissimus rex Cristiernus fecit filium suum dominum Johannem eligi in regem, si ipsum eundem supervivere contingeret, in placito generali Schanie. Item hujus archiepiscopi tempore dominus Yvarus Absolonis z) miles diffidavit dominum Cristiernum regem circa pentecosten a) anno domini MCDLXVII. Qui quidem rex circumvallavit castrum Sölvitsburg et castrum Litleöö b) et obtinuit castrum Sölvitsburg die sancti Michaelis c) eodem anno et obtinuit castrum Litleöö anno domini MCDLXVIII circa medium Qvadragesime d) quod eciam desolatum est estate seqventi. — — —

x) Die 11 Novembris. y) Die 23 Maji. Die 13 Maji placitum Sialandiæ electionem approbaverat (v. Diplomat. Kristierni I^{i} p. 186). z) I. e. Ivar Axelsson (de gente Tott). a) Die 17 Maji. b) Prædium coronæ adhuc nomen retinet, cujus in vicinitate antiqua arx in insula amnis "Helgeån" (prope Kristianstad) sita erat. c) Die 29 Septembris. d) Id est in septimana 20—27 Martii. Jam die 3 Martii pactio quædam de Lillö inita fuit (v. Hvitfeldt). Cfr. de cetero alias animadversiones a Vedel et Hvitfeldt factas (Rördam, Monumenta Hist. Daniæ I. 273 not. 3 et 4).

---

13. Ex Chronico Rhythmico Danico et ejus additamento excerpta.

In his excerptis secuti sumus editionem, quam Molbech sub titulo: »Den Danske Rimkrönike» an. 1825 Hafniæ in 8vo imprimendam curavit, in qua priores quoque editiones enumerantur et describuntur, ipsiusque operis ætas, fides et quæ inter illud ceterosque fontes intercedit ratio, recensentur. Chronicon inter annos 1477—1481 principio concinnatum esse ex compluribus locis manifeste elucet (v. Molbech l. c. pag. XXVIII. et L. not. 3): ultimi versus etiam mortem Kristierni I^{i} comprehendentes paullo post additi sunt. In præfatione Danica*) auctor ipse *en broder i Soer*, et in præfatione veteris versionis Teutonicæ ante annum 1500 factæ *broder Nigels to Sore* sese appellat.

Huic Chronico, cum anno 1533 tertio Havniæ typis inprimeretur, aliud de Johanne rege, ut additamentum, est subjectum, quod tamen post annum 1520 compositum esse certum est (v. Molbech l. c. pag. XXXVIII). Senatori Erico Krabbe auctori diu tributum erat, quod tamen Grundtvig, Petersen et Molbech parum verisimile judicarunt, cum ille tempore chronici Johannis editi tantum adolescens viginti annorum esset.

Quæ in proprio Chronico ante ætatem Margaretæ de rebus Svecicis traduntur, omnia in fontibus adhuc servatis reperiuntur: neque quæ sequuntur et a ceteris libris nonnihil differunt ideoque hic inserta sunt, admodum magni sunt momenti. Et Chronicon et Additamentum de Johanne nostro Johanni Magni in suis Historiis conscribendis innotuisse ex multis patet: scriptores Danicos, ut Kristiernum Petri, Petrum Olai, Hvitfeldtium cum pluribus ex eo freqventer hausisse et naturale et conspicuum est. Ad extremum fortasse memorandum est, hoc additamentum de Johanne rege, cum in editione anni 1554 apud nos plus quam antea cognitum fieret, iram Gustavi regis excitasse et notum responsum rhytmicum (cujus titulum videas apud Molbech l. c. XXXIX) provocasse, cujus auctor Petrus Niger (Svart) episcopus Arosiensis et historiographus Gustavi I^{i}, erat.

*) Hæc in vetustis editionibus non exstabat, sed inter Collectanea Petri Olai est inventa (Molbech, l. c. pag. XII).

MARGRETE WOLDEMARS DOTTER.

Jegh bedher ther om allæ gode men
hedre hwer gode quinne,
Och roddher edher alle i hwer oc en,
i drawe theth wel tijl mynne:
Doch könnet a) theth ær them skröbeligt,
som theris natwr tijl syer,
Tha göre the offthe manneligt,
som macth paa liggher dyr.
Jeg tacker myn skaber i hemmerig
for alle welgherningher oc nade,
Ath han gaff meg her löcken slig
theth jeg for rigæ skullæ rade.
Jeg wor ey wthen paa xi aar,
ieg maa theth syæ meth lighe,
Tha mith bröllop i Köbenhaffn waar
meth konning Haghen aff Norgis righe.
Weth hannum fick ieg syden Oloff myn sön,
och Norge saa meth hannum erffde;
Saa fick ieg Danmarks rigæ skön.
tha Woldemar myn fadher sterffde.

a) Animus, fortitudo.

Digitized by Google

Jeg tacker the ædelle danskæ men,
at the willæ meg theth vnne,
som jeg hade wæreth en man elder swen,
som best regere kunne.
Konning Albreth i Swerigæ, tha han theth fraa b),
ath gud gaff meg then gaffue,
tijl Danmark oc Norgæ tog han stor traa;
han willæ them fraa meg haffue
Han kallede meg konning brogeløss c),
han meg saa saare spede d);
Han høthe och trwæde oc saare fnøss,
syn ondskab han saa thede.
Han iætte e) theth stadelig oc soor ther aa,
han skulle ey gaa meth hette
Før han finge wundet meg Danmark fraa
och Norgis rigæ meth slætte f).
Om syer screff han meg tijl syn acht,
ath han willæ meth meg stride;
Thi sende ieg mod hannum Danmarks macht;
the torde wel stande oc bide.
Ther grebe the hannum wthi thet slaw,
och hordelig the hannum bwnde.
Theth skedhæ en Sancti Mathie daw
the swerige tijl myn hand wunde,
M. halftredie hundrede oc lxxx aar
och ther tijl aar wel fyre g)
Effther ath gutz søn fødher waar;
theth wollet hans fig oc gyre h),
Saa lod ieg tha skæren en hette ny
aff wadmel vel fæmthen allne,
Men strwden ther kom nytten wdhy,
ath lyden skullæ ickæ fallne i).
Then snor, som leggis af strenge tree,
hwn brøsther fuld neppeligæ
Thet syer wiisman for wthen spee,
om hwn leggis lemppeligæ.
Jeg lade en snor meth allæ sterck
tha jeg wand Swerigis krwne
Och erffde Norgæ tijl Danmark,
ath the skulle staa i lwne k).
Intheth wold elder wærdsens macht
kan the samme rigæ beskade,
Ee medhen the bliffue weth samme pacth,
som ieg them sammen lade.
Thi raadher ieg alle the gode men,
som fore the rigæ skullæ sware,
Ridder oc swenne hwer oc en:
i lade them saa sammen ware.
Lydher paa inghen uwenners rad,
som edher wil anneth rade;

Forthi thet kommer edher selff tijl had
och liff och siel tijl wade.
Then helly oc wskyldaktige eenfoldicheid
lade them saa sammen bliffue
som ær i personer trefoldicheid
som clercken predicke oc scriffue.
Twsende. CD. oc paa tolfte aar
effther gudz søn wor boren
Tha bleff ieg døth oc lafft aa baar;
sancte Symonis oc Jude affthen l) theth wor;
Tha ieg hade paa thet tolfthe aar
och ther tijl fulle tywe m)
For Danmarks rigæ standheth tijl swaar
ieg wil theth icke lywe.
I Roskild hwiles nw myne been,
som ther staar nw bescreffuet;
Hade ieg hafft nogher huldher wen
i Sore tha hade ieg bleffueth.
— — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — —

CRISTERN.

— — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — —
Swenskæ toge thet tijl had saa brath v. 4901.
ath Danskæ the meg wdwolde;
Karl Knutzen giorde the tijl konge saa rath mm)
och Swerigæ hannum befalde.
The skøte ey breff, hwerken gamble eller ny,
som the oc theris forældhernæ giorde
Tha the sambunde thesse rigæ try,
och them tijlsammen besworde.
Saa fore the bort tijl Wisby ind,
konning Erich the ther belawde.
Fuldsaare mwnne hannum tha blegne om kind
hannum theth ey wel behawde.
Han screff meg tijl wthi then nød,
at ieg skullæ hannum wnsætthe;
Thi sende ieg hannum bode øll oc brød,
oc hialp hannum aff then trætte.
Jeg lade myne skijb for Wisby ind
meth danskæ men, the trøste;
Fuldsaare mwnne Swenskæ tha blegne om kind;
bode raad oc sind the møste.
Jeg stak en ild oppaa then by,
ieg sparde ey bwsse, ey pile;
Saa mangheth hiartæ gaff ther kny,
ther wor fuldlidhen hwile.
Manghe swenskæ herre greb ieg tha ther
the iætte n) meg got meth twnghen;

b) *Förnam* comperit. c) I. e. braccis carens. d) Irrisit. e) Vovit. f) Omnino (v: Molbech Glossarium). g) Erratum. Pugnatum est an. 1389, die Matthiæ, i. e. d. 24 Februari, cfr. supra p. 24, not. z. h) Cupiditas et avaritia. i) I. e. ad capucium 19 ulnæ adhibebantur, ne color evanesceret (v. Molbech, Glossarium in vocibus *strud* et *falne*). — De tota hæc narratione carmen antiquum (ed. apud Grundtvig, Danmarks Folkeviser III, p. 566 seqn.), ex quo fortasse scriptor chronici hauserit, conferendum est. k) Svetice *lugn*, securitas. l) Die 27 Octobris. Cfr. supra pag. 24, not. d. m) Perperam dictum, sive annum (1375), in quo regimen pro filio Olavo capessivit, sive annum (1387), in quo ipsa regina eligitur, respicimus. mm) Vide Molbech, Glossarium ipsi Chronico adjectum. n) Vide not. e.

Digitized by Google

Men ieg fornam siden fram i bædher
at theth wor sompt aff lwnghen o).
— — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — —
Saa krijde ieg aa Swerige paa otte aar 4937
før Swenskæ wille meg ind tage
indtijl konning Karl uddreffuen waar,
och faren tijl Prytzen saa fage p).
l) En tid kom hand till slagis med dem paa Herliungh m) och want dennom deiligh offuer och togh 506
fem aff thieris banere fra dem, som henge end nu i wor Frue kircke i Kiöbnehaffn huer mand till sinne. Kongh Christiern stach selff i samme strid en friborne mand igiennem hans skiold harnisk och liff, ath hans glauen sad en alne wd giennem hans rygh. Hand drogh sin glauen aff hannom igienn, dogh bleff der alliguell en splinder aff det wed alnen langt sidendis i samme suensk mands liff, som da sad fast i hans krefft och rygh, ath ingen kunde fange det wd med lempe, thi lod kong Christiern sin barsker n) thage den splinder aff honom igien och förde hannom saa till Kiöbnehaffn med sigh och lod hannom der ligge. Det siges for sandingen ath kongh Christiern want i samme striid vC sadlede heste fra de Suenske.

l) In præcedenti auctor eventus anni 1452 secundum Ericum Olavi (p. 159) narravit. m) Anno 1469, cfr. supra pag. 33, not k. n) Tonsor vel chirurgus.

---

3. Ex Petri Olai Minoritæ Roskildensis Annalibus Danicis ad annum 1541.

Celeberrimus ille vir, qui colligendo, excerpendo et describendo multas res Danicas posteritati servavit, inter annos 1560 et 1570 decessit, relinquens Collectanea sua manu scripta, quæ Bibliotheca Universitatis Hafniensis etiamnunc possidet (earum rerum, quæ in Collectaneis continentur, summarium in Scriptoribus rerum Danic. I. p. 69 redditum est). Illis Collectaneis annotationes ex diversis annalibus sumtas passim adscripsit, quas Langebekius in ordinem chronologicam redactas Annales Dannicos nominavit et in Scriptoribus rer. Danic. I, 171—197 edidit. Plurimas quidem res in vetustioribus fontibus adhuc servatis reperivimus, sed nonnullas, quarum fontes nobis haud innotuerunt, ideo infra inserendas curavimus.

1154. Sanctus Ericus rex Svecie et sanctus Henricus archiepiscopus Upsaliensis converterunt Finlandiam ad Christum a).

1162. Fundatum est monasterium Wreta a Carolo rege, filio Sverkeri primi b).

MCCXXIV, missus est conventus fratrum predicatorum Roskildis. Et Lundensis ecclesia combusta est. Et Kanutus tirannus c) in Svetia obiit.

1254. Svevi et Normanni voluerunt invadere Daciam, sed reversi sunt sine honore d).

1268. Magna siccitas fuit ab annuntiatione beate virginis usque ad festum Botulphi, non pluit et tamen fuit fertilitas. Et rex Dacie et Svetie occurrerunt ad invicem apud Faurædale e).

1406 (alias 1404) in crastino Crispini et Crispiniani martyrum, dominus Ericus IX rex Danie Svetie Norvegieque, Sclavorum Gothorumque rex et dux Pomeranensis celebravit nuptias suas in episcopali curia Lundensi cum regina Philippa filia, regis Anglie. Unde:

Crispini post cras noster princeps fit Erick mas.

a) Annus hujus expeditionis nullo alio loco memoratur, neque scimus, quæ fides ei tribuenda sit. b) Ita etiam in registro Lincopensi (v. infra sect. II, pag. 296). Sed in Chronologia 826—1415 (supra I, 1. pag. 51) *Juleta* pro *Wreta* legitur. Observandum tamen est, ibidem in anno 1160 fundationem Sabæ, postea Juleta vocatæ, jam memoratam esse. c) Petrus Olai forsan ipse cognomen ascripsit. Kanutus supra I, 1, 85 Longus vocatus esse dicitur. d) Liber Census Daniæ (infra excerpendus) conventum inter reges Daciæ et Norvegiæ atque ducem Sveciæ hoc anno in paroecia Slep et territorio Fiäre (in Hallandia) factum memorat. e) De loco vide supra pag. 120 not c. Res a nemine alio memoratur, præter in Chronico 1268—1523 (Script. rer. Dan. VI, 219), quod tamen idem Petrus Olai composuit (v. Rördam Historieskrivn. sid. Reformat. p. 50). Annales Islandici (infra excerpendi) reges Sveciæ et Norvegiæ Ludosiæ convenisse narrant. f) Cfr. Chron. Archiepisc. Lund. supra p. 130, quod idem narrat, sed versum omittit.

---

4. Ex Historia Kristierni I, a Johanne Svaningio composita excerptum.

Ex manuscripto in qvarto Bibl. Reg. Hafniensis N:o 2444 signato excerptum nostrum est depromptum. Svaningius anno 1503 natus erat et obiit anno 1584. Auctor quoque est, ut supra pag. 43 in præfatione orationis Hemmingi Gadd diximus, libelli »Refutationis calumniarum Johannis Magni» etc. inscripti, qui professoris Petri Parvi Rosenfontani an. 1559 defuncti nomen præ se fert. Etiam Chronica regnorum Johannis et Kristierni II[i] concinnavit.

Digitized by Google

Interea anno 1469 totius Sueciæ robur in Vestgotia in campo Herlyngo mense Martio ad Eluinsburgum conuenisse nunciatur, quo divulgato, rex eo cum exercitu celeriter magnisque itineribus contendit ac proelium cum hoste committit a). Stant adversæ diu utrinque fortiter dimicantes acies. D. Ivarus Axelsson, qui rebellione facta ad Suecos transierat, inter primos in acie Suecorum acriter præliatur. Sed ad postremum inclinante Suecorum fortuna, prælio elapsus, in fugam ipse sese conjicit, quem secuti deinde cœteri omnes uno eodemque momento terga dederunt. Capti sunt in hoc prælio ex Suecis tam ex equitatu quam peditatu complures, desideratorum vero numerus omnino incertus, quem quidem octo millium fuisse ex parte Suecorum [narrant], nonnulli minorem, alii vero maiorem, affirmantes; signa militaria eodem tempore ablata Suecis sunt quinque, quæ in Daniam perlata Haffniæ, alia in ponteficiæ b) sub altiore testudine templi, alia sub inferiore in sacello D. Virginis in signum victoriæ, quæ de coelo datur, sunt suspensa, quæ etiam hodie post tam c) temporis interuallum memoriam hujus prælii aspicientibus renovant.

a) Die 28 Martii (v. quæ supra p. 33, not. k, attulimus) pugna commissa est. b) Sic. Forte pro: ponticulo; ita ædicula super tumulum alicujus exstructa vocatur (v. Du Cange, Glossarium etc.). c) Lacuna in manuscripto: forsan *longum* supplendum est.

---

5. Ex Chronologia rerum Danicarum auctore Cornelio Hamsfortio Cimbro.

Hamsfortius, qui in posteriore parte seculi XVI^{i} vixit, Scriptoribus medii ævi proprie quidem adnumerari non potest; cum autem vetustis fontibus, diplomatis non minus quam annalibus usus sit, aliqua, quæ in hac Chronologia ex talibus fontibus aperte hausta et nullo alio loco tradita inveniuntur, hic proferre non hæsitavimus. Descriptum in Systemate sæpedicto Stephanii XXVI, 2, "ex Codice Ms. Bibl. Reg. Hafn. sign. E. 32", sumtum secuti sumus; ex eodem fonte editio Langebekii (Script. rer. Danic. I, 267) derivatur. —

Anno domini CIↃCCLXX — — — Iis comitiis a) interfuit Stephanus, Pontifex Upsalensis, coram eo Rudolphus, episcopus Ripensis, accusat canonicos suos perfidiæ. — — — Eodem anno Eschillus pontifex comitiis Lundensibus, quibus aderant Baldvinus episcopus Vexionensis b), Marcus abbas omnium sanctorum et Palni prepositus Hallandiæ, bona quædam cum jurisdictione Sodalibus Ringstadiensibus elargitus. — — — —

Anno domini CIↃCCLXXXV. — — — III Kal. Julii Gulbergis hethæ c) Brynolphus Scarensis, Bouo Lyncopensis, Amundus Strengenensis episcopi concedunt indulgentias iis, qui basilicam Canutiam visitaverint causa Canuti et in ecclesiam et sodales Canutios liberales fuerint.

Anno domini CIↃCCCXVII. — — — Wisby in Gothia insula prætorium condi coepit d).

Anno domini CIↃCCCXLIII. — — — Waldemarus rex oratores in Sveoniam mittit ad regem Magnum pecuniæ grandem vim in debitum Holsatis promissum et belli sumptum mutuatum. Iis benigne respondet rex Sveonum et certum definit diem. Comitiis Wardebergi XIV Kal. Decemb. adfuerunt Petrus Lundensis, Hemmingus Upsalensis, pontifices et alii ex Scania et Sveonia. Waldemaro regi iis comitiis XXXV millibus librarum argenti puri mutuo datis (cui summæ alia magna auri vis, pro trecentorum militum et ducentum equitum e vinculis liberatione, Scaniis numerata a rege Sveone (!) adjiciebatur) tota Scania cum Hallandia, Blekingia, Lystria et insula Hwena Magno regi Svenonibusque adjudicatur. Rex insuper Magnus accessione Scaniæ oppignoratæ imperio auctus, coepit uti largitionibus et Waldemaro regi dono dat IIX millia pondo argenti e). Canutum Brynolphi filium, magistrum eqvitum, Scaniæ imponit f).

a) Sc. quibus translatio Kanuti Lawardi celebrata est (cfr. supra pag. 98, 99, not. m. et n). b) In chronico episcoporum, Wexioniensium (infra sect. 2, pag. 129, 130) non comparet, sed Hamsfortius ipsum diploma vidit, cum ejus contenta postea reddit. Fortasse Balduinus erat primus episcopus hujus diocesis, cum a diocesi Lincopensi separaretur, fortasse etiam, sicut successor Stenarus (vide l. c.), propter persecutionem episcopi Lincopensis in Dacia exulare coactus est. c) Hoc loco reges Sueciæ et Norvegiæ eo tempore convenerunt (v. supra pag. 6, not. f, et Diplomat. Suecan. I, 673 et II, 663—666). d) Res hic solum traditur. e) Quæ de rebus Wardbergis actis dicuntur, diplomatis firmantur (v. Diplom. Suecan. Tom. V); quod ad extremum de 8000 marcis ultra a Magno mutuo datis dicitur, forsan summam pro Hallandia meridionali numeratam respicit. f) Erat frater Algoti Bryniulfi, patris Benedicti Algoti ducis (supra pag. 115 not. x, memorati).

Digitized by Google

6. Ex Magni Matthiæ regum Daniæ serie excerptum.

Quamvis re vera hic scriptor nullo modo scriptoribus medii ævi adnumerari possit (natus enim erat an. 1527, obiit ut episcopus Lundensis anno 1611), sequens excerptum, quod vetustis fontibus aperte nititur, gravius esse, quam ut omitteretur, putavimus. Illud sumsimus ex manuscripto Bibliothecæ regiæ Hafniensis, N:o 2447 signato, quod: "Regum Daniæ Series una cum notatione succincta temporum et rerum maxime memorabilium" .... inscribitur.

Anno domini 1510 .... die Ruffi, nempe 27 Augusti, qui erat feria III proxima post Bartholomæi, Acho Johannis exercitus Svetici ductor, Miles strenuus cum nostris Scanis potissimum pugnans, ad speluncam, vulgo dictam Fanttehulle, quod nomen est loci a quodam N: Fanthe appellato sic dicti, in confinio Sveciæ et Scaniæ in parochia Örkeliunge provinciæ Nörre Asboherrit, occumbit cæsus et quidem lancea transfixus a Laurentio quodam cognomento Frost, duce exercitus Danici Tychone Krabbe, eodem capitaneo arcis Helsingburgensis et Scaniæ præside. Cadaver defuncti currui carbonario impositum et Helsingburgum delatum, in monasterio fratrum Prædicatorum sepelitur. Signa Suecis erepta in eo conflictu Hafniam deferuntur, ubi in æde primaria hodie etiamnunc visuntur suspensa a).

De hac clade cfr. supra pag. 40, cap. XVIII in Historia Johannis Magni. Duo quoque loci ex Olai Magni Historia Gentium septentrionalium hic apte subjici possunt. In libro XI° et capite XXX, cum de honoribus, quibus occisi belli duces traduntur et sepeliuntur, sermo est, Olaus ait: "Veluti recentius exemplum est de quodam potentissimo equite aurato, domino Achone Hansson Vestrogotho anno MDX in Schoningia [o: Scania] haud satis feliciter puguante ac lancea veteris sui familiaris Dani transfosso, qui totius terræ nobilibus accurrentibus honestissimæ traditus est sepulturæ." — Et in libro XIII° et cap. XLIX, cum duces nimium splendidis vestimentis in pericula adduci censet, ita continuat: "quemadmodum maximus Gothorum princeps Acho Hanson rubeo holoserico (morbo Gallico laborans et pugnans) indutus atque a veteri suo familiari Dano, Lasse Frost dicto proditus et lancea transfossus interiit ac plerique ejus duces familiares." Cfr. etiam l. c. lib. XXI, cap. XLIX et Chytræi narrationem apud Bring, Monumenta Scanensia I. p. 309.

XVIII.

Carmen de expeditione Danica in Sueciam anno 1497.

Ex codice papyraceo in 4:to, manu posterioris partis seculi XVI^i^ scripto, quem bibliotheca Katerinæ Brahe in Odense possidet, Paludan Müller hoc carmen exscripsit et in Danske Magazin III. Række, I, p. 143—154 edidit, quam editionem nos hic secuti sumus. Auctorem eadem ætate, qua expeditio facta sit, vixisse ex omnibus elucet. Libellus jam Hvitfeldtio erat cognitus, qui illi in iis, quæ de hac re tradit, haud minima debet.

Vise om Kong Hanses Tog til Sverrig.

1. Stor lycke er ingen eye dom,
Huem thett kand rætt besinde;
saa mangen mand tha giør hun from
oc lader ham stondom winde.
Hun er saa saarre behendelig
paa hende tør ingen man murre
allt som ett hiull om vendelig
thett vedt vell Steen Sturre.

2. I Swerrigs krone hagde hand stor magt
att ingen motte værre hans lige
thett skulle da værre som hand sagt
for ingen da ville hand vige,
En lodt hand dog sine breff vd schriffue
oc lod som saa skulle værre
thy kieste kong Hans medt gode mend
tiill Suerrigs krunne att bærre.

3. Meg tyckes thett lader ey megett vell
y blantt gode mend eller klærcke,
huem breff eller seyll ey holde medt skell
oc lader them ter y mercke,
y fordom tiidt tha var thett skam
haa a) thet pleye mest att giøre,
nu holdes hand aff oc dragis frem
ho suig kand mest fram förre.

4. Kong Hans fornam thett gandske snart
huad suig thy b) hagde,
hand skreff sine breff vdt med en fartt
all Danmarck offuer att sende
thy [o: till] fry oc frels alle kiøffstedz mend
oc ther tiill bønder the beste,
han badt thy skulle kome medt en fardt
her Sten saa ville vy gieste.

a) I. e. qui, Suetice *hvilka*. b) Pal. Müller verba *for hænde* vel tale aliquid omissa putat.

Digitized by Google

5. Thy tyske lands knecte skreff hand oc tiill,
att thy skulle tiill ham kome,
huem guld oc penge for thiæne vill
thett komer them selff tiill frome,
thy varre ham alle tiill rede,
tiill Suerrigis landt stodt all therris fig c)
att skaae d) tii suenske seder.

6. Kong Hans hand sende sitt folck aff stedt
hand ville icke lenger duelle,
ther var saa mangen déylig mand mett
mand kunde dem neppelig telge;
tiill skiff oc landt vor hand saa sterck,
thett vill jeg icke liue,
som nogen haffuer værridt y Danemarck
ther jeg vedt aff att sige.

7. For Affsker e) ligger en marck saa slætt
thett kand jeg vell beuise,
ther skickitt then herre sitt ærind y rætt
mand maa ham loffue oc prise;
hoffuitt baneren vor her Marckus f) tiil lagt
thett sømer ham vell att bærre
Jørgen Rudt for skytter som meg er sagt
y Suerrig skulle thi tem bærre.

8. Thy skickitt therres speys g) allt som thy burde
y orden alle tiill lige
thett vill jeg eder for sanden sige
thi icke fra anden vige,
saa droge the frem tiill Kalmer by
mett theris rætte herre
the varre saa glade som fulle h) y sky
thy Suenske the reddes this værre.

9. Thy bønder giorde ett anskrig saa brat i)
the saage att finderne ville kome,
her Laxmand stack op ett glauen mett en hatt
then edeliig mand then frome,
hand roffte offuer herren k) mett høffuiste røst,
Then fremerste vill jeg værre
hand badt følle oc værre vell trøst
therris fiinde att søge mett ærre.

10. Ther thy saae tiill tha var thett ey,
som ther aff rycktte gick,
saa droge thy frem then rætte vey
tiill Kalmerstadt thi forde l)
then fredag for sancti Jackops dag m)
her Eske n) mone staden berende,
thy skeckitt therris thing saa vell y lau o)
vor herre dem selff frem sende.

11. Ther saa mand borgere paa muren staa
och kiærde huer anden syn nøde,
Thett haffuer her Sten oss fördt op paa
gud hjelpe oss vell aff vonde;
thy skudde aff herren p) medt bösser oc pill
dhi gaffue therris ærind tiill kiende
thett maatt well hørre[s] der fra en mill
huad breff thi ter nid q) sende.

12. Huad thy ville giørre ginge thi y rodt
om thy ville staden opgiffue,
thy rædis allt for ett quiste badt r)
Om thy skulle mett them kiffue,
thy bade her Eske rætt huer oc en
att hand vilde rame s) theris beste,
thy sagde att øllidt vor ey brygtt
tiill saa mange fremede gieste.

13. Her Aruid Trolde then velbyrdiig mandt
hand gaff them raadene gode,
gange y ey snartt then herre tiill hond
oc falder hanom vell tiill fode,
thett ryuer t) thett barn som er ofödt
thett fanger y vist att vide,
y vorder alle y grund for ødtt
baade børn oc mendt oc quinde.

14. Kong Hans then høffborne første vis
hand kom ter selff tiill stæde,
blant herrer oc förster ber hand pris
hand ville seg ey for giette
Ett Iomffru kloster for Kalmerstedt [stad] u)
ther mone ten herre y gieste
en natt vd offuer oc giorde seg glad
paa thisse iii Rigers beste.

15. Her Arvidt Trolle tencte mett vidt oc snill
huad thy ville ther tiill giørre
Niels Pors v) hand oc intidt vildt
thedt mandt y alle hørre,
thy thiente terris herre med hond oc mundt
oc suorre hanem troo att værre
thy bleffue hans raadt y same stundt
ter forre finge thy then ærre.

16. Ter thy bagde hullidt then herre saa fry
oc vorre hans gode mendt x)
borgemester oc menige mand aff Kalmers by
ginge oc strax hanom tiill honde.
Sackermentiidt borre the hanom y modt
then ærre the hanom vette y)
oc toge saa indt ten herre god
thett vor thett handt att lette z).

c) Cupiditas. d) Pro *skaade*. videre. e) I. e. Avaskär prope Kristianopel in Blekingia. f) Her Marquard Rönnow, v. Hvitfeldt. g) Hastas vel lanceas. h) Pro *fugle*, aves. i) Svetice *snart*, confestim. k) Pro *hären*. l) *Sick* a metro desiderari videtur. *Forde sick* significat: properabant, (v. Molbech, Dansk Glossarium). m) Die 21 Julii. n) Herr Eskil Giö, marscalcus regni. o) Pro *lag*. p) Pro *hären*. q) Sc. in urbem, in quam missilia pro literis immittebantur. r) Forte, ut nostrum *risbastu* virgulis verberari significat. s) Proprie "capere" postea "amplecti," "providere" significat. t) Poenitet. German. *reuen*. u) Conventus sororum ordinis predicatorum ibi jam an. 1299 apud Kalmarniam fundatus est (Diplomat. Suec. II, 301). v) Sine dubio Nils Bosson, qui eodem tempore Kalmarniæ una cum Arvido Trolle Johanni regi obviam iverat. x) Hic vocabulum aliquod excidit. y) "Præbuerunt", a verbo antiquo *veita*. z) I. e cupiebat.

Digitized by Google

17. Her Aruidt Trolle giorde som en erligh mand
syn ærre ville hand ey spille,
hanom antuorde kong Hans Borckholm igien y handt
Øland medt vidt oc snille
Polle Kneffuell a) vor ey om hiertiidt gladt,
ter hand fick thett att hørre,
at kongen hagde byen oc Kalmer slaat
han kunde der intiidt giørre.

18. Kong Hans fick tidin b) med en fart,
att ercke bispen oc Suanty c) bode
thi vorre paa Stegio d) bestollidt fast,
her Sten mone der for raade;
the lands knecte sende hand ditt saa bratt
thy gode mend att vndsette,
thi huiltis huerken dag eller natt
tiill fødder varre thi vell lætte. e)

19. Strax her Sten thett rætt fornam,
att lands knectene thi ville kome
thi røchte aff stedt att veyen fram
hand vente seg ingen frome,
tiill Stockholm vor hans største ackt
hand lod seg trolig lide f)
hand frøctid for kong Hansis magt
han løste ey lenger att bide.

20. Her Sten hand sende sine speydere vdt
att vide om thi vorre mange,
snarlig fick hand thett budt igien
thett giorde hans hierte bange,
thy syntis saa mange som grand y soll
for tenom kand hand intit hegtte g).
Ieg mener att hand er dorsk h) oc fuld
mett thennom løster att fecte.

21. Der herren da tiill stæde kom
oc mente her Sten att finde,
fullen vor borte oc reden vor tom
thi torde ey bide dem inde
therres skerrem i) hagde thi giortt saa fast
tiill Stockholm lode thi glide,
thi ræddis allt for kong Hansis magt
thi torde icke bide thenom inde k).

22. Ther fulde thy strax tiill herrer ii [2]
her Suanti oc bespen baade,
paa Bruncke berg sette thy teris baner vdt
som gud gaff tem tiill raade
atti l) kunde haffue m) teris harm oc men,
som tenem vor giortt for lange;
her Sten bleff ter bestollidt igien
hand vor om hiertiidtt bange.

23. For Stockholm slov thy therris baner vdt
hand skinde aff guld hitt n) klare
ther vor tha komen thy visse budt
som icke mett skempt ville farre,
thi rædis y staden som høner for høg,
thy finge ten tiden att hørre
therris glæde hon vor ey ver en løg o)
som jeg kand rætt besinde.

24. Then største klocke lode the gaa
oc ginge tem rætt tiill raade,
huor the ville slaa terris ting paa
thi rige och fattige bode.
En haffue vy venner ter iblant
thog thi ey mange ærre;
her Sten sagde, Er jeg en danne mand
jeg stor eder for all farre.

25. For Stockholm paa ten Syndre Malm
ville thy huer andre prøffue,
thett varde icke lenger, som ildt brender halm,
thy Suenske lodt tem vell nøffue p)
thy q) først kunde kome y staden igien
hand lodt seg værre ten beste
thy roffte almindeliig paa her Sten
huor behager eder saadan gieste.

26. Her Sten gaff tenem goder trøst
hand badt thi skulle ey rædis,
y skulle snartt hørre ett beder løst r),
huor vy aff oss ville glæde.
aff Dalen s) XXX^{m} [30,000] mend
them vedt jeg mig tiill rede
for vden thi her er y staden igien
saa ville vy blant tem lede.

27. Thy skude aff herren mett bøsser indt
oc ville tem beder op vecke,
thy funde allt paa ett andit fundt [ɔ: sindt]
en lade seg saa giecke,
thy roffte offuer muren mett spe oc spott,
huor effter ligge y her saa lenge
her for verue y leditt [ɔ: lidett] gott
mett eders homle stenger.

28. Her Klauss Kromedy t) gick mett the danske y raadt
hand sagde dem derris beste,
Jeg haffuer saa y sandingen sportt,
thy Dalle karlle vill voss [ɔ: oss] gieste;
thy vorre ther aff bode glade och fro u)
the finge then tidin att hørre
att thi motte findis vedtt Rede braa v),
thi actiidt ther nogitt, att giøre.

a) Pawal (Paul) Kyle, legifer Ölandiæ, qui causam Stenonis amplectebatur, respicitur. b) Pro *tidende*, nuntius. c) Sc. Svante Nilsson Sture. d) I. e. Almar-Stäk, curia archiepiscopi. e) Scriptor ignorasse videtur, hanc expeditionem navibus in litus Uplandiæ missam esse (cfr. Hvitfeldt). f) Libenter (proprie: sincere) inde abiit. g) Resistere; v. Molbech, Glossarium. h) Hebes. i) *Skärmar* i. e. munitiones. k) Forte: *thi torde therinde icke bide.* l) Pro *ath thi* = att de. m) Forte legendum: *häffna* ulsisci. n) Neutrum pronominis *hin*, = ille. o) Ne allio quidem dignum. p) Pro *nöjas.* q) Lege *then.* r) Forte idem ac nostrum *lösen*, signum agnoscendi inter milites distributum. s) I. e. provincia Dalarne. t) Krummedige. u) Alacres; v. Molbech, Glossarium. v) Rotebro: prope Holmiam aqvilonem versus.

Digitized by Google

29. Thi ginge y raadt y same stundt
seŕdeliss thi høffdynge vorre;
thi funde rætt paa saa gott ett fundt
thi ville ey lenger sparre x).
Her Hendrick y) Kromedige suaridt mett sell (!)
vy ville her ey lenger tøffue
her Hendrick Knudssen hand suaridt mett skell
vy ville gott euentyr prøffue.

30. Santi Mickellss Afften z) ii [2] timer for dag
mone thi paa veyen kiørre,
her Sten hand viste ther intiidt aff
før thi hoss finderne varre,
strax the Dalle karlle vare paa vey
guds hielp mone the paa kalle
thy fulle paa knæ rætt huer oc en
oc læste deriss bøner alle.

31. Thy edeliig herrer oc gode mendtt
therris ærre the ther tede,
lands knectene och Holstene alle y synd a)
thy lode ey effter tem lede,
ther ginge thy Tyske samen
y orden alle tiill lige
alle vorre vener giorde aff gamen
thy ville huer anden ey suige.

32. Her Hendrick hand var ther mett y blant
thett kand jeg well beuisse,
Hanss Griss och saa then edeliig mand,
mand maa tem ærre och prisse,
att the vorre Riddere bode ii [2]
thett vorre thy full vell værre b),
thy thiente theriss herre mett traa
thy bønder thet saare kiærde.

33. Saa sloge thy tiill tem trolig ind
thy Danske oc Tyske bode,
ter blegnidt saa mangen bonde om kindt
thi vorre ther stædte y vode,
broen kaste thy vdtt mett en hast
thy ville ey lenger huille
theriss buer oc arbørst c) brugde the saa fast
som sne fulde Dalle pille

34. Thy lands knecte tøtte dett att værre harm
the kunde ey offuer kome,
the spronge y vand vnder theriss arm
paa skade oc saa paa frome d),
saa vodde thi offuer paa theriss fødder e)
thett kand jeg vell beuisse,
XXX^{m} bønder for tem stodt
thy mone thett lidett prisse.

35. Thy bønder behagitt thett lidett vell
thy mone tha flucten f)
ter slaiss saa mangen aff thenom y hiell
mandt vedt them icke att schriffue:
V^{c} [500] loff g) ther y en søø
oc mente ter offuer att kome h),
ther vtty bleff saa mangen dødtt
gud hand theriss siæll beuare.

36. Saa funde thy paa ett anditt fundtt
the Danske och Tyske bode
thy vende them om y same stundt
som gud gaff dem till raade,
Stockholm vilde thy bestolliidt aff ny
som the tiill foren giorde,
y thett tha røcte her Sten aff by
man vndritt att hand saa torde

37. Thett vor her Sten for sande sagtt
att y i) varre meste partt døde
Och Dalle karlle hagde dem øde lagtt
thi andre løster them att møde
aff bønder oc borger hagde handtt med seg
iii^{m} [3000] oc icke merre
bode Suenske oc Tyske om y troer meg
thy actiid tha seyer att vinde.

38. Thy lands knecte skickitt therriss tingist saa klartt
som the pleye offte att giøre,
iv$^{1}/_{2}$ hundritt theriss forløber var
thi skulle ny tidinde førre.
Saa manglede thy mett her Stens party,
indtt tiill ordingen hand mone kome k),
siden tha burde her Sten marcken att fly
hand fick ther liden frome.

39. Thy rende y staden huer oc en
och huer som rende kunde,
der bleff saa mange dødt ygien
thi ther full lidett vunde
vj^{c} [600] bleff ther slagen y hiell
thett kand jeg vell beuise,
Sancti Mickelss dag, som schreffuit stor,
gudt vnde dem raa oc lise.

40. Some thy trengdes aff broen vdt
for strømmen mone the flyde,
oc some the bleffue ther stungen mett spiud
the motte thett saarre for tryde;
En partt sogtte tha tiill Sønder portt
attj motte ther vnduige,
thi roffte jodutt l) vee oc mor [sic]
vorre stolbrødre ligger y leji.

x) Forsan nostrum *spara*, parcere (sc. ipsis). y) "Forsan error librarii pro *Claus*", Paludan Müller. z) D. 28 Sept. a) "I senn?, tillige", Pal. Müller. Svet. *i sænder*. b) *värde*, digni. c) Species quædam arcuballistarum. d) Nos hodie verbis *på vinst och förlust* idem significamus. e) Sonitus versus *fodt* exigit. f) "*Griffue*, capere, omissum videtur," Pal. Müller. g) *Lupo*, cucurrerunt. h) Versus *fare* postulare videtur. i) Idem error ac supra, v. not. l. k) Cum copiis Stenonis dimicabant, donec ipsa acies perveniret. l) Cfr. Olaum Petri (supra I, 2 p. 222, not. g).

Digitized by Google

41. Kong Hanss kom paa thett same lau m)
till Stockholm sker tiill lande,
huadtt ther var giortt viste hand ey aff
huad thi tha hagde for hende,
then første tidinde ther hand tha fick
then motte ey megitt due
gud haffue tiss loff att thett ey saa gick
som thy haffde y hue.

42. Aff Kiøbenhaffn en rodmandtt godtt
Anderss Nielsen mone thi hanom kalle
hand kom tha strax then første imodtt
och førde hanom tiinde alle,
vortt folck haffuer vunditt ærre oc priss
ederss naade maa ther paa lide
the ther vor hoss the bliffue thett viss
ther ligge some oc bider.

43. Then første hand var y hiertiidt gladtt
oc hanss thiener alle samen
hand seg y landitt sette badtt
thy hagde der aff stortt gamen,
Tiill herren skyndede hand seg saa bratt
hand vilde seg ey lenger sparre,
herber tog hand then same natt
for Stockholm y santi Klarre n).

44. Her Sten behagitt thett intiidt vell
hand vor om hiertiidt bange
hand tencte seg om vedt oc sind
huadt endeligt thett skulle fange,
ter stack the op en gamell hatt
y dage the thett sætte,
them løster huercken dag eller natt
y modtt then herre att trætte.

45. Biskop Glob o) motte tiill gissell staa
oc her Nielss Høg tislige,
før en her Sten hand vilde vd gaa
hand reedes mand skulle hanom suige,
ther hand kom medt then første tiill ords
tha forentiss thi saa bode
kong Hanss tog ham mett seg tiill bordtz,
offuer Suerrig skulle hand ta raade.

46. Tusind fire hundrit aar
siu och halff femtesenss tiuffue
effter gudtz søn føder vor
thett vill ieg icke liuffue
then Søndag nest for p) ste karrine dag
q) tha fick then første lau
hand mone then krune bærre.

47. Then første vant thett allt mett stor magt
hand mone thett styrre och raade,
thett hiulp fast tiill thett er min acktt
gud och rætt vishett bode,
gud giffue hanem løcke och salighett
min kiæreste naadigste herre,
gud giffue att mendisken vorde hanem blidtt
oc saa gud och vor HERE.

Finis.

m) Eodem tempore. n) I. e. in conventu s. Claræ sub jugo Brunkeberg. o) Nicolaus Glob, episcopus Vibergens
p) Lege *efter*. Dominica post diem Katarinæ (26 Nov.) Johannes coronatus est. Cfr. quæ in Chronico Skibyensi supra pag. 140 not. e diximus. q) Præcedens versus excidisse videtur.

XIX.

Laurentii Wermanni de obsidione Holmiensi anno 1518 epistola.

Quis scriptor fuerit, nescimus. Satis est ipsam narrationem eum illa, quæ literis mandaverit, oculis ipsum vidisse plane demonstrare. Jam antea in "Handlingar rörande Skandinaviens Historia, Stockholm 1851," Tom. XXXII, p. 57 secundum apographum, quod ill. C. F. Wegener ex manuscripto inter reliquias Velleianas in Bibliotheca Univers. Hafniensis confecit, edita est, quam quidem editionem etiam nos hic secuti sumus. Epistola optimum quasi complementum narrationis de eadem re, quam supra sub n. VIII. inseruimus, efficit.

Laurentius Werman.

Henricho Lichtenfels et reliquis illustrissimi regis Christierni cantoribus S. D.

Naues habuit Christiernus Rex Daniæ octoginta aut circiter, cum in Suetiam ad obsidionem Holmensem iuit. In his vehebantur 5000 militum germanorum, et mille leuis armaturæ præcipue et maxima ex parte

Digitized by Google

Dani, nobiles equites 100 una cum Rege, et multitudo magna inermis ad labores seu potius valla et alia opera facienda. Veniens ergo Stockholmiam ad lapidis iactum prope urbem constitit ad dextram. Vbi cum dies tres quieuisset, paratis omnibus et ponte facto super fluuium, qui obstabat, ne vrbem accedere posset, propius muros castra mouit, occisis prius pluribus equitibus, qui transitum prohibere volebant. Cum transiisset fluuium, jussit in ordines tres instrui totum excercitum, atque ita totam noctem insomnem consistere, et mane facto vrbem prætereuntes montem Bronkeberg occupare. Nam in eo Ducem Suecorum a) secum pugnare velle ac constituisse audierat. Itaque ad 3 diem expectantes, demum ad coenobium quoddam virginum b) castra metabatur. Steno cum sua consilia ab aliis Regi significata accepisset, pugnare detrectavit. Rex ergo transiens in reliquum c) littus, in monte Sude[r]malmiensi [castra] posuit.

Vrbs in rupe aqua undique circumfluente collocata, flumina 4 ad se fluentia habet, duosque colles. Qui a sinistris, suplicii loco est addictus, multum lapidosus Sudermalm dictus: alter a dextris mollior gramine vestitus Bronckberg vocant [ɔ: -atur]. Inter hos monticulos duo f[l]uuii ex his quatuor influunt, a septentrione vnus, ab oriente alter, qui tamen priusquam vrbem contingant, inuicem commiscentur. Tertius vero a meridie supra quem pontem strauit Rex, vt prius diximus. Quartus reliquos tres secum per scopulos rapiens in mare spaciosum versus occidentem exit. A castris in monte Sudermalm positis bombardis crebri mittebantur in vrbem globi, ita ut et muros magna ex parte deiicerent. Sed vt initio crebri fiebant ictus, ita postea remissius et negligentius factum. Nam vno die cum ibidem tricies aut circiter exonerassent tormenta, sequenti quieuerunt. Ordinatis tamen qui per murum effractum irrumperent, frustra id quoque tentatum est propter aquam interfluentem et hostes bombardis interdum se fortissime defendentibus [ɔ: -dentes], etiam aperta porta.

Interea dum hæc geruntur, redeunt onusti spoliis ex pabulatione ducenti germani milites, qui nunciabant, appropinquare castris Stenonem cum magna manu civium et rusticorum. Exacto mense ex quo in terram expositus fuit exercitus, cum rex percepisset, quod Steno noctu vellet castra inuadere et oppugnare, præuenire eum statuit d). Instruxit itaque exercitum hoc modo, relictis in castris sex cohortibus cum totidem vexillis, eduxit reliquos omnes. Equitatum cum maxima Germanorum parte a dextris collocauit, a sinistris Danos et turbam promiscuam (forte ien hob) e) ordinauit. Erant quoque ad sinistram scopuli et monticuli, arbustis obsiti, ad dextram paludes et sepes. Dato signo et exoneratis aliquot bombardis (halff Skerpentiner) aliquoties, facta est pugna, in qua statim Dani hostibus bombardos eripuere; pugnabant enim æquiori loco quam Germani, qui tamen etiam bis in fugam hostes coegerunt, cum a suis equitibus iterum pugnare coacti fuissent. Nam gens illa præterquam quod arcubus et balistis parum valet. Hostibus dissipatis et in syluam elapsis, cum nostri sine ordine auidius insequerentur, collegerunt se equites Sueci, et 12,000 Rusticorum coactis, pugnam redintegrabant, a dextris irrumpentes. Quare nostri, antequam ad nos redirent, clade aliqua affecti sunt. Opinabantur enim prosequutum vniversum exercitum quod si [a] Rege fuisset factum, eo die procul dubio victor euasisset, adeo enim est populus non modo perplexus, verum etiam timudulosus, vt nihil coactus etiam ad exitium vsque audeat. Et nescio quid Rex veritus [sit], quod collectis copiis in castra redierit, tribus antea ducibus, quos capitaneos appellant, sexagintaque comitibus ac nobilibus nonnullis, non modica Suecianorum ruralium clade (quorum sedecies centum cives ipsi occisos dixere), amissis.

Cumque aliquot dies in castris quieuissemus, voluit Rex, mille saltem aut ad bina vexilla ordinatis, hostes noctu experiri, sed per emeritos quosdam milites illi, ne id facerent, persuasi sunt, quorum duo subsequente die obtruncati sunt. Quapropter rex irritatus et de superanda urbe desperans, quia nec victus amplius, nec ad emittendum ferreos istos per bombardos globos, puluis fuit, itaque naues adire decreuit. Sed consiliarii boni illi defuere, aut potius animus bona consilia obsequendi. Prius f) igitur Danis naues ingredientibus, cum tentoriis accedissent et vela expandi vidissent ciues, irruebant in posteriores, qui 200 erant relicti retro pro custodia et defensione præcedentium g). Hi omnes partim capti partim occisi sunt, sed tamen capti per regem suis stipendiis redemti sunt et ad nos incolumes rediere.

Postquam ad 5 vel 6 milliaria ab vrbe navibus venissent, ancoras iaciebant et expositis in vicina parua insula militibus germanis, duodecim nauem incendere nitentes submersi sunt. Reliqui populabundi terram ingressi ad sinistram per dies ac noctes duas ad Upsaliam perrexerunt h), vbi opimis spoliis onusti, vbi biduum quieuissent, Stockholmiam peruenere secundo i); hostibus qui semper aderant, omnino spretis, et loco priori castris positis, ad tantam famem peruenisse constat, vt equinis non abstinerent carnibus. Rursum a Rege ad classem vocati, iuerunt omnes præterquam ducentos, qui in pabulatione partim capti partim occisi sunt.

a) I. e. Stenonem Sture, gubernatorem regni. b) Sc. sanctæ Claræ sub jugo montis Brunkeberg. c) "Oppositum" exspectares. d) Sequens pugna d. 27 Julii apud Årsta (vel Brännkyrka) commissa est (v. supra pag. 30). e) Aperte a lectore quodam annotatum. f) Lege: Prioribus. g) Hoc die 7 Augusti factum; vide l. c. h) Die 17 Augusti, v. supra pag. 31, not. g. i) Die 20 Augusti l. c.

Digitized by Google

Hæc in fine secundi mensis, quo sacramentum præstiterant Regi milites, acta sunt, quare cum nocte quadam ad hostes, qui 10,000 esse ferebantur, exire jussi essent, denegarunt. Subsequenti tamen die, cum id fecissent, in fugam se coniiciebant hostes, quod nostri videntes ad 5 vel 6 milliaria omnia late ferro et igne depopulati sunt. Nec dubium quin Rex victoria potitus fuisset, si prodiisset ipse. Cum ergo in posterum præter 300 equites nullus appareret hostis, ad naues, quæ modicum processerant, reuersi sunt.

Tertio mense, orta dissentione inter milites et regem de solutione stipendii, quam secundum literas promiserat, exautorauit eos rex ex parte, qui ad hostes deficere coacti sunt. Qua re territus rex simulatam pacem cum hostibus fecit. Reliquos milites, qui eum deserere nollent, exspectare jussit in scopulo aliquo, donec Rex primates quosdam et totius Sueciæ nobiles, quoad apprehendi poterant, studiose pellexisset. Quibus habitis coepit tota classis, pace renunciata, versus patriam soluere. Maxima inedia.

XX.

Carmen de expeditione Kristierni II in Sveciam anno 1520.

Ex eodem manuscripto et in eodem opere, ac. n. XVIII, typis evulgatum est, quam editionem nos infra seqvimur. Scriptum non coævum esse vitia (cfr. not. a) demonstrant, sed ex coæva traditione et memoria eorum, qui rebus interfuerunt, auctor hausisse videtur.

Vise om Kong Christian den Andens Tog til Sverrig.

1. Vylle y lyde och høere
Jeg wiill eder quede en wiisse
aff konigh Christiern then högborne første
ieg wiill hanum loffue och prisse
fordij wunde the Sueriige met stor ære.

2. Ther mand screff M. d.
och paa thet atthene aar a)
koning Christiern lod sitt folck samen komme
y Skaane paa Helssingborge.

3. The komme tiill samen baade tydske och danske
well widtt ii. M. [2000] mend,
her Otthe Krompinn b) then welbyrdiig mand
hand bleff höffuissmand for them.

4. Koningen lod kalde syne gode mend tiill siig
hand bad thenum wære welueliige och trøste
ieg wyll ether forsse mett slott och læen
ether skall rett aldriig brøste.

5. The suarede alle naadiste Herre
wii wylle thet gierne giøre,
wii wylle oss beuisse som erliige mendtt
y skulle thet baade høre och spøre.

6. The droge thenum offuer Hallins aass c),
the lode theris heste springe,
the røste d) thøres glaffuen theris lange speytz e),
the acte stor ære att wynde.

7. De droffue thenum igenem Halliin
och ind y Suerigis Riige
the hellede wore y hierttit trøst
for ingen wylde the wiighe.

8. The droffue baade bierg och dale,
igenem the mørcke skoue
tiill gud y hans hender stod all thøriis trøst
tiill ingen mand setthe de loffue.

9. The droffue baade bierg och dale
igenem thet mörcke riiss,
ther the komme tiill Bouessundt f)
ther bleffue the thøris fiender viiss.

10. The giorde slag orden tiill hest och foidtt,
the hellede wore well mange,
the funde ther waaghir g) och brodir h) for them,
the waare baade stercke och lange.

a) Lege 1520 pro 1518. b) Krumpe. c) Hallands ås. d) *Ryste* i. c. vibrabant. e) Hastas f) Bogesund, hodie Ulricehamn. g) *Vakar*, excavationes in glacie factæ. h) *Bråtar*, ex arboribus cæsis structæ munitiones.

Digitized by Google

11. De høffuissmend robte bøsse skøttherne fremm,
the bad thønum bøsserne stiille,
wii wille her fremm om herre gud wiill
y mood the Suenskiis wylie.

12. The bøsse skøtter røchtte bøsserne frem
de lode thøris tappyr i) gonge,
thett andit skud ther skuditt wor
Her Sten monne skaden fonge.

13. Her Sten hans been bleff skudtt sønder
wd aff thet andit skudtt,
thett wiill ieg forssenningen siighe,
thet wor forseedtt aff gudtt.

14. The Rycthe fast frem tiill hest och foidtt,
the wylde icke lenger biide,
the bruge theriis glaffuin och skarppe suerdtt,
the giøre the Suenske stor quide.

15. The Suenske de flyde huor the kunde,
for Kongen aff Danemarckz woldtt
hagde wii Thiwidden k) paa wor røgh
hand wor oss fuld god en skiøldtt.

16. The Suenske flyde huor the kunde,
tiill Oplandtt lod the riide:
the Danske reed baade dag och natt
the lode fast effther thenom liide.

17. Kyndemøsse affthen
wor froue Kirke gangh l)
tha møttis the paa Thiuidden,
the sloge saa mangen suensker mand.

18. Saa droffue the op ad land
ther lod the thennum biide
saa droffue the tiill Westre aass m),
och ther wylle the thenom huile.

19. Saa droffue the fra Westre aass
tiill Strenge ness wille the riide
ther laa for thenum tryssindz tiuffe tussinde mendtt
the torde thenom icke biide.

20. The sloge y hiell huad thij ther funde,
som fyende pleyde att haffue for sedtt,
den anden dagh sende the Suenske thenom budtt
begierde wd aff thenom friidtt.

21. The Danske the stæde thøriiss mynde ther tiill n)
enn herre dagh y Oplandtt att søge
the Stockholmske gaffue saa the Suenske raadtt,
the wylde thøris feyde forøghe.

22. The sende wd breff de sende wd budtt
the Suenske bønder samen att komme,
thii wylde the Danske slaa y hiell
thett kom thenom tiill liiden fromme.

23. Wylle y lenger høre
huor thet er gangitt tiill,
lange fredagh o) droge the tiill Opland
ther begynthiis ett wnderligtt spill.

24. The danske droffue thenom y modtt,
thøriss Herre troskaff att beuisse,
the sloge ther saa mangen Suensker mand
thij wunde ther baade ære och priiss.

25. I Suerriige stod aldrig sliigtt ett slaug,
ther nogen mand kand tencke,
thij er ther saa mongent faderløss barn
saa mongen fattiig encke.

26. Siiden droge the tiill Opland,
koningen ther att biide,
hand sende thenom bud, hand sende thenom breff
tiill Stockholm tiill siig att riide.

27. Saa droge the tiill Stockholm
lage thenom ind paa Søndre malm,
the belagde then by som the well kunde
giøre thenom baade angist och harm.

28. The Stockholmske sende koningen bud
oc lod hanem beede saa:
hand wille thenom en gunstiig herre wære,
och tage thenom tiill syn naade.

29. Koningen hørde theriss bøn,
thij hand wor wiiss y sinde,
Wor Froue affthen p) met korss och faane
toge the hanum y Stockholm indtt.

30. Loffuidtt wære Gud fader y hemmeriigh
the danske mendtt haffuer wndtt then ære,
gudt giffue oss roo y hemmeriigh
hoss siigh euyndeliigh att være.
ther skeer oss lycke och stor ære
Amen. Thii wunde Sueriige met stor ære.

i) *Tapper* fortasse sunt obturamenta, quæ in ore bombardarum, cum in proelio non adhiberentur, inserta erant. k) Tiweden, notissima silva inter Vestrogothiam et Nericiam. l) Die 2 Februarii. m) Westerås. n) Dani annuerunt. o) Die 6 Aprilis Upsaliæ dimicatum est. p) Die 7 Septembris.

Digitized by Google

XXI.

Ex Adami Gestis Hammaburgensis ecclesiæ pontificum.

In excerptis nostris egregiam editionem Lappenbergii (in Monumentis Germaniæ, Script. Tom. VII, pag. 267, sqq.) secuti sumus, cujus ex præfatione nonnulla, quæ vitam Adami et fontes naturamque operis melius illustrent, hic infra adducere volumus.

Scriptor sese tantum A. canonicum ecclesiæ Bremensis appellat, sed ex Chronico Slavico Helmoldi, ubi legitur: .. *magister Adam, qui gesta Hammaburgensis ecclesiæ pontificum .. conscripsit,* verum nomen discimus. "Anno 24 archiepiscopatus Adalberti, qui incepit a 16 die m. Aprilis anni 1068 Bremam venit, ubi inter canonicos hujus sedis cathedralis receptus est. In charta archiepiscopi jam dicti, data anno 1069 Juni 11, eum munere magistri scolarum insignitum inter testes post decanos et ante presbyteros collocatum invenimus. Paullo post regem Danorum Svend Estrithson adiit, in Selandia, ut videtur, morantem, qui benignissime eum excepit et circa terrarum aquilonarium situm et historiam plurima docuit *). Post mortem Adalberti pontificis opus suum de gestis pontificum Hammaburgensium exorsus est, quod, ut ex epilogo v. 52 sqq. **) effici posse videtur, circa annum 1075 absolvit. Etenim illud ante annum emortualem regis Svend, scilicet 1076, factum esse docent quæ leguntur verbis lib. II, cap. 24: *Rex Daniæ, qui hodieque superest* et cap. 26: *qui nunc in Dania regnat Svein.*"

Fontibus numerosis Adamum usum esse mox apparet. "Citat chartas in scriniis vel chirographa in archivis ecclesiæ suæ privilegia Romanorum sive Romanæ sedis, papæ, necnon præcepta imperatorum et regum ... librum donationum ecclesiæ Bremensis ..; Opera historica, quæ Adamus noster tum excerpsit, tum citavit, sunt hæc: Einhardi vita Karoli Magni, ejusdemque historia vel scripta; liber quem vocat Einhardi Gesta Saxonum; Enhardi Annales, Fuldenses vulgo dicti, qui ex Historia quam vocat Francorum usque ad annum 911 perducta ei innotuisse videntur ...; Anskarii liber vitæ et actuum s. Willehadi; ... Gesta, vita s. actus s. Anskarii; Gesta, vita s. liber vitæ s. Rimberti; ... Epistolis quoque nonnullis usus est, ut Anskarii, Alexandri papæ II, Adalberti archiepiscopi, ... Laudantur Macrobii libri in Somnium Scipionis, Orosii Chronica, Solini polyhistor, Marciani Capellæ libri de Geometria ... Ad carmina historica seu Teutonica seu populorum septentrionalium non attendebat."

"Præter chartas et scripta, quæ evolvit, Adamus consuluit, quos testes fide dignos ... invenire potuit. Quorum nemo erat gravior, quam rex Danorum jam supra laudatus Svend Estrithson. Præterea provocat ad Adalbertum archiepiscopum, ad episcopum quendam Danorum, ad nobilem quendam de terra Nordalbingorum, ad comites episcopi Adalwardi junioris aliosque. Plurima haud dubie cognovit ex Guilielmo episcopo Selandiæ, regis Kanuti Magni quondam cancellario, et ex Adalwardo seniore, decano Bremensi, episcopo quondam Gothorum in Sueonia" ...

"Libri Adami Bremensis haud diu ignoti remanserunt. Quam plurimum eis usi sunt Annalista Saxo, Anonymus Roskildensis, Helmoldus, ... Snorro Sturleson, auctores fragmenti de Haraldo Blaatand et Svend Tveskiæg, Sagæ de Olavo Tryggvason, Annalium regiorum Islandorum, fragmenti veteris Islandici historico-geographici; Albertus abbas Stadensis ... Historia gentis Danorum usque ad annum 1288, quæ Erico regi tribuitur ***), Annales Esromenses †), Hermannus Cornerus, Albertus Cranzius." Etiam ex scriptoribus Suecicis nonnulli librum Adami adhibuerunt, ut auctor veteris Chronici Prosaici (supra Tom. I, 1, s. 239), Ericus Olai et Johannes Magni.

"Quamvis magna operum Adami nostri jam apud historicos seculi duodecimi fragmenta excerpta reperiantur, nullus tamen exstat codex Gestorum ejus seculo tertio decimo antiquior." His codicibus recensitis Lappenbergius nexum inter textum et additamenta, quæ Scholia vocantur, explanare studet.

*) Lappenb. hic locos Adami, in quibus Svenonis regis mentio fit, enumerat. **) Quæ ibi dicuntur, ad ea, quæ Liemarus archiepiscopus an. 1075 egerit, referenda videntur. ***) Alias Annales Ryenses appellati; v. supra pag. 104.
†) Sive Lundenses; v. supra pag. 107.

Digitized by Google

In codice antiquissimo plura tam in textu, quam scholia desunt, quæ in ceteris codicibus reperiuntur. "Pleraque tamen antiquissima esse ex eo demonstrari potest, quod apud Annalistam Saxonem, Helmoldum †) et Albertum Stadensem excerpta legantur, id quod singulis locis adnotare non omisimus. Omnia hæc loca ... ea sunt, quæ ab Adamo ipso secundis curis, seu certe ab homine fere coævo, rerum ecclesiæ Hammaburgensis expertissimo inserta videantur. Quare hæc loca omnia in textum, uncis tamen inclusa, recipere haud dubitavimus.

Scholia multa ab ipso Adamo codici operis sui in margine addita esse, vix dubium est. Nemo nisi ipse Adamus in schol. 65 loqui potuit: sicut prius (sc. l. II, c. 52) diximus; schol. 119 hæc et supra (sc. l. III, c. 15) diximus et ipse Adalwardus episcopus recitavit coram nobis. Idem etiam ostendere nobis videntur verba scholii 131: nostro archiepiscopo (sc. Adalberto); ... schol. 122: nostræ sedis confessores ...

Quamvis certissimum videatur non omnia scholia Adamo neque uni omnino auctori deberi, cum in nullo codicum omnia eademque reperiantur, paucissima tamen sunt, de quibus pro certo constet, ab Adamo ea scripta non esse. Hæc sunt scholia 21, 22 et 33, quæ a Sigeberti Gemblacensis chronico depromta esse apparet nec non scholion 144 de ipsius Adami nostri dialecto."

†) Annalista Saxo in medio seculo XII° scripsit; Helmoldi Chronicon in anno 1170 finitur,

Lib: I.

17. Ludewicus a) voluntatem patris oblitus provinciam transalbianam Bremensi et Ferdensi episcopis commendavit b). A quo tempore incipiunt gesta sancti Anscarii. Et quoniam borealium gentium hystoria nostram, id est Bremensem ecclesiam in parte respicit, disposui, nec inutiliter, ut arbitror, passim occurrentia tangere Danorum acta. Per idem tempus Hemmingo Danorum rege mortuo, Sigafrid et Anulo, nepotes Godafridi c), cum inter se de primatu regni convenire non possent, praelio sceptrum diviserunt, in qua congressione 11 milibus hominum interemptis, reges ambo ceciderunt. Pars Anulonis cruenta victoria potiti, Reginfridum et Haraldum in regnum posuerunt. Moxque Reginfridus ab Haraldo pulsus classe piraticam exercuit; Haraldus cum imperatore foedus iniit. Hystoria Francorum d) haec plenius exequitur. In diebus illis scribitur quod Ebo Remensis, cum de salute gentium religionis studio ferveret, legationem ad gentes cum Halitgario e) suscepit a Pascali pape f), quam postea noster Anscarius divina opitulante gratia
822 feliciter peregit. Anno Willerici 33. Ludewicus imperator Novam in Saxonia Corbeiam exorsus, religiosissimos Franciae monachos ad illud congregavit coenobium. Inter quos praecipuus legitur sanctissimus pater noster ac philosophus Christi Anscarius, vitae ac scientiae merito clarus, et omni populo Saxonum acceptus. Eodemque tempore rex Danorum Haraldus a filiis Gotafridi regno spoliatus, ad Ludewicum supplex venit. Qui et mox christianae fidei cathecismo imbutus, apud Mogontiam cum uxore et fratre ac magna Danorum multitudine baptizatus est g). Hunc imperator a sacro fonte suscipiens, cum decrevisset in regnum suum restituere, dedit ei trans Albiam beneficium. Fratri eius Horuch h), ut piratis obsisteret, partem Fresiae concessit. (Quae adhuc Dani reposcunt quasi legitima iuris sui). Cum autem nemo doctorum facile posset inveniri, qui cum illis ad Danos vellet pergere, propter crudelitatem barbaricam, qua gens illa ab omnibus fugitur, sanctus Anscarius divino, ut credimus, spiritu accensus, et qui ad martyrium aliqua occasione mallet pertingere, cum socio se optulit ultroneum Autberto, non solum inter barbaros, verum etiam in carcerem et in mortem pro Christo ire paratus. Itaque biennium in regno Danorum commorati, multos ex gentibus ad fidem converterunt christianam. Inde reversi, cum denuo ab imperatore postulati essent, ultimos Sueonum populos euangelii gratia temptare, intrepidus atleta Christi Ansgarius, assumptis secum fratribus Gislemaro et Witmaro doctoribus, gaudens pervenit in Daniam. Ubi relinquens Gislemarum cum Haraldo, ipse in Sueoniam transfretavit cum Witmaro. Ibi vero benigne a rege Beorn suscepti, verbum Dei publice praedicare permissi sunt. Multos itaque per annum integrum lucrati sunt domino Jesu Christo. In quibus Herigarium, Bircae opidi praefectum, quem tradunt etiam miraculis et virtutibus insignem. Hac legationis suae prosperitate gavisi, Corbeiam novi apostoli cum triumpho duarum gentium regressi sunt i). Et o mira omnipotentis Dei providentia de vocatione gentium, quam disponit artifex, ut vult, et quando vult, et per quem vult. Ecce quod longo prius tempore Willebrordum, item

a) Imperator, filius Karoli Magni. b) Cfr. diploma Ludowici an. 834 (Diplomat. Suec. I, n. 2) et vitam Anskarii (supra Tom. II, 1, pag. 196, cap. XI), qua Adamus in sequenti proprie nititur. c) Adamus rem nonnihil perturbat. Cfr. Einhardi Annales (Monumenta German. I), in anno 812 sqq. et uberiorem expositionem, quam Munch (Norges Historie I, 1, pag. 378–396) et G. Storm (Om Ynglingatal etc. Christiania 1873) fecerunt. d) Vide præfationem. e) "Episcopus Cameracensis", Lappenberg. Cfr. vit. Ansk. pag. 196. f) Cfr. literas Pascalis (Diplom. Suec. I, n. 1) et vit. Ansk. pag. 198, cap. XII. Lappenberg laudat etiam Annales Xatenses an. 823 et Ann. Einhardi eod. an. g) "Enhardi Fuld. a. 826" Lappenberg. h) Lege: Rörek, ut Annales Francorum habent. i) De itinere in Sveciam v. vitam Ansk. pag. 190–194.

Digitized by Google

alios et Ebonem voluisse legimus nec potuisse, nunc Ansgarium nostrum et voluisse et perfecisse miramur, dicentes cum apostolo: Non est volentis neque currentis, sed est Dei miserentis. Ergo cui vult, inquit, miseretur, et quem vult indurat.

18. Tunc imperator cum magnatibus sancto Ansgario de salute gentium congratulatus, ingentes Christo gratias persolverunt. Habito igitur generali sacerdotum consilio, pius cesar votum parentis implere cupiens, Hammaburg civitatem Transalbianorum metropolem statuit omnibus barbaris nationibus Danorum, Sueonum, itemque Sclavorum et aliis in circuitu coniacentibus populis, eiusque cathedrae primum archiepiscopum ordinari fecit Ansgarium. Hoc factum est anno Domini 832, qui est Ludvici imperatoris 18, Willerici Bremensis episcopi 43 k). Consecratus est autem a Drogone Metensi episcopo, caesaris fratre germano, astantibus atque faventibus Odgario Mogontiensi, Ebone Remensi, Heddi Treverensi et aliis: consentientibus etiam Willerico Bremensi, et Helingaudo Ferdensi episcopis l), quibus antea diocesis illa commendata est: roborante id papa Gregorio quarto apostolica auctoritate et pallei datione m).

Habentur in ecclesia Bremensi praecepta imperatoris n) et privilegia papae sancto Ansgario data, in quibus hoc quoque una continetur, quandam illi cellam in Gallia Turholz o) vocatam ad supplementum legationis a caesare concessam anno Domini 834, acta indictione 12, qui est Ludvici 21.

19. Ansgarius autem nunc Danos, nunc Transalbianos visitans, innumerabilem utriusque gentis multitudinem traxit ad fidem Si quando etiam persecutione barbarorum impeditus est ab studio praedicandi, apud Turholz se cum discipulis retinuit. In auditorium praedicationis datus est ei Ebo Remensis, de quo antea diximus. Hic seu fatigatione itineris, sive corporis debilitate impeditus, sive potius occupatione seculi delectatus, vicarium pro se dedit Ansgario nepotem Gaudbertum. Quem ipsi ambo consecrantes episcopum, vocaverunt Symonem, eumque divinae gratiae commendatum in Sueoniam miserunt p). Haec in vita sancti Ansgarii copiose descripta nobis abbreviandi locum praebuerunt. Verum quod distinctio temporum ibi obscura est, pleraque ab aliis scriptis congruentia tempori mutuavimus: Nunc ad cetera unde incepimus regrediamur. — — — — — — — — — — — — — — — —

23. Interea Nortmanni piraticis excursionibus usquequaque degrassati, Frisones tributo subiciunt. Eodemque tempore per Rhenum vecti Coloniam obsederunt, per Albiam vero Hammaburg incenderunt. Inclyta civitas tota aut praeda aut incendio disperiit. Ibi ecclesia, ibi claustrum, ibi biblioteca summo collecta studio. consumpta est. Sanctus Ansgarius, ut scribitur, cum reliquiis sanctorum martyrum vix nudus evasit. Excidium Hammaburg hystoria Francorum non tacet, et privilegia Romanorum. Hoc, ut aiunt, factum est, anno Ludvici senioris novissimo.

Tunc quoque q) Gaudbertus episcopus zelo gentilium a Sueonia depulsus, et Nithardus, capellanus eius, martyrio coronatus est cum aliis r). Et exinde Sueonia septennio caruit sacerdotali praesentia. Quo tempore Anundus regno pulsus, in christianos persecutionem habuit. Herigarius, Bircae praefectus, christianitatem ibi solus sustentavit. Qui etiam tantam gratiam fidei meruit, ut potentia miraculorum et exhortatione doctrinae multa paganorum milia salvaret. Scriptum est in actibus beati Ansgarii s).

— —

28. t) Quibus rebus ex voto completis u), dum adhuc sanctus Dei pro gente Sueonum aestuare coepisset, cum Gaudberto episcopo consilium habuit, quis eorum laudabile pro Christo periculum subiret. At ille periculum sponte declinans, Ansgarium potius, ut iret, rogavit. Extemplo atleta intrepidus Horici regis missum rogavit atque sigillum, et a litore Danorum transfretans in Sueoniam pervenit, ubi tunc rex Olèph apud Bircam generale populi sui habuit placitum. Quem, praeveniente misericordia Dei, ita placatum invenit, ut ex eius imperio et populi consensu et iactu sortis et ydoli responso ecclesia ibidem fabricata et baptismi licentia omnibus concessa sit. His etiam ex sententia finitis, ewangelista noster ecclesiam Sueonum Erimberto commendavit presbytero et rediit. Quæ in vita sancti Ansgarii latissima gestorum narratione descripta v), nos brevitate nitentes amputavimus. Et nisi fallit opinio, prophetia Ezechielis de Gog et Magog convenientissime hic impleta videtur. Et mittam, inquit Dominus, ignem in Magog, et in his qui habitant in insulis confidenter. Aliqui haec et talia de Gothis, qui Romam ceperant, dicta arbitrantur. Nos vero considerantes Gothorum populos in Sueonia regnantes, omnemque hanc regionem passim in insulas dispertitam esse, prophetiam opinamur eis posse commodari, cum praesertim multa praedicta sint a prophetis, quae nondum videntur impleta.

k) Tappehorn (Leben d. heil. Ansgar, Münster 1853, p. 108, not. 2) bonis argumentis probare vult ordinationem Ansgarii in fine anni 831 factam esse. l) De consecratione cfr. vitam Ansgarii pag. 196, cap. XI. m) Bulla sine anno (Diplom. Suecan. I, n. 3). n) Anno 834 (v. not. b.). o) Hodie Thourout prope urbem Brügge in Flandria. p) De Gautberto cfr. vitam Ansg. pag. 198, cap. XIII. q) Sc. post excidium Hamburgi, quod Adamus ad ultimum annum Ludovici senioris (i. e. 20 Juni 839—840) refert. De anno tamen ambigitur. Lappenberg et Maurer Adamum sequuntur, Tappehorn l. c. pag. 120 not. 4 aliis rationibus fultus annum 845 præfert (ita etiam Langebek et Dahlman). r) Vide vit. Ansg. cap. XV. s) Sc. cap. XVI. t) Adamus mortem Leuderici episcopi Bremensis d. 24 Aug. 845 vel 846 (annus non constat) et conjunctionem hujus episcopatus cum Hamburgensi, quem Ansgarius 16 annis possederat, anno 847 proxime supra exposuit u) De laboribus Ansgarii in Dacia pro novella ecclesia firmanda agitur. v) Cfr. vitam Ansgarii cap. 22—25. Hanc peregrinationem in Sveciam Tappehorn l. c. pag. 152 not. 3 et Munch (Norges Hist. I, 2, pag. 273) circa annum 852 collocant.

Digitized by Google

29. Interea quaestio magna surrexit in regno Francorum de Bremensi episcopatu, ad invidiam Ansgarii conflata. Ea contentio diu per regnum gravi et ancipiti dissensione profligata, multis partium
Schol. 7. studiis collidebatur. Tandem orthodoxus caesar Ludvicus, compositis hinc inde contradicentium voluntatibus, praecipue Guntharii, Coloniensis archiepiscopi, cuius suffraganea prius erat Brema, super his Romam nuncios direxit ad sanctissimum papam Nikolaum. Ille, quod necessitas ecclesiastica persuasit, et quod patrum conciliis rationabiliter fieri posse comprobatum est, facile consensit. Ergo Bremensem ac Hammaburgensem episcopatum auctoritate apostolica copulari, et deinceps sanxit pro uno haberi. Cuius rei privilegia diligenter adhuc conservantur in Bremensi ecclesia. In quibus etiam additum est, quod idem papa Nykolaus tam ipsum Ansgarium, quam successores eius legatos et vicarios apostolicae sedis constituit in omnibus gentibus Sueonum, Danorum atque Sclavorum x), quod et antea Gregorius papa concessit. Igitur Bremensis atque Hammaburgensis parrochiae coadunatio facta est ultimo tempore sancti Ansgarii. Vita eius annum non ponit, praeceptum autem regis ponit annum regni vicesimum primum; privilegium papae notat annum Domini 858, qui est ab ordinatione archiepiscopi vicesimus nonus. — — — — — — — —

36. Supervixit autem post illam plenariam Hammaburg et Bremæ copulationem annos septem. Sedit omnes annos 34. Cuius depositio summa veneratione colitur 3. Non. Februarii. Obiit anno domini 865, indictione 13, qui est Ludvici secundi 26, sepultusque est in basilica sancti Petri ante altare sanctæ dei genitricis Mariæ. Eadem die, qua ipse commendatus est, Rimbertus diaconus ejus a clero simul et populo electus est. Qui etiam vitam sanctissimi patris veridico sermone describens, more beati Johannis quasi de alio scribens, innuit se fidissimum ejus discipulorum y) testimonium perhibere sanctitati, quam cognoverat in viro dei. Hunc librum ille ad fratres coenobii direxit Novæ Corbeyæ z) beatificans illos, quod talem miserint et nobis congratulans, quod talem suscipere meruimus pastorem. — — — —

(Adalgarius archiepiscopus 888—909).

50. Audivi autem ex ore veracissimi regis Danorum Suein a), cum nobis stipulantibus numeraret atavos suos, Post cladem, inquit, Nortmannicam b) Heiligonem regnasse comperi, virum populis amabilem propter iusticiam et sanctitatem suam. Successit illi Olaph, qui veniens a Sueonia, regnum optinuit Danicum vi et armis, habuitque filios multos, ex quibus Chnob c) et Gurd regnum optinuerunt post obitum patris d).

(Hogerus archiepiscopus, 909—915).

54. Anno domini Hogeri secundo e) Ludvicus puer depositus, et Conradus, Francorum dux, in regem levatus est. In isto Ludvico vetus Karoli finitur prosapia. Hactenus etiam Francorum tendit hystoria. Quae deinceps dicturi sumus, in aliis et aliis repperimus non mendacibus libris. Aliqua vero recitavit nobis clarissimus rex Danorum ita rogantibus: Post Olaph, inquit, Sueonum principem, qui regnavit in Dania cum filiis suis, ponitur in locum eius Sigerich! Cumque parvo tempore regnasset eum Hardegon, filius Suein, veniens a Nortmannia, privavit regno f). Tanti autem reges, immo tyranni Danorum, utrum simul aliqui regnaverint, an alter post alterum brevi tempore vixerit, incertum est. — — — — —

(Unni archiepiscopus 917—936).

62. Deinde vestigia secutus g) magni praedicatoris Ansgarii, mare Balticum remigans, non sine labore pervenit ad Bircam. Quo iam post obitum sancti Ansgarii annis 70 h) nemo doctorum ausus est pertingere praeter solum, ut legimus, Rimbertum. Ita persecutio nostros retinuit. Birca est oppidum Gothorum, in medio Suevoniae positum, non longe ab eo templo, quod celeberrimum Sueones habent in cultu deorum, Ubsola dicto: in quo loco sinus quidam eius freti, quod Balticum vel barbarum dicitur, ad boream vergens, portum facit barbaris gentibus, quae hoc mare diffusi habitant, optabilem, sed valde

Schol. 7. Concilium adunationis factum est Wormatiae praesente cum episcopis caesare, sicut privilegium testatur, (2, 5) i).

x) "Utrobique in antiquioribus saltem codicibus verba. quæ Adamus dicit addita, desunt." Lappenberg. Cfr. bullam Nicolai an. 858 (Diplom. Suec. I, n. 6) et vitam Ansgarii cap. 20. y) "Ex vita Rimberti cap. 9." Lappenberg. z) Potius veteris Corbeiæ, cfr. vitam Ansgarii cap. 1, pag. 175 not. a et cap. 6, pag. 186 verba "monasterii vestri." a) Sven Estridsson, qui annis 1047—1076 regnavit. b) Sc. apud Löwen an. 891 per Arnulfum regem Germaniæ. c) "Nomen, ut videtur, quod apud Anglosaxones Cneova, apud nostrates Knop dicitur." Lappenberg. d) Cfr. infra Cap. 54 et Munch, Norges Hist. I, 1, pag. 744, 45. Annales Ryenses (v. supra pag. 105) narrationem Adami nonnihil mutarunt. e) Anno 911. f) Cfr. cap. 50. g) Sc. Unni archiepiscopus. h) Anno igitur 935; Adamus in cap. 59 et 60 tradidit, quomodo Henricus rex Germaniæ Gormoni [quem Adamus Wrm vocat], regi Danorum, pacem imposuerit, quam expeditionem annales et historici ad annum 934 referunt. i) Signa numerorum in fine scholiorum codices, qui scholion exhibent, indicant (quos codices Lappenberg in sua editione diligenter recensuit).

Digitized by Google

periculosum incautis et ignaris eiusmodi locorum k). Bircani enim pyratarum excursionibus, quorum ibi est magna copia, saepius impugnati, cum vi et armis nequeunt resistere, callida hostes aggrediuntur arte decipere. Qui sinum maris impacati per centum et amplius stadia latentium molibus saxorum obstruentes, periculosum aeque suis ac praedonibus iter meandi fecerunt l). Ad quam stationem, quia tutissima est in maritimis Suevoniae regionibus, solent omnes Danorum vel Nortmannorum, itemque Sclavorum ac Semborum naves, aliique Scithiae populi pro diversis commerciorum necessitatibus sollempniter convenire.

63. In eo portu confessor Domini egressus, insolita populos appellare coepit legatione. Quippe Sueones et Gothi, vel si ita melius dicuntur Nortmanni, propter barbaricae excursionis tempora, qua paucis annis multi reges cruento imperio dominati sunt, christianae religionis penitus obliti, haut facile poterant ad fidem persuaderi. Accepimus a saepe dicto rege Danorum Suein, tunc apud Sueones imperitasse quendam Ring cum filiis Herich et Edmund, ipsumque Ring ante se habuisse Anund, Bern, Olaph, de quibus in gestis sancti Anscharii legitur m), et alios, quorum non occurrit vocabulum. Et credibile est athletam Dei Unnim eosdem reges, quamvis non crediderint, adisse eorumque licentia verbum Dei per Sueoniam praedicasse. Meo autem arbitratu, sicut inutile videtur, eorum acta scrutari, qui non crediderunt, ita impium est, praeterire salutem eorum, qui primum crediderunt, et per quos crediderunt. Sueones igitur et Gothi a sancto Ansgario primum in fide plantati, iterumque ad paganismum relapsi, a sancto patre Unni sunt revocati. Sufficit hoc scire, ne, si plura dicimus, mentiri velle dicamur. Melius enim est, ut ait beatus Ieronimus, vera dicere rustice, quam falsa diserte proferre.

64. Perfecto autem legationis suae ministerio, cum tandem redire disponeret, euangelista Dei apud Bircam aegritudine correptus, ibidem fessi corporis tabernaculum deposuit. Anima vero, cum multo animarum triumpho stipata, coelestis patriae capitolium semper laetatura conscendit. Tunc discipuli pontificis exequias eius cum fletu et gaudio procurantes, cetera quidem membra sepelierunt in eodem oppido Birca n), solum caput Bremam reportantes, quod decenti honore condiderunt in ecclesia sancti Petri coram altari. Obiit autem peracto boni certaminis cursu in Scitia, ut scribitur, anno dominicae incarnationis 936, indictione 9, circa medium Septembris. Hic est annus Ottonis Magni primus, a transitu sancti Willehadi primi Bremensis episcopi 148.

Liber Secundus.

(Adaldagus archiepiscopus 936—988).

4. Igitur beatissimus pater noster o) primus ordinavit episcopos in Daniam, Horit vel Haredum ad Sliaswig, Liafdagum ad Ripam, Reginbrondum ad Harusam p). Quibus etiam commendavit illas ecclesias, quae trans mare sunt, in Fune, Seland et Scone, ac in Sueonia. Anno archiepiscopi factum est hoc 12° q).

---

22. r) Haroldus s). rex Danorum, religione ac fortitudine insignis, christianitatem in regno suo iam dudum benigne suscepit et constanter retinuit usque in finem. Unde et regnum suum sanctitate et iusticia Schol. 21.

Schol. 21. Anno Domini 966° Dani ad fidem sunt per Popponem quendam conversi, qui ferrum candens et ignitum in modum cyrotecæ formatum, coram populo sine laesione portavit, quod videns rex Haraldus, abiecta ydololatria, cum toto populo ad colendum verum Deum se convertit. Poppo autem in episcopum est promotus t) (4, *secunda manu*).

k) De situ Bircæ urbis docti viri diu certaverunt, alii eam in insula Björkö in lacu Mälaren collocantes, alii apud Sigtunam (sive ejus fuerit quasi arx, sive idem ac antiqua Sigtuna, cujus nomen "Fornsigtuna" in vetustis diplomatis comparet). Ipsa tamen verba Adami, ne Sigtunam et Bircam confundamus, impediunt et satis aperte insulam Björkö indicant, ubi præterea excavationes novissimo tempore factæ haud parvam urbem diu exstitisse plane demonstrant. Ita legitur infra (Lib. III. cap. 70) Adalbertum Sigtunensi ecclesiæ Adalwardum juniorem præfecisse, sed ad Bircam, ubi metropolim esse voluerit, Hilthinum abbatem (seu Johannem) ordinasse (Lib. IV, cap. 20); et in scholio 94 dicitur, Adalwardum juniorem ad Sictunam et Upsalam directum fuisse, Johannem ad *insulas* maris Baltici destinatum. Neque situs duorum locorum (secundo vento paucis horis a Birca ad Sigtunam pervenias, si versus boream vela feceris) lucidius exprimi potest, quam ab Adamo infra lib. IV, cap. 28. "Est vero iter ejusmodi, ut a Sconia Danorum per mare velificans, quinto die pervenias usque Sictonam vel Bircam, juxta enim sunt. Si vero per terram eas a Sconia per Gothorum populos et civitatem Scaranem, Telgas et Bircam, completo mense pervenias Sictonam." — Cum in scholio 138 narratur Bircam in solitudinem redactam esse, hoc serius aut ab Adamo aut ab quodam alio additum videtur, quia in ipso opere pluries Birca ut florens urbs memoratur (ita supra in textu; lib. IV, cap. 20, Adalbertus eam metropolim instituere velle dicitur; cfr. scholion 122, ubi "familiare hospitium sanctorum nostræ sedis confessorum" vocatur. l) Adamus hominibus hic tribuit, quod naturæ aperte debetur. Sinuosum iter inter scopulos et latentia saxa, quod a mari in lacum Mälaren ducit, artificiis hominum difficilius facere tunc temporis vix opus erat. m) De Berone, Amundo et Olao vide vitam Ansg. cap. X, XVI et XXIII. Scriptoribus Islandicis Ring ejusque filii cogniti non sunt. n) Cfr. infra scholia 122 et 138. o) Sc. Adaldagus. p) Arhus in Jutia septentrionali. q) Verisimiliter in fine anni 947, cum duodecimus annus archiepiscopi incipit; Lappenberg ostendit tres omnes episcopos concilio Ingelheimensi d. 7 Januari 848 interfuisse. r) In præcedenti Adamus seriem temporum non stricte sequitur. Eventus annorum 983, 988, 973 et 981 memoravit. s) Sc. Blåtand, qui circa annum 986 obiisse videtur. t) Hoc miraculum apud posteros late diffusum etiam in nostros annales irrepsit (v. supra Tom. I, 1, pag. 47, 50 et 61).

Digitized by Google

confirmans, ultra mare in Nortmannos et Anglos suam dilatavit potentiam u). Emund filius Herici tunc in Suedia regnavit v). Is Haroldo confederatus, christianis eo venientibus placabilis fuit. —

23. Adaldagus igitur archiepiscopus ordinavit in Daniam plures episcopos, quorum nomina quidem repperimus; ad quam vero sedem specialiter intronizati sint, haud facile potuimus invenire. Aestimo, ea faciente causa, quod in rudi christianitate nulli episcoporum adhuc certa sedes designata est, verum studio plantandae christianitatis quisque in ulteriora progressus, verbum Dei tam suis quam alienis communiter praedicare certabant. Hoc hodieque trans Daniam per Nordmanniam et Suediam facere videntur. Igitur episcopi in Daniam ordinati sunt hii: Hored, Liafdag, Raginbrond, et post eos Harig, Stercolf, Folgbract, (Adelbrect,) Merka et alii. Odinkarum seniorem ferunt ab Adaldago in Sueoniam ordinatum strenue in gentibus legationem suam perfecisse. Erat enim, sicut nos fama tetigit, vir sanctissimus et doctus in his quae ad Deum sunt, praeterea quantum ad seculum, nobilis et oriundus ex Danis. Unde et facile barbaris quaelibet potuit de nostra religione persuadere. Ceterorum vero episcoporum vix aliquem sic clarum antiquitas prodit praeter Liafdagum Ripensem, quem dicunt et miraculis celebrem transmarina praedicasse (hoc est in Sueonia vel Norvegia). — — — — — — — — — — — — — — — — — — —

(Libentius archiepiscopus, 988—1013).

28. Tunc x) potentissimus rex Sueonum Hericus, exercitu innumerabili sicut harena maris collecto, Daniam invadit y) et occurrit ei Suein, derelictus a Deo, frustra sperans in ydolis suis. Multa utrimque bella navalia — sic enim ea gens confligere solet — copiae Danorum omnes obtritae, Hericus rex victor optinuit Daniam. Suein a regno depulsus dignam factis suis a Deo zelote recepit mercedem. Et haec nobis iunior Suein recitavit in avo suo z) contigisse, iusto Dei iudicio, quoniam illum dereliquit, quem pater eius bonum defensorem habuit.

29. Ferunt eo tempore a) classem pyratarum, quos nostri Ascomannos vocant b), Saxoniæ appulsam, vastasse omnia Fresiæ atque Hâduloæ maritima. Cumque per Albiæ fluminis ostium ascendentes irrumperent provinciam, tunc congregati Saxonum magnates, cum parvum habuissent exercitum, egredientes a navibus barbaros exceperunt apud Stadium, quod est oportunum Albiæ portus et præsidium. Magnum et memorabile nimisque infelix erat illud prœlium, in quo viriliter utrisque certantibus, nostri tandem minores sunt reperti. Sveones et Dani victores totam virtutem Saxonum optrivere. — — — — — — —

Schol. 25. 33. Hericus c), inquit d), duo regna optinuit, Danorum Sueonumque, et ipse paganus, christianis valde inimicus. Ad eum fertur legatus fuisse caesaris ac Hammaburgensis episcopi, quidam Poppo, vir sanctus et sapiens, et tunc ad Sliaswig ordinatus, de regno Danorum seu pace christianorum caesaris

Schol. 25. Hericus, rex Sueonum, cum potentissimo rege Polanorum Bolizlao e) foedus iniit. Bolizlaus filiam vel sororem Herico dedit f). Cuius gratia societatis Dani a Sclavis et Sueonibus iuxta impugnati sunt. Bolizlaus, rex christianissimus, cum Ottone tercio confoederatus, omnem vi Sclavaniam subiecit et Ruziam et Pruzzos, a quibus passus est sanctus Adalbertus, cuius reliquias tunc Bolizlaus transtulit in Poloniam. (2. 4.).

u) "In Anglia non regnavit." Lappenberg. v) Islandi hunc regem ignorant. Contra hoc tempore (sicut Adamus infra) multa de rege Erico Segersäll nobis tradunt, quem tamen jam an. 923 cum fratre Olavo patri Björnoni Eriksson successisse narrant, quod minus probabile videtur, cum Ericus Segersäll non ante annum 995 vita defunctus sit (Munch, l. c. I. 2, pag. 267, 268). Lappenberg conjicit Emundum Erici apud Adamum fuisse patruum Erici Segersäll et juniorem fratrem Björnonis, ab eodem patre Erico Emundsson natum. x) Adamus proxime supra mortem Haraldi Blâtand, regis Danorum, (quam Munch l. c. I, 2, pag. 106 et 124 ad annum 986 refert), obitum Adaldagi archiepiscopi d. 29 Aprilis 988, persecutionem christianorum per Svenonem filium Haraldi et quomodo idem Sveno bis a Slavis captus et a Danis pecunia sit solutus, exponit. y) Hanc irruptionem Munch l. c. pag. 106 anno 989 factam arbitratur. z) Estrid filia Svenonis Tveskägg genuit hunc Svenonem ideo Estridson appellatum. a) "quod factum an. 994 testantur Annales Hildesheimenses, Quedlingburg., Lamb. et Thietmar. Merseb. lib. IV, c. 16. "Lappenberg. b) Cfr. infra lib. IV, cap. 6: "pyratæ, quos illi Wichingos appellant, nostri Ascomannos." c) Sc. Segersäll. d) Sc. Sven Estridsson, rex Daniæ. e) "Bolislaw, filius Mieczyslawi s. Miseconis, 992—1025." Lappenberg. f) His verbis adducti nonnulli putaverunt, Sigridem Storråda, conjugem Erici Segersäll, fuisse filiam Miseconis ducis Poloniæ, præsertim quia infra cap. 37 dicitur: „post mortem Erici ... Svein [sc. Tveskägg] accepit uxorem Herici relictam, matrem Olaph [sc. Skotkonung], quæ peperit ei Chut"; et quia coævus Thietmarus Merseburgensis (lib. VII, cap. 28, Monum. Germaniæ, III, pag. 848) ait: "Filios Svenonis [sc. Harald et Chnut] peperit ei [sc. Svenoni] Miseconis filia ducis, soror Bolizlavi, successoris ejus et nati, quæ a viro suimet diu depulsa non minimam cum ceteris perpessa est controversiam." — Sagæ autem Islandorum Sigridem e gente Suecica celebri et bene cognita natam esse narrant et in secundis nuptiis cum Svenone rege solum filiam Estridem habuisse, Kanutum vero et Haraldum filios Svenonis in primis nuptiis cum Gunnhilde, filia regis Burislefi, natos esse; quod etiam verbis Thietmari firmatur. Munch (Norg. Hist. I, 2, pag. 126) ostendit quoque, fieri non posse, ut Kanutus, qui jam ante annum 1014 ut adultus compareat, filius sit Sigridis, quæ Svenoni verisimiliter an. 999 juncta sit; et animadvertit, coævum Encomium Emmæ reginæ (Script. rer. Danic. II, p. 479) post mortem Svenonis de filiis Haraldo et Canuto narrare: "pariter vero Sclavoniam adierunt et matrem suam quæ illic morabatur, reduxerunt." His rationibus Munch concludit, Svenonem Tveskägg uxorem Gunnhildam, sororem Boleslavi, non longe post nuptias rejecisse, eamque deinde domum reversam et denuo a patre vel fratre Erico Segersäll uxorem datam esse. Observandum quoque est, filiam Holmfridis, filiæ Erici, Gunnhildem appellatam (v. infra notam ad lib. III, cap. 11).

Digitized by Google

partes expostulans. Aiuntque eum pro assertione christianitatis, cum barbari suo more signum quaererent, nil moratum, statim ignitum ferrum gestasse manu, et illaesum apparuisse. Dumque hoc facile omnem gentilibus ambiguitatem erroris tollere videretur, iterum sanctus Dei, pro submovendo illius gentis paganismo, aliud dicitur ostendisse vel magnum miraculum: tunicam scilicet indutus ceratam, cum staret in medio populi circo, in nomine Domini praecepit eam incendi. Ipse vero, oculis ac manibus in celum tensis, liquentes flammas tam patienter sustinuit, ut veste prorsus combusta et in favillam redacta, hylari et iocundo vultu nec fumum incendii se sensisse testatus sit. Cuius novitati miraculi et tunc multa milia crediderunt per eum; et usque hodie per populos et ecclesias Danorum celebre nomen Popponis effertur.

34. Haec aliqui apud Ripam gesta confirmant, alii apud Heidibam, quae Sliaswig dicitur. Claruit etiam tunc in Dania felicis memoriae Odinkar senior, de quo supra diximus g), quod in Fune, Seland, Scone ac in Suedia praedicans, multos ad fidem christianam convertit. Eius discipulus et nepos fuit alter Schol. 26. Odinkar iunior, et ipse nobilis de semine regio Danorum, dives agri, adeo ut ex eius patrimonio narrent episcopatum Ripensem fundatum. Quem dudum Bremae scholis traditum, pontifex Adaldagus suis fertur manibus baptizasse, suoque nomine Adaldagus vocatus est. Is vero a Libentione archiepiscopo nunc ordinatus in gentes, apud Ripam sedem accepit. Nam et illustri vita sanctae conversationis Deo et hominibus acceptus erat, et christianitatem in Dania fortissime defendit. Hos viros comperimus illo tempore claros in ea regione, aliis qui adhuc supervixerant a diebus Adaldagi non ociosis. Qui etiam in Norvegiam et Suediam progressi populum multum Jesu Christo collegerunt. A quibus traditur Olaph Trucconis filius, qui Nortmannis imperavit, baptizatus, ex ea gente primus fuisse christianus. (Olaph Trucconis filius, expulsus a Norvegia, venit in Angliam, ibique suscepit christianitatem h), quam ipse primus in patriam revexit, duxitque uxorem a Dania, superbissimam Thore i), cuius instinctu bellum Danis intulit).

35. Alii dicunt olim et tunc ab Anglia quosdam episcopos vel presbyteros euangelizandi gratia egressos a domo, ab eisque Olaph baptizatum et ceteros; quorum praecipuus esset quidam Johannes episcopus, et alii postea dicendi k). Si hoc verum est, non invidet inquam mater Hammaburgensis ecclesia, si filiis suis benefecerint etiam extranei, dicens cum apostolo: Quidam praedicant per invidiam et contentionem, quidam autem propter bonam voluntatem et karitatem. Quid enim? Dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur, et in hoc, inquit, gaudeo et gaudebo.

36. Hericus igitur Suedorum rex in Dania conversus ad christianitatem, ibidem baptizatus est. Qua occasione praedicatores in Suediam transeuntes a Dania, fiducialiter agebant in nomine Domini. Audivi ego a prudentissimo rege Danorum, Hericum, post susceptam christianitatem, denuo relapsum ad paganismum. Quod vero cum Ottone tercio pugnaverit et victus sit, ab aliis comperi; rex tacuit.

37. Post mortem diu optatam Herici l) Suein ab exilio regressus, optinuit regnum patrum suorum anno depulsionis vel peregrinationis suae 14 m); et accepit uxorem Herici relictam, matrem Olaph n), quae peperit ei Chnut o). Sed nichil illi profuit affinitas conubii, cui Deus iratus est. (Olaph rex Sueonum christianissimus erat filiamque Sclavorum Estred nomine de Obodritis accepit uxorem p), ex qua genitus est filius Jacobus q), et filia Ingrad r), quam rex sanctus Gerzlef de Ruzzia duxit in coniugium). Olaph sane, qui post obitum patris Herici regnum super Suevos accepit, cum exercitu superveniens, infelicem Suein a regno expulit, et ipse optinuit Daniam. Cognovit autem Suein, quod Dominus ipse est Deus, et reversus in semetipsum, peccata sua prae oculis habuit, poenitensque oravit ad Dominum; qui exaudivit eum et dedit illi gratiam in conspectu inimicorum suorum, et restituit eum Olaph in regnum suum, eo quod matrem suam habuerit. Feceruntque pactum ad invicem firmissimum, ut christianitatem in regno suo plantatam retinerent, et in exteras effunderent nationes s).

38. Audiens autem rex Nortmannorum, Olaph filius Trucci, de coniunctione regum, iratus est contra Suein nimis, ratus eum quasi derelictum a Deo tociensque depulsum, a sua etiam multitudine facile posse depelli. Collecta igitur classe innumera, bellum intulit regi Danorum. Hoc factum est inter Sconiam

Schol. 27. Ille Odinkar in Angliam ductus est a rege Knut ibique eruditus litteris. Deinde Galliam discendo pervagatus, sapientis et philosophi nomen accepit. Unde et Deo carus nomen sortiri meruit. (2, 3, 4).

g) Lib. II, cap. 23. h) Recte, cfr. Munch l. c. pag. 242. i) Thyra, soror Svenonis Tveskägg et vidua Styrberni. k) Vide infra lib. IV, cap. 33. l) Circa annum 995. m) Errat Adamus, cum Svenonem post mortem patris Haraldi in Dania fuisse certum est, Munch ideo conjicit Svenonem bis e Dania pulsum septem annos in utraque occasione in exsilio fuisse (l. c. pag. 106). n) Sc. Skotkonung, regis Sveciæ. o) Perperam, nam Kanutus e Gunnhilde, prima Svenonis uxore, natus erat (v. supra not. f). p) Forsan memoria Adamum fefellit; nam Sagæ Islandorum Ingegerdem, filiam Olavi, etiam quoad matrem attinet, ex antiqua gente regia Upsaliensi ortam esse dicunt, Emundum vero et Astridem liberos Olavi ab Edla, filia principis Wendici, illegitime procreatos esse (cfr. Munch l. c. pag. 563, not. 2). q) Proprie Anundus appellatus; cfr. infra cap. 57. r) Lege: Ingegerd Jaroslavo, regi Holmgardiæ, nupta. s) Fœdus forsan bellum contra Olavum Tryggvason, regem Norvegiæ, respiciebat; Olavus Skotkonung demum an. 1008 baptizatus est.

Digitized by Google

et Seland t), ubi solent reges navali bello confligere. Est autem brevis traiectus Baltici maris apud Halsinburg, in quo loco Seland a Sconia videri possit, familiare latibulum pyratis. Ibi ergo congressi, Nortmanni a Danis sunt victi et fusi sunt. Olaph rex, qui forte solus remansit, in mare se praecipitans, dignum vitae finem invenit. (Uxor eius u) post mortem viri fame inediaque miserabiliter vitam consumpsit, ut digna erat). Narrant eum aliqui illum christianum fuisse, quidam christianitatis desertorem; omnes autem affirmant peritum auguriorum, servatorem sortium et in avium prognosticis omnem spem suam posuisse. Quare etiam cognomen accepit, ut Olaph Cracabben v) diceretur. Nam et artis magicae, ut aiunt, studio deditus omnes, quibus illa redundat patria, maleficos habuit domesticos, eorumque deceptus errore periit.

39. Suein, interfecto Cracabben, duo regna possedit x). Ipse igitur mox destructo ritu ydololatriae, christianitatem in Nortmannia per edictum suscipere iussit. Tunc etiam Gotebaldum quendam ab Anglia venientem episcopum in Sconia posuit doctorem, qui aliquando in Suedia y), saepe dicitur euangelizasse in Norvegia.

44. — — — In Sclavania vero ordinavit archiepiscopus z) Folcwardum a), deinde Reginbertum; quorum prior a Sclavania pulsus b), in Suediam vel Nordve[g]iam missus est ab archiepiscopo, et ipse multos in Domino lucratus, cum gaudio remeavit. Posthæc omnibus bene compositis obiit beatus archimandrita Libentius, unaque Ferdensis episcopus anno Domini 1013. — — — — — — — — — — —

(*Unwanus archiepiscopus 1013—1029*).

47. — — — Archiepiscopus etiam alios viros doctissimos ordinavit in Norvegiam vel Suediam; alios vero in Anglia ordinatos, pro amicitia regum, cum satisfacerent, ad aedificandam dimisit ecclesiam. Multos eorum secum retinens, omnes autem, cum abierant, donis cumulans, ad subjectionem Hammaburgensis ecclesiæ reddidit voluntarios c).

50. Chnud, filius regis d), cum exercitu reversus in patriam, denuo bellum molitur in Anglos. Olaph a Nortmannis electus in principem, separatus est a regno Danorum e). Tunc vero Chnud ancipiti casu turbatus, pactum iniit cum fratre Olaph f), filio Herici, qui regnavit in Suedia, eiusque fultus auxilio deliberavit primo quidem Angliam subiugare, deinde Norvegiam. — — — — — — — — —

55. Inter Chnut et Olaph, regem Nortmannorum, continuum fuit bellum, nec cessavit omnibus diebus vitæ eorum; Danis pro imperio certantibus, Nortmannis vero pugnantibus pro libertate. In qua re justior mihi visa est causa Olaph, cui bellum necessarium magis fuit quam voluntarium. Si quando autem tempus a bellorum motibus quietum erat, idem Olaph judicio et justitia regnum gubernavit. Dicunt eum inter cetera virtutum opera magnum Dei zelum habuisse, ut maleficos de terra disperderet, quorum numero cum tota barbaries exundet, præcipue vero Norvegia monstris talibus plena est. Nam et divini g) et augures et magi et incantatores ceterique satellites antichristi habitant ibi, quorum præstigiis et miraculis infelices animæ ludibrio demonibus habentur. Hos omnes et huiusmodi beatissimus rex Olaph persequi decrevit, ut sublatis scandalis firmius coalesceret in regno suo christiana religio. Habuitque secum multos episcopos et presbyteros ab Anglia, quorum monitu et doctrina ipse cor suum Deo praeparavit, subiectumque populum illis ad regendum commisit. Quorum clari doctrina et virtutibus erant Sigafrid h), Grimkil i), Rudolf et Bernard. Hi etiam iussu regis ad Suediam et Gothiam et omnes insulas, quae trans Nortmanniam sunt, accesserunt euangelizantes barbaris verbum Dei et regnum Jesu Christi. Misit etiam nuntios ad archiepiscopum nostrum cum muneribus, petens, ut eos episcopos benigne reciperet, suosque ad eum mitteret, qui rudem Nortmannorum populum in christianitate confortarent.

56. Simili religionis amore alter Olaph in Suedia dicitur floruisse. Is subditos sibi populos ad christianitatem convertere volens, magno laboravit studio, ut templum ydolorum, quod in medio Sueoniae situm est, Ubsola destrueretur. Cuius intentionem pagani metuentes, placitum cum rege suo tale constituisse dicuntur, ut si ipse vellet esse christianus, optimam Suediae regionem, quam vellet, suo iuri teneret, in qua ecclesiam et christianitatem constituens, nemini de populo vim recedendi a cultura deorum inferret, nisi qui sponte cuperet ad Christum converti. Huiusmodi rex placito gavisus, mox in occidentali Gothia, quae Danis proxima est vel Nortmannis, ecclesiam Deo sedemque fundavit episcopalem. Haec est civitas Scarane k) maxima, in qua, petente christianissimo rege Olaph, primus ab Unwano archiepiscopo Thurgot

t) Sæpius hæc memorabilis pugna ad Svoldern prope Rugiam an. 1000 commissa esse dicitur. u) Sc. Thyra, v. not. i. v) A voce "Kraka", cornix, quæ avis fatidica apud multos populos habita est. x) Norvegia inter victores est divisa (cfr. Munch l. c. pag. 404). y) Commemoratio Gotebaldi die 21 Augusti Lundis celebrabatur, (vide Script. rer. Danic. III, pag. 454). z) Sc. Bremensis, Libentius. a) Qui infra cap. 62 Bremæ sepultus esse dicitur. b) Lappenberg animadvertit, Reginbertum successorem jam an. 992, Octobr., electum Aldenburgensem vocari. c) In capite 53 propius describitur, quomodo Unwanus predicatores Anglicos ditioni ecclesiæ suæ subjicere studuit. d) Sc. Svenonis Tveskägg, qui d. 2 Februarii an. 1014 in Anglia vita decesserat. e) I. e. Olavus Haraldsson, Norvegiæ rex factus (in fine anni 1015) patriam liberat. f) Minus recte, cfr. supra pag. 160 not. f. Mater Olavi, Sigrid Storråda, erat noverca Kanuti. g) I. e. divinatores. h) Vide infra lib. II, cap. 62 et lib. IV, cap. 33. i) V. infra lib. IV cap. 33. k) Hodie Skara.

Digitized by Google

ordinatus est l). Ille vir strennue legationem suam perfecit in gentibus; duos nobiles populos Gothorum m) suo labore Christo lucratus est.

57. Perque illum episcopum rex Olaph ingentia metropolitae Unwano direxit munera. Praeterea duos fertur idem rex habuisse filios, quos una cum uxore sua ac populo iussit baptizari. Eorum alter, qui natus est a concubina, Emund nomen accepit; alter Anund, quem rex a legitima genuit, cognomento fidei et gratiae dictus est Jacobus n), iuvenis quidem aetate, verum sapientia et pietate praecessit omnes, qui fuerunt ante eum; nec quispiam regum fuit populo Sueonum tam acceptus sicut Anundus. —

59. Olaph igitur, clarissimus rex Nortmannorum, contra Chnut, regem Danorum, qui regnum suum impugnaverat, perpetuo decertabat prælio. Tandemque ferunt beatissimum regem Olaph seditione principum, quorum mulieres ipse propter maleficia sustulit, a regno depulsum Norvegiæ. Et regnavit Chnut in Nortmannia simul et Dania et, quod nulli regum prius contingere potuit, in Anglia. Olaph vero totam spem suam in Deo ponens, ad comprimendos ydololatras denuo bellum instaurat. Itaque de rege Sueonum, cujus filiam habuit o), et populis Islanorum p) infinitam congregans armatorum multitudinem, patrium regnum vi et armis recepit. (*Sequitur narratio de nece Olavi an. 1030*). — — — — — — — — — — —

60. Per idem tempus q) sermo est quendam ab Anglia nomine Wolfredum, divini amoris instinctu Suediam ingressum, verbum Dei paganis cum magna fiducia praedicasse. Qui dum sua praedicatione multos ad christianam fidem convertisset, ydolum gentis nomine Thor, stans in concilio paganorum coepit anathematizare; simulque arrepta bipenni simulacrum in frusta concidit. Et ille quidem pro talibus ausis statim mille vulneribus confossus, animam laurea dignam martyrii transmisit in coelum. Corpus eius barbari laniatum post multa ludibria merserunt in paludem. Haec veraciter comperta memoriae tradidi; quamvis sint et alia, quae adhuc scribi digna sint. — — — — — — — — — — — — —

(Libentius II, archiepiscopus 1029—1032),

62. Et primo omnium concilians r) sibi Chnut, regem Danorum, Gerbrando subrogavit in Seland Avoconem, in Aldinburg s) ordinavit Meinherum, Thorgato t) autem successorem posuit de Ramsola u) Schol. 44.
Gotescalcum episcopum v). Illis namque diebus beatissimus Thorgat episcopus pro labore praedicationis Bremae cum archiepiscopo diutius consistens, fertur asperrimo leprae morbo percussus, diem vocationis suae Schol. 45.
cum magna expectasse patientia. Tandemque bono fine consummatus x), in basilica sancti Petri sepultus

Schol. 44. Ipso tempore migravit Poppo, celeberrimus Danorum episcopus, cui mox subrogatus Esico cum ad Egdoram fluvium perveniret, ibidem aegritudine correptus obiit. (2, 3, 4).

Schol. 45. Ferunt Thorgotum simulque Odinkarum episcopum longe ante praedixisse Hamburg et Bremensem ecclesiam propter peccata quandoque vastari debere; quae prophetia nunc cernitur impleta. (2).

Schol. 46. Soror Odinkari episcopi fuit Asa, mulier sanctissima, quae et praebendam Bremae habuit. Haec semper nudis pedibus incedens, per 20 annos fertur ieiuniis, orationibus et elemosinis vacasse, raro egressa ecclesiam et postea in bono fine consummata, cum nichil amplius in thesauris habuit, liberos ecclesiae dimisit. (2, 3).

l) De morte Thurgoti cfr. infra cap. 62. Episcopus, etiamsi non Scarensis, ante ordinationem Unwani fuisse videtur. Thietmarus Merseburgensis, coævus scriptor, (Mon. Germ. III, pag. 832) narrat, Unwanum d. 2 Februarii 1013 auxilio episcoporum Ekkehardi et Thurgati Magdeburgi a Gerone archipræsule consecratum. Quæ Adamus de fundatione diocesis Scarensis refert, optime congruunt cum coæva narratione, Olavum an. 1008 baptizatum esse (v. infra sect. II, pag. 115, not. a) et verbis vetustæ seriei regum (supra Tom. I, 1, pag. 7 et 8), Olavum statim post baptizationem totam Husaby mensæ episcopali dedisse. m) Sc. Ost- et Vest-Gothorum. n) Saga vero Olavi sancti cap. 89 et 127 puerum modo natum nomine Jacobi baptizatum esse, sed postea, cum nomen regium ei daretur, a Sveonibus christianam vocem Jacobi ægre ferentibus Önundum appellatum narrat. o) Adamus Olavum Skotkonung, cum hæc fierent, adhuc in vivis esse aperte putavit, sed ex fontibus Islandicis et Saxone Grammatico (v. supra) bene novimus illum jam tum defunctum esse filiumque Anundum Olavum sanctum, qui Astridem, sororem Anundi, pro uxore habuit, contra Kanutum adjuvisse. p) Alii codices: insularum; quæ vox forte insulas maris Baltici respicit. Olavus certe Gotlandiam in reditu appulit (v. supra pag. 10, not. f). q) Sc. quo Olavus sanctus cecidit, quod anno 1030 evenit. r) Sc. Libentius. s) Locus in Holsatia insulæ *Femern* oppositus (ut dicitur infra lib. IV, cap. 18) qui hodie Oldenburg nominatur. Sedes episcopalis postea Lubecam translata est. t) Sc. Scarensi episcopo, vide supra cap. 56 not. l. u) Etiam Ramesloh vocatur iste locus tribus milliariis ab Hamburg distans, ubi Ansgarius claustrum anno 845 instituerat (Tappehorn l. c. pag. 127 et 128). v) Qui tamen numquam in Sueciam transisse videtur. Cum enim Adamus lib. IV, cap. 23 episcopos Scarenses persequitur, ait: "secundus vero Godescalcus, vir sapiens et bonus, ut prædicant, nisi quod domi sedens ocium labori prætulit." Et infra in cap. 64 narratur, filium principis cujusdam Vinulorum apud Luniburg, monasterium ducis [sc. Bernardi] eruditum esse "Gotescalco Gothorum episcopo ejusdem coenobii curam agente." De hoc monasterio ejusque præsulibus cfr. Wedekind: Noten zu einigen Geschichtsschreibern, II, 326. x) Dies obitus, IX Kal. Martii, in Necrologio s. Michaelis in Lüneburg (Script. rer. Dan. V, pag. 383) exstat. Annus videtur esse 1029, cum proxime ante mors Unwani archiepiscopi d. 27 Januarii 1029 traditur et, postquam prima acta Libentii successoris sunt memorata, dicitur: illis diebus ... Thorgat ... fine consummatus."

Digitized by Google

Schol. 46. est. Ubi etiam Folcwardus y) et Harich et magnus Othingar et Poppo in pace quiescunt. Aderant vero tunc cum archiepiscopo praedicatores inclyti, Othingar iunior ex Danis, Sigafrid a Suedia z), Rodolf a Normannia episcopi, narrantes ei, quanta fecerit Dominus in salute gentium, quae cotidie convertebantur. Quos pontifex, ut par fuit, honorifice dimissos ad praedicationem denuo misit.

(Bescelinus Alebrandus, archiepiscopus 1035—1045).

71. Anno pontificis sexto a) manu fortis imperator Conradus obiit, et successit ei filius Heinricus, ille qui Ungros domuit. Eodemque tempore memorabiles aquilonis reges obierunt Chnut b) et Olaph c), germani fratres d). Quorum alter, videlicet Olaph, rex Sueonum, successorem regni habuit filium, de quo supra diximus, Jacobum. Sub quo iunior Suein, filius Wolf e), militavit in Suedia 12 annis, qui retulit nobis, Jacobo regnante, christianitatem late in Sueonia diffusam esse. Alter frater, scilicet Chnud, in Anglia decessit, tenuitque regna Danorum, Anglorum ac Nortmannorum in ditione sua per viginti duos annos.

74. — — — Tali pacto f) mitigatus Suein in Daniam remeavit. Multa praelia Suein cum Magno feruntur. Tociens Suein victus, ad regem Sueonum fugiens pervenit Anundum g).

Liber Tertius.

(Adalbertus Archiepiscopus 1045—1072).

11. Metropolitanus h) statim ut ingressus est episcopatum, ad reges aquilonis pro amicitia legatos misit. Epistolas quoque commonitorias sparsit per omnem Daniam sive Nortmanniam ac Suediam et usque ad fines terrae, exhortans episcopos et presbyteros in illis partibus degentes, ut ecclesias domini nostri Jesu Christi fideliter custodirent atque ad conversionem paganorum accederent intrepidi.

Schol. 62. Magnus eo tempore simul tenebat duo regna, Danorum videlicet atque Nortmannorum, Jacobus adhuc in Suedia sceptrum habuit. Cuius auxilio Suein et Tuph ducis i) effultus, Magnum pepulit a Dania. Qui denuo bellum instaurans, obiit in navibus k). Suein duo regna possedit, classemque parasse dicitur, ut Angliam suo iuri subiceret. Verum sanctissimus rex Edwardus, cum iusticia regnum gubernaret, tunc quoque pacem eligens, victori obtulit tributum, statuens eum, (ut supra dictum est l), post se regni heredem. Cumque rex iuvenis Suein tria pro libitu suo regna tenuerit, mox succedentibus prósperis, oblitus est celestis regis et consanguineam a Suedia duxit uxorem m). Quod domno archiepiscopo valde displicuit, furentemque regem, missis legatis ad eum, de scelere terribiliter increpuit; postremo, nisi resipuerit, excommunicationis gladio feriendum esse (minatus est). Tunc ille conversus in furorem, minabatur omnem Hammaburgensem parrochiam vastare et exscindere. Ad quas minas imperterritus noster archiepiscopus arguens et obsecrans perstitit immobilis, donec tandem flexus Danorum tyrannus per litteras papae, libellum repudii dedit consobrinae. Nec tamen rex sacerdotum admonitionibus aurem praebuit, sed mox ut consobrinam a se dimisit, alias itemque alias uxores et concubinas assumpsit, et suscitavit ei Dominus inimicos in circuitu multos, sicut Salemoni fecit proprios servos. — — — — — — — — — —

Schol. 62. Suein a Magno victus, cessit fortunae et factus est homo victoris, faciens ei sacramentum fidelitatis. Sed cum denuo rebellare cepisset consilio Danorum, nichilominus a Magno superatus est. Ita Suein fugiens ad Jacobum venit, adprime dolens pro fide pollicita, quam violavit. (2, 4).

y) Cfr. supra cap. 44. Ceterum de suffraganeis diocesis Hamburgensis inspiciendum est egregium opusculum a Lappenbergio confectum, quod insertum est in: Pertz, Archiv. .. für ältere deutsche Geschichtskunde, tom. IX, pag. 382—438 z) Cfr. supra cap. 55 et infra lib. III, cap. 14 et lib. IV, cap. 33. a) "Rectius quarto ejus anno. Conradus imp. obiit anno 1039, Juni 4" Lappenberg. b) Kanutus obiit d. 12 Novembr. 1035. c) Olavus jam in hieme 1021—1022 mortuus est (v. Munch l. c. I, 2, pag. 612, not 1. d) In quo Adamus fallitur, nam Sigrid Storråda, mater Olavi, tantum erat noverca Kanuti (cfr. supra pag. 160 not. f). e) I. e. Sven Estridsson, cujus pater erat Ulfo dux. f) Adamus proxime supra mortem Harde Kanuti regis Angliæ, (d. 8 Junii 1042), electionem Edwardi confessoris ejusque pactionem cum Svenone Estridsson, qua iste Edwardi successor constitutus sit, memoravit. Fides Adami in his rebus, gravibus argumentis a Munch (l. c. I, 2, pag. 841, not. et 864, not. 3) impugnatur, qui Svenonem regem industria Adamum fefellisse censet. g) De hoc certamine inter annos 1042—1047, quo Magnus obiit, cfr. Munch, l. c. Tom. II. h) Sc. Adalbertus, qui anno 1045, non 1043, ut Adamus errore quodam ductus tradit, electus est (qua de re vide expositionem Lappenbergii). i) Munch II, pag. 119, not. 4 conjicit hic respici Tove, filium Valgauti, magnatis Vestrogotiæ. Alii Ulfonem legere volunt (cfr. Strinnholm, Svenska Folk. Hist. I, pag. 475). k) 1047, d. 25 Octobris. Svein vero numquam regnum Norvegiæ obtinuit, quod ad Haraldum Hårdråde est delatum. l) Lib. II, cap. 74. m) Adamus hoc loco Svenoni tantum unam uxorem tribuit, quam consobrinam ejus a Svetia appellat; infra cap. 14 nomen affert: Gunhild [vel Giuthe], quæ obscuritas duorum nominum verbis scholii 67 dissipatur: "Alia erat Gunhild, relicta Anundi, alia Gudè, quam Thore interfecit;" idem affirmatur scholio 73, ubi legitur: ".. una ex concubinis eius Thore nomine, legitimam ipsius reginam Gude veneno extinxit." Jam vero fontes Islandici (Snorre, Saga Haralds Hardrada, cap. 42, et Knytlingasaga cap. 23) narrant Svenonem in matrimonium duxisse Gunnildem filiam Svenonis Jarl, et hæc Gunnildis erat consobrina Svenonis, quia Holmfridis, uxor Svenonis Jarl et mater Gunnildis, et Estridis, mater Svenonis Estridsson regis, ex eadem matre, Sigride Storråda, quamquam in diversis ejus nuptiis cum Erico Segersäll et Svenone Tjuguskägg genitæ erant (cfr. Munch, Norges Hist. l, 2, pag. 315 et 486). Saxo Gunnildem et Gydam confudit (v. supra pag. 92, not. g; utra fuerit prior Svenonis uxor, adhuc in incerto est, cfr. locos ibidem allatos).

Digitized by Google

14. Cum haec ibi gesta essent n), christianissimus rex Sueonum Jacobus migravit e saeculo o), et successit ei frater eius Emund (Gamul) pressimus p). Nam iste a concubina Olaph natus erat q), et cum baptizatus esset, non multum de nostra religione curavit, habuitque secum quendam episcopum nomine Osmund, acephalum r), quem dudum Sigafridus, Nortmannorum episcopus s), Bremae scolis docendum commendavit t). Verum is postea beneficiorum oblitus, pro ordinatione Romam accessit, indeque repulsus, per multa loca circuivit erroneus, et sic demum ordinari meruit a quodam Polaniae archiepiscopo. Tunc veniens in Suediam, iactavit se a papa consecratum in illas partes archiepiscopum. Sed cum noster archiepiscopus legatos suos ad Gamulan regem dirigeret, invenerunt ibi eundem girovagum Osmund, archiepiscopali more crucem prae se ferentem. Audierunt etiam quod barbaros adhuc neophitos non sana fidei nostrae doctrina corruperit. Quorum ille praesentia territus, solitis populum regemque impulit dolis, ut legati repellerentur, quasi non habentes sygillum apostolici. Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Erant autem legati fratres Bremensis ecclesiae, quorum potissimus fuit Adalwardus senior, olim nostri claustri decanus, verum tunc Sueonum genti ordinatus episcopus u). De cuius viri virtutibus multa possent dici, nisi properaremus ad alia. Legatos igitur tali modo a Sueonibus repulsos fertur quidam nepos an privignus regis, ignoro, prosecutus esse, cum lacrimis suppliciter se commendans orationibus eorum. Nomen ei Stinkil erat v), is solus misericordia motus super fratres, optulit eis munera, transmisitque eos per montana Suedorum salvos usque ad sanctissimam Gunhild (vel Giuthe) reginam, quae a rege Danorum pro consanguinitate separata, in praediis suis trans Daniam commorata est, x) hospitalitati elemosinisque vacans, et ceteris operibus sanctitatis insistens. Ea legatos cum ingenti honore quasi a Deo missos recipiens, magna per eos xenia misit archiepiscopo. Schol. 66. Schol. 67.

15. Interea Sueones, qui episcopum suum repulerunt, divina ultio secuta est. Et primo quidem filius regis nomine Anund, a patre missus ad dilatandum imperium, cum in patriam feminarum pervenisset, quas nos arbitramur Amazonas y) esse, veneno, quod illae fontibus immiscuerunt, tam ipse quam exercitus eius perierunt. Deinde cum aliis cladibus tanta siccitas et frugum sterilitas Sueones afflixit, ut missis ad archiepiscopum legatis, episcopum suum reposcerent, cum satisfactione fidem gentis pollicentes. Gavisus igitur pontifex, petenti gregi volentem dedit pastorem. Qui deinde perveniens in Sueoniam, tanta omnium alacritate suscipi meruit, ut gentem Wirmilanorum z) integram Christo lucratus, etiam miracula virtutum in populo fecisse dicatur. Eodem tempore mortuus est rex Sueonum Emund a), post quem levatur in regnum nepos eius Stinkel, de quo supra diximus. Qui fidelis erat domino Jesu Christo, et de religione eius testimonium perhibebant omnes fratres nostri, qui eas partes adierant. Haec de Sueonibus suo tempore gesta domnus Adalbertus archiepiscopus amplifico sermone, ut solebat, omnia describens, etiam visionem quandam episcopi Adalwardi, qua monitus est, ut evangelizandi gratia pergere non tardaret, curavit adnectere. Schol. 68.

Schol. 66. Illo egresso Bremense claustrum regula, disciplina fratrum et concordia defecit, acephalis omnia turbantibus. (4.)

Schol. 67. Alia erat Gunhild, relicta Anundi, alia Gude quam Thore interfecit. (2. 3. 4.)

Schol. 68. Adalwardus episcopus a rege Haroldo invitatus venit in Nordmanniam, ibique corpus cuiusdam viri, qui ante 60 annos defunctus est, nec omnino putrescere potuit, facta absolutione reconciliationis, mox in pulverem redegit. Erat enim ille homo quondam a Libentio archiepiscopo propter piraticam excommunicatus, ut ipsi per visionem revelatum est Adalvardo. (2. 4.)

n) Adamus proxime supra vastationes Haraldi Hårdråde in Dania (quas Munch l. c. II 237—239 in annis 1048 et 1049 collocat) et occisionem Bernonis, fratris Svenonis Estridsson regis, in Anglia (quæ testantibus chronicis anno 1049 contigit) memoravit. o) Anno igitur 1049 vel 1050, ut videtur. Nonnulli mortem Anundi paulo serius in annum 1052 vel 1053 rejicere volunt, sed fortasse minus recte (cfr. Munch l. c. II, pag. 174, not. 4.) p) Verisimiliter versio Latina cognominis "Slema", quod ei dabatur (v. supra Tom. I, 1. pag. 8.) q) Cfr. supra lib. II, cap. 57. r) Certe idem indicat, ac infra "girovagus" i. e. vir, qui legitimo metropolitano se subjicere nolens quasi capite caret et ideo extra ecclesiam vagatur. s) Cfr. supra lib. II. cap. 55 et 62. Infra lib. IV, cap. 33 idem Sigafridus avunculus Aesmundi appellatur. t) Osmundi nomen etiam infra cap. 70 comparet. Ad Angliam rediit et ibi in monasterio Eliensi circa annum 1070 obiit, ut Historia Eliensis docet, excerpta in opusculo Lappenbergii pag. 425 (v. supra pag. 164 not. y). Eum forte eundem esse ac Astmudær in Chronico episc. Scarensium jam observavimus (v. infra sect. II. pag. 113 not. k.) u) De quo cfr. infra cap. 15 et schol. 68, cap. 70 et schol. 94, lib. IV, cap. 23 et schol. 131. Tempus hujus legationis in tempore Emundi regis incidere, Adamus expressis verbis narrat, i. e. ante annum 1056 vel circa, quo Emundus obiit (v. infra). Lappenberg vero (Pertz, Archiv IX, pag. 420) diploma affert, secundum quod Adalvardus anno 1060 Bremæ ut decanus versatur. Fortasse episcopus non ante secundum iter in Sveciam ordinatus est. v) Affinitas Steinkilli cum antiqua domo regali adhuc in tenebris involuta est (v. Strinnholm: Svenska Folkets Historia, III, pag. 6 et 7, et Munch l. c. II, pag. 173, 174 et 178). x) vide supra cap. 11, not. m. y) Auctor hic similitudine vocum "qvinna" et "Kvän" aperte deceptus est. Fenni jam inde ab antiquitus "Kväner" vocabantur (cfr. Otheri Periplus in Script. rer. Danic. II, pag. 112) et adhuc hodie ita a Norwegis nominantur; quare omnia, quæ hic et infra (lib. IV, cap. 19) de Amazonis traduntur, ad populos Fenniæ referenda sunt. z) I. e. inhabitatores Wermelandiæ, quæ terra ideo diocesi Scarensi, cujus episcopus Adalwardus erat, in posterum subiecta est. a) Circa annum 1056, ut videtur, quia hoc anno in tota Europa magnam sterilitatem frugum et inopiam accidisse chronica narrant, et eadem res apud nos brevi ante mortem Emundi evenisse dicitur.

Digitized by Google

24. In diebus illis b) Wal, Danorum episcopus, migravit e seculo. Cuius diocesim rex Suein in quatuor episcopatus distribuens, praebente suam auctoritatem metropolitano singulis suos intronizavit episcopos. Tunc etiam pontifex noster in Suigiam vel Norvegiam et in insulas maris ad messem dominicam operarios misit. De quorum ordinatione singulorum habundantius dicetur in fine c).

— —

52. Iu Sueonia per idem tempus christianissimus rex Stinkel defunctus est d), post quem certantibus de regno duobus Hericis, omnes Suedorum potentes feruntur occubuisse in bello. Nam et reges ambo ibi
Schol 85. perierunt. Ita prorsus deficiente omni regali prosapia e), et status regni mutatus, et christianitas ibi turbata est valde. Episcopi, quos illuc metropolitanus ordinavit, persecutiones metuentes, domi sederunt. Solus episcopus Sconiae procuravit ecclesias Gothorum f). Et quidam Sueonum satrapa Gniph ad christianitatem populum confortavit.

53. — — — Novissimis archiepiscopi temporibus, cum ego Bremam venerim g) audita ejusdem regis h) sapientia, mox ad eum venire disposui: a quo etiam clementissime susceptus, ut omnes, magnam hujus libelli materiam ex ore ejus collegi. Erat enim scientia litterarum eruditus et liberalissimus in extraneos, et ipse direxit praedicatores suos clericos in omnem Suediam, Nortmanniam et in insulas, quae sunt in illis partibus. Cuius veraci et dulcissima narratione didici, suo tempore multos ex barbaris nationibus ad christianam fidem conversos, aliquos etiam tam in Suedia quem in Norvegia martyrio coronatos; ex quibus, ait, Hericus quidam peregrinus dum Sueones ulteriores praedicaret, martyrii palmam capitis abscisione meruit. —

70. *(Industria et ardor Adalberti archiepiscopi exponuntur, quibus motus prædicatores in omnes gentes septentrionis continuo mittebat, unde Brema quasi imago Romæ facta a populis catervatim peteretur)* Inter quos extremi venerant Islani, Gronlani, Gothorumque et Orchadum legati, petentes, ut illuc prædicatores dirigeret, quod et statim fecit. Nam et in Daniam, Suediam et Nordwegiam et in insulas maris ordinavit episcopos multos; de quibus et ipse gaudens dicere solebat: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. — — — — *(Deinde Adamus narrat, quomodo Adalbertus concilium omnium aquilonarium episcoporum habere voluit, sed cunctatione transmarinorum in ea re impeditus est; ad cujus rei fidem binas literas affert, unam Alexandri papæ ad episcopos Daciæ, alteram, quæ hic sequitur)* "Adalbertus, sanctae Romanae et apostolicae sedis legatus, necnon universarum septentrionalium nationum archiepiscopus, Hammaburgensis quoque ecclesiae provisor indignus, W. m) Roskildensi episcopo salutem. Ad synodum, quam apud Sleswich celebrandam esse constitui, vos venisse aut nuncium vestrum misisse grato animo perciperem. Sed de hoc alias. Nunc autem fraternitatem vestram latere nolo, quid molestiae mihi Adalwardus episcopus intulit, quem vobis teste, qui ordinationi eius interfuistis, Sictonensis ecclesiae consecravi pontificem n). Quem dum barbara gens sibi praeesse noluit, Scariensem ecclesiam invadere cepit o). Peto igitur, ut nuncium meum, qui illuc iturus est, ad Dalbogiensem velitis episcopum p) dirigere." — — — — — —
— —

Schol. 85. Duobus Hericis in praelio interfectis, Halzstein, filius Stenkel regis, in regnum levatus est i). Quo mox pulso, accersitus est Amunder a Ruzzia k), et illo nichilominus amoto, Sueones quendam elegerunt Haquinum l). (2, 3, 4.)

b) Tempus e superiori non satis elucet; Lappenberg (Pertz, Archiv IX, pag. 411) concludere vult Wal, episcopum Ripensem circa an. 1060 decessisse. c) Vide infra cap. 70 et lib. IV, cap. 23—29. d) In superiore capite invasio Angliæ per Normannos anno 1066 facta describitur, quam igitur Steinkel supervixit. Munch l. c. II, 383, not. 1 eum non ante annum 1067 decessisse, quia Adamus (lib. IV, cap. 29) Eginonem et Adalvardum episcopos a Steinkello ammonitos esse narrat de persecutione in Sclavania, quæ, ut ex lib. III cap. 50 apparet, in mense Novembri anni 1066 contigit. e) Sc. ex antiqua domo regia, ad quam duo illi Erici sine dubio pertinuerunt, nam Steinkil filios reliquit, ut ex Scholio 85 et fontibus Islandicis cognoscimus. f) Sc. Egino, ut ex lib. IV, cap. 9 elucet. g) Supra cap. 4 Adamus se anno 24:o Adalberti Bremam venisse dicit; hic annus d. 16 Aprilis 1068 initium cepit. h) Sc. Svenonis Estridsson. i) In his regibus, qui Steinkillo successerunt, eorumque ordine Adamus et Islandi non concordant (cfr. Reuterdahl, Svenska Kyrk. Hist. I, pag. 357—359 et Munch l. c. II, pag, 384, 385). k) Cfr infra lib. IV, cap. 27, schol. 136. l) Catalogus regum e Westrogothia oriundus (supra Tom. I. 1, pag. 8) eum Wetrogothum et antecessorem Steinkilli facit, sed major fides habenda est coævo Adamo, cui Snorre etiam adsentitur, Haqvinum a Svenonibus post mortem Steinkilli electum esse. Verisimile est Sveones paganismo adhuc faventes progeniem Steinkilli e Westrogothia ortam et christianitati addictam hac electione excludere voluisse. m) Wilhelmo. n) Jam tempore Steinkilli regis, i. e. ante annum 1067. (v. infra lib. IV, cap. 28); cfr. etiam supra not. d. o) Ex Scholio 131 (lib. IV, cap. 23) apparet, hunc Adalwardi junioris sedis Scarensis occupundæ conatum factum esse, postquam Adalwardus senior Scaræ vita defunctus est (quod secundum idem scholion ante mortem Haraldi Hårdråde an. 1066 accidisse videtur) et postquam Sveones, mortuo Steinkillo (circa annum 1067, v. supra not. d) prædicatores christianos ejecerunt (cfr supra cap. 52). Cum vero jam d. 11 Juni 1069 Adalwardum Sictoniensem episcopum literis Adalberti Bremæ subscribere invenimus (v. Hamburg. Urkund. Buch n. 101) et ex scholio 131 et lib. IV, cap. 29 videmus, eum Bremam revocatum ibi demum obiisse, concludere licet, hanc ejus in sedem Scarensem invasionem circa finem anni 1067 vel annum 1068 factam esse. p) Sc. Eginonem, qui duas sedes Sconiæ, Lundensem et Dalbyensem, postea in unam conjunxit, cfr infra lib. IV, cap. 8 et 9.

Digitized by Google

Isti vero, quos metropolitanus ad gentes ordinavit, plures sunt, quorum sedes et nomina didicimus ipso narrante. — — — — In Suediam consecravit sex: Adalwardum q) et Acilinum r), item Adalwardum s) et Tadicum t), necnon Symeonem u) atque Johannem monachum v). — — — — — — — — — Schol. 94.

Schol. 94. Adalvardus senior uterque [ɔ: utrique] praefectus est Gothiae, iunior ad Sictunam et Ubsalam directus est x), Symon ad Scritefingos, Johannes ad insulas Baltici maris destinatus est. Vigesimus erat Ezzo, quem ipse ordinavit in Sclavaniam. (2, 3, 4.)

Liber IIII.

7. A Seland in Sconiam traiectus multi, brevissimus in Halsinpurgh, qui et videri potest y). Sconia est pulcherrima visu Daniae provincia, unde et dicitur z), armata viris, opulenta frugibus divesque in mercibus, et nunc plena ecclesiis. Sconia bis tantum habet in spacio quam Selandia, hoc est trecentas ecclesias, cum Seland dicatur habere dimidium, Funis terciam partem. Sconia est pars ultima Daniae, fere insula; undique enim cincta est mari, praeter unum terrae brachium, quod ab oriente continens Sueoniam disterminat a Dania. Ubi sunt profundi saltus montesque asperrimi, per quos a Sconia in Gothiam necessario iter agitur, ut dubites, utrum levius sit marino discrimine terrestre periculum vitare, an istud illi praeponere. Schol. 110. Schol. 111.

8. In eadem regione Sconia nemo adhuc episcopus fuit incardinatus, nisi quod ab aliis partibus quidam venientes, interdum illam procurabant diocesim a). Deinde Selandensis episcopus Gerbrand b), et post eum Avoco, simul gubernabant utrasque ecclesias. Nuper vero mortuo Avocone, rex Suein parrochiam Sconiensem in duos episcopatus segregavit, c), unum, (id est Lundensem) Heinrico tribuens, alterum, (id est Dalboiensem d),) Eginoni. Verum istum ordinavit archiepiscopus. Heinricus apud Orchadas ante fuit episcopus, isque in Anglia sacellarius Chnud regis fuisse narratur. Cuius thesauros in Daniam perferens, luxuriose vitam exegit. De quo narrant etiam, quod pestifera consuetudine delectatus inebriandi ventris, tandem suffocatus crepuit. Hoc et de Avocone factum esse comperimus, similiterque de aliis. Egino vero cum esset vir sapiens in litteris, et castitate in signis, tunc etiam totum studium eius exarsit in conversione paganorum. Quapropter multos adhuc populos ydolorum cultui deditos ille vir Christo lucratus est, illos praesertim barbaros, qui Pleicani i) dicuntur, et qui in Hulmo insula k) degunt affines Gothis. Qui omnes dicuntur ad eius praedicationem conversi ad lacrimas, poenitentiam sui erroris ita monstrasse, ut confractis statim ydolis, ultro certarent ad baptismum. Mox etiam thesauros et omnia quae habebant sternentes ad pedes episcopi, flagitabant, ut haec ille dignaretur recipere, quod renuens episcopus, docuit eos ex eadem pecunia fabricare ecclesias, egenos alere, ac redimere captivos, qui multi sunt in illis partibus. Schol. 112.

9. Fertur idem vir magnanimus, eo tempore quo in Suedia persecutio maxima christianitatis incanduit, Scaranensem ecclesiam ceterosque fideles, eo quod pastore carebant, frequenter visitasse l), conso-

Schol. 110. Primus in Scania episcopus Bernardus erat, secundus Henricus, et Egino. (8b. 9.)

Schol. 111. Ab hac insula primum egressi sunt Longobardi vel Gothi, et vocatur ab historicis Romanorum Scantia vel Gangavia sive Scandinavia e). Cuius metropolis civitas Lundona quam victor Angliae Chnud Britannicae Lundonae aemulam iussit esse. (6. 7.)

Schol. 112. Suecis predicabant Lifdag f), Poppo g), senior Odinkar, Gotebald h) q .... n ..... et ..... te ... (6.)

q) Sc. senior, episc. Scarensis; cfr. supra cap. 14 et 15 et infra lib. IV, cap. 23. r) Successor illius, v. infra lib. IV, cap. 23. s) Sc. junior, episcopus Sictonensis, v. supra not o. et locos ibi allatos. t) Successor Adalwardi junioris, v. infra lib. IV, cap. 29. u) Antea Stenphi vocatus et episcopus terræ Helsingland, cfr. infra lib. IV, cap. 24. v) Episcopus Bircacensis, antea ut abbas Gozecensis Hilthinus appellatus, v. infra lib. IV, cap. 20. x) Jam igitur principio Upsala et Sictuna de jure sedis certasse videntur; adhuc anno 1134 Henricum episcopum Sictunensem invenimus (v. supra pag. 103, not. e), sed non longe post Siwardus episcopus Obsalensis annis 1141 et 1142 Bremæ nobis occurit (v. Bremisches Urkund. Buch). y) Sc. a Sialandia, quia fretum "Öresund" apud Helsingborg instar fluvii contrahitur. z) A voce Saxonica *schone* = pulcher (Suetice: *skön*). a) De primis Sconie prædicatoribus cfr. Reuterdahl l. c. pag, 310 et 311, atque Lappenberg (Pertz Archiv IX. pag. 414). b) Gerbrandus anno 1022 comparet, sed non longe post Avoco ei subrogatus est ab Libentio, metropolitano Bremensi (1029—1032); v. Lappenberg l. c. pag. 413. c) "Circa annum 1060, ut ex numero annorum sacerdotii Eginonis duodecim capite sequenti indicatorum et ex Adami lib. III, cap. 24 colligere licet". Lappenberg. Quod eo certius videtur, cum idem alias (Pertz Archiv, IX, pag. 414) diploma d. 21 Aprilis 1060 datum, in quo Vilhelmus (successor Avoconis), ut episcopus Roskildensis nominatur. d) Cfr. Scholion 113. De Eginone cfr. supra lib. III, cap. 52 et 70 et infra cap. 9 et 29. e) "Gangaviam de Germanicis insulis maximam esse meminit Solinus cap. 20. Langobardos ab insula Scandinavia adventasse, Paulus Warnefrid, de gestis Langobard. lib. I, cap. 2; Gothos de Scanziæ insulæ gremio egressos refert Jordanis de reb. Geticis", Lappenberg. f) De illo et Odinkaro cfr. lib. II, cap. 23. g) Cfr. lib. II, cap. 33. h) v. lib. II, cap. 38, schol. 27. i) I. e. inhabitatores provinciæ Bleking. k) Bornholm, ut ex capite 16 certum ut. l) Cfr. supra lib. III, cap. 52 et infra cap. 29.

Digitized by Google

lationem ministrans hiis qui in Christum crediderant, et incredulis verbum Dei constanter annuncians. Ibi etiam opinatissimum Fricconis [m] simulacrum in frusta concidit. Pro quibus virtutum insignibus a rege Danorum magno deinceps vir Dei honore habitus, defuncto mox pingui Heinrico [n] utramque Sconiae par-
Schol. 113. rochiam, quae est in Lundona vel Dalboia [o], recepit gubernandam. Qui mox Lundonae sedem suam constituit, apud Dalboiam vero praeposituram fratrum regulariter viventium esse praecepit. Itaque duodecim annis in sacerdotio nobiliter exactis, clarissimus vir Egino regressus a Romana urbe, mox ut domum per-
Schol. 114. venit feliciter, migravit ad Christum. Cuius obitus et Funensis episcopi contigit eodem anno, quo noster excessit metropolitanus [p].

Schol. 115. 10. Nunc autem quoniam locorum se praebuit occasio, ad rem videtur aliquid de natura Baltici maris dicere. Cuius freti mentionem cum supra [q] in gestis Adaldagi pontificis ex scriptis Einhardi fecerim, explanationis more utor, ea quae ille per compendium dixit, pleniori calamo nostris scienda proponens. *Sinus*, inquit, *quidam ab occidentali occeano orientem versus porrigitur*. Sinus ille ab incolis appellatur Balticus [s], eo quod in modum baltei longo tractu per Scithicas regiones tendatur usque in Greciam, idemque mare Barbarum seu pelagus Scithicum vocatur a gentibus quas alluit barbaris. Occidentalis autem occeanus ille videtur, quem Romani Britannicum scribunt, cuius latitudo inmensa, terribilis et periculosa, complectitur ab occasu Britanniam, quae nunc Anglia dicitur; a meridie Fresos tangit, cum ea parte Saxonum, qui nostrae diocesi pertinent Hammaburgensi. (In hoc oceano insula est modica Heiligland, de qua supra dictum est.) A solis ortu habet Danos ostiumque Baltici maris et Nordmannos qui ultra Daniam consistunt; ab aquilone vero idem occeanus insulas praeterlabitur Orchadas, deinde infinitis orbem terrae spaciis ambit, sinistrorsum habens Hyberniam, Scotorum patriam, quae nunc Irland dicitur [t], dextrorsum vero scopulos Nordmanniae, ulterius autem insulas Island, Gronland; ibi terminat occeanus, qui dicitur caligans [u].

11. Quod autem dicit eundem *sinum* [v] *longitudinis incompertae*, hoc nuper apparuit in sollertia fortissimorum virorum Ganuz Wolf [x], satrapae Danorum, sive Haroldi, regis Nordmannorum [y], qui magno viae labore multoque sociorum periculo, quantitatem [z] huius maris perscrutantes ancipiti demum iactura ventorum ac pyratarum fracti victique redierunt. Affirmant autem Dani, longitudinem huius ponti saepe a
Schol. 116. pluribus expertam, secundo flatu per mensem aliquos a Dania pervenisse in Ostrogard [a] Ruzziae. Latitudinem vero illam ponit, *quae nusquam centum milia passuum excedat, cum in multis*, ait, *locis contractior inveniatur*. Quod in ostio eiusdem sinus videri potest, cuius ab oceano introitus inter Alaburc, promunctorium Daniae [b] scopulosque Nortmanniae tam strictus invenitur, ut facili saltu per noctem carbasa traiciantur. Item egressus limitem Danorum idem pontus late brachia tendit, quae denuo contrahit e regione Gothorum, qui a latere [c] Wilzos [d] habent. Deinde quanto interius vadit, tanto latius hinc inde diffunditur.

Schol. 113. Lundona, civitas prima Sconie, tam longe a mari sita est, ut a Dalboia. (6.)

Schol. 114. Funensis ille in capitalibus ab archiepiscopo suspensus ab officio. cum sic in . . us Romam . . . leret, vita defunctus est. (6.)

Schol. 115. Mare orientale seu mare Barbarum sive mare Scithicum vel mare Balticum unum et idem est mare, quod Marcianus et antiqui Romani Scitihcas vel Meothicas paludes sive deserta Getarum aut Scithicum littus appellant [r]. Hoc igitur mare ab occidentali occeano inter Daniam et Nordvegiam ingrediens, versus orientem porrigitur longitudine incomperta. (8 b. 9.)

Schol. 116. Ruzzia vocatur a barbaris Danis Ostrogard, eo quod in oriente posita quasi hortus irriguus habundat omnibus bonis. Haec etiam Chungard appellatur, eo quod ibi sedes Hunnorum primo fuit. (6. 7.)

m) Svetice: Freyr vel Frey, de quo cfr. Geijer: Svea Rikes häfder (Stockholm 1850) pag. 193. Vide etiam infra cap. 27. n) V. caput superius. o) Idem Dalby, quod supra pag. 131 not. n. comparet. p) I. e. anno 1072, qua ex re efficitur, ut circa annum 1060 episcopus ordinatus sit; cfr. supra not. c. q) In lib. II. cap. 16, quod caput quia ibi prætermisimus, hic verba Einhardi singularibus typis efferre conati sumus. r) V. infra cap. 20. s) De hujus nominis vetustate et origine cfr, Striunholm, Svenska folkets Historia, I. pag. 14—16. t) Adamus Hyberniam versus litus aquilonare non occidentale Britanniæ sitam esse manifeste sentit. u) Qua de re quæ majores memoriæ tradiderint, cfr. Geijer l. c. (v. not. m.) pag. 59. v) Sc. mare Balticum. x) Munch l. c. II, pag. 19, not. 3. Ulfonem Gallicianum (ita ob iter in Galiciam factum appellatum) indicari putat. y) I. e. Haraldi Hårdråde (1047—1066). z) Pro: magnitudinem vel latitudinem. a) Vetus Novgorod, a scriptoribus Islandicis Holmgard appellatum, quod nomen nihil est nisi versio vocabuli Ostrogorod (= domus insulæ) quamquam in Scholio 116 alia explicandi ratio proposita est. b) Aalborg urbs ab ipso promontorio Jutiæ Skagen haud paullum distat. c) "Rectius dixisset noster: ex opposito," Lappenberg. d) In cap. 13 legimus fines diocesis Hamburgensis ad Panim [hodie Peene] flumen porrigi. „Inde Wilzi et Leuticii sedes habent usque ad Oddaram flumen, trans Oddaram autem comperimus degere Pomeranos."

Digitized by Google

12. *Hunc*, inquit, *sinum multae circunsedent nationes; Dani siquidem ac Sueones quos Nortmannos vocamus, et septentrionale litus et omnes in eo insulas tenent. Ad litus australe Sclavi, Haisti* e) *aliaeque diversae incolunt nationes, inter quas praecipuae sunt Welatabi* qui et Wilzi dicuntur. Dani et Sueones ceterique trans Daniam populi ab hystoricis Francorum omnes vocantur Nortmanni, cum tamen Romani scriptores eiusmodi vocent Yperboreos, quos Martianus Capella multis laudibus extollit f).

14. At vero a parte aquilonari revertentibus ad ostium Baltici freti, primi occurrunt Nortmanni, deinde Sconia prominet, regio Danorum, et supra eam tenso limite Gothi habitant usque ad Bircam. Postea longis terrarum spatiis regnant Sueones usque ad terram feminarum g). Supra illas Wizzi h) Mirri, Lami, Scuti et Turci i) habitare feruntur usque ad Ruzziam; in qua denuo finem habet ille sinus. Itaque latera illius ponti ab austro Sclavi, ab aquilone Suedi possederunt.

15. Asserunt etiam periti locorum, a Sueonia terrestri via permeasse quosdam usque in Graeciam. Sed barbarae gentes, quae in medio sunt, hoc iter impediunt, propterea navibus temptatur periculum.

16. — — — — — — — — — — — Hae quindecim insulae Danorum k) regnum aspiciunt, omnesque iam christianitatis titulo decoratae sunt. Sunt et aliae interius, quae subiacent imperio Sueonum; quarum vel maxima est illa, quae Churland dicitur; iter habet octo dierum; gens crudelissima propter nimium ydolatriae cultum fugitur ab omnibus; aurum ibi plurimum, equi optimi. Divinis, auguribus atque nigromanticis omnes domus plenae sunt, (qui etiam vestitu monachico induti sunt). A toto orbe ibi responsa petuntur, maxime ab Hispanis et Grecis. Hanc insulam credimus in vita sancti Ansgarii l) Chori nominatam, quam tunc Sueones tributo subiecerunt. Una ibi nunc facta est ecclesia, cuiusdam studio negotiatoris, quem rex Danorum multis ad hoc illexit muneribus. Ipse rex gaudens in Domino recitavit mihi hanc cantilenam.

17. Praeterea recitatum est nobis, alias plures insulas in eo ponto esse, quarum una grandis Aestland dicitur, non minor illa, de qua prius diximus. Nam et ipsi Deum christianorum prorsus ignorant, dracones adorant cum volucribus, quibus etiam litant vivos homines, quos a mercatoribus emunt, diligenter omnino probatos, ne maculam in corpore habeant, pro qua refutari dicuntur a draconibus. Et haec quidem insula terrae feminarum m) proxima narratur, cum illa superior non longe sit a Birca Sueonum.

19. Sunt et aliae in hoc ponto insulae plures n), ferocibus barbaris omnes plenae, ideoque fugiuntur a navigantibus. Item circa haec littora Baltici maris ferunt esse Amazonas, quod nunc terra feminarum dicitur. Eas aquæ gustu dicunt aliqui concipere. Sunt etiam qui referant eas fieri prægnantes ab hiis qui praetereunt negociatoribus, vel ab hiis quos inter se habent captivos, sive ab aliis monstris, quæ ibi non rara habentur. Et hoc credimus etiam fide dignius. Cumque pervenerint ad partum, si quid masculini generis est, fiunt cynocephali; si quid feminini, speciocissimae mulieres. Hæ simul viventes spernunt consortia virorum, quos etiam si advenerint, a se repellunt viriliter. — — — — — — — — — Schol 119.

20. Haec habui quae de sinu illo Baltico dicerem, cuius nullam mentionem audivi quempiam fecisse doctorum, nisi solum, de quo supra diximus, Einhardum. Et fortasse mutatis nominibus arbitror illud fretum ab antiquis vocari paludes Scithicas vel Meoticas o), sive deserta Getarum, aut litus Scithicum, quod Martianus ait confertum esse multiplici diversitate barbarorum. Illic, inquit, Gethae, Daci, Sarmatae, (Neutri,) Alani, Geloni, Antropofagi, Trogloditae. Quorum errori condolens noster metropolitanus, statuit Bircam p) illis gentibus metropolem, quae in medio Sueoniae posita, contra civitatem Sclavorum respicit Iumnem q), paribusque spaciis omnes illius ponti amplectitur horas. In qua civitate primum ex nostris Schol. 121. Schol. 122.

Schol. 119. Cum rex Sueonum Emund filium suum Anundum misisset in Scythiam ad dilatandum regnum suum, ille navigio in terram pervenit feminarum. Quae mox venenum fontibus immiscentes, ipsum regem et exercitum eius tali modo peremerunt. Haec et supra diximus r), et ipse Adalwardus episcopus recitavit nobis, hoc et alia contestans esse veracissima. (2. 5. 6. 8 b.)

Schol. 121. A Sconia Danorum navigantibus ad Bircam quinque dierum, a Birca in Ruzziam similiter per mare habes iter quinque dierum. (2. 4. 6. 8 b.)

Schol. 122. Ibi in Birca est portus sancti Ansgarii et tumulus sancti Unni archiepiscopi s), familiare inquam hospitium sanctorum nostrae sedis confessorum. (2. 4. 6. 8 b.)

e) Idem ac Aestyorum gentes apud Tacitum, ex quibus Estland (infra cap. 17 commemoratum) nomen accepit. f) "De nuptiis philolog. lib. VI, ed. H. Grotii pag. 214. V. et Solin. cap. 16", Lappenberg. g) Qvänland = terra Fennorum: v. supra lib. III, cap. 15, not y et infra cap. 19. h) Infra cap. 19 dicitur: Alani vel Albani, qui lingua eorum Wizzi dicuntur crudelissimi ambrones. Cfr. Lappenbergii notam ibidem. i) De his gentibus Fennicis v. Lappenbergium. k) I. e. Sialandia Fionia cum pl. l) Cap. 27 (v. supra Tom. II, pag. 232). m) V. supra not. g. n) Quibus Lappenberg recte vult adnumerare, Gotland, Öland et Ösel, quas Adamus reticet. o) Lappenberg hic et infra locos, quos Adamus attulit, diligenter indicat. p) De ejus situ v. supra pag. 159, not k. q) Jomsborg a nostris hæc urbs appellabatur, quæ in eodem loco, quo Swinemünde hodie est, sita fuisse videtur. Alia erat Julin, quod Wollin vocatur. Cfr. Giesebrecht in: Abhandlungen d. Deutschen Gesellschaft zu Königsberg, III, pag. 170—174. r) Lib. III. cap. 15. s) Vide supra lib, I, cap. 64.

Digitized by Google

ordinavit Hiltinum abbatem, quem ipse voluit appellari Iohannem t). Itaque de insulis Danorum dictum est satis. Nunc vero ad Sueonum sive Nordmannorum populos, qui proximi sunt, convertamus articulos.

21. Transeuntibus insulas Danorum alter mundus aperitur in Sueoniam vel Nordmanniam, quae
Schol. 123. sunt duo latissima regna aquilonis et nostro orbi adhuc fere incognita. De quibus narravit mihi scientissimus rex Danorum, quod Nordmannia vix queat transiri per mensem, cum Sueonia duobus mensibus non facile percurratur. Quod ipse, inquit, probaveram, qui nuper sub Iacobo u) rege 12 annis militavi in illis regionibus, quae altissimis ambae montibus includuntur, magis autem Nordmannia, quae suis alpibus circum-
Schol. 124. dat Sueoniam. De Sueonia vero non tacent antiqui auctores Solinus et Orosius v), qui dicunt plurimam
Schol. 125. partem Germaniae Suevos tenere, necnon montana eius usque ad Ripheos montes extendi. Ibi est etiam
Schol. 126. Albis fluvius, de quo Lucanus meminisse videtur. Ille oritur in praedictis alpibus, perque medios Gothorum populos currit in occeanum, unde et Gothelba w) dicitur. Fertilissima regio est Sueonia, ager frugibus et melle opimus, extra quod pecorum fetu omnibus antefertur, oportunitas fluminum sylvarumque maxima ubique peregrinis mercibus omnis regio plena. Ita nullis egere Sueones dicas opibus, excepta quam nos
Schol. 127. diligimus sive potius adoramus, superbia. Omnia enim instrumenta vanae gloriae, hoc est aurum, argentum, sonipedes regios, pelles castorum vel marturum, quae nos ammiratione sui dementes faciunt, illi pro nichilo ducunt. In sola mulierum copula modum nesciunt. Quisque secundum facultatem suarum virium duas aut tres et amplius simul habet; divites et principes absque numero. Nam et filios ex tali coniunctione genitos habent legitimos. Capitali vero pena multatur, si quis uxorem alterius cognoverit, aut vi oppresserit virginem, sive qui alterum spoliaverit bonis suis, aut iniuriam fecerit. Hospitalitate quamvis omnes Yperborei sint insignes, praecipui sunt nostri Sueones; quibus est omni probro gravius hospicium negare transeuntibus, ita ut studium vel certamen habeant inter illos, quis dignus sit recipere hospitem. Cui exhibens omnia iura humanitatis, quot diebus illic commorari voluerit, ad amicos eum suos certatim per singulas dirigit mansiones. Haec illi bona in moribus habent. Praedicatores autem veritatis, si casti prudentesque ac ydonei sunt, ingenti amore fovent, adeo ut concilio populorum communi, quod ab ipsis warh z) vocatur, episcopos interesse non renuant. Ubi de Christo et christiana religione crebro audiunt non inviti. Et fortasse facili sermone ad nostram fidem illi persuaderentur, nisi quod mali doctores, dum sua quaerunt, non quae Iesu Christi, scandalizant eos, qui possent salvari.

22. Populi Sueonum multi sunt, viribus et armis egregii, praeterea tam in equis quam in navibus iuxta optimi bellatores. Unde etiam sua potentia ceteras aquilonis gentes constringere videntur. Reges
Schol. 128. habent ex genere antiquo, quorum tamen vis pendet in populi sentencia; quod in commune omnes laudaverint, illum confirmare oportet, nisi eius decretum pocius videatur, quod aliquando secuntur inviti, Itaque domi pares esse gaudent. In praelium euntes omnem praebent obedientiam regi, vel ei qui doctior ceteris a rege praefertur. Se quando viro praeliantes in angustia positi sunt, ex multitudine deorum quos colunt,

Schol. 123. Paulus in gestis Longobardorum x) de fecunditate gentium septentrionalium, et de septem viris, qui in litore occeani iacent in provincia Scritefingorum. (2. 4. 6. 9.)

Schol. 124. Tacitus Suevos hoc quoque Sueonum nomine appellat. (9.)

Schol. 125. Dani, Sueones et Nordmanni et reliqui Scithiae populi a Romanis Yperborei vocantur, quos Marcianus extollit multis laudibus y). (2. 4. 6. 9.)

Schol. 126. Gothelba fluvius a Nordmannis Gothiam separat, magnitudine non impar isti Albiae Saxonum, unde ille nomen sortitur. (2. 4. 6. 9.)

Schol. 127. Quo etiam morbo Sclavi laborant et Parti et Mauri, sicut Lucanus testis est de Partis, et de Mauris Sallustius. (2. 4. 8 b.)

Schol. 128. Omnia quae aguntur inter barbaros, sortiendo fiunt in privatis rebus. In publicis autem causis et demonum responsa peti solent, sicut in gestis sancti Ansgarii potest cognosci. (2. 5. 6. 8 b. 9.)

t) De quo cfr. etiam supra lib. III, cap. 70, schol. 94. Chronicon Gozecense (excerptum infra dabimus) nos docet, Johannem abbatem hujus monasterii (Goseck apud flumen Saale) post annum 1056, sed ante annum 1062 episcopum in Dacia (aperte mendum pro: Svecia) ordinatum esse, sed duobus annis exactis laboribus et curis fessum in patriam rediisse. Anno 1071 Idibus Junii Johannem episcopum Bircensem sepulturæ Burcardi episcopi Halberstadtiæ interesse reperimus (v. excerptum quod infra reddemus ex Annalista Saxone. Mirum videtur, eum anno 1069, d. 11 Junii ut Johannem abbatem Gozecensem literas Bremæ subscribere (Lappenberg in Pertz Archiv, IX, pag. 424. u) Vel Anundo cfr. supra lib. II, cap. 74 et 57. v) "Solini ut videtur verba in cap. 20 respexit, sed male intellexit: *Mons Sevo ipse ingens nec Riphæis minor collibus initium Germaniæ facit.* Orosius l. I, cap. 2: "Germania ubi plurimam partem Suevi tenent", Lappenberg. w) I. e. Göta älf. x) "Lib. 1, cap. 1—5," Lapp. y) "Marcianus l. l. cap. de qvarto sinu Europæ," idem. z) Scribitur *warch, varch, warth warph* in diversis codicibus, Cod. 4 in margine post vocabulum *ipsis* recentiori manu addit: *quod ab ipsis thinc a nobis;* inde 5: *quod ab ipsis warph a nobis thinc.*

Digitized by Google

unum invocant auxilio: ei post victoriam deinceps sunt devoti, illumque ceteris anteponunt. Deum autem christianorum iam communi sentencia fortiorem clamant omnibus esse; alios deos sepe fallere, illum porro semper astare certissimum adiutorem in oportunitatibus.

23. Ex ipsis populis Suediae proximi ad nos habitant Gothi, qui occidentales dicuntur, alii sunt orientales. Verum Westragothia confinis est provinciae Danorum, quae Sconia dicitur. A qua etiam fertur diebus septem perveniri usque ad civitatem Gothorum magnam Scarane a): Deinde Ostrogothia protenditur iuxta mare illud quod Balticum vocant, usque ad Bircam. Primus Gothorum episcopus Thurgot fuit, se- Schol. 130.
cundus vero Godescalcus b), vir sapiens et bonus, ut praedicant, nisi quod domi sedens ocium labori praetulit. Tercium ordinavit noster metropolitanus Adalwardum seniorem c), vere laudabilem virum. Qui deinde perveniens ad barbaros, ut docuit, ita vixit. Nam sancte vivendo, bene docendo magnam gentilium multitudinem traxisse fertur ad christianam fidem. Claruit etiam virtutum miraculis, ita ut poscentibus in neces- Schol. 131.
sitate barbaris, ymbrem faceret descendere vel denuo serenitatem venire, et alia quae hactenus quaeruntur a doctoribus. Is autem vir memorabilis in Gothia permansit, nomen domini Iesu constanter omnibus praedicans, ibidemque post multos agones, quos pro Christo libenter sustinuit, victricem terrae carnem tradidit, spiritus coelum petiit laureatus. Post quem archiepiscopus ordinavit in illas partes quendam Acilinum, nichil ferentem episcopali nomine dignum, praeter ingentem corporis staturam. Et ille quidem diligens carnis requiem, frustra mittentibus legationem Gothis, usque ad obitum suum Coloniae mansit in deliciis e).

24. Inter Nordmanniam et Sueoniam Wermilani f) et Finnédi g) degunt, et alii: qui nunc omnes sunt christiani, respiciuntque ad Scaranensem ecclesiam. In confinio Sueonum vel Nortmannorum contra boream habitant Scritefini, quos aiunt cursu feras praeterire h). Civitas eorum maxima Halsingland i), ad Schol. 132.
quam primus ab archiepiscopo designatus est Stenphi episcopus, quem ipse mutato nomine Symonem vocavit k). Qui etiam multos earundem gentium sua praedicatione lucratus est. Praeterea sunt alii numero carentes Sueonum populi, de quibus ad christianitatem conversos accepimus solos Gothos, Wermilanos et partem Scritefinorum, vel qui illis vicini sunt.

25. Igitur ut brevem Sueoniae vel Suediae descriptionem faciamus: haec ab occidente Gothos habet et civitatem Scaranem, a borea Wermilanos cum Scritefinnis quorum caput Halsingland, ab austro longitudinem habet illius Baltici maris, de quo ante diximus: ibi civitas magna Sictone. Ab oriente autem Schol. 133.
Ripheos montes attingit, ubi deserta ingentia, nives altissimae, ubi monstruosi hominum greges ultra prohibent accessum m). Ibi sunt Amazones, ibi Cynocephali, ibi Ciclopes, qui unum in fronte habent oculum. Ibi sunt hii quos Solinus dicit Ymantopodes, uno pede salientes, et illi qui humanis carnibus delectantur

Schol. 130. Quamvis ante hos Danorum episcopi vel Anglorum Suediam praedicarunt. Thurgot vero specialiter in Gothiam ordinatus est ad sedem Scaranensem. (2. 5. 6. 8 b.)

Schol. 131. A rege Haroldo invitatus Adalwardus quoque in Nordwegiam venit et pro sanctitate viri et fama virtutum eius honorifice susceptus est. Cui abeunti rex tantum pecuniae obtulit, ut exinde statim 300 captivos redemit episcopus.

Adalwardus iunior eo tempore veniens in Gothiam, cognominem suum reperit infirmum; cuius exequias cum luctu procurans. in Sictonam properavit. Sed postea cum repulsus esset a paganis, invitatus venit ad Scaranem civitatem, quod nostro archiepiscopo non bene placuit, quare eum sicut violatorem canonum vocavit Bremam d). (2. 5. 6. 8 b.)

Schol. 132. Halsingland est regio Scritefinnorum, sita in Ripheis montibus; ubi nix perpetua durat. Homines ibi gelu recocti, tecta domorum non curant, carne ferarum pro cibo et pellibus earum pro indumento fruuntur l). (2. 5. 6. 8 b.)

Schol. 133. In Yperboreis montibus praeter alia monstra leguntur et gryphes nasci. (2. 5. 6.)

a) Hodie Skara. b) De his duobus vide supra lib. II, cap. 62. c) Cfr. supra lib. III, cap. 14, not. u. d) De illo cfr. supra lib. III, cap. 70, not. o et infra cap. 28 et 29. e) "Acelinus præpositus in charta Adalberti archiepiscopi an. 1060 occurrit, v. Hamb. Urkundenbuch nr. 82," Lappenberg, In vita Wolfhelmi Abbatis Brunwilarensis (infra excerpenda). Hezelinus, Scarnensis sedis antistes, Coloniæ nescio quo anno, versari narratur. Anno 1069 d. 29 Augusti Hizelinus, Scarensis episcopus, consecrationi ecclesiæ Coloniensis interest (Lappenberg, Pertz Archiv, IX, 421). f) Cfr. lib. III, cap. 15. g) Qui terram Finwid (etiam Finwed vel Finned nominatam) in Smalandia occidentali incoluerunt. h) Hic non Fenni, sed Lappi (qui in Norvegia adhuc *Finner* vocantur) respiciuntur. Nomen ex eo datum est, quod longis et tenuibus soleis ligneis (Svetice: *skidor*) utentes velociter super nives progrediebantur (*skrida* = ire, progredi). Cfr. Geijer Svea Rikes Häfder pag. 65—67. i) Quæ tamen provincia, non civitas est in septentrionali Svecia. k) V. lib. III, cap. 70. Reuterdahl, Svenska Kyrkans Hist. I, 397 in eam sententiam inclinat hunc esse eundem ac Stenfinder in Chronico episcop. Scarens. (v. infra sect. 2, pag. 113). Indubium vero videtur memoriam hujus Stenphi (Stephani) sub illis, quæ apud Helsingos de *helge Staffan* traduntur, etiamnunc tegi. l) Lappenberg hic verba Pauli Warnefridi lib. I, cap. 5, confert. m) Hæc et sequentia ex antiquis Latinis scriptoribus sumta sunt, quorum singuli loci a Lappenbergio sunt indicati.

Digitized by Google

pro cibo, ideoque sicut fugiuntur, ita etiam iure tacentur. Narravit michi rex Danorum sepe recolendus n), gentem quandam ex montanis in plana descendere solitam, statura modicam, sed viribus et agilitate vix Suedis ferendam, hiique incertum esse unde veniant; semel aliquando per annum vel post triennium, inquit, subiti accedunt. Quibus nisi totis resistatur viribus, omnem depopulantur regionem, et denuo recedunt o). Aliaque multa recitari solent, quae brevitati studens omisi, ab his dicenda, qui haec se vidisse testantur.

26. Nunc de supersticione Sueonum pauca dicemus. Nobilissimum illa gens templum habet, quod
Schol. 134. Ubsola dicitur, non longe positum ab Sictona civitate. In hoc templo, quod totum ex auro paratum p) est,
Schol. 135. statuas trium deorum veneratur populus, ita ut potentissimus eorum Thor in medio solium habeat triclinio; hinc et inde locum possident Wodan et Fricco q). Quorum significationes eiusmodi sunt: "Thor, inquiunt, praesidet in aere, qui tonitrus et fulmina, ventos ymbresque, serena et fruges gubernat. Alter Wodan, id est furor, bella gerit, hominique ministrat virtutem contra inimicos. Tertius est Fricco, pacem voluptatemque largiens mortalibus." Cuius etiam simulacrum fingunt cum ingenti priapo. Wodanem vero sculpunt armatum, sicut nostri Martem solent; Thor autem cum sceptro Iovem simulare videtur. Colunt et deos ex hominibus factos, quos pro ingentibus factis immortalitate donant, sicut in vita sancti Anscarii r) leguntur Hericum regem fecisse.

27. Omnibus itaque diis suis attributos habent sacerdotes, qui sacrificia populi offerant. Si pestis et famis imminet, Thor ydolo lybatur, si bellum Wodani, si nuptiae celebrandae sunt, Fricconi. Solet quoque post novem annos communis omnium Sueoniae provintiarum sollempnitas in Ubsola celebrari. Ad quam
Schol. 136. videlicet sollempnitatem nulli praestatur immunitas. Reges et populi, omnes et singuli sua dona transmittunt ad Ubsolam, et quod omni poena crudelius est, illi qui iam induerunt christianitatem, ab illis se redimunt cerimoniis. Sacrificium itaque tale est. Ex omni animante, quod masculinum est, novem capita offeruntur, quorum sanguine deos placari mos est. Corpora autem suspenduntur in lucum, qui proximus est templo. Is enim lucus tam sacer est gentilibus, ut singulae arbores eius, ex morte vel tabo immolatorum divinae credantur. Ibi etiam canes et equi pendent cum hominibus, quorum corpora mixtim sus-
Schol. 137. pensa narravit mihi aliquis christianorum 72 vidisse. Ceterum neniae, quae in eiusmodi ritu libationis fieri solent, multiplices et inhonestae, ideoque melius reticendae t).

28. In eadem provintia nuper contigit res memorabilis, et pro dignitate gestorum longe divulgata; pervenit etiam ad noticiam pontificis. Quidam e sacerdotibus, qui ad Ubsolam demonibus astare solebat, nequicquam iuvantibus diis factus est cecus. Cumque vir sapiens infortunium orbitatis suae culturae ydolorum imputaret, quam supersticiose venerans potentissimum deum christianorum offendisse videretur, ecce ipsa nocte apparuit sibi virgo decora nimis, interrogans, si in filium eius credere maluerit, fore ut visum reciperet, abiectis quae ante colebat simulacris. Tunc ille qui nichil ardui rennueret subeundum pro hoc dono, ita se facere, letus spopondit. Ad haec virgo: Scito, inquit, certissime, hunc locum, ubi nunc tantus innocentium sanguis effunditur, in meo proxime dedicandum honore. In qua re ne tibi aliqua signa dubie-

Schol. 134. Prope illud templum est arbor maxima late ramos extendens, semper viridis in hieme et aestate, cuius illa generis sit, nemo scit. Ibi etiam est fons, ubi sacrificia paganorum solent exerceri et homo vivus immergi. Qui dum non invenitur ratum erit votum populi. (5. 6. 8 b. 10.)

Schol. 135. Catena aurea templum illud circumdat pendens supra domus fastigia, lateque rutilans advenientibus, eo quod ipsum delubrum in planitie situm montes in circuitu habeat positos ad instar theatri. (5. 6. 7. 8 b. 10.

Schol. 136. Nuper autem rex Sueonum christianissimus Anunder, cum sacrificium gentis statutum nollet demonibus offerre, depulsus a regno, dicitur a conspectu concilii gaudens abisse, quoniam dignus habebatur pro nomine Iesu Christi contumeliam pati s). (5. 6. 8 b.)

Sehol. 137. Novem diebus commessationes et eius modi sacrificia celebrantur: unaquaque die offerunt hominem unum cum ceteris animalibus, ita ut per novem dies 72 fiant animalia quae offeruntur. Hoc sacrificium fit circa aequinoctium vernale. (5. 6. 7. 8 b. 10.)

n) Sc. Sven Estridsson. o) Adamus fortasse hic regem male intellexit, cum de excursionibus bestiarum, quæ Lemmi Norvagici vocantur, loqueretur. Illarum nomen vernaculum *Læmœn* eum facile in errorem inducere potuit. Cfr. Düben, Om Lappl. och Lapparne, Stockh. 1873, pag. 377. p) I. e. deauratum. q) De quo vide supra cap. 8, not. m. r) Cap. 23 (supra Tom. II, pag. 227). s) De quo etiam supra in scholio 85 mentio fit; de cetero quis fuerit, ignoratur. Munch l. c. pag. 385, not. 2, fieri non posse censet, ut tamquam nonnulli conjecerint, idem ac Inge Steinkilsson fuerit. t) "Cfr. Thietmar. Merseburg. lib. I, cap. 9; Grimm, Deutsche Mythologie, Tom. I, pag. 46.", Lappenberg.

Digitized by Google

tatis remaneant, in nomine Christi, qui est filius meus, tu recipe lumen oculorum tuorum. Mox ille recepto lumine credidit, pertransiensque totas in circuitu regiones, facile paganis fidem persuasit, ut crederent in eum, qui se cecum illuminavit.

Quibus miraculorum causis impellentibus, statim noster metropolitanus obediens voci quae dicit: Respicite et levate oculos vestros, quoniam regiones iam albae sunt ad messem, ordinavit in illas partes Adalwardum iuniorem, de Bremensi choro assumptum, virum litteris et morum probitate fulgentem u). Cui etiam per legatos clarissimi regis Steinkel sedem posuit in Sictona civitate, quae distat ab Ubsola itinere diei unius. Est vero iter eiusmodi, ut a Sconia Danorum per mare velificans quinto die pervenias usque Sictonam vel Bircam, iuxta enim sunt v). Si vero per terram eas a Sconia per Gothorum populos et civitatem Scaranem, Telgas et Bircam, completo mense pervenies Sictonam.

29. Adalwardus igitur magno fervore praedicandi euangelii Suediam ingressus, omnes qui in Sictona erant et in circuitu, brevi spatio temporis ad christianam fidem perduxit. Conspiravit etiam cum Sconiensi episcopo, sanctissimo Eginone, ut pariter adirent illud templum paganorum, quod Ubsola dicitur, si forte aliquem Christo laboris sui fructum ibi possent offerre; omnia tormentorum genera libenter suscepturi, ut destrueretur illa domus, quae caput est supersticionis barbaricae. Illa enim diruta vel potius cremata, fore, ut tocius gentis conversio sequeretur. Quam confessorum Dei voluntatem piissimus rex Steinkel in populo murmurari sentiens, callide submovit eos a tali cepto, asserens et illos statim morte dampnandos, et se depellendum a regno, qui malefactores in patriam duxerit, et facile omnes ad paganismum relapsuros, qui nunc credunt, sicut in Sclavania nuper possit factum videri y). Talibus regis allegationibus consentientes episcopi, omnes Gothorum civitates peragrabant, ydola confringentes, et multa paganorum milia deinceps lucrantes ad christianitatem z). Adalwardo postea defuncto a) apud nos subrogavit archiepiscopus quendam a Rambsola b) Tadiconem c), qui propter ventris amorem domi famelicus esse maluit, quam foris apostolus. Haec de Sueonia et cerimoniis eius dicta sufficiant. Schol. 138.

31. In multis Nordmanniæ locis vel Suediæ pastores pecudum sunt etiam nobilissimi homines, ritu patriarcharum et labore manuum viventes. Omnes vero sunt christianissimi, qui in Norvegia degunt, exceptis illis, qui trans arctoam plagam circa oceanum remoti sunt. Eos adhuc fertur magicis artibus sive incantationibus in tantum praevalere, ut se scire fateantur, quid a singulis in toto orbe geratur. Tunc etiam potenti murmure verborum grandia cete maris in litora trahunt, et alia multa, quæ de maleficis in scriptura leguntur, omnia illis ex usu facilia sunt. In asperrimis, quæ ibi sunt, alpibus audivi mulieres esse barbatas d), viros autem silvicolas raro se præbere videndos. Qui ferarum pellibus utuntur pro vestibus et loquentes ad invicem frendere magis quam verba proferre dicuntur. ita ut vix a proximis intellegi queant populis. Eadem montana Romani auctores Riphea juga nuncupant perpetuis horrida nivibus. Scritefingi vivere non possunt absque frigore nivium, qui etiam feras prævolant suo cursu per altissimas nives. In eisdem montanis agrestium ferarum tanta est multitudo, ut plurima pars regionis ex solis vivant silvaticis. Ibi capiuntur uri, bubali et elaces e), sicut in Sueonia; ceterum bisontes capiuntur in Sclavania et Ruzzia; sola vero Nortmannia vulpes habet nigros et lepores, martures albos ejusdemque coloris ursos, qui sub aqua vivunt quemadmodum uri. Cumque diversa prorsus et insueta nostris multa ibi videantur, ab ejusdem patriæ incolis hæc et alia plenius dicenda relinquo.

33. In Nortmanniam primus ab Anglia venit quidam Iohannes episcopus, qui regem conversum f) cum populo baptizavit. Illi successit Grimkil episcopus, qui tunc fuit ad Unwanum archiepiscopum Olaph

Schol. 138. Relatum est autem nobis a quibusdam stipatoribus Adalwardi episcopi, cum primum Sictonam accessisset ad unam missarum celebrationem, ad manum oblatas sibi 70 marcas argenti. Tantae enim devotionis sunt omnes populi arcticae plagae. Tunc etiam occasione itineris divertit Bircam, quae nunc in solitudinem redacta est, ita ut vestigia civitatis vix appareant: quare nec tumulus sancti Unni archiepiscopi inveniri potuit x). (2 a. 5. in textu. 6. 8. 8 b.)

u) De eo cfr. lib. III, cap. 70, not o et scholion 131. v) Vide supra pag. 159 not. k. x) Hoc scholion ipsi Adamo non deberi, sed posterius additum esse, ibidem monstravimus. Attendendum est, illud in antiquissimo codice deesse. y) Quibus ex verbis, ut supra (Lib. III, cap. 52, not d) monuimus, colligere licet, hæc in fine anni 1066 vel potius initio anni 1067 accidisse. z) Supra cap. 9 hoc de Eginone solo narratur, cui sine dubio major pars hujus laboris est tribuenda, cum Adalwardus brevi post Bremam revocatus sit (vide supra l. III, c. 70 not. o.) a) Ante igitur annum 1072, quo ipse metropolitanus Adalbertus mortuus est. b) V. supra pag. 163, not. u. c) Presbyterum Tadiconem an 1059 et diaconum Tadiconem an. 1069 in diplomatis Adalberti comparere, Lappenbergius (Pertz, Archiv IX, 422) memorat. d) Probabiliter etiam hic confusio verborum *Qvän* et *qvinna* errori ansam dedit (v. supra lib. III, cap. 15, not. y). e) I. e. alces. f) Sc. Olavum Tryggvason. Cfr. supra lib. II, cap. 35.

Digitized by Google

regis legatus g). Tertio loco advenit ille Sigafridus h)) (avunculus Aesmundi i),) qui et Suedos et Nortmannos
Schol. 142. iuxta predicavit. Isque duravit usque ad nostram aetatem cum aliis aeque non obscuris in illa gente sacerdotibus. Post quorum excessum noster metropolitanus, petentibus Nordmannorum populis, ordinavit Thoolf episcopum in civitate Trondemnis, et Siguardum in easdem partes. Asgothum vero et Bernardum, licet moleste ferret a papa consecratos, accepta satisfactione dimisit a se donatos. Per quos hodieque multas verbum Dei lucratur animas, ita ut in omnibus provinciis Norvegiæ beata mater ecclesia laetis floreat incrementis. Inter Nortmannos tamen et Sueones propter novellam plantationem christianitatis adhuc nulli episcopatus certo sunt limite designati, sed unusquisque episcoporum a rege vel populo assumptus, communiter edificant ecclesiam, et circueuntes regionem, quantos possunt ad christianitatem trahunt, eosque gubernant sine invidia, quandiu vivunt.

Schol. 142. Licet ante illum ex nostris Lifdag, Odinkar et Poppo k) gentem illam predicaverint. Possumus hoc dicere, quod nostri laboraverunt, et Angli in labores eorum introierunt. Hunc l), Meinhardum et Albertum alias ordinatos, cum ad se venirent, cum muneribus archiepiscopus commendavit illis vicem suam tam per Nordmanniam quam per insulas oceani. (5. 6. 8 b.)

g) Unwanus anno 1029 obiit. Grimkil pluries postea in historia Norvegiæ nobis occurrit. h) Sigafrid a Svedia episcopus an. 1029 Bremæ morabatur (v. supra lib. II, cap. 62, cfr. cap. 55.) Probabile videtur, eum esse eundem ac nostrum sanctum Sigfridum (cujus vita redditur in Tomo secundo), cui baptizatio Olavi Skötkonung tribuitur. Objici potest, hoc anno 1008 factum esse (v. supra l. II. c. 56 not. l.) et Adamum hic narrare Sigafridum "usque ad nostram ætatem vixisse"; sed si verba non premuntur, Sigafridus usque ad Adami ætatem supervixisse dici potest, etiamsi circa medium seculum decesserit. Num vero idem sit ac Sigurdus, apostolus Norvagiensis, adhuc ambigitur (cfr. Reuterdahl l. c. I, 319—324, Munch l. c. I, 2. pag. 596—598 et Maurer, die Bekehrung d. Norweg. Stam. I, pag. 282 et 494.) i) Vel Osmundi, de quo v. supra lib. III, cap. 14.
k) De quibus cfr. supra schol. 112. l) Probabiliter Sigafridum.

XXII.

Ex Annalibus Lubecensibus 1264—1324 excerpta.

Egregiam editionem Lappenbergii (Monumenta Germaniæ, Tom. XVI, pag. 411—429) in excerptis nostris adhibuimus, cujus ex præfatione nonnulla quæ ipsum opus ejusque auctorem illustrant, hic afferre volumus. *In calce codicis membranacei Guelferbitani, quo continentur annales Stadenses, reperiuntur Annales inde ab anno 1264 usque ad a. 1324. — — — Videtur hæc codicis Guelferbitani pars non ita multum post a. 1324 scripta esse. — — Alius annalium horum codex jam non exstare videtur. Attamen cum propter vitia quædam a librario commissa atque nomina quædam omissa negandum sit, autographum esse codicem nostrum, exstitisse quondam alium verisimile est. Editionem notis nonnullis — — — adjectis curavit Andreas Hoyer (postea historiographus Danicus et professor juris in Hafniensi universitate — — —) Havniæ 1720, 4:to.*

*Scriptor quonam tempore vixerit non certo constat. Sed ex ipsa eorum, quæ refert, indole apparet plurima eum ipsum vidisse aut ab aliis, qui viderunt, certiorem factum retulisse. Neque quidquam deprehenditur in annalibus nostris, quo post a. 1324 eos scriptos esse evincatur. Autorem Lubecæ circa annum 1324 degisse *) inde colligendum, quod plurima affert, quæ ad diocesim et civitatem Lubecensem respiciunt. — — — Hoyerus annales nostros vocavit Continuationem Alberti Stadensis. — — Annales Ryenses usque ad annum 1288, quin noster secutus sit, dubitari non potest, præsertim si annos 1268, 70, 72, 82, 83 et 88 respiciuntur. Valde credibile est, ante*

*) Cum vero in anno 1286 legimus: "Iste Ericus reliquit tres filios scilicet Ericum, qui sibi successit in regno, necnon Christophorum et Waldemarum", ipsane adducimur ad credendum hoc ante mortem Erici (an. 1319) et electionem Christophori annotatum esse, præsertim cum in anno 1304 invenimus: 'Ista fuit mater Erici regis Danorum et Christophori ducis postea regnantis." Qua tamen re nullo modo efficitur, ut annales a diversis scriptoribus compositi sint, sed rem ita declarare volumus, scriptorem annalium vetus illud chronicon civitatis Lubecensis (v. scholion sequens) secutum esse, in quo secretarii civitatis acta suæ quisque ætatis, alius post alium inscripserint.

Digitized by Google

oculos eum etiamnunc habuisse antiquissimum illud chronicon civitatis Lubecensis, **) *postea a Detmaro auctum et continuatum. Cui ea potissimum videtur debere, quæ de rebus Lubecensibus refert ad a. 1291, 1301, 1307 . . . . Ignoratur utrum Detmarus — — — annales istos noverit,* ***) *an omnia sua ex fontibus similibus, quibus noster modo amplius modo brevius descripserit. Illud tacendum non videtur Detmarum fere in omnibus, quæ de rebus Gallicis et Flandricis dicta sunt — — cum nostro congruere. Neque prætermittendum est de rebus Lubicensibus hic illic nostrum plura proferre quam Detmarum. — — — In aliis auctor noster Detmaro accuratior et prolixior est* †) *— — Nonnulla quoque omnino desunt apud Detmarum* ††).

Nobis quoque persuasum est, scriptorem antiquissimum illud, hodie perditum, chronicon Lubecense non modo ante oculos habuisse, sed etiam sæpissime adhibuisse, quod Detmaro et annalibus collatis, haud dubium videtur (qua ipsa comparatione etiam convincimur, Detmarum non annalibus usum esse, sed utrumque ex eodem fonte, illo antiquissimo chronico, plurima hausisse), sed illud præclarissimo editori nullo modo adsentiri possumus, annales nostros annales Ryenses secutos fuisse. Tribus enim fontibus inter se accurate comparatis similitudo et tamen dissimilitudo eorum ita explicandæ nobis videntur, ut Detmarus et annalium scriptor, illud perditum chronicon civitatis, sua quisque ratione, alter alteras res recipiens vel omittens, secuti sint et ipsum illud chronicon, quoad res Danicas attinet, ex eodem fonte, ex quo Annales Ryenses, sed sæpissime plenius et nonnumquam melius excerpta fecerit. Quæ nostra sententia, ut melius illustretur, narrationes trium fontium in nonnullis annis conferre volumus.

Ann. Ryenses.	*Ann. Lubecenses.*	*Chronicon Detmari.*
1266. venit Guido cardinalis in Daciam et excommunicavit regem et reginam. Birgerus dux Sveciæ obiit.	1266. Papa misit quendam Guidonem Cardinalem in Daciam, qui regem et reginam excommunicavit.	By der tid quam to Lubeke Guido Cardinalis, en legat des paveses, de vor vort in Denemarken unde dede to banne den koning, umme dat he vengh den biscop van Lunden. — Dessulven iares starf hertoghe Birgher van Sweden etc. (v. Detmarum infra).
1272. Obiit dux Ericus et redditus est ducatus Erico regi cum filio ducis. Andreas pincerna obiit. Creatus est papa Gregorius, qui colligavit ecclesiam. Eodem anno 12 Kal. Septembris Teutonici occupaverunt civitatem Slesvik multitudine copiosa et 6 Kal. quibusdam de exercitu amissis cum magno spolio et præda pecorum diversi generis recesserunt. Obiit Guydo Cardinalis. Obiit ducissa Margareta in partu.	1272. Eo anno obiit dux Jutiæ, cui successerunt filii ejus Waldemarus et Ericus, qui cum essent minoris ætatis multas a Danorum rege oppressiones pertulerunt Tamen sua misericordia tandem optinuerunt videlicet Woldemarus ducatum Jutiæ et Ericus frater ejus dominium Langlandiæ et effecti sunt Woldemarus largus, Ericus strenuus et ambo sapientes et amabiles usque in finem vitæ. Eo anno Teutonici cum magno exercitu occupaverunt civitatem Slesvicensem et terram rapinis et incendiis vastaverunt.	1272. In deme iare Christi MCCLXXII do starf hertoghe Erik van Sleswic. De koning sic do underwan also en vormundere des hertochdomes unde der kindere, Woldemeres unde Erikes, de de hertoghe hadde van heren Iermers dochter. Dat moyde de greven van Holsten unde toghen to Sleswic mit groter macht; de stad unde det land se roveden unde branden wol ses daghe. Do toghen se to lande mit eneme groten rowe VI kal. Octobris,

Jam ex horum excerptorum comparatione elucet, annales Lubecenses illis Ryensibus ea, quæ de Dania traduntur, debere non posse neque Detmarum sive ex utro istorum sive ex duobus conjunctis sua hausisse, quod legentes si annos 1275—1278 et 1285—1288 sub uno aspectu collocaverint †††), sibi etiam melius persuadere possint. Si contra illam a nobis supra propositam sententiam amplectimur, fuisse olim communem quendam fontem §), ex quo annales Ryenses summatim, perditum illum chronicon Lubecense uberius (et ex illo annales Lubecenses et Detmarus sua sibi quisque adsumentes) hauserint, res satis bene explicari videtur.

Ad extremum hoc Lappenbergii dictum afferri debet: *Annales nostri historiographis serioris ætatis videntur fuisse ignoti. Cornerus et Krantzius eos non descripserunt, omnia enim, quæ ex iis descripta videri possunt, ex Detmaro desumpta sunt.*

) Hoc cronicon ad an. 1350 e Detmari præfatione, qui ex illo opus suum maximam in partem extruxit, novimus. *) Superfluum fere est hic refutare errorem Grautoffii in præfatione sui libri: *Die Lübeckischen Chroniken*, ubi annales nostros nihil nisi excerptorum ex chronico Detmari factorum versionem Latinam esse contendit, quod jam e collatione utriusque textus contradicitur et eo ipso, quod annales ineunte seculo (vide Lappenbergium supra), liber Detmari exeunte seculo scripti sunt, omnino refutatur. †) Lappenbergius annos 1273, 1276, 1288, 1312, 1303 et 1305 indicat. ††) Idem ad annos 1292, 1298, 1308 et 1323 legentes relegat. †††) Cfr. Ann. Ryenses supra pag 106. et Detmarum infra. §) In quo perditos illos annales Lundenses Majores, de quibus supra in excerptis Danicis plus semel memoravimus, agnoscere nobis licet

Digitized by Google

A. d. 1275. Waldemarus rex Sweorum a regno suo depulsus est a Magno duce, fratre suo, et a potentioribus regni. Et fugatus est primo in Daciam a); deinde venit in Teotoniam in civitatem Lubicensem, ubi mansit per modicum tempus b). Et dictus Magnus, frater ejus, regno potitus, fratrem postea recepit ad gratiam et filium suum Woldemarum c) obsidem pro pacis observantia accepit, qui multis annis in custodia servabatur. Tandem ut dimitteretur a carcere, oportuit ipsum renunciare sub præstito juramento in sacris reliquiis omni suo juri, quod in regno habuit atque habere posset in futurum.

A. d. 1285. — — — Item Magnus, rex Sweciæ, tamquam arbiter concordavit Ericum regem Norwegiæ cum civitatibus Teotoniæ, scilicet Lubeke, Wysmar, Rotstoke, Stralessunt, Grypeswold, Riga, Wisby, Campen, Stoveren d).

A. d. 1297 e). — — — Item Ericus rex Danorum duxit in uxorem probam dominam Ingeburgem, sororem Birgeri, regis Sweorum. Cometes apparuit.

A. d. 1302. — — — Eodem anno obiit reverenda domina Ingeburgis, mater Alberti, Johannis et Erici, ducum Saxoniæ, filia regis Sweorum f). Ipse etiam Albertus dux, ejusdem dominæ Ingeburgis filius, duxit in uxorem dominam Margaretam, relictam regis de Kalys, filiam scilicet Alberti marchionis de Brandenborch, quæ ut præmittitur desponsata erat Nicholao puero, nobili de Rotstoke, et qui ea repudiata filiam Buxlai, principis Slavorum per instinctum quorundam vasallorum suorum duxit in uxorem. Marchiones de Brandenborch terram Slaworum multis gwerris angariaverunt. Item eodem anno Birgerus, rex Sueorum, Magnum filium suum post se regem constituit et eum fecit coronari cum magna sollempnitate g).

A. d. 1303. — — — Eodem anno Otto comes de Ravensberche dedit marscalco Sweciæ h) filiam suam in uxorem, quam Jacobus comes Hallandiæ recepit in Lubeke et in Sweciam honorifice per mare transduxit.

A. d. 1304. — — — Item eodem anno obiit domina Agnes, uxor Gherardi comitis Holtzatiæ, cæci postea effecti. Ista domina fuit mater Erici regis Danorum et Christophori ducis postea regnantis necnon mater Johannis postea comitis Holtzatiæ a dicto comite Gherardo geniti. Idem etiam comes habuit adhuc duos alios filios a priore uxore scilicet a filia Woldemari regis Sweciæ i) expulsi, genitos, scilicet Gherardum præpositum Lubicensem, subdyaconum, et Waldemarum laycum. — — —

A. d. 1305. Ericus et Waldemarus duces fratrem ipsorum Birgerum regem et reginam Sweorum, sororem regis Danorum, captivaverunt k). Unde multa mala postea acciderunt. Eodem anno hiidem duces

a) Hanc Waldemari in Dania commorationem Annales Ryenses (supra pag. 106) rectius ad annum 1276 collocant; adhuc d. 12 Decembris 1275 Waldemarus Ludosiæ est (Diplomat. Suec. I. n. 604) Etiam Detmarus (v. infra) hoc in anno 1275 habet sed, ut statim apparet, acta anni 1276 in an. 1275 et acta hujus anni in annum 1274 rejecit. b) Hoc nullo alio loco memoratur. Detmarus (v. infra) Waldemarum Roma revertentem Lubecam visitasse narrat. c) Lege: Ericum, ut ex nostris chronicis certissimum est. Ipsa res tenebris involuta est. Nostri fontes hunc Ericum patruo Magno pro obside traditum esse ignorant; contra duo (Chron. Rhytmicum et Ericus Olai, v. supra Tom. I, 2. pag. 19 et II, 1. pag. 70) Ericum demum post mortem Magni regis (anno 1290) in carcere inclusum esse narrant, ex quo anno 1302 liberatus est (v. Chron. 266—1430, supra Tom, I, 1, pag. 27 et Annales Islandicos infra excerpendos). Pæne suspicandum est annales Lubicenses hic in errorem incidisse, cum in annalibus Ryensibus (v. supra pag. 106), quibus forsan hic cum Lubecensibus communis fons erat, legimus. "anno 1278 — — — rex Waldemarus rediit ad Sveciam filio pro obside relicto", nisi fortasse "relicto" pro "tradito" (sc. Magno regi) scriptum est. — Preterea vix attinet monere, reconciliationem fratrum Magni et Waldemari non anno 1275, sed 1277 vel 1278 factam esse (cfr. supra pag. 106 not. f.) d) Qua de re legentes ad "Die Recesse der Hansetage', I, p. 21 sqq. referimus. e) Lege; 1298, ut omnia cetera Chronica habent. Etiam quæ proxime supra de morte Alberti regis Romanorum traduntur, non ad 1297, sed ad 1298 pertinent. f) Obiit Ingeburgis d. 30 Junii teste Calendario Minoritarum Hamburgensium manuscripto, ait Lappenberg. Errat tamen, cum sine dubio seriem regum Sveciæ a Rosenhane editam sequens, eam filiam Erici ducis anno 1276, d. 10 Septembris mortui esse dicit. Primo enim Ericus jam die 17 Decembris an 1275 decessit (cfr. supra pag. 106, not. d); secundo nostri fontes hunc Ericum uxorem duxisse, nusquam memorant, quod præterea minus verisimile videtur, cum senior frater, Magnus rex, demum an. 1276 uxorem duxit; tertio fieri non potest, ut Ericus hujus Ingeburgis pater fuerit, cum illa eum ætate superaret. Filii enim Ingeburgis, Johannes et Albertus ad legitimam ætatem anno 1296 pervenerunt (cfr. Meklemburgisches Urkund. Buch. III, n. 2307, 2399, 2411 et 2412) et filia quædam Ingeburgis jam anno 1288 Waldemaro duci Jutiæ nuptui data est (v. Annales Ryenses et Lubicenses; Monum. Germaniæ, Tom. XVI pag. 410 et 415). Unde concludere licet Ingeburgem ipsam matrimonium non longe post annum 1270 contraxisse. Nos quidem conjicere vellemus eam fuisse filiam Erici, Erici filii, regis Sweorum, cujus nuptiæ an. 1214 celebratæ sunt (v. supra pag. 4, not. g). Legimus quidem in Chronico autore Conrado Bothone civi Brunsvicensi, quod in anno 1489 desinit (Leibnitz, Script. rer. Brunsvicens, III, pag. 372): "1293 Johan hertoghe Johan sone to Sassen name Gelburgh Konigh Ericks dochter to Norwegen etc." Nunc vero exploratum habemus, hunc Ericum an. 1268 natum esse (v. Munch, Norges Hist. IV. 2. pag. 1) ejusque filiam Ingeburgem nostro duci Waldemaro nuptui datam esse anno 1312 (l. c. pag. 553), ut cetera menda dicti Bothonis omittamus. Aliquid tamen veri dicto ejus subesse putamus et forsan ille fons, quem male intellexit, rem ita reddidit: "anno MCCLXXIII Johan [hertoghe Albertes sone] to Sassen nam Ingeburg, Konigh Ericks dochter to Sweden"; quam conjecturam ad arbitrium legentium conferimus. g) Scriptor hic forte confundit coronationem Birgeri, quæ anno 1302 facta est, et filii, quæ postero anno in mense Junio celebrata, rursus anno 1304 apud parlamentum in Fagradal confirmata esse videtur (Cfr. Ericum Olai, supra Tom. II, 1, pag. 78, 79 et quæ supra pag. 120 not. c. diximus. h) Sc. Tyrgillo Kanuti filio in secundis ejus nuptiis (cfr. Ericum Olai pag. 77, cujus ex narratione nuptias mense Junio factas esse concludimus). Tamen Jacobum comitem Hallandiæ et Ottonem comitem de Ravensberg, d. 23 Julii an. 1303 Lubecæ invenimus Lubeck. Urkund. Buch, II, 1. num CLXX). i) Sc. Ingeburge, cujus nuptiæ cum Gerhardo II:o anno 1275, d. 12 Decembris celebratæ sunt (v. Diplomat. Suecan. I, n. 604). k) Quod tamen anno 1306, d. Michaelis (ut omnia Chronica habent) et ita post Tyrgilli decapitationem contigit.

Digitized by Google

fecerunt marscalcum regis ejusdem decollari l), cujus marscalci filia nupta fuit dicto Erico duci m). Cumque eam sicut legitimam per aliquot annos habuisset uxorem, propter compaternitatem quandam pro se allegatam ipse dux fecit celebrari divortium inter ipsum et ipsam; ducens statim postea n) in uxorem filiam Haqwini, regis Norwegiæ. Et frater ejus Woldemarus duxit ejusdem regni filiam scilicet filiam Erici, quondam regis Norwegiæ.

A. d. 1307. — — — Eodem anno idem rex Danorum o) cum magno exercitu intravit Sweciam ad ferendum regi Sweciæ auxilium contra duces Sweorum et parum profecit.

A. d. 1309. — — — Eodem anno Danorum rex auxilio principum et nobilium Teutonicæ p), maxime domini Magnipolensis ivit cum 2500 dextrariis in expeditione contra duces Sweorum in Sweciam ad ferendum regi Sweorum auxilium. Et fuit gwerra inter ipsum regem Sweorum et dictos duces fratres suos sic sedata, quod rex tertiam partem et duces duas partes regni deberent possidere. — —

A. d. 1318. Birgerus Sweorum rex ex instinctu reginæ et suorum fidelium quorundam, qui postea quidam tracti, quidam rotati et quidam decollati fuerunt, fratres suos Ericum et Waldemarum illustres duces ad se vocatos et dolose captivatos q) in Nycopia sub fiducia pacis in turri fame miserabiliter fecit mori. Propter quod ut plures regni nobiles et vulgares mortem principum suorum dolentes regem cum regina a regno depulerunt et r) annis paucis supervixit. Magnum quoque, primogenitum regis, qui coronatus patri in regno succedere debuit, captivaverunt et decollaverunt s). Nec non Magnum filium prædicti Erici ducis, regem fecerunt t) puerum videlicet vix u) habentem annos. Cujus ex parte matris avus fuit Haquinus Norwegiæ rex, qui eodem anno v) obiit sine hærede; et regnum ejus devolutum est ad eundem puerum, sicque uno anno duo optinuit regna.

A. d. 1319. — — — Eo tempore defuncta est inclita et devota domina Ingeburgis regina Daciæ x), quam rex inclusam fecit teneri in custodia, habens eam, ut dicitur, suspectam ideo, quod scivit ægre eam ferre miserabilem necem fratrum suorum, ducum Sweciæ; ad quorum interfectionem ipse rex Danorum cum sorore sua regina Sweciæ fertur consilium præstitisse. — — —

A. d. 1322. — — — Item ipso anno a festo beati Andreæ ad medium quadragesimæ sequentis y) gelu fuit inauditum. Fuit enim inter Daciam et Slaviam et Imbriam totum mare Balticum congelatum, ita quod latrones, de Slavia intrantes, quasdam partes Daciæ deprædarunt, et tabernæ in medio maris in glacie pro transeuntibus factæ fuerunt. Inter Norwegiam etiam, Angliam et Flandriam multæ naves in medio maris congelatæ fuerunt in glacie, ita quod mercatores ex navibus se mutuo visitabant, eundo per glaciem pro solatiis habendis. Cum autem resolveretur glacies, fere omnes naves, quæ declinaverunt ad partes australes, salvatæ fuerunt; sed quæ versus aquilonem venerunt, paucæ sunt salvatæ.

Item in autumpno præcedente z) quidam miles de Swevia, Kanutus Porse, congregatis multis militibus et satellitibus de Holtzatia et Slavia, intravit Schaniam et eam devastavit.

l) Tyrgillus d. 6 Decembris 1305 captus et d. 6 Februarii 1306 securi percussus est (v. Tom. I, 1. pag. 56 et 64, Tom. II. 1, pag. 82.) m) Lege: Waldemaro duci, qui an. 1302 Cristinam, filiam Marescalli duxerat, ut ex Erico Olai (supra Tom. II, p. 76 et 82) et ex Detmaro (qui rem in an. 1304 perperam transfert) apparet. n) Nuptiæ vero ducum cum domicellis Norvegicis an 1312 factæ sunt. o) Sc. Ericus Menved. p) Lege: Teutoniæ. De re cfr supra pag. 124. q) Capti sunt duces jam d. 10 Decembris 1317 (v. Tom. I, p. 56, 65 et 94 ac supra pag. 23, not. q.). r) Sc. Birgerus rex, qui an. 1321 obiit, uxor autem an. 1341 (v. supra pag. 122, not. h.) s) Anno 1320, intra dies 21—27 Octobris (v. Ericum Olai pag. 99 et 100). t) Die 8 Julii 1319 (cfr. supra Tom. I, 1. pag. 43 et Diplom. Suecan. III, pag. 411, 412).
u) Numerus V hic aperte excidit, ut videmus ex Detmaro (an. 1318), qui *nicht V jar olt* habet. Magnum vero tempore electionis tres annos explevisse et qvartum agere nostri fontes indicant (Chronologia Wisbyensis, supra I, 1 p. 43, Ericus Olai supra Tom. II, 1. pag. 101 et Libellus etc. supra pag. 13, lin. 5; quod aliunde firmatur (cfr. Munch, Norges Hist. Anden Hovedafdel. I, pag. 122. sqq.). Attendendum est eundem Libellum (supra pag. 13) infra dicere: "cumque rex quinque annorum esset, moriebatur avus suus rex Norvegiæ." v) Die 8 Maj 1319. x) Die 15 Augusti 1319. y) A die 30 Novembris 1322 — ad diem 6 Martii 1323. Cfr. Detmarum infra. z) Item Detmar infra in anno 1322 et Chronicon Sialandiæ supra pag. 113, quod præter Kanutum Porse etiam Nicolaum Olofsson nominat.

Digitized by Google

XXIII.

Ex Chronico Lubecensi Detmari an. 1101—1395 Excerpta.

Qua ex causa ad historiam conscribendam auctor se converterit, ipse in exordio his verbis explicat: *Na deme iare der bort Cristi MCCCLXXXV alse de grote jamer schach der vorretnisse binnen Lubek, alse hirna geschreven is, an densulven iaren do weren voghede der staad erbare lude, her Thomas Murkerke unde heer Herman Langhe. Se betrachten, wo desse jamer queme an ewighe dechtnisse, nicht alleneghen dit stucke, mer ok dat gescheen were bekentliken sedder deme groten dode; wente der stades coroniken was nicht thogheschreven bi sos unde druttich iaren, ok was se brekhaftich der ding, de ghescheen weren an vele iaren unde an vele landen. Hirumme hebbet se besorghet to scrivende desse coroniken vormiddelst eyme ghestliken personen, en lesemester in sunte Franciscus orden, de sich nicht wil nomen, went he begheret god daran to lovende unde sich nicht.*

Tametsi auctor nomen suum ita reticet, commentatores in illo Detmarum quendam, qui annis 1368 et 1388 ut lector conventus Lubicensis minoritarum comparet et circa annum 1395 defunctus est a) agnoscere non dubitaverunt, quare jam chronicon ex illo semper nominatur. Ut Detmarus ipse in verbis supra allatis narrat, ei anno 1385 mandatum est, ut chronicon urbis continuaret, neque hoc officium persequi tardavit, cum jam anno 1386 prior pars operis usque in hunc annum expleta fuisse videtur b). Posterior pars operis, annos 1386—1395 comprehendens, annotationibus illo ipso tempore factis aperte nititur, quamvis fieri possit, ut eæ demum anno 1395 in corpus redactæ sint c). Hoc in opere conficiendo Detmarus sola continuatione veteris chronici se non continuit, sed illo pro fundamento posito, diversisque aliis fontibus undecunque arcessitis novum quoddam opus, in quo externæ res non minus, quam domesticæ tractantur, elaboravit. Ab anno 1350, ultra quem vetus chronicon sese non extendebat d), narratio ejus principio tenuior fit, ut expectandum est, cum principalis fons fluere desiit, et ex sua recordatione aliorumque id ætatis hominum narratione potissimum hausisse videtur, quare etiam interdum in errores incidit. Quo autem propius ad suam ætatem accedit, eo copiosius et rectius res gestas exponit.

Permultis fontibus Detmarus præcipue in priore chronici parte usus est e), quamquam in nonnullis non facile potest dijudicari, utrum eos ipse inspexerit an solum per principalem fontem, illud perditum antiquum Chronicon civitatis Lubecensis cognoverit et adhibuerit f). Huic enim plurimas res, quas de Lubeca et terris maris Baltici ante annum 1350 tradit, debere videtur, et si Detmarum cum Annalibus Lubecensibus, ex quo proxime supra excerptum dedimus, comparaverimus, apparet, vetus chronicon non contemnenda rerum copia excelluisse, cum ambo non pauca et haud raro diversa ex eo sumserint. Neque hoc mirandum est, vetus Chronicon tot res ad excerpendum illis præbuisse, cum manifestum sit, secretarios civitatis sui quemque temporis gesta, alterum post alterum, literis mandasse g).

a) Vide: Grautoff, die Lübeckischen Chroniken I, p. xv. b) Argumenta, quibus hoc probatur, Grautoff (l. c. pag xxii) et Strehlke (Scriptores rer. Prussic. III, pag. 23, 24) collegerunt. Gravissima sunt 1) quod Detmarus ipse in anno 1357 de lite quadam dicit: *Dit stund noch in deme iare alse desse cronike wart beschreven, dat was an deme iare Cristi 1386* 2) quod una quasi redactio ejus operis (v. infra n. IV ex codicibus quos enumeramus) in anno 1386 finitur. c) Vide Strehlke l. c. d) Grautoffio (l. c. pag. xxii) enim assentiri non possumus, Detmarum etiam in iis, quæ post annum 1350 traduntur, aliqua quamvis pauca et exigui momenti, ex vetere chronico hausisse, cum Detmarus expressis verbis chronicon post magnam pestem non continuatum fuisse dicit, quod subita insigni paucitate et brevitate annotationum post annum 1350 firmari videtur. e) De his cfr: Forschungen zur Deutschen Geschichte, XIII, pag. 179,199 et Koppman in Hansische Geschichtsblätter, an. 1871 pag. 75—87. Præter vetus chron. Lub. nominare possumus: Speculum historiale Vincentii Belvacensis, Chronicon Helmoldi, ejusque continuatorem Arnoldum, Chronicon Martini Poloni, Annales Hamburgenses et Stadenses etc. Etiam fontem quo res Magnopolenses et Prussicæ continebantur, in posteriore redactione (de qua infra in textu) adhibuit (v. Strehlke in Script. rer. Prussic. III, 23). f) Vide quæ Koppman l. c. pag. 77, 81, præsertim de chronicis Tataricis a Detmaro laudatis disseruit. g) Ita Annales Lubicenses redactione veteris chronici, quæ in anno 1324 vel paulo ante substitit, usi sunt, et unus in illis locus fere indicare videtur, vetustiorem redactionem chronici ante mortem Erici Menved an. 1319 scriptam fuisse (v. nostram præfationem num. XXII not. *). Tres locos apud Detmarum in annis 1300, 1316 et 1347, qui a coævo scriptore aperte annotati sunt et manifeste non Detmaro, sed prioribus veteris chronici scriptoribus debentur, Grautoff (l, c. I, xxviii) et Koppman Hansische Geschichtsblätter, 1871 pag. 81 observaverunt. Etiam plura exempla produci possent (cfr. an. 1293, pag. 167 apud Grautoff: an. 1347, pag. 266; et fortasse annos 1253, 1260, 1308 et 1327, pag. 132, 139, 190 et 225).

Digitized by Google

Hoc vetus chronicon tamquam illos Annales Lubicenses, qui id secuti sint, Latine scriptum fuisse, nonnulli quoque loci apud Detmarum indicare videntur h), attendendum vero est, eum etiam ex opere rhytmice composito interdum aliqua aperte mutuatum esse i).

Detmarum ex fontibus Danicis et Sueticis, qui hodie adhuc exstant, aliquem in manibus habuisse invenire neqvivimus. Neque enim commentatoribus Germanicis assentiri possumus, ei Annales Ryenses cognitos fuisse, sed affinitatem utriusque ita explicavimus (v. prolegomena numeri XXII), ut communis illis fuerit fons (sine dubio perditi Annales Lundenses majores), ex quo Annales Ryenses brevius et parcius, Detmarus et Annales Lubicenses fusius materiam narrationis sumserint. Fieri potest, ut Detmarus perditum aliquem fontem e Dacia et Suecia ortum viderit, sed ut res nunc se habet, eam speciem præbet, nihil a Detmaro de regnis aqvilonaribus traditum quasi directe e nostris fontibus originem ducere, sed e chronicis et traditionibus Lubicensibus (et ita indirecte ex nostris) profectum esse. Neque in nostris scriptoribus medii ævi ullum vestigium, quod eis Detmarum innotuisse significat, reperire potuimus.

Multi autem scriptores Germanici Detmarum in suis libris conficiendis adhibuerunt, quorum principes sunt Hermannus Kornerus in Chronica Novella, Albertus Krantzius in suis diversis operibus k) et Reimarus Kock in suo Chronico Lubicensi, ex quibus omnibus infra excerpta dabimus. Etiam in illo Chronico Lubecensi, quod in anno 1430 finitur et cuidam Johanni Rufo attributum est, l) commentatores scriptorem, qui Detmarum secutus sit, diu agnoscere voluerunt. Recentissimæ vero inqvisitiones satis demonstrarunt, hoc chronicon Rufi ex duabus distinctis partibus constare, ex quibus prior in annum 1395 extendens nihil sit, nisi redactio quædam ipsius Detmari et ea vetustior, quam illa, cui soli adhuc nomen Detmari inditum sit, dum posterior pars annos 1395—1430 complectens, maximam in partem Chronicam Novellam Hermanni Korneri excerpserit et Germanice verterit m). Plures enim quasi redactiones operis Detmari exstitisse certum est. Jam supra indicavimus, Detmarum primam partem chronici in anno 1386 consumasse et codicem, qui in hoc anno desinit, re vera reperiri. Et quamvis manuscripta Detmari et Rufi per omnes partes conferre non potuerimus, tamen ex illis, quæ alii attulerunt, concludere licet, primam partem Rufi (ad an. 1395) verisimiliter vetustiorem redactionem operis Detmari esse. Nonnullis locis Rufus Detmaro brevior est ab illoque narratas res omittit (quæ res eo declaratur, quod Detmaro postea alios adeundi fontes occasio sit oblata n),) sed in iis, quæ exhibet Rufus, iisdem verbis, quibus Detmarus, semper fere utitur o). Præterea codex Hamburgensis exstat, in quo opus Detmari in annum 1413 continuatum est, cujus autem textus solum in annis 1277—1400 cum Detmaro conspirat, dum ante annum 1277 dissimilitudo quædam inter illos intercedit p).

Quamquam chronicorum Lubecensium nova critica editio jam jam est exspectanda (qua de causa in his excerptis faciendis manuscriptorum adhibendorum potestas nobis data non est) q), tamen non superfluum forsan videbitur, si codicum, quos nominatos vidimus, aliquam mentionem vel brevissimam fecerimus.

Detmari hæc vidimus exemplaria memorata: I) Membranaceum in folio duo volumina continens, quorum prius in annum 1400 se extendit, posterius annos 1401—1482 complectitur. Prius volumen, quoad manus scriptorum attinet, in duas partes dividitur, unam annos 1101—1395 comprehendentem et una eademque manu circa tempus, quo finitur, scriptam, quam Grautoff Detmari autographon esse judicat r), alteram, qua anni 1395 s)—1400 continentur, alia sed paulo recentiori manu scriptam, in qua primam Detmari continuationem agnoscimus. Secundum hunc codicem, quem bibliotheca civitatis Lubecensis possidet, Grautoff suam editionem curavit, cujus ad præfationem eos, qui conditionem codicis propius cognoscere velint, relegamus. — Ia) Exscriptum in folio codicis n:i I eodem loco servatum. (v. Grautoff I, pag. XVI, XVIII). — II.) Duo exemplaria in bibliotheca Hannoverana servata, quæ Grautoff (II. XVIII) nominat, sed ipse non vidit. — III) Codex Hamburgensis, in annum

h) Koppman l, c. p. 78 ejusmodi locum affert. Idem forte in pluribus locis animadverti posset (v. an. 1260 et 1276, pag. 138 et 153 apud Grautoff, item in anno 1281 Annales Lubicenses exhibent: *Philippus* [IV in Francia] *homo magnæ staturæ et astutus*; Detmarus vero: *Philippus de grote* i) Vide Koppman l. c. pag. 75. k) Dijudicare adhuc nequimus, utrum Krantzius ex Detmaro directe an indirecte per Kornerum sua hauserit. Idem de Chronico Slavico in an. 1486 (ed. Laspeyres, Lubecæ 1865 in 4:to) valet. Koppman etiam in *Rostocker Chronik 1310—1314* excerpta ex Detmaro agnoscere vult (Hans. Geschichts blätter 1871, pag. 162). l) Satis levi ex causa, cfr. Waitz, Abhandl. d. kön. Gesellschaft d. Wissenschaft. zu Göttingen, an. 1851, V. pag. 93 in 4:to. m) Lappenberg in Pertz, Archiv für ältere Deutsche Geschichtskunde, VI, pag. 617—624 et Waitz l. c. (v. scholion prius) pag. 89—94; cfr. præcipue pag. 93, not. 3. n) Exempli causa ille fons res Prussiæ etc. continens, v. supra not c. o) V. Grautoff l. c. I. p. XXI, XXV—XXX, qui tamen Rufum ea, quæ annum 1385 antecedunt, ex eodem fonte, ex quo Detmarum, annos vero 1385—1395 e Detmaro directe sumsisse censet. p) Grautoff l. c. II, pag. XVII—XXI. Illum autem errare, cum continuationem annorum 1401—1413 in hoc codice Hamburgensi cum chronico Rufi cognatam esse putat, Waitz l. c. pag. 95—97 ostendit. q) Omnes enim Lubecam congesti sunt, ubi professor W. Mantels in eorum comparatione versatur eo consilio, ut illam novam criticam editionem omnium chronicorum Lubecensium perficiat. r) Gravia librarii menda (v. Grautoff l. c. I, p. 55, not*, 168, not.*, 174 not.**, 182 not.*, 208 not* huic sententiæ repugnare videntur. s) Prior enim manus in medio anno 1395 subsistit. V. Grautoff l. c. I, pag. 369.

Digitized by Google

1413 continuatus, quem proxime supra memoravimus. Est papyraceus et seculo XV:o scriptus. — IV) Codex Grautoffio non cognitus, qui in anno 1386 desinit (ultima verba sunt *iegen de rovere*, Grautoff I, pag. 339, lin. 10), cui autem libellus Magnopolensis de injuriis principibus hujus terræ a Dacis et Svecis illatis, aperte aliunde sumtus, adscriptus est. Eadem manu ab anno 1252 usque ad calcem in posteriore parte seculi XV:i scriptus est. Hodie in Bibliotheca urbis Lubec. sub signo »n. 23 Bibl. Deeck.» servatur, (propius apud Deecke: Beiträge zur Lübeck. Geschichtskunde pag. 17—19 describitur).

Redactionis, quæ Rufo tribuitur, hi codices nominantur: — I) Descriptum papyraceum medio seculo XVI:o confectum, quod Lubecæ servatur. II) Descriptum Hamburgense priore recentius, sed accuratius. — III) Descriptum bibliothecæ privati cujusdam Holsati, quod quamvis recenter scriptum, elocutiones et ortographiam seculi XV:i fideliter reddidit, et solum annos 1395—1430, i. e. continuationem e Korneri opere sumtam continet. IV) Alter Codex Hamburgensis initio seculi XVI:i scriptus t) His quatuor Grautoff usus est (v. eum. l. c. I. xxv et II. xvi). — V.) Codex papyraceus Bibl. Havniensis (Nyere Kongl. Saml. Fol. 310) medio seculo XV:o scriptus et omnium vetustissimus u). — VI) Codex papyraceus Bibl. Havniensis (Gamle Kongl. Saml. Fol. 602) initio seculi XVI:i confectus et numero IV congruens v).

De causis quas supra attulimus ipsos codices adhibere nobis non licuit, ut editionem Grautoffii et igitur, tamquam ille, textum Detmari pro fundamento ponere, e Rufo solum variantes lectiones afferre coacti simus, cum vero Grautoff locos, in quibus major inter eos diversitas interest, diligenter attulerit, nos textibus his locis juxtapositis rationem duarum redactionum sub oculos legentium subjicere potuimus. Præterea æstate anni 1874, cum Lubecæ uno et dimidio die versaremur, hac occasione ad inspiciendum codicem Detmari n. I et aliqua menda editionis Grautoffii corrigenda usi sumus, quam collationem ultra annum 1448 continuare temporis brevitas nos impedivit.

t) Ita Mantels apud Sybel, Histor. Zeitschrift, Tom. XIII, Additament, pag. 54; codex adhuc seculo XV:o adnumerari solebat. u) Mantels l. c. Codex in anno 1430 desinit, sed brevis annotatio Suhmii *effterssees till 1435* effecit, ut codex in annum 1435 perductus esse diu crederetur. v) Mantels l. c.

1249. — — — — — Des iares starf koningh Erik van Sweden a). Na eme wart in deme rike grot wernisse b). Dat mene volk vel mit eneme burgher c) to, dat was enes husmannes sone; de dodede unde vordervede vele der edelen man des rikes, unde besat mit welde dat rike als en hertoghe. Darvor schref he sik, unde nicht vor enen koninghe. He gaf oc sunderlike vryheit den van Lubeke unde den dudeschen copluden, de to Sweden voren d).

1266. — — — — — Dessulven iares starf hertoghe Birgher van Sweden; de hadde dat rike, over he ne wolde nen koning heten, umme dat he dar nicht to boren en was. Sin sone Woldemer wart na eme koning; de quam seder van deme rike dor undat willen.

1274. — — — — By dersulven tyd e) satten de Sweden sic weder eren koning Woldemere, unde nemen sinen broder Magnus in sine stede f), unde wart grot beweghunghe in deme rike. — De koning vor do to Rome g), umme sine sunde to beterende; dar losede ene af de paves. He quam do wedder to Lubeke, dar was he nicht langhe. An sin rike he wande h) wederkomen; dar vant he do wederstandunghe van sineme broder Magnuse, de sic des rikes do hadde underdan; mit deme velen to de Sweden almestich i) unde ute Denemarken vele volkes. —

1275. k) In deme iare christi MCCLXXV dō dede sic de Woldemer to deme koninghe in Denemarken, dar quam he mit wive unde mit kinderen; mit siner helpe he orlōghede uppe de Sweden. Des quam do koning Magnus mit groter macht in dat land to Schonen unde vordervede des landes vele. —

a) Idem error in Annal. Ryens. (supra pag. 106). Obiit Ericus anno 1250, d. 2 Februari (cfr. supra pag. 4 not. p). b) "Bellum". c) Scriptor nomen Birgeri ducis falso interpretatus est; qua ex causa eum *enes husmannes sone* esse crediderit, nescimus. d) Literæ privilegiorum in Diplomatario Svecano, I, n. 846 et 850; hæc tamen anno 1251 datæ esse non possunt, quia Laurentius erat archiepiscopus annis 1255—1267 (v. infra sect. II, pag. 98); fortasse 1261 legendum, sicut in privilegiis Hamburgensibus datis (Dipl. Suec. I, not 473). Confirmatio Waldemari data est anno 1267 (Lübeck. Urkund. Buch, I. s. 288). e) Concilium Lugdunense proxime supra memoratur. f) Hoc anno 1275 contigit (cfr. Annales Sigtunenses supra pag. 5). Vix monere opus est, hoc fratrum certamen post illam Waldemari peregrinationem, quæ hic seqvitur, exortum esse. Aut Detmarus ipse ordinem pervertit, aut ex duobus fontibus haustas annotationes conjunxit. g) Quod hic solum narratur. Kornerus nim et Krantzius Detmaro aperte idem debent. h) Cupivit vel speravit. i) "Purimi illi (Magno) adhæserunt." k) Lege: 1276; de fuga Waldemari in Daciam cfr. supra Ann. Lubec. pag. 176 not. a; de irruptione Magni in Scaniam an. 1276 v. Ann. Lund. supra pag. 109.

Digitized by Google

1278. In deme iare cristi MCCLXXVIII do quam koning Woldemer weder to Sweden unde ghaf sik an sines broder koning Magnuses ghenade l). De helt ene erbarliken sine daghe m); men he moste vor sik unde vor alle sine erfnamen to ewigher tyd vorsweren de ansprake der cronen: de n) blef seder manich iar vanghen. Also blef de Magnus seder koning, unde ghaf sineme brodere Woldemer land, dar he sik af nerede. —

1284. — — — — In demesulven iare do was en grot orloghe twischen deme koninghe von Norweghen, Eriken unde den dudeschen copluden umme vele unrechtes, dat de normannen deden den dudeschen copluden. Des loveden sic tosamende de stede bi der Ostersee unde bi der Westersee alto male, ane de van Bremen o). De stede makeden do ere schepe to unde voren in Norweghen, dar se deden groten schaden; se legheden oc sunderlike koghen p) in den Noretsund q) unde in anderen steden: de werden r), dat to Norweghen nen korn, nen beer edder brod oder ander ghud mochte komen. Des wart dar so grot hungher, dat se mosten to der sone ghan. s) Der underwan t) sik koning Magnus van Sweden; to deme leet de koning van Norweghen sine sake, oc letent u) de stede up ene. De makede tuschen v) en enen vrede willekoret bi groteme gude x) unde satte, dat de dudeschen coplude scholden velich varen to Norweghen mit ereme ghude unde bruken eres olden rechtes unde erer vriheit, darto scholde de koning van Norweghen gheven den copluden ene grote summe gheldes vor schaden, de en was in sineme lande y) gheschen; dat gud deleden de stede under sik. — — — — — — — — — — — — — — — — — —

1290. In deme iare cristi MCCXC, veer daghe vor unser vrowen daghe der bort umme tercia tyd, da wart de sunne schadaftich eres schines. Darna in sunte Thomas avende des apostel z) do starf koning Magnus van Sweden, en lefhebber des vredes unde aller rechticheyt. He wart ghegraven to Stochesholme in den kor der barvoten brodere, den he sulven let buwen, unde ghaf schone testament de kerken to buwende. —

1297. — — — — — In demesulven iare do nam koning Erik van Denemarken des koninghes Birgers suster van Sweden a); de Birger hadde oc dessulven koninghes Erikes suster. — — — — —

1302. — — — — Dessulven iares let Birgher van Sweden, de koning, sinen sone cronen, Magnuse, de na eme scholde koning sin. To deme hove was koning Erik van Denemarken mit vele anderen heren b).

1303. — — — — — Des iares brachte greve Otte van Ravenberghe sine dochter to Lubeke, de ghaf he dor gudes willen des koninghes marscalke van Sweden, de untfenghen dar greve Jacob van Hallande unde andere riddere van Sweden c). Dat so edele iuncvrowe deme marscalke dor gudes willen gheven wart, vil manegh eme des wunderde. — — — — — — — — — — — — — — —

1304. — — — — — By der tyd, do de marschalk van Sweden nomen hadde des greven dochter van Ravensberghe, do ghaf he oc sine dochter hertoghen Woldemere, des koninghes broder to Sweden d). Dat moyede sere hertoghen Erike sime brodere. De quam darna to deme Stockholme, dar let he den marschalk vaan e), unde ghaf em schult, dat he sin unde siner brodere ergheste worven hadde f); des let he ene dar unthoveden g). Darna let sic de hertoghe Woldemer scheden van des marschalkes dochter dor vadderscap willen h). Also nam he seder koning Erikes dochter van Norweghen, de dot was, unde hertoghe Erik nam koning Haquines dochter sines broders, de do was koning i).

1305. — — — — Des iares veng hertoghe Erik sinen broder koning Birger to Sweden unde de koninghinnen k): daraf seder wart orloghes vele.

1306. — — — — By der tyd l) do toch de koning van Denemarken to Sweden mit vele volkes, deme koninghe unde siner suster to helpende; dar he do vil clene vromen warf m). Woldemer unde Erik, de hertoghen beide, ladeden to sic ute dudeschen landen vele riddere unde knechte n), den gheven se gut mit so milder hant, dat en gherne denede al man. — — — — — — — — — — — —

l) Hic reditus forsan jam anno 1277 contigit (v. supra pag. 6; cfr. tamen etiam Ann. Ryens. pag. 106 et Lubec. pag. 176 not. c.). m) I. e. Magnus pactum fideliter servavit. n) Hoc Waldemarum respicere videtur. Sed cum verba seqventia legimus et Annales Lubecenses (supra) conferimus, pæne suspicamur, aliqua de filio Waldemari, Erico, hic excidisse, et vocabulum *de* Ericum spectare. o) "Omnes ad unum, Bremensibus exceptis, foedus inierunt." p) "Naves." q) Hodie: Öresund. r) "Impediverunt." s) Sequentia ad an. 1285 pertinent. Cfr. Recessen der Hansetage, I. pag. 21 seqq. t) "Illud (i. e. litis compositionem) suscepit." u) Pro: *leten it*, "ei suam causam tradiderunt." v) *Zwischen.* x) I. e. Si pactum violaretur, magna pecuniæ summa solveretur. y) Rufus: *van syneme rijke.* z) Die 20 Decembris. Nostri fontes (etiam vetustissimi cfr. supra pag. 8) d. 18 Dec. exhibent. a) Nuptiæ vero Erici anno 1296 celebratæ sunt (v. omnes fere annales supra). Birgeri anno 1298 (v. supra pag. 121 not. r.). b) Hæc verba de Erico rege Daciæ indicare videntur, hic parlamentum in Fagradal anno 1304, non electionem anni 1303 respici (cfr. supra Annal. Lubec. pag. 176, not g.) c) Cfr. Annal. Lubecenses pag. 176, not. h. d) Waldemari nuptiæ jam anno 1302 in coronatione Birgeri factæ sunt (v. supra Ann. Lub. pag. 177, not. m.). e) Pro: *vangen.* f) "Molitus erat." g) Anno 1306, v. Annal. Lubec. pag. 177, not. l. h) Divortium jam tertio die post comprehensionem Tyrgilli (d. 6 Decembr. 1305) factum nostri fontes uno ore narrant (v. supra Tom. I. 1. pag. 56, 64 et 92 et II. 1. pag. 82). i) Hæ nuptiæ ad annum 1312 pertinent. k) Quod an. 1306 accidit (v. Ann. Lubec. not. k.). l) Proxime supra describitur, quomodo d. 1 Octobris in Marchia lapidibus plueret. Expeditio Danica circa nativitatem domini incepta est (v. supra Ann. Lund. pag. 109). m) "Mediocrem successum habuit. n) Hoc profecto ad annum 1307 pertinet, quo Waldemarus dux ipse in Germania milites conduxit (v. Chron. Rhythm. supra Tom. I. 2. pag. 34 et literas a Waldemaro d. 9 Sept. Lubecæ datas in Lubeck. Urkund. Buch II. 1 pag. 191).

Digitized by Google

1307. — — — — — In deseme orloghe o) provede p) oc de koning van Denemarken, wo dat he dar mochte maken ene evenunghe, umme dat eme der helpere worden uppe de Sweden q). Des let he by middensomere to sik komen den hertoghen van Sassen, den hertoghen van Sleswic unde de ratmanne van Lubeke up ene halve, unde de greven van Holsten unde de Wendeschen heren an ander halve. De quemen to eme to Vemeren; dar makede he tuschen en ene evenunghe, also dat de vordrevene Holsten scholden wederkomen up ere ghud to besittende. Vortmer umme den torn to Travenemunde unde umme den Priwalke, weme de scholde tohoren, des scholden de greven unde de stat to des romeschen rikes seghende ghan. Umme dat de koning an den deghedinghe sic so gotliken bewisede, des nam ene de stad to teyn iaren se voretostande; dat dede seder vromeliken koning Erik, bet dat he starf.

Nicht langhe darna sande de koning sinen broder Cristophore unde hertoghen Woldemere van Slesvic unde sinen r) broder Erike van Langlande mit vele volkes to Sweden, de clene dar worven s). —

1309. — — — — Des iares toch de koning van Denemarken to Sweden wol mit XXV t) groten rossen; dar was mede de here van Mekelenborch unde vele heren unde riddere ute dudeschen landen. Dar worden vorevenet de koning van Sweden unde sine brodere hertoghe Woldemer unde hertoghe Erik, also dat rike se deleden an dre, daraf behelt malk sin dridden del. Wo groten hungher dat grote her in Sweden liden moste vil na vere manede u), dat wart wol schin, do de lude wederquemen to lande. —

1312. In deme iare cristi MCCCXII vor paschen v) sanden de van Lubeke ere boden weder to deme koninghe umme erer borghere ghut weder to hebbende unde to weten de warliken, wu se weren an sinen hulden x). Do de bode quam in den Beltessund, do weren dare komen der wendeschen stede ere coghen y) de begunden roven unde bernen z) de Oelande, dar se up mochten. Do quam hertoghe Erik van Sweden to Denemarken, de hadde wesen pelegrimatze a) to Ridzemadun b), unde was van Lubeke varen to Valstere c), dar weren in deme weghe de cocghen komen, daruth de viande weren to lande toghen, dar de hertoghe do was. De halp do den Denen, dat se de viande sloghen weder van deme lande. Dar was deme koninghe leve to unde untfeng den hertoghen, sinen swagher, lefliken to Nestwede, doch io was de grund under en mate vast d); de koning toch do vort to Roschilde. — — — — — — — — — — — —

1318. — — — — — e) In demesulven iare do hadde koning Birgher to Sweden beden uppe dat hus to Nycopinghe sine brodere Erike unde Woldemere, de hertoghen beide, vruntliken mit em den jul over den winachten vroliken to holdene, als in den landen is en sede. Do se des ersten avendes over der tafelen saten unde wanden f) velich unde vrolich sin, do let de untruwe koning sine broder nemen van der tafelen, unde let se werpen in den torn in harden benden g); he se dar vorsmachten let binnen den twelften h). Des rikes eddelen manne erer milden vromen heren iamerliken dot claghen beghunden so swarliken, dat de koning unde de koninghinne van angheste weken erst to Gotlande; do se dar nicht leng mochten bliven, do voren se to deme koninghe in Denemarken i), de mede bewiste k), also men sprak, de swaren dat; dar bleven se vordreven. De in rade unde in dade dar hadden mede wesen, de worden en del radebraket unde swarliken dodet. Des koninghes sone Magnus, de alrede kronet was, den beleghden de Sweden uppe deme hus to Stekeborch; dat warde weret lengh[er] den en iar l); to lesten wart dat huse gheven. Den iunghen koning se nemen unde leten ene bichten vnde misse horen unde darto offeren; do vort wart eme sin hovet aveslaghen m), unde to der erden bestedet. Enen koning se do koren hertoghen Erikes sone, gheheten Magnus, nicht V iar olt n). Siner moder vader was koning Haquin van Norweghen, de starf des iares o); also wart dat kint koning beider rike in Sweden unde in Norweghen.

o) De bello inter Lubecam et principes Holsatiæ atque Magnopolis quæstio est. p) "Tentavit" vel "studuit." q) "Ut fautores contra Svecos acciperet." De seqventi placitatione cfr. Die Recesse der Hansetage I. 49, 50 r) Sc. Waldemari. s) Hæc expeditio in vere anni 1308 instituta indutiis die 2 Maji factis (Hvitfeldt, Danm. Rig. Hist. in 4:to III. pag. 99), ubi principes in textu memorati interfuerunt, finita est. Perturbatum ordinem eventuum hujus anni Munch, Norg. Hist. IV. 2. pag. 460—464 et 494—496, optime explicuit. t) Pro: XXVc, i. e. 2500. De bello cfr. supra Annal. Lubec. et Continuat. Saxonis (pag. 124). u) Hic a die, quo exercitus fines Sveciæ transiuit, ad eum, quo revertens illis egressus est, computatur. Ericus adhuc d. 17 Augusti *Stege* literas signat (Meklemb. Urkund. Buch. V. pag. 477) et die 21 Decembr. Helsingborgis versatur (Suhm, Danm. Hist. XI. pag. 619). Ipsa obsessio Nycopiæ sex septimanis durasse dicitur (v. supra Tom. I. 1. pag. 64 et 93). v) Ante igitur d. 26 Martii. x) "Ut vere scirent, qua gratia apud eum uterentur." y) "Naves urbium vendicarum advenerant." z) Pro: *brennen*. a) "Peregrinationem sacram perfecerat. b) Certo: *Rocamadour* (vel Rupis sancti Amatoris) in Francia (prefectura *Lot*), v. Munch, Norg. Hist. IV. 2 pag. 554. c) D. 11 Martii Ericus Lubecæ est (Diplom. Svecan. III. pag. 49) d. 18 Aprilis apud Sjöborg in Sialandia boreali (Hvitfeldt l. c. in 4:to, pag. 151). d) Proprie: "solum sub iis mediocriter firmum erat" i. e. "levi fundamento amicitia nitebatur. e) Seqvens narratio annos 1317—1320 comprehendit, ut scholia nostra ostendent. f) "Speraverunt" vel "putaverunt." g) Hoc in nocte d. 10—11 Dec. contigit (v. supra pag. 23 not. q). h) l. e. ante d. 6 Januarii 1318. Hoc falsum esse testamentum ducum d. 18 Januarii 1318 datum ostendit (Diplom. Svecan. III. pag. 345). Attendendum est, anniversaria eorum in ecclesia Upsalensi d. 16 Februarii celebrari non triginta annos post jussa esse l. c. V. pag. 337). i) Eodem anno 1318, v. Chron. Sialandiæ supra pag. 113. k) "Qui conscius erat facinoris." l) Minus recte; in Septembri an. 1318 deditio verisimiliter facta est (cfr. Chron. Rhythmic. supra I. 2. pag. 50). Cum induciæ d. 11 Novembr. inirentur, Magnus jam captivus erat (Diplom. Svec. III. p. 384). m) Anno 1320 in Octobri (v. supra pag. 177 not. s). n) Qvartum annum non expleverat, cum die 8 Julii 1319 rex eligeretur (v. supra pag. 177 not. u). o) Die 8 Maji 1319.

Digitized by Google

wart hertoghe Albrecht in gudeme geloven van en vorraden unde bedroghen, unde in der truwelosicheide enthelden se eme dat ryke to Dennemarken myt unrechter walt wente in synen dot d) wedder konyngh Woldemers lesten willen unde jegen des keysers ordel unde horsam. Also is noch vrouwe Margreta grot myt den sulven truwelosen, dede do to der tyd leveden, de koningh Alberde vor untseten unde vor beseten hadden e), beth an den dach dat se byldichliken f) na godes rechtes in koningh Alberdes manynge unde der synen umme sitten scholen g). Men uppe dat se des wys syn, dat des nicht en schee, dat is de sake, worumme dat se h) deme armen vangenen vorsten to syner losinge noch sulver noch golt na lyke edder na rechte, na vorboringe i) jeniger vorsten edder stede, noch vorpandinge lant edder slote noch k) vorbedinge jeniger mogelicheyt edder ander mogelige sake mogen by vrouwen Margareten to troste edder to hulpe komen. Se en wil ene jummer l) gantz vorderven unde beyde erfflos unde namelos | unde ok lichte, dat 148c
gode mote entbarmen, lyfflos maken, synt se ene helt vyff jar al umme in untrostliker strengicheit, also desse stucke heren unde vorsten, ridderen unde knechten witlick synt, de bynnen der tyd umme m) syne losinge vakene n) tegen o) se to degedingen unde to dagen hebbe ghewesen etc.

p) Cod.: *hovende.* q) D. 21 Januarii 1376 in Grevesmolen Albertus *der Denen unde der Wenden koning* ceterique duces Magnopolenses Henrico, Nicolao et Adolfo, comitibus Holsatiæ, ducatum Slesvig cum insulis Als et Langeland pro feudo donant (Schlesv. Holst. Urk. Buch, II. p. 316). r) Cod.: *Hinrikes sone.* s) Cod.: *wolde.* t) Cop.: *eme.* u) Cod.: *se sik.* v) Cod.: *openen breven unde bezezegelden.* x) Die 21 Septembris an. 1376 Havniæ Albertus et Henricus duces Magnipolenses profitentur, Albertum, filium Henrici et Olavum, filium Haquini regis, inter se convenisse, ut controversia de regno Daniæ ad arbitrium Frederici de Meissen, seu burggravii de Nürnberg seu regis Franciæ seu ultimo regis Hungariæ deferretur (Suhm, Danm. Hist. XIV. p. 500). y) Cod.: *Roschylde, myt her Cord Moyltken, myt her Cord Moltiken.* z) Hoc firmatur epistola urbis Lubicensis d. 11 Augusti an. 1377 scripta *(Die Recessen d. Hansetage.* III. p. 83) in qua colloquium inter Albertum seniorem et senatum Daniæ eadem æstate habitum memoratur, ubi in fine legitur: [Albertus] "reqvisivit illos regni Dacie consiliarios, qui anno proxime preterito secum in dominum nostrum imperatorem, marchionem Missensem et alios, prout scitis, compromiserant, ut ipsum secuturi hujusmodi compromissa ad effectum terminarent, unde multi ex eis dominum imperatorem secum adierunt, quid autem erit, ignoramus." — Eandem rem sequens annotatio in Repertorio Fabriciano (in Archivo Swerinensi) illustrat: "Curd Molteke knape, hovetman to Wordinborg, will behülflich seyn, dass Herz. Albrecht zu seinem rechte in Dänemark gestattet wird, dat. Arneborg d. 14 Augusti 1377." a) Num. b) Hic aliquid excidit, forte: *de erste mank den* [Denen]. c) Ipsos solum, si jus Danicum adhiberetur, illi se submissuros. d) Anno 1388. Albertus enim filius Henrici hic respicitur. e) Forte legendum *vore untseden unde vore besetten hadden* et vertendum, "qui Alberto antea fidem renunciaverant eumque adorti erant." f) Probabiliter. g) In potestatem Alberti venient. h) Sc. Magnipolenses, qui pro liberatione laborant. i) Cautio, sponsio. k) Cod.: nach. l) *Immer* semper. m) Cod.: *ume.* n) Sæpe. o) *Gegen.*

Digitized by Google

XXV.

Ex Chronica Novella Hermanni Korneri ceterisque continuatoribus Detmari excerpta.

Primo aspectu fortasse quispiam miretur, quam ob rem Kornerum et eos, qui continuatores Detmari vulgo appellari solent, sub uno titulo conjunctim ediderimus, re autem accuratius perspecta, hanc dispositionem gravibus quibusdam rationibus commendari statim apparet. Liber enim Korneri magna ex parte nihil est, nisi continuata quædam retractatio Detmari, cujus ex chronico plurima ad suum opus struendum petivit, et illæ continuationes Detmari, quarum altera in anno 1430 desinens et Rufo cuidam ascripta diu separatum opus esse judicabatur, altera usque in annum 1482 extendens vera continuatio Detmari esse vulgo existimabatur, ambo ex libro Korneri originem trahunt, unde seqvitur, ut in iis edendis Kornero primus locus tribuendus sit, ceterique continuatores usque ad tempus, quo Kornerus nos deserit, prætermitti possint, nisi ab illo recedant vel quidquam novi nobis præbeant. Hac enim in re lateri Korneri textus continuationum adjungere commodum nobis visum est, nisi discrepantiæ solum singulas voces attigerint vel minoris fuerint momenti, ut scholiis nostris eas apte reservare potuerimus. Continuatores igitur Detmari, quomodo inter se cohæreant, ut melius illustretur, jam eos ordine, quo sese excipiant, dispositos breviter hic persequemur.

1) Prima continuatio Detmari annos 1395—1400 comprehendens simul cum ipso Chronico Detmari, quod in anno 1395 finitur, prius volumen hujus manuscripti, ex quo Grautoff suam editionem edendam curavit (v. supra pag. 179), complet, sed ut Grautoff ipse in præfatione (pag. XV—XVIII) animadvertit, minus diligenter et alia manu scripta est, quam quæ chronicon Detmari proxime supra descripsit. Cum etiam dicendi genus discrepet et Detmarum anno 1395 mortem occubuisse fere certum sit, hic primum continuatorem Detmari agnoscere licet. Koppman eum fratrem ordinis prædicatorum, qui anno 1396 scribendo primam manum imposuerit et deinde eventus suæ ætatis usque in annum 1400 annotaverit, fuisse judicat a). Diu certatum est, qua ratione explicaretur, Chronicon quod Rufo tribuebatur, in annis 1395—1400 huic continuationi Detmari nullo modo accedere, cum post annum 1400 maxima inter Rufum et sequentem continuationem Detmari similitudo intercederet; quæ quidem contradictio eo explanatur, quod chronicon Rufi versio est prioris redactionis, quæ vocatur, libri Korneri, in qua ille continuationem 1395—1400 nondum sibi cognitam habuerit b). Editionem Grautoffii, præter quam, quod sciamus, nulla adhuc in lucem prodiit, in excerptis nostris secuti sumus.

2). Hermanni Korneri Chronica Novella in annum 1435. Kornerus erat frater et lector conventus predicatorum Lubecensis, qui annis 1420—1437 in libro memoriali monasterii memoratur, ex quo eum circa annum 1438 obiisse non sine causa conjicitur c). Exemplo fortasse Detmari incitatus chronicon universale conficere et ad suam ætatem perducere studuit, quod jam mature in animo habuisse et perfecisse videtur, quia diversas redactiones operis ejus possidemus, quarum prima in anno 1416 consistit, sequentes annis 1420, 1423 et 1435 terminantur. Fieri quoque potest, ut opus usque in annum 1438 continuaverit, qua de re aliquid infra in numero 4 monebimus. Codices libri Korneri, quos vidimus memoratos, si summatim persecuti erimus, ipsi per se, quomodo in opere perficiendo semper versatus sit, statim patefacient. Sunt 1) Guelferbitanus, qui jam in anno 1416 abrumpitur d), 2) Gedanensis, ad annum 1420 continuatus e) 3) Lincopensis, codex chartaceus, qui olim

a) Hansische Geschichtsblätter, 1872, pag. 157. Grautoff l. c. I. pag. XVIII fratrem ordinis minorum eum esse putat. b) Ita in codice Guelferbytano, qui in anno 1416 finitur, Kornerus continuatione Detmari 1395—1400 aperte non usus est, sed in juniore redactione, quæ in annum 1435 extendens in codice Luneburgensi, ex quo Eccardus suam editionem curavit, exstat, non solum illam continuationem, sed et alios fontes operi adjunxit. Vide Waitz *Abhandlungen d. kön. Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen*. 1851. in 4:to, Tom. V. pag. 73—80. c) Cfr. Seelen, Selecta Literaria, Lubecæ 1726 in 8:vo, pag. 78, 79. d) Waitz, Abhandlungen etc. (v. not. b) pag. 70, 71 eum eundem esse ac illum, quem Seelen et Eccardus Helmstadiensem appellant, et modo lapsui cuidam tribuendum esse, cum illi codicem ad annum 1435 perductum esse dicant, ostendit. Quod Waitz tunc pro certo affirmare non ausus est, codicem esse redactionem ipsi Kornero tribuendam, postea codice Gedanensi indagato indubium esse sensit (vide *Göttingische gelehrte Anzeigen*, 1859, 8:vo *(Nachrichten)* pag. 61—63). e) Waitz. *Gött. gel. Anzeig.* etc. pag. 57—61.

Digitized by Google

erat monasterii Wastenensis, nunc bibliothecæ Lincopensis; in medio anno 1423 finem capit f), 4) Luneburgensis, in annum 1435 perductus, secundum quem Eccardus editionem suam (Corpus Historicorum medii ævi. Tom. II. num. III) imprimendam curavit, 5) Lubecensis ad idem tempus extendens, qui in universum certe ab anno 1400 cum Luneburgensi fere ad verbum conspirat g). — Ut videmus, codices in diversis annis desistunt, ut quasi lapides laboriosi itineris, quod Kornerus in opere conficiendo emensus est, haberi possint. Sed non solum seriore vel citiore exitu, verum etiam textuum copiositate ipsaque scriptura inter se differunt. Assiduus enim scriptor continuationem addere non contentus erat, sed jam antea scripto operi ulteriorem limam adhibere solebat, ut posterior quæque redactio non solum continuationem prioris comprehendat, sed ea quoque, quæ priore redactione continentur, denuo retractet novisque fontibus adhibitis amplificet ipsamque dictionem sæpissime ita mutet, ut interdum pæne novum quoddam opus in manibus habere videamur. Quæ redactionum vel codicum dissimilitudo, qualis sit, exempla a Waitzio et aliis allata, ad quæ legentes relegamus h), bene illustrant. Ex his quæ diximus, apparet, Kornerum semper in eo versatum esse, ut si temporis intervallo nova aliqua sibi oblata fuerint, jam scripta rescriberet et augeret. Quare mirandum non est, tantum esse numerum scriptorum i), quibus usus fuerit et quorum nomina ipse haud raro afferat. Qua tamen in re tantulam diligentiam adhibuit, ut persæpe ea, quæ certo cuidam auctori allegat, non ex illo sed aliunde sumta esse reperiantur k). In iis, quæ ad historiam regnorum aquilonarium ante annum 1400 pertinent, Chronico Detmari ejusque primo continuatore (1395—1400) in primis nititur, nonnumquam sed rarius alios scriptores in manibus habuisse videtur. Ita in annis 1361—1364 ex Chronico Magistri Eylardi Schonevelt, quod hodie amissum est, uberem gravissimamque de horum temporum eventibus narrationem mutuatus est, neque expeditionem versus Holmiam anno 1394 (quem etiam Reimarus Kock exhibet) Detmaro debet, unde autem sit arcessita ignoramus; denique non omittendum est Annales Ryenses, quamvis in angustum coactos, totos fere jam in anno 868 intrusos esse l). Multis sane quoque locis post annum 1288, quo Annales Ryenses subsistunt, Chronicas Danorum vel Sweorum (vel Obotritarum) affert, ut primo aspectu fere adducimur, ut eum hic e fontibus nostris hausisse arbitremur, re vero propius inquisita hæc omnia Detmaro soli eum debere mox sentimus. Cujus rei testimonium ipse nobis reddidit. Cum enim in codice Lincopensi, quæ prior redactio est, ubi aliqua Detmaro debet, adhuc Chronicas Lubecenses plerumque laudat, interdum etiam Chronicas Sweorum et Obotritarum memorat, iidem loci contra in codice Luneburgensi (et igitur in editione Eccardi) fere ubique Chronico Danorum ascripti sunt, qua quidem re illa negligentia ejus in recto auctore nominando, cujus supra mentionem fecimus, bene illustratur. Exempli gratia nonnullorum locorum, in quibus omnibus Kornerus Detmarum aperte secutus est, collationem instituemus. In anno 1249 Codex Lincopensis affert Chronicas *Sweorum*, editio Eccardi *C. Lubecensis;* an. 1322 (1318 apud Detmarum) Linc. *C. Sweorum*, Ecc. *C. Danorum;* an. 1336 Linc. *C. Obotritarum*, Ecc. *C. Danorum;* an. 1351 Linc. *C. Sweorum* Ecc. *C. Danorum;* an. 1388 Linc. *C. Lubicenses*, Ecc. *C. Danorum;* an. 1390 Linc. fontis nomen omittit, Ecc. *C. Obotritarum*. Ut videmus, non solum codices in auctoribus nominandis differunt, sed Kornerus ipse in eodem codice miro quodam modo sibi non constat. Codex Lincopensis ad Detmarum multo magis accedit, quam codex Luneburgensis (= editio Eccardi), ut exspectare licet, cum Kornerus in illo ea, quæ e Detmaro excerpserit, solum verterit et textui, ubi aptum visum sit, nulla vel parva dictionis varietate adjunxerit, in hoc vero excerpta cum reliquo textu propius conjungere et in unum corpus redigere enisus sit m). Diversi quoque loci e Detmaro sumti in priore redactione desunt, in posteriore comparent, quod mirandum non est, cum Kornerum opus Detmari diversis temporibus perlustrasse et semper nova hausisse, apertum est n). — In iis, quæ post annum 1400 a Kornero traduntur, ille quasi primus auctor habendus est. Multa ex tabulis civitatis, ex relationibus civium vel ejusmodi fontibus hausit,

f) Ultimi versus de incursu Holsatorum in Frisiam desunt in kol. 1256 in editione Eccardi. g) Waitz, Abhandlungen pag. 111 ita Grautoffium (v. pag. x in præfatione operis ejus, *die Lübeckischen Chroniken)* corrigit. h) Vide Waitz, Abhandlungen etc. pag. 72—110; die Recessen der Hansetage. I. pag. 197; Hansische Geschichtsblätter 1873 pag. 133 sqq. Cfr. etiam variantes lectiones, quas e codice Lincopensi textui Korneri, qualem codex Luneburgensis exhibet, supra ad Chronicon Detmari pag. 189 et 190 in notis subjecimus. i) Lappenberg numerum fontium a Kornero laudatorum usque ad triginta septem se extendere invenit (*Archiv für Aeltere Deutsche Geschichts kunde*, VI. 588—614). k) Lappenberg l. c. et Waitz ibidem pag. 761—765. Cfr. quæ infra in textu de Detmaro a Kornero adhibito memorabimus. l) Hoc Lappenberg l. c. pag. 604 observavit. m) Optimum exemplum hujus rei ipse nobis dedit. In anno 1375 series chronologica in codice Lincopensi (fol. CCLXVIII) abrumpitur, et excerpta fere ad verbum e Detmaro sumpta annosque 1351—1375 complectentia inseruntur, quibus Kornerus hanc animadversionem præmittit: *In hoc loco signare decreui aliqua superius neglecta non propter incuriam, sed quia protunc ad manum ea non habebam, ut locis suis debitis ea transscriberem;* in fine additur: *Omnia prædicta de Chronica Lubecensi.* Quæ autem hic in unum locum collata sunt, in Codice Luneburgensi singula suis annis inserta sunt et tunc plerumque, ut diximus, e Chronico Danorum petita esse dicuntur. n) E scholio priore prima excerpta Korneri e Detmaro solum ad annum 1351 extendisse, deinde nova in annis 1351—1375 petita esse apparet. In universum ex iis rebus, quæ ad nostram historiam pertinent et in codice Luneburgensi comparent, 9 annotationes in annis 1275—1341 et una in anno 1389 in codice Lincopensi desunt. Ea, quæ communia sunt, haud raro discrepare jam in textu monuimus.

Digitized by Google

multa, ut narratio progreditur, in ipsius ætatem inciderunt ejusque solum auctoritate firmantur. Si ipsi fidem haberemus, jam ab anno 1391 vel pauca aliis scriptoribus deberet. Ibi enim (v. edit. Eccardi kol. 1163) scribit: «Hic notum esse cupio singulis præsentia lecturis aut audituris, quod infra scriptis narrationibus et historiis auctores non adhibui, eo quod eas in codicibus authenticorum non repererim, sed eas solum vel sic fieri viderim aut sic facta a fidis narratoribus studiosa investigatione audiverim. Quæ vero occurrerunt tempore compilationis infra positorum, suis compositoribus ea applicavi, nihil eorum inserens huic operi ut sententiarius, sed solum ut humilis et simplex narrator.» Huic vero rei obstant, 1) quod in annis 1391—1400 Detmaro ejusque primo continuatore usus est, 2) quod in codice Lincopensi fere idem jam in anno 1386 his verbis redditur. «Et advertendum est hic a lectoribus, quod infrascriptis narrationibus auctores non adhibebo alios quam me ipsum, eo quod eas in aliquibus codicibus non legerim, sed solum eas vel sic fieri viderim vel sic facta a fidelibus narratoribus audiverim investigando.» Posterior enuntiatio in codice Luneburgensi addita *Quæ vero occurrerunt* etc. ea, quæ hic sibi repugnant, explicare videtur. Kornerus enim se ipsum aperte corrigere voluit, dictumque ejus ita est interpretandum, antea omnia ex scriptis fontibus sumta esse, abhinc plura fidis narratoribus et sibi ipsi deberi, quamvis aliqua quoque e quibusdam compositoribus petita sint. —— Integram editionem chronici Korneri unam solum possidemus, quam Eccardus (Corpus Historicorum medii ævi, Tom. II.) e codice Luneburgensi typis imprimendam curavit, qua nos igitur in excerptis nostris usi sumus. Omnia tamen, quæ nostram historiam attingunt, reddere superfluum duximus. In iis enim, quæ ante annum 1400 evenerunt, multa, quæ ex aliis fontibus, præsertim e Detmaro, quos jam supra operi nostro inseruimus, sumta nihil novi nobis præbeant, jure præterivimus; aliqua, in quibus Kornerus ab illis discrepat, jam supra lateri editionis Detmari apposuimus vel infra una cum continuatione an. 1395—1400 dabimus, ut non ita multa ante annum 1400 restent, quæ infra in ipso Kornero a nobis exhiberi possint. Cum vero annum 1400 transgredimur, primus locus Kornero, secundus ceteris continuatoribus Detmari assignandus est, quia hi ex Kornero originem ducunt, ut in iis monstrabimus. — Scriptoribus Svecis Kornerus ignotus fuisse videtur, nisi forte Olaus Petri ei aliqua debet, quæ tamen etiam ex aliis fontibus sumta esse possunt (cfr. ex. gratia annos 1361, 1362, supra Tom. I. 2. pag. 271, 272; annos 1390—1392 l. c. pag. 276, ubi Kornerus Detmarum sequitur; an. 1398 l. c. pag. 278).

3). Chronicon Rufi in annum 1430. Ut jam supra in præfatione Detmari monuimus, hoc chronicon in duas distinctas, invicem alienas, partes est dividendum, quarum prior in anno 1395 desinens nihil est nisi vetustior redactio chronici Detmari, posterior vero usque ad finem in anno 1430 maxima ex parte Chronicam Novellam Korneri excerpserit et Germanice verterit o). Jam supra in hoc nostro ingressu (v. in num. 1) monuimus, auctorem chronici Rufi vetustiore redactione Korneri usum esse, in quo illi primæ continuationis Detmari (1395—1400) inspiciendæ occasio nondum sit oblata. De cetero vix attinet memorare, nonnullas quoque res apud Rufum comparere vel plenius reddi, quæ apud Kornerum desint vel brevius tradantur, quas Rufus aperte directe ex ipsis fontibus hauserit p). Conjici posset, Kornerum ipsum hanc versionem, quæ Rufo cuidam ascribitur, elaborasse; quam rem ne admittanus, gravia errata, quæ Kornerus nullo modo, inscius vero librarius facile committere potuerit, vetare videntur q). Nulla integra editio Rufi reperitur, ut excerpta, quæ Grautoff (Lübeckische Chroniken, II. 459—577) divulgavit, sequi coacti simus.

4). Versio Germanica Chronici Hermanni Korneri (e codice Hannoverano) ad annum 1438 continuata r) et Secunda Continuatio Detmari annis 1400—1438 s). Intimam affinitatem duorum horum operum, quæ jam primo aspectu legenti fit manifesta, Waitz optime et, ut nobis videtur, summo jure ita explicavit, Kornerum ipsum Chronicam Novellam usque in annum 1438 continuasse t), quamquam postea temporis injuria tres ultimi anni perierint, ut eos solum per supradictas duas versiones Germanicas hodie notos habeamus. Fieri quoque potest, ut Kornerus ipse versionem Germanicam, etiamsi neutra ex istis duabus ei tribui possit, elaboraverit u). Ambæ versiones

o) Hoc docti viri supra pag. 179 not. m. laudati satis luculenter docuerunt. p) Ita Lappenberg (Archiv. etc. VI pag. 623) Rufum in proelio navali apud Hafniam anno 1427 describendo narrationem, quæ adhuc in Archivo Hamburgensi exstat, brevi Korneri expositioni adjunxisse demonstrat. q) Cfr. quæ Waitz attulit, Abhandl. etc. (v. not. b) pag. 93—95. r) Solum tres ultimi anni, qui in Chronica Korneri desunt, a Leibnitzio (Scriptores rer. Brunsvicensium, Tom. III. pug. 203—216) sub titulo "Continuatio Chronici Hermanni Korneri ab an. 1435 ad an. 1438" editi sunt. Codicem papyraceum medio seculo XV:o scriptum, quem Leibnitz secutus est, Waitz (Abhandl. pag. 80 sqq.) descripsit. s) Hanc Grautoff edidit (die Lubeck. Chroniken. II. pag. 1—78). t) Vide *Abhandlungen* pag. 108—111. Seelen (Selecta literaria, pag. 81 not. 2) contendit Albertum Krantzium inter auctores, e quibus Metropolim composuerit (ed. Colon. 1596, 8:vo) Kornerum his verbis afferre: "F. Hermannus Kornerus ordinis predicatorum, qui collegit ex variis operibus Chronicon magnum a Christi nativitate usque ad annum 1438," Locum in Metropoli invenire frustra conati sumus. Etiamsi ita esset, ut Krantzius hic versionem Germanicam spectaret, illud pondus quoddam oportet habere, scriptorem ejusdem seculi, historiæ peritum, tres quoque ultimos annos Kornero ascribere. u) Koppman (Hansische Geschichtsblätter, 1871 pag. 82.) grave testimonium affert, qua probatur, Kornerum ipsum certe versionem ad annum 1431 extendentem confecisse. Waitz (Abhandlungen pag. 87) hoc in tam gravibus mendis, quæ Kornerus ipse committere non potuerit, vix admittendum esse putavit.

Digitized by Google

non solum dissimili Korneri vertendi ratione, sed etiam multo magis eo discrepant, quod non semper eadem excerpserint et suum quæque institutum in rebus reddendis secutæ esse videantur. Versio enim e codice Hannoverano in universum textui Korneri propius accedit, quam continuatio Detmari, quæ minus multa neque semper ad verbum, sed contracto quodam modo sua ex illo hauserit. Ita in versione Hannoverana numeri annorum 1436 et 1437 rectis locis comparent, dum in continuatione Detmari desunt, ubi hi tres anni omnes in annum 1435 collati sunt v), quæ res negligentiam excerptoris qui annos excerptorum annotare omiserit, aperte indicat. Illa versio continuatione multo copiosior est, exempli gratia annus 1435 in illa altero tanto, nisi plus, longior est, quam in hac, quæ multas res septentrionem non attinentes prætermiserit. Multa exempla afferri possunt, quibus plane demonstratur, versionem Hannoveranam non continuationem Detmari amplificasse, sed hanc communem fontem (Kornerum) brevius reddidisse. Unum sufficit; cum de pactione in Wordingborg anno 1435 agitur, illa dicit regem pacem signasse *mit sinem unde sines rades ingezegele, dar ok der verscrevenen stede zegele worden bi gehenget mit des hertigen zegele;* continuatio vero solum exhibet: *aldus worden se bebrevet unde beseghelt van beyden syden.* — Ex iis, quæ diximus, per se elucet, quæ nostra edendi debeat esse ratio. In annis 1435—1438 versionem Hannoveranam pro fundamento posuimus continuationemque Detmari, si opus fuerit, lateri prioris adjunximus; in iis vero, qnæ annum 1435 præcedunt, ubi Kornerus fons principalis est, solum Detmari continuationem conferre potuimus, quia versio in codice Hannoverano tantum in annis 1435—38, ut diximus, divulgata est.

5). Reliquæ continuationes Detmari ab anno 1435 in annum 1482, quas Grautoff (Lubeckischen Chroniken, II. pag. 79—435) edidit. Posterius volumen manuscripti Lubecensis, ex cujus priore volumine Chronicon Detmari editum est, continuationes ejusdem ab anno 1401 in annum 1482 comprehendit. Nihil tamen ibi statim indicat, hic plures continuationes, singulas a singulis scriptoribus compositas, collectas esse, sed omnia uno tenore, etiamsi diversis manibus scripta, progrediuntur. His vero manibus et ipsis rebus, quæ narrantur, diligenter consideratis, singulæ partes discerni possunt. Ita primam partem vel secundam Detmari continuationem, annos 1401—1435 comprehendentem, quæ Korneri opere nititur, jam segregavimus. Ea quæ sequuntur, in tres partes dividi possunt. Prima annis 1438—1457 continetur; scriptor paulo ante annum 1447 annotationes facere coepisse eventusque deinde eodem fere tempore, quo evenerunt, memoriæ mandasse videtur x). Secunda annos 1458—1480 comprehendit, in qua coævus scriptor res, quæ in suam ætatem inciderunt, multo copiosius quam prædecessor exposuit y). Tertius scriptor deinde annis 1489 et 1490 continuationem concinnare incepit, ex qua tamen annus 1482 solum jam restat z).

v) Hoc critici sæpe non attenderunt, ut lacunam, annos 1436 et 1437 complectentem, in continuatione Detmari exsistere parum juste existimarent. Eodem modo in iis excerptis, quæ annum 1435 præcedunt, continuator Detmari numeros annorum sæpissime præteriit, quos multo recentior manus postea addidit. In nonnullis excerptis, ubi numerus anni præter consuetudinem occurrit, hujus inconstantiæ causa facile reperitur. Continuator enim tunc ipsum initium anni apud Kornerum excerpsit, quare etiam, sicut ille, annum regni imperatoris in his locis fortuito memorat (cfr. Waitz, Abhandlungen, pag. 99 et 100). x) Grautoff l. c. II. pag. IX et X; Koppman, Hansische Geschichtsblätter, 1872. pag. 159. y) Grautoff l. c. II pag. X—XII. Koppman l. c. z) Vide ibidem.

1. Ex prima continuatione Detmari an. 1395—1400.

1396. — — — — In demesulven iare na twelften a) vrowe Margrete, koninginne to Dennemarken, Norweghen unde to Sweden leet up alle dre rike erer suster dochter sone, de en sone was des hertoghen van Pomeren, dem se vore gheven hadde dat rike to Norweghen allenen. — — — — — — —

In dem vastelavende b) dessulven iares do helt de koning van Sweden enen groten hoff to Zwerin, dar quemen tho gaddere vele vorsten unde noch mer vorstinnen. Dar brachte men to bedde de suster der hertoghen to Lunenburch unde Brunswik, ene wedewen, de vore hadde enen greven van Mansvelt, darna den hertoghen van Wolghast, nu den koningh van Sweden. Ok wart sineme sone, koning Erik van Sweden, darsulves bracht de dochter des hertoghen van Wolghast c). In deme hove was grot vroude unde hoverent d), als de wise is in vorsten hoven; ok wart dar vele quades betrachtet up der stede arch, alse men dat wol na bevant. —

a) D. 6 Januarii. Scriptor fortasse inspexit literas Margaretæ d. 24 Januarii Wiburgis datas (Suhm. XIV p. 361 sqq), ubi Ericus jam ab omnibus terris Daciæ rex consalutatus esse dicitur atque etiam quodam loco *Konge i de tre Riger* nominatur. Electio vero in Svecia demum d. 11 Junii Scaris, inthronizatio d. 23 Julii apud Morasten factæ sunt. b) D. 10—15 Februarii. c) Kornerus addit nomina uxorum, Agnetem et Margaretam, sed Suhm. l. c. p. 377, 378, Erici uxorem Sofiam, non Margaretam apellatam esse ostendit. d) Sollennitas.

Digitized by Google

1397. — — — — — In demesulven iar bi der tid unser vrowen der bord e) do starff coning Erik, een sone koningh Albertes van Sweden, uppe Godlande; in deme dode grot bedrofnisse scach dem vader unde alle dem lande. — — — — — — — — — — — — — — — — — — —

1398. — — — — — In demesulven iare na midvastene f) do togen de godes riddere van Prutzen mit velen scepen unde groten volke uppe Gotlande, unde wunnen de stad Wysbu unde al dat land mit heerscilde sunder wedderstant, unde dreven utem lande de Vitalien brodere, unde besitten dat land in guden vrede g).

Darna bi sunte Gallen dage h) was de coning van Sweden overthogen in Prutzen mit twen borgermesteren van Rostoke unde der Wismer to entfande vor dat land to Godlande golt unde sulver, ok umme ander sake willen; men, alse men sprak, so scikkede he dar clenen vromen i), em wart dar myn, wen he gerne nomen hadde.

In demesulven iare na paschen k) was to Lubeke en grot samelinge der raetheren unde sende boden ut allen steden der hense umme mennigerleie unde merkliker sake, de dar wurden gehandelt umme vromen enes menes gudes der koplude; ok wart darsulves gheschikket, dat men to der zee utmaken scolde vrede kogghen ieghen de zeerovere, dat de Lubeker unde Prutzen scolde besorgen, dar alle stede nach eren dele scolden togheven: dar so wurden de Rostoker unde de Wismerschen buten besloten l).

Darna bi der tyt sunte Johannis Baptisten m) do hadde de hertoghe van dem Sunde besammelt grot volk in schepen to der zee, unde sprak, he wolde overtheen in Dennemarken to hulpe der coninginnen ieghen ere viende. Dat he des nicht en mende, dat bewisede he wol, wente he toch in den Noressunt unde berovede de koplude, de dar seghelden, unde dede kortliken groten scaden; men god gaff, dat id nicht langhe warde, wente een vlokke scepe quam em entiegen unde vorscuchterde se, dat erer een deel quam in Vreslande; wol achtentich quemen erer in Denemarken, de de coninginne leet upgripen unde leet se alle koppen, unde de hertoge quam mit clenen n) en wech wedder to dem Sunde unde hadde der reyse nyne ere.

— —

Na der tit bi unser anderen vrowe daghe p) do toghen raetheren van Lubeke unde van anderen steden over in Dennemarken to antworden vrowen Margareten, der coninginnen to Dennemarken, dat slot unde de stad Stokholme unde er se noch dat van sik wolden antworden, do senden se ersten enen borgermeister van sik, de heet her Wulflam unde was van dem Sunde. Dessen sanden se an den coning van Sweden unde leten em vragen, eft he noch wolde uthgeven vor sine losinghe soestich dusent mark sulvers, edder he lever wolde wed-

(*Ex Chronica Korneri*) o)

1398 — — — Civitates illæ septem, quæ pro redemtione regis Alberti et suorum concaptivorum fidejusserant Margaretæ reginæ Danorum, prout supra anno XV Wenzlai tactum est, intra duo festa Assumtionis videlicet et Nativitatis virginis gloriosæ se disponentes ad explendum promissum, miserunt Bertramnum Wulflam burgimastrum Sundensem ad Albertum regem Sweorum sciscitantes ab eo, an solvere vellet LX.M. marcarum argenti, prout Margaretæ reginæ Danorum spopondisset, vel an redire vellet cum suis in captivitatem. Albertus autem rex astutiis mundi plenus literas scripsit et per eundem proconsulem eas transmittere in Stokholm simulavit, supplicans, ut tamquam fideles sui se non desererent in suis necessitatibus, sed se traderent in manus reginæ, quia amplius eos defendere non posset, ut sic liberari posset a sua captivitate. Fuerat autem sic conclusum, per civitates prælibatas et reginam, cum de redemtione regis ageretur, quod si pecuniam supra expressam solvere non vellet aut non posset, quod ex tunc aut urbem Stokholmensem cum suo castro et pertinentiis ad ipsum reginæ ex integro resignaret aut

(*Ex redactione Rufi*)

q) Do koning Albrecht de mere r) horede, he was cloek van sinnen unde darbi lose s). He leet schriven enen bref an sine truwen van deme Stockholme, dar leet he se othmodighen inne bidden, dat se sine not ansegen unde geven sik unde ere stad mit alle ere tobehoringe in de walt der koninghinnen Margareten, wente he erer nicht lang konde beschermen efte vordegedingen t. Dessen bref let he vor den steden lesen. Darna leet he enen andern bref schriven, de anders lude wan de erste, den leet he maken deme ersten gantz lyke, unde leet den nicht lesen vor den steden, sunder den be-

e) D. 8 Septembris. Chronologia autem Wisbyensis (supra Tom. I. 1. p. 46) eum jam die 26 Juli obiisse narrat. f) D. 10 Martii. D. 21 Martii expeditio naves ad Gotlandiam appulit (v. supra Tom. I. 1. p. 46); d. 5. Aprilis Wisby et insula a Johanne duce Magnopolensi tradita est (Voigt, Cod. Diplom. Prussic. V. p. 139). g) Kornerus, qui Detmarum ad verbum reddit, quamquam hic Chronicon Danorum laudat, addit: "Et sic facti sunt domini illius terræ de consensu et practicatione Alberti regis Sweorum." Quod Rufus postea ita vertit: *Dit schach al mit rade unde vulborde des koninghes Albrechte van Sweden, de vordreven was.* h) 16 Octobris. Cfr. Styffe, Bidrag etc. II. p. XXVI. i) Parum lucratus est. k) D. 7 Aprilis. Cfr. Suhm. l. c. XIV 438. l) E societate civitatum exclusi sunt. m) D. 24 Junii. n) Cum paucis. o) Quamquam Kornerus continuatione Detmari nititur, tamen eam ita amplificavit, ut hic lateri ejus apponatur necesse sit. Eodem modo Rufus in Kornero vertendo versus finem tantam discrepantiam exhibet, ut ille quoque hic inserendus esse videatur. p) D. 8 Septembris. Proxime supra eventus d. 24 Augusti memoratur. Sed prima legatio Hanseatica jam initio Augusti ad Daciam pervenerat, et Wulflammus hinc cum literis d. 12 Augusti datis ad Albertum regem missus est, qui his d. 23 Augusti rescribit (v. Suhm. l. c. pag. 442—444). q) Grautoff superiora non excerpsit, quia parum a continuatione Detmari recedere sibi videbantur. r) Nuncium accepit. s) Astuto animo et fallaci. t) Pacisci, hic: pactione servare.

Digitized by Google

der gan an de venknisse, ofte he moste umberen des Holmes, als dre iar vore bebrevet was in den degedinghen unde hir vore bescreven is. Des sende he an de heren der stede, besammelt tho dem Holme enen losen breff unde scref also: Wi hopen noch, dat vns vrunde nicht vorlathen. — Wente se nu anders nyn antworde mochten van em hebben, do helden se ere lovede also vrome lude unde antworden in der coninginnen besittinge de stad unde dat slot in dem negesten daghe sancti Michaelis [u]. Aldus vorlos de coning Albert sin rike.

in captivitatem rediret. Quam literam licet sic, ut præmittitur, scribi fecerit, non illam tamen sed aliam sigillatam alterius tenoris nuncio civitatum porrexit transferendam et Stokholmensibus præsentandam. Cum autem proconsul præfatus ad socios cum litera redisset, et illi unanimiter transfretantes ad urbem sæpedictam venissent, ut ipsi eam acceptarent cum suo castro ad fideles manus reginæ juxta tenorem literæ a rege Alberto nuncio supra scripto lectæ, cives perlecta litera eam civitatibus ostenderunt et talem formam, ut ipsi asserebant, non continere eis ostenderunt. Cives tamen illi potius verbis civitatum illarum quam literis regiis credentes, juxta fidem præstitam ab ipsis se reginæ subdiderunt, civitatem suam et castrum manibus et literis sibi resignando et homagium fidelitatis præstando. Et sic rex a captivitate et civitas a fidejussione facta solutæ sunt.

seghelde he mit sineme groten seghele unde antworde den bref den steden. De stede meyneden, dat were de erste bref, den se hadden horet lesen unde nemen een to sik unde schededen van deme hern. — Do se over komen weren to deme Stockholme, se antworden dem rade der stat des koninghes bref wan Sweden unde beden, dat se so deden, als de bref utvisede. Do de radtmanne van der stat eres heren bref hadden gelesen, do leten se den steden van der zee ok den bref lesen, dat se horen mochten, wat en ere here hedde geschreven. Do se horden den synn des breves, se worden entsett [v] unde klageden swarliken den borgheren van der stat, wo iamerliken se vorraden weren van eren heren. Do de vromen lude horeden dat honlike geschefte eres heren, se loveden bet [x] der stede worden, den eres heren breve unde geven sik mit wolberadenem mode in de walt unde hende der koninghinnen Margareten unde huldegeden er mit al dem, dat der stat tobehorde. Also wart de koning geloset mit den sinen unde de stad warde quit gelaten van deme lovde.

1399. — — — — Na der tit [y] begunden sik sware orloghe tusschen vrowen Margreten, Coningynnen van Dennemarken, van Sweden unde Norwegen up ene halve, unde den Russen up de anderen halve, wante de Russen hadden der vrowen groet ungelik bewiset, in dem dat se weren [z] in Norwegen siden, dar men raf [a] venk, unde hadden al den raf unde andere vissche upghenomen, den men scolde ghevoret hebben to allen zeesteden. In dem orloge vorwarff desulve coningynne groten vromen, dat de undudeschen, alse de Lappen unde de Vynnen unde vele ander wilde lude, makede se underdanich erer walt. In dem orloge hadden de van Revele so groten vruchten, dat se in erer stad murden to dree dore [b]. — — — — —

In demesulven iare bi unser ersten vrowen daghe [c] do besamelden sik raetheren unde sendeboden van allen steden uter [ɔ: ut der] hense; se quemen tosamende to Lubeke unde hadden dar groten raet umme eyn mene gud des kopmans. Darna toghen se over in Dennemarken to deghedingen mit der coninginnen umme eyn mene gud des kopmannes [d].

Darna in den achte daghen des vorbenomeden festes [e] do quemen godesriddere to der Wysmer unde brachten den schat deme koninghe Alberte van Sweden vor dat gantze lant to Godlande unde weren — [f] Boven dessen schat rekenden se dertich dusent nobelen, de se vordeden, do se dat land wunnen [g]. Aldus vorkofte de koningh dat edele land to ewigen tiden den godesridderen, dat teyn werve so gut was, als he darvore untfenk. (*D. s. Dionysii* [d. 9 Octobris] *Johannes von Dulmen, novus episcopus Lubecensis in urbem accipitur).*

By dersulven tit was ene grote besamelinghe [h] der borgmestere, raetheren unde der sendeboden van den zeesteden up Zeelande in Dennemarken, de dar hadden deghedinghen mit der coningynnen van Dennemarken umme enen vrede unde voreyninghe des koepmans mit eren dren riken, unde sunderliken to vorstorende de Vitalien Brodere, wor men se vunde; ok wurden dar vorenet de stede Rostok unde Wysmer mit der vorbenomeden coningynnen [i]. — — — — — — — — — — — — — — — —

u) D. 29 Septembris. v) *Entsetzt* territi. x) Majorem fidem habuerunt. y) Incendium, quod d. 7 Maji in Holsatia contigit, antea describitur. z) Bellum gerebant vel prædabantur. a) Ita rhombus, postquam incisus et siccatus erat, vocabatur, vide *Versuch eines Bremisch-Niedersächsischen Wörterbuchs* Tom. III. Bremen 1768. b) Tres portas saxis concluserunt. c) D. 15 Augusti. Suhm. (l. c. XIV. 468) civitates jam d. 25 Julii congregatas esse dicit. d) Vide infra placitationem in Septembri. e) D. igitur 22 Augusti. Sed in literis d. 25 Maji 1399 datis, quibus Albertus Gotlandiam pro triginta milibus nobilium ordini impignorat, dicitur decem milia *jam antea Wismariæ* sibi persoluta esse, viginti milia, quæ restarent, sicut jam accepta duci debere, quia sumptus ordinis in Gotlandia obtinenda illam pecuniæ summam efficerent, (v. literas apud Voigt, Codex Diplomaticus Prussicus, V. p. 149—154). f) Hic lacuna exstat in manuscripto. g) "Triginta milia, quæ in Gotlandiæ expugnatione impenderant, sibi reservabant". Lege viginti milia (v. not. e supra). h) Hic congressus jam in Septembri hujus anni Nycopiæ in Falstria habitus est (v. Suhm. l. c. XIV, p. 470 sqq). i) Compositio reginæ cum Rostock et Wismar d. 29 Septembris Nycopiæ scripta est (*Rostock. Wöchentl. Nachricht.* an. 1754, p. 197).

Digitized by Google

2. *Ex Chronica Novella Hermanni Korneri.*

Vicesimo quarto anno Lodovici qui est domini MCCCXLI a) — — — Albertus dominus de Mykelenburg in legatione Magni regis Sweorum ad Lodovicum imperatorem missus, tanquam paranymphus pro quodam conjugio sociando b) in Thuringia a Gunthero, comite de Swartzeburg, cum omnibus suis est captivatus secundum Chronicam Obotritorum c), sed tandem per Lodowicum imperatorem est liberatus d) et cum gloria in patriam suam est remissus negotio suo peracto. Hic dominus Albertus de Mykelenburg sumsit de uxore sua Euphemia, sorore Magni regis Sweorum, tres filios puta Henricum, qui duxit in uxorem dominam Ingeburg, filiam Woldemari regis Danorum, Albertum, qui duxit in uxorem Rixam, filiam Ottonis comitis de Zwerin, et Magnum, qui duxit in uxorem Elisabeth, filiam Bugslavi ducis de Wolgast. —

Qvinto anno Karoli, qui est domini MCCCLIII. — — — (*Describitur, quomodo postquam Waldemarus rex Danorum cum Alberto duce Magnopolensi et ceteris fautoribus falsi Marchionis Brandenburgensis certaverit, bellantes ad pacem inclinaverint*), et annuentibus principibus ordinatum fuit negocium sub tali pacto, ut quicquid in festo proximo pentecostes rex Sweorum Magnus cuilibet principi faciendum diceret, in hoc quilibet contentus esse deberet e). Et sic obsidio f) soluta est et treugæ firmatæ sunt. Advenięnte autem festo Pentecostes sic placitatum fuit per regem Sweorum Magnum, quod ultra pecuniam, quam Marchio Romulus dedit duci Alberto pro captivis suis redimendis, ipse marchio dimisit homagiale servitium, quod adhuc habuit in terra Stargardensi, etc. — — — — — — — — — — — — — — —

Qvarto decimo anno Karoli, qui est domini MCCCLXII — — — — g) Virgo Elizabeth, soror Henrici comitis de Holtzatia, XXII. annorum per fratrem suum Henricum Haquino regi Norwegiæ, filio Magni regis Sweorum, sub gravissimis perjurii poenis arbitratis, quae pars a contractu deficiens incideret, circa Carnisprivium h) est desponsata, et postea circa festum Jacobi Apostoli i) ab eodem rege Haquino per solennes procuratores et nuncios in Holtzatia in castro Plüne k), ubi stetit inter brachia dicti fratris sui Henrici et patrui sui Adolfi l) sustentata, per manum Hermanni de Vitzen m) personam præfati regis Haquini protunc gerentis, matrimonialiter cum debita sollennitate est subarrata, ac eidem regi per verba de præsenti copulata, necnon regina Norwegiæ effecta virtute dicti matrimonii contracti. Et omnia prædicta facta sunt per manum præfati Hermanni de Vitzen militis ab eodem rege Haquino missi, in hoc negotio personam ejus repræsentantis et tenentis, secundum Magistrum Eylardum Schonevelt in sua Chronica n). Quibus quidem solennitatibus expletis, dictus Hermannus miles et sui socii o) præfatam virginem recipientes de domo fratris sui, ad naves deduxerunt cum comitiva decenti, et sabbato quatuor temporum ante festum Christi p) Trabenam exierunt, versus Sweciam tendentes. Sed infortunio accedente, per ventum contrarium coacti sunt in Danicas declinare partes. Quod Woldemarus Danorum rex percipiens, navem cum virgine rapuit et ipsam captivam ad castrum suum deduxit q) spoliatam rebus et familia sua. Sequenti autem æstate Woldemarus

a) Detmar sequentia in anno 1342 breviter narrat: *By der tyd do wolde de edele here Albert van Mekelenborch then to deme keisere unde wart in Doringhen vanghen van deme greven van Zwarceborch, de ene helt wol en half iar vor ghut, dat sin vader eme schuldich blef.* Cum compositio litis et liberatio Alberti d. 25 Maji 1342 fierent (Lisch, Meklemburg. Jahrbücher XV. p. 43), captivatio ad finem anni 1341 pertinere videtur. Marescalcus Thurius (Annales Herulorum apud Westphalen, Monumenta Cimbrica etc. I. kol. 303), qui Kornero usus est, rem ultra implicavit. b) Quid fuerit nescimus, nisi conjiciendum est Magnum jam tunc filium Ericum (qui tamen vix secundum agebat annum) cum filia Ludovici marchionis, filii Ludovici imperatoris, jungere in animo habuisse. Hæ nuptiæ demum anno 1356 celebratæ sunt. c) Quod chronicon spectetur ignoramus, cum plus quam Detmarus exhibeat. d) D. 25 Maji anno 1342. vide not. a. e) Detmarus quoque hoc bellum in Marchia, sed in anno 1349, fuse describit et omnibus placuisse, ut lis ad Magni regis arbitrium deferretur, dicit, sed hoc re vera factum esse omittit. Kornerum in anno errasse certum est, nam d. 2 Februari an. 1350 Ludovicus de Brandenburg cum ducibus Magnipolensibus etc. paciscitur, ut disceptatio litis Magno regi tradatur (Riedel, Codex diplom. Brandenburgensis, Hauptheil II, Tom. II. pag. 265). f) Sc. urbis Berolini. g) In versione Germanica Korneri, quæ in codice Hannoverano exstat (vide supra præfationem n. 4), hæc narratio haud parum, præsertim in rerum dispositione, (quod Kornero ipsi verisimiliter est tribuendum) mutata est. Cum autem ibi quoque Chronica Magistri Eylardi Schonevelt unus fons sit, quamvis nomen ejus ibi omissum sit, totum textum Germanicum hic Latino adjungere superfluum duximus et solum nonnullas annotavimus discrepantias. Versionem Germanicam in his annis Junghans edidit (*Graf Heinrich der Eiserne van Holstein* Soest 1864, pag. 1—69). Ad extremum memorandum est, totam narrationem in codicibus Gedanensi et Lincopensi (probabiliter etiam in Guelferbitano) desiderari. h) Die 9 Martii. Versio German.: *uppe den vastelauend*, Desponsationem quandam jam ante d. 29 Junii 1361 factam esse certum videtur (v. supra pag. 194 not. p). i) Die 25 Julii. k) Hodie *Plön* in Holsatia. Versio German. locum omittit. Forte hæc sollennitas spectatur in literis a ducibus Magnipolensibus Travemünde d. 20 Junii 1362 datis, quibus Adolfo comiti Holtsatiæ promittunt se uxorem ejus Annam *des neghesten sonnendaghes vor sente Nycolaus daghe . . . . to hus bringhen to Plone* (Schlesw. Holst. Urk. Buch. II. p. 246). l) Versio Germanica rectius *vedderen*. Elisabeth nullum patruum habebat. Hic certe is Adolfus, qui in not. k. comparet, significatur; ille et Elisabeth a Gerardo I:o tertio gradu originem traxerunt. m) Inter legatos Haquini erat et pactionem d. 29 Junii an. 1361 signavit, vide supra pag. 194 (præsertim not. p). n) Ut diximus, illud Chronicon solum per Kornerum novimus. o) Attendendum est Hermannum de Vitzen (et certe reliquos, qui una cum eo nuptiis interfuerunt) inter sollennitatem d. 25 Julii celebratam et diem 17 Decembris, quo Elisabeth secum abducerent, Sveciam visitasse. Die enim 28 Septembris Hermannus et multi magnates literas Magni regis de Ölandiæ impignoratione Sudercopiæ signant (v. die Recessen der Hansetage, I. pag. 201). p) Die 17 Decembris. q) Apud Bornholm capta et ibi ab archiepiscopo Lundensi detenta est (v. libellum Magnipol. supra pag. 194 not. e).

Digitized by Google

rex curiam solennem proclamari fecit in Roschildensi opido celebrandam, ad quam tres reges convenerunt, puta Woldemarus Danorum, Magnus Sweorum et Haquinus Norweorum r). Ubi rex Haquinus jura matrimonii transcendens, uxore sùa legitima Elizabeth, sorore Henrici comitis Holtzatorum, ab ipso primo desponsata et post, ut præmissum est, matrimonialiter subarrata ac per verba de præsenti sibi copulata in manu Hermanni de Vitzen militis personam suam in hoc negotio integraliter tenentis, in captivitate detenta, licet adhuc virgine existente, Margaretam filiam Woldemari regis Danorum desponsavit, et in thorum suum de facto recepit, sed non impune. Divina enim justitia hanc fraudem et legitimi matrimonii prævaricationem mox in utramque partem condormientium vindicavit. Nam mater sponsi domina Blanka regina Sweciæ et frater sponsæ Christoferus unicus filius regis Danorum ibidem citharam exultationis in luctum vertentes moriebantur s), homagium vasallorum regni Sweciæ a rege Magno in poenam pacti violati est remotum, et comiti Henrico assignatum. Siquidem in pacto desponsationis t) inter regem Sweorum Magnum et comitem Holtzatorum Henricum sic erat arbitratum de consensu et consilio procerum regni Sweorum et consiliariorum comitatus Holtzatorum et fidejussione eorundem firmatum, quodsi ipsa sponsalia domini Henrici comitis culpa non procederent, extunc castrum Calmarnie u) quod tunc pro magna pecunia ex parte regni in pignus habebat dictus Henricus comes, deberet restituere, et ultra hoc LX.M. marcarum puri argenti solvere, pro quibus deberet obsides tradere v). Si vero eadem sponsalia ex culpa regis Sweorum in suo processu impedirentur, extunc rex Magnus deberet dominium regni perdere, et omnes vasalli et capitanei regni Sweorum deberent se cum castris terris et subditis a domino Magno subtrahere et ad dominum Henricum comitem transferre et in eum tanquam in legitimum dominum eorum se tenere. Medio autem tempore Albertus dux Magnopolensis filiam suam Ingeburg per mortem Lodowici marchionis de Brandeburg interim viduatam x) famosissimo militi et in tota Christianitate militari gloria et strenuitate præclariori domino Henrico prælibato Holtzatorum comiti in matrimonio copulavit. Cum ergo comes Henricus per suos vasallos et capitaneos, quos adhuc in castro Calmarino habuit in Swecia y), et per alios viros bellicosos, quos ad hoc specialiter transmisit, regem Magnum et proceres regni fidejussores pro violato pacto impeteret sub retentione honoris sui, et pene solutionem hostili manu extorquere satageret, multi de primoribus regni honorem fidei suæ favori regio præponentes, ad comitem Henricum in Holtzatiam transfretarunt et ipsum in dominum suum et tanquam dominum suum in regnum Sweciæ invitando, se ipsos cum omnibus suis castris, terris et hominibus eidem juxta pactum fideliter obtulerunt z). Quos idem comes ad fratres uxoris suæ, filios Alberti ducis Magnopolensis, puta Henricum, Albertum et Magnum ad regnum Sweciæ natos, quia a domina Euphemia sorore Magni Regis Sweciæ genitos, direxit, ut, quemcunque ex illis tribus eligerent, eidem omne jus et dominium in regno Sweciæ sibi per modum poenæ violati pacti acquisitum simpliciter donando resignaret. At illi elegerunt ducem Albertum inter illos filios medium. Fuerunt autem nomina illorum sic eligentium dominus Nicolaus, episcopus Lyncopensis, archicamerarius a) regis, dominus Thomas, episcopus Wexoensis b) consiliarius regni, dominus Karolus de Thuften marschalcus regis c), dominus Nicolaus Sturssen d). dapifer regis, et dominus Ericus Karlss[on], magister cameræ regiæ, milite-, ac Boethius Jonsson postea dapifer cum eorum complicibus. Cum his ergo et cum aliis principibus et nobilibus, puta Henrico comite Holtzatorum sæpe dicto, Gunthero comite Rupinensi ac Laurentio domicello de Werle, necnon exercitu electo militum et militarium copioso, dominus Albertus dux Magnopolensis tulit filium suum Albertum in regnum Sweciæ ad illud jure possidendum pariter et tuendum. Et exeuntes Warnowe fluvium in navibus sollennibus in profesto s. Martini e), primum Calmarinæ applicuerunt; et exinde ulterius procedentes, in vigilia b. Andreæ Apostoli f) civitatem Stokholm admissi leviter introierunt. Accedente ergo Quadragesima, officiales et consiliarii regni cum aliis capitaneis et nobilibus convenerunt dominica Reminiscere g) prope Upsaliam ante lapidem regium, ubi reges Sweorum antiquitus et illis etiam temporibus eligi con-

r) Nuptiæ autem Haquini et Margaretæ jam die 9 Aprilis an 1363 et Haffniæ, non Roskildis, factæ sunt (v. supra pag. 119 not. r). s) Chronicon Sialandiæ (supra pag. 119) non multum sed tamen aliquid discrepat, cum Blancam in his nuptiis infirmatam et mortuam esse, et Kristoferum eodem tempore infirmari et post aliquas septimanas obiisse dicit. Nunc vero certum est, hunc demum d. 11 Junii occubuisse (Scriptor. rer. Danic. III, pag. 272), et Blanca, quæ adhuc d. 1 Julii vivit, forte non ante autumnum vita decessit (v. Munch. Norges Historie, Anden hovedafdeling I. pag. 738, not. 1). t) Exemplar pacti nomine Haquini jam d. 29 Junii an. 1361 datum supra memoravimus (pag. 194, not. v. et e). Ibidem monuimus conditiones, quibus reges se obligarent, aliter in pacto, quam a libello Magnipolensi vel Kornero, exponi, ut hi aut verba pacti male intellexerint aut aliud pacti exemplar viderint. u) Korner: *Calmarine.* De ipso feodo cfr. supra pag. 193 not. p. v) De poena Henrici in pactione an. 1361 data nihil agitur, quod minus mirandum est, cum exemplar Haquini solum possidemut. Sed parum probabile videtur nihil de poenis Henrici, si pactum violaret, constitutum fuisse, etiamsi summa exaggerata videtur. Olaus Petri supra Tom. II, 2. p. 271, ut diximus, easdem conditiones exhibet, sed eas fortasse ex ipso Kornero cognovit. x) Ludovicus Romanus autem demum anno 1365 obiit. y) Hermannus de Ouwen, capitaneus Calmarniæ, præcipue nominatur (supra pag. 195). z) Cfr. quæ libellus Magnipolensis (supra pag. 195) et alius fons ibidem not. v. allatus narrant. a) Apertus lapsus pro *archicancellarius*, ut libellus Magnipol. false exhibet (v. pag. 195, not. q). Hic locus manifestam affinitatem inter istum libellum et Chronicon Eylardi Schonevelt prodit. b) Lege: Wexionensis. c) De ejus et Nicolai Tureson dignitatibus cfr. supra pag 194 not. y et z. d) Turesson. e) Die 10 Novembris, sc. anno 1363. f) Die 29 Novembris, Cfr. supra pag. 195, not. f. g) Die 18 Februarii an. 1364. Cfr. supra pag. 195, not. g.

Digitized by Google

veverunt, præmissis tamen medio tempore debitis et legitimis proclamationibus seu citationibus omnium, qui sua interesse crederentur, per totum regnum publicatis, et ibidem judicio disposito ac consilio habito, et rege Magno per contumaciam absente, ob certas causas, in quibus notorie cunctis scientibus reus extitit, propter quas secundum leges regni de libro ibidem lectas dominium perdere et de regno deponi meruit et juste potuit, reprobato ac deposito, coram dominis ducibus Magnopolensibus ac aliis principibus et nobilibus, necnon multitudine militum et militarium populique infinita, præfati officiales et consiliarii regni, quorum verbum in omnibus supra dictis dominus Karolus de Thuften marscalcus, sicut ad ejus spectabat officium h), tenuit, Albertum juniorem ducem Magnopolensem, servatis de consvetudine regni in talibus servandis, unanimiter et concorditer in dominum suum et regem Sweciæ elegerunt, receptisque ab eo juramentis a novibus regibus ibidem præstari solitis, ipsum super lapidem collocando inthronizarunt i), ac cum fastu regio ipsum mox in ecclesiam archiepiscopalem Upsalensem introducentes, Te deum laudamus cantari et missas celebrari cum festivis laudibus fecerunt. Et sic expletis omnibus sollennitatibus ad hujusmodi officium requisitis, populum licentiantes, conviviis regalibus cum gaudio vacaverunt. Dominus autem Magnus videns se depositum et alium loco sui sublimatum, adjutorio filii sui Haquini regis Norwegiæ et quorundam aliorum sibi adhuc adhærentium contra Albertum regem novellum diu rebellavit. Sed treugis tandem interpositis k) et secura ac pacifica die placiti signata, in Junekopinghe simul convenerunt l) rex Albertus et principes ac consiliarii regni ex una parte, et dominus Magnus cum suis fautoribus ex alia parte, et ibidem placitando et colloquendo, tandem usque ad hoc negotium deductum est, quod dominus Magnus sponte coram omnibus dixit ad Albertum regem: Dilecte avuncule m) Alberte, ex quo sic evenit, nulli libentius faveo de regno quam tibi, quia tu es ita propinque natus ad hoc sicut filius meus Haquinus. Ipse enim est filius fratris ad ipsum, et tu es filius sororis ad ipsum: et tu et ego satis habemus in regno. Faveas ergo mihi de Westgothia ad tempora vitæ meæ, reliqua vero omnia habeas tu. Cum autem mortuus fuero, tunc retineas unum cum reliquo. Quamvis autem hanc orationem conclusivam omnes placibiliter acceptarent, tamen quia dominus Magnus propter absentiam filii sui Haquini sufficientem fidem seu cautionem de observando condictu ibidem protunc facere non potuit: idcirco treugis prolongatis, alium diem placitorum pacificum pro futura æstate statuerunt ad perficiendum et consummandum finaliter jam conclusa. Et interim dominus Magnus in nullo debebat Albertum regem in regno Sweciæ impedire. Quod bona fide inviolabiliter se observaturum promisit, tacta pyxide, in qua erat Corpus Domini super altare, solenniter coram omnibus hoc jurando. Super qua fide Albertus rex exivit de Swecia versus partes orientales ad subjugandam sibi Fynlandiam, et Albertus dux pater ejus cum aliis principibus et nobilibus navigavit versus partes Teutonicas, paucis tamen validis ad regni custodiam relictis. — — — — — — — — — —

1388 (*Quæ hic occurrunt, jam in Detmaro supra pag. 189 attulimus*).

1391 (*De expeditione in Sveciam, vide ibidem*).

1391 (*De Vitalianis v. ibidem in anno 1392*).

Qvarto decimo anno Wenzlai, qui est domini MCCCXCIIII — — — — — Stokholmensis civitas regni Sweorum Alberto regi captivo de omnibus regni urbibus sola favens et fidelis existens contra Margaretam reginam Danorum et contra proprii regni preceres militans magna victualium penuria angariabatur. Cui subvenire cupiens magister Hugo miles r), qui capitaneus piratarum Rostoccensium et Wismarensium extiterat, cum VIII navibus magnis onustis frumento et blado ceterisque ad victum necessariis mare intravit, exercitum pulcrum habens virorum bellatorum. Cum autem Danicum s) attigisset

Ex Chronica Reimari Kock n)

Anno 1394 in winter o) alse de legation an de koniginne van Dennemarcken ummesus p) geschehen q), quam de tidinge an den forsten van Meckelnborch, dat de Stockholm hart van den Denen belecht, unnd de borger aldar groten hunger leden, unde wo se nicht mit des ersten entsettet wurden, so musten se uth noth de stadt upgeven. Dusse vorthokamende wurden in den Wissmarschen deepe thogerustet achte grote schepe; dusse worden mit korne, molte unde andere victallie beladen unde mit könen helden besettet, den Holm tho entsetten. Idt was averst midden in dem winter, do dusse schepe afflepen unnd hedden ock einen hovetmann mit nahmen meister Hugo; de Dehnen hedden ock einen hupen schepe in der sehe umme der Victallien brodere willen unnd andern, de

h) Cfr. quæ supra pag. 195, not n. diximus. i) De electione cfr. literas Alberti ducis senioris die 20 Martii an. 1364 datas (Die Recessen der Hansetage I pag. 278). k) Primæ indutiæ jam d. 24 Aprilis an. 1364 initæ sunt (Styffe, Bidrag etc. I. p. 45). l) De conventu cfr. supra pag. 196. m) Pro: sororis filius; vide pag. 196 not. x. n) Quamquam R. Kock cum Kornero in summa rei congruit, tamen eas discrepantias exhibet, ut non ex illo, sed ex ipso communi fonte sua sumsisse videatur, quare ejus quoque textum totum reddere necesse duximus. o) I. e. in hieme, exeunte anno 1393 et ineunte anno 1394, ut sequentes literæ demonstrant. Anno 1394, die 26 Junii Holmiæ milites et armigeri Teutonici missam in ecclesia ibidem instituunt *nach rade der guden lude al to male de syk mit uns bestallen leten openbare in dem yse uppe der voerden by Dalerne.* (Lisch. Meklenburg. Jahrbücher, XV. p. 249 ex originali in archivo regni Sveciæ). *Dalerne* hodie *Dalarö*, locus in litore peninsulæ *Söder Törn*, est statio, quam versus Holmiam a meridie iter faciens transgrederis. *Voerden* est deformata vox pro *fjärden*, quod sinum vel majorem aquæ superficiem designat. p) Frustra. q) Hic probabiliter conventus in Schanör et Falsterbo in Septembri an. 1393 respicitur (cfr. Lübeckisches Urkund. Buch. IV. p. 659). r) R. Koch vocem *miles* omittit. Qui ceterum fuerit ignoramus. s) Lege: Svecicum, sc. Dalarö, vide supra not. o.

Digitized by Google

portum, ventus contrarius ad manus inimicorum ipsum perduxit. Aura vero intensissimo gelu stringere coepit mare et naves illas glacies cinxit, ne de loco moverentur. Quod videns magister Hugo, prudenti usus consilio, suos ad nemora vicina destinavit, ut ligna cæderent et apportarent. Quibus ad naves subductis et navibus compactis et conglobatis, cunctas illas naves aggere ex lignis confecto circumdedit et aquas sine intermissione superfundens, quasi muro gelido totam illam classem conclusit. Dani autem suos hostes videntes sic glacie constrictos et captivatos bellica instrumenta puta machinas et cattos u) mox applicantes, expugnationi navium operam dederunt efficacem. Hugo vero miles, vir cautelosus et industrius, suis laboribus insudans, fossato lato præcedenti vespere naves et aggerem suum munierat Danis nescientibus, sed illa nocte ex rigiditate nimia algoris ipsum fossatum tenui glacie stratum erat et modica nive conspersum. Quod Dani non perpendentes putaverunt solidam esse glaciem per totum maris spatium usque ad naves. Unde instrumentum, quod cattum nominabant, in quo multi erant viri armati applicare aggeri sine formidine nitentes, cum supra fossatum venirent, soluta est glacies in momento, et totum hoc instrumentum cum omnibus viris in eo contentis mari est immersum. Quod ut viderunt Vitaliani in navibus constituti clamarunt alta voce hostibus insultando: Cas, cas, cas. His autem et consimilibus exercitiis bellicis cottidie fatigabantur ab inimicis geliditate dura algoris constricti et detenti, sed divina gratia semper protecti, jactus lapidum machinæ navibus in nullo nocuerunt. Tandem deo volente inopinata et subita resolutione nocturna glacies illa soluta est, et sic classis illa libertate potita, flante vento prospero vela sua levavit et salvo itinere portum Stokholmensis urbis festina apprehendit ac populum illum famelicum a periculo magno liberavit. — — — — — —

den riken wolden schaden dohn. Idt begaff sick dat so hastigen ein gahr starck frost anquam, dat de schepe in der sehe befroren unde konden nergen kamen. Alse nuhe der Wissmarschen hovetman sach, dat de frost so hefftigen overhant nam, sprack he tho den andern schippern unnd kriegesluden aldus: leven gesellen, gy sehn, dat wy hir liggen befrahren unnd dorven uns nicht vormoden, dat idt so balde up ein ander wedder wert fallen; ock wehte gi, dat der Dehnen schepe ock in der sehe sundt; so weth ick gewisse, wo dusse frost blifft, se werden uns anvallen unde sick mit uns vorsoken, so hebben se ein groth vordehl, dat se uth erem lande sick so vele konnen sterken, alse se willen. Derhalven iss beter, wi sehn vor den nah tho. Wille gy nu minem rade horen, so willen wi unse schepe so vorwachten, wi willen se vor den Dehnen wol beholden, wowol wil idt arbeit kosten; dennoch dewile idt suss t) kolt iss, so iss idt beter, dat wi wat tho dohnde hebben, alse sunsten dodt fresen. Sehet dar, sprak he, an dem lande steith holtes vele, dar wille wy welcke henne senden, de scholen lange unnd grote bohme unde holtes howen unnd up dem ise mit ringen arbeide an de schepe schepen v), de willen wi up beiden syden der schepe henleggen unnd mit water begehten, welck balde wart thofresen unnd unsen schepen einen wall unde bolwarch geven; lath denne de Dehnen kahmen, so willen wi erer wachten.

Dusse rath gefil den andern alle woll, unnd haleden de bohme unnd fiegen x) se bi de schepe unde begoten se mit water unde wart also ein gleserne wall. Duth arbeit was kuhme vullenbracht, so quemen de Dehnen mit hupen aver iss unnd vormeneden de schepe tho vorovern; averst wowol der Dehnen wol vehr weren up einen Wissmarschen, mosten se doch mit groten schaden darvan tehen unnd laten de schepe bliven. Duth verdroth den Denen aver de mate sehr, darumme gedachten se, wo se mochten wege finden, dat men den schepen schaden mochte thofogen unde dewile se hedden geschn, dat se vor den balenwerken in de schepe nicht konden scheten, wolden se anrichten eine kriegesresschop, welck men nohmet eine Katte, unde lepen in dat holt, dar de Wissmarschen hedden de bohme gehowen. De hovetman van der Wissmar, meister Hugo, erkande balde ere anschlege unde leth in der nacht umb de schepe grote waken howen unde de isschulveren leth he underdrucken. Nicht lange darna qwemen de Dehnen mit erem volke unde hodden y) sick nicht, dat de Wissmarschen geyset hedden, wente idt was baven wedder thogefrahren, unde qwemen mit groter ungestumicheitt unnd haste unde mehneden nu de schepe tho gewinnen, wente idt verdroth ehnen, dat se vormalss mit schanden tho rugge wiken musten. Averst idt iss ein oldt sprickwordt: groth hast gaff nuwerle z) guden spodt. Also ginck idt den Dehnen up dat mahl ock, wente se fillen by hupen in dat water unde de eine drengede den anderen na, also dat vehle hundert der Dehnen den dach vorsopeden a). Tho dussen schaden musten de armen Dehnen noch grothen spodt dartho hebben, wente do de Dehnen so vordruncken, repen de, de up den Wissmarschen schepen weren: Kaiz, Kaiz, Kaiz. Also plecht man tho ropen, wen man de katten iaget.

t) Valde. u) Ita machina quædam belli "vineæ" Romanorum similis vocabatur (v. Du Cange, Glossarium). v) Forte *slepen* legendum. x) Struere, coacervare. y) *Hüteden*, cavebant. z) Numquam. a) Suffocatione vitam amiserunt.

Digitized by Google

Alduss erhelden de Wissmarschen ere achte schepe beide mit liste unde gewalt beth dat Godt ein ander wedder gaff, dat dat iss vorginck; do lepen se na dem Holme unde entsetteden de stadt. Dat mosten avermahls de Dehnen ansehen unde liden, de den Holme beleght hedden. Wol b) mehr beschedes weten wil, de lese den Krantz in Svecia sua lib. 5. capt. 34 c). — — — — — — — — — — — — —

Octavo anno Ruperti, qui est domini MCCCCVII. — — — Stockholmensis civitas regni Sweorum a fulmine conflagrata est post octavas Paschæ, d) in cujus incineratione circiter mille et D.C. homines incendio perierunt; plures et mulieres, virgines et alii homines divites volentes se et sua salvare, magnam navem clenodiis et aliis rebus pretiosis onustaverunt. Quos plures alii secuti, ut evaderent, navem cum eis, vellent nollent, ascenderunt et tandem ipsam mari immerserunt ac simul perierunt. —

Tertio decimo anno Ruperti, qui est Domini MCCCCXII Margareta regina Danorum obiit die quarta mensis Novembris, e sepultaque est cum maxima exequiarum solennitate in ecclesia majori opidi Roscildensis. —

Septimo anno Sigismundi, qui est domini MCCCCXX. — — — Ericus rex Danorum cum magno navium numero mare intravit circa festum Pentecostes f) et ex opposito insulæ Ymbriæ se locans in portu Lalandes—Ellenbogen g) vulgariter dicto, tandem in vigilia Visitationis Virginis Gloriosæ h) Ymbriam insulam invasit suo exercitu et cum incolis insulæ bellum aggressus est durissimum. Holtzatorum autem et Sleswicensis principes multos vasallos et armigeros incolis insulæ in auxilium miserant, qui bumbardis manualibus et petrariis i) ac balistis et arcubus muniti, plures Danorum naves perforarunt et submerserunt, ac innumeros Danos in eis et Sweos k) interfecerunt. Balistarii quoque et hastarii tam viriliter certaverunt, quod pro illa vice terram intrare non poterat seu insulam. Frustratus autem Ericus rex illa die in suo proposito propter fortitudinem et virilitatem Holtzatorum ac incolarum Ymbriæ, qui telis, hastis et bumbardis suis in illo conflictu multos etiam nobiles Danorum prostraverant et aquis immerserant, altera die cum tribus millibus peditum et octingentis viris equestribus portum Hilgenhavene apprehendit et ibidem terram Holtzatorum ingrediens opidum Aldenburg l) spoliavit et incendit et aliquos inibi interficiens circiter C. opidanos captivos secum abduxit. Reingressus ergo mare parum pausavit ab impugnatione hostium suorum. Die vero octavo festivitatis m) illucescente denuo expugnationi Ymbriæ insulæ operam dans efficacem ipsam hostiliter invasit certamine duro. Dani namque naves suas egredientes nitebantur insulam intrare totis nisibus. Holtzati vero ascensum de mari ad litus prohibere ipsis satagentes, viriliter armis suis in eos impegerunt. In quo quidem certamine populus immensus ex utraque parte corruit. Rex enim plures ibidem milites et militares amisit. Sed tandem multitudine armatorum Holtzati et incolæ terræ retroacti et victi, Dani invitis ipsis aridam apprehenderunt. Quam potenter peragrantes depopulati sunt interficiendo omnes et captivando ejus inhabitatores. In hac autem captione insulæ prædictæ et expugnatione ipsius tanta crudelitas et tyrannis peracta est a Danorum exercitu, rege eorum forte ignorante aut prohibere non valente, in sacerdotibus, virginibus, mulieribus et ceteris personis inermibus, quod abominabile et horrendum est audire. Sacerdotes namque in ecclesiis violenter effractis immisericorditer sunt trucidati, corpus dominicum in diversis locis irreverenter et indignanter de pyxidibus argenteis est projectum n), mulieres plures interfectæ sunt, multæ raptæ tam maritatæ quam virgines et abductæ, solæ autem vetulæ ob deformitatem relictæ sunt intactæ. Quo latrocinio pariter et sacrilegio multiplici peracto exercitus ille Danicus de insula recessit. o) Cujus transitum Holtzati percipientes rursus insulam intrarunt cum multitudine peditum et expugnationi castri Glambeke, quod rex jam denuo expugnaverat et fortiter munierat, insistentes protunc nihil proficere potuerunt. — — — — — — — — — — — — — — — — —

b) *Welcher.* c) Krantzius autem hoc loco multo brevior est, quam Reimer Kock, et Kornerum excerpsisse videtur. d) Chronicon Rufi (Grautoff II. 470) quod Korneri verba nonnihil in vertendo mutat, habet: *achte dage na paschen* i. e. d. 3 Aprilis. Nostri fontes et d. 11 et 4 Aprilis proferunt (v. supra Tom. I. 1. pag. 73 et 123). e) Rufus: *by sunte Mertens dage.* Obiit autem in nocte inter dies 27 et 28 Octobris (cfr. supra pag. 24, not. d.). f) Die 26 Maji. g) Promontorium occidentale insulæ, quod adhuc nomen *Albuen* retinet, ita ob cubiti similitudinem appellabatur. h) Die 1 Julii. i) Genus quoddam tormenti, quod lapides jaculabatur, cfr. Du Cange, Glossarium. k) Chronicon Rhytmicum (supra Tom. I. 2 p. 62) Svecos regem e periculo eripuisse narrat. De clade cfr. Diarium Vastenense l. c. 1. pag. 142). l) Hodie Oldenburg in Holsatia orientali. m) Die 9 Julii. n) Rufus hic aliquid differt: *godes licham wart honliken ute den sulveren bussen geschuddet uppe dat altare oft uppe de erden, unde de bussen wurden genomen.* o) Hinc Rufus ita discedit: *Do desse jamerlike mord unde unminslicheit was gescheen in dengenen, de genomet sind, do weren dar woll by dren hundert, myn edder mer, up ene kerken vlogen, dar se sik van wereden. Dar quemen de hovetlude der Denen vor unde loveden en velich des lyves unde der sund; men do se do afftreden, do huwen se de untruwen Denen in allen* [ɔ: alle in] *stucken, also men sede. Darna do villen de Denen an ere schepe unde rumeden dat land, dat se hadden vorstoret unde vordervet.* — Chron. Rhytm. (supra I. 2. pag. 62) ecclesiæ nomen *Borg* fuisse tradit; Burg adhuc oppidulum in Imbria est.

Digitized by Google

(*Ericus rex et Henricus dux Slesvicensis in Flensburg profesto s. Martini* p) *anno 1420 conveniunt diemque statuunt, in quo arbitri dissensiones eorum dijudicarent*). Prælibatis autem placitis q) interfuerunt principes et civitates infrascripti, puta archiepiscopi Lundensis et Upsaliensis, episcopi Sleswicensis, Lubicensis r), Scarensis, Ripensis, Roscildensis et Aboensis, Johannes Dux de Mykelenburg, Henricus Comes Holtzatorum, s) Lubicensis, Sundensis, Rostoccensis, Hammeburgensis, Gripeswaldensis et Wismariensis. Hi totis viribus pro terrarum conservatione et principum concordatione laborabant, licet gratitudines modicas de sua solicitudine reportarent. — — — — — — — — — — — — — — — — —

Decimo anno Sigismundi, qui est domini MCCCCXXIII. — — — Ericus rex Danorum archiepiscopum Upsalensem accusari fecit coram Papa de quibusdam gravibus excessibus per eum commissis et autoritate ejusdem Domini Papæ de ecclesia suâ ipsum jecit et quendam fratrem ordinis S. Brigittæ virum devotum in locum ejus subrogavit t). — — — — — — — — — — — — — — —

Duodecimo anno Sigismundi qui est domini MCCCCXXV. — — — — Ericus rex Danorum astutia mundana usus inconsueta tamen, monetam fieri fecit novam ex toto cupream et illam solam recipi præcepit, ut vulgabatur, et non aliam ab incolis regni sub poena privationis omnium bonorum. Et ut moneta prædicta ad manus omnium eo expeditius veniret, mandavit omnibus sibi subjectis, ut monetam quamcumque aliam, si quam haberent, suis præsentarent campsoribus et monetariis et novam pro ea reciperent ab eo factam, qua in emendo et vendendo et nulla alia uti deberent. Quod præceptum injustum satis, ut apparet, opidani et villani audientes et poenam appositam incidere formidantes, monetas extraneas argenteas et aureas supra dictis monetariis præsentaverunt et pro auro et argento cuprum receperunt et sic regem ipsum suosque campsores et monetarios ditaverunt, se ipsos vero depauperaverunt. Videntes autem mercatores et advenæ prudentiam hanc mundanam non in bonum eorum vergere, merces suas apud se retinuerunt et res pro rebus commutare studuerunt. Regina tamen non valens audire detractiones et oblocutiones hominum in dedecus et vituperium honoris domini sui regis et mariti sonantes, statim post dictam monetam cupream abjecit et bonam monetam cum civitatibus maritimis æquivalentem fabrefecit ac eam recipi ab omnibus mandavit. u)

— —

Tertio decimo anno [Sigismundi], qui est domini MCCCCXXVI. — — Danorum rex Ericus populum innumerum de tribus regnis suis colligens in totale exterminium Henrici ducis de Slesvic et suorum fratrum exarsit. Unde adunato exercitu maximo, terra marique urbem Sleswic obsedit et montem vulgariter dictum Hesteberg v) occupans, ipsum fossatis profundis et latis et aggeribus ac vallis fortissimis munivit et incastellavit in profesto B. Mariæ Magdalenæ x). Regis autem adventum sentientes duces de Sleswic, cum fideli adjutorio civium de Hammeburg et procerum utriusque terræ ducatus et comitatus castrum Gottorp et dictam urbem Sleswicensem aggeribus et vallis fortissimis sic munierunt et armatis ac balistariis cæterisque instrumentis bellicis necnon victualibus copiosis repleverunt, ut ad resistendum Danorum impetuosis incursibus viriliter essent animati. Constructa ergo munitione per regem, quæ vulgariter Bolwerk nuncupatur, et robustissimis Sweorum, Danorum Norweorumque viris commendata, expugnationi urbis Sleswicensis insistere tentavit. (*Henricus dux Lubecensibus, ut legati ad regem Hadersleviam mittant, persuadet; cum autem illi nihil effecerint, urbes Hanseaticæ ad diem 14 Septembris in urbe Rostock conveniunt, foedus cum Henrico duce ineunt omniaque ad bellum præparant. Die 18 Octobris legati eorum regi bellum indicunt, qui statim suis, ut obsidionem Slesvicensem solvant, imperat.*).

Quarto decimo anno Sigismundi, qui est domini MCCCCXXVII. — — — y) Civitates sex maritimæ, puta Lubicensis, Hammeburgensis, Rostoccensis, Sundensis, Luneburgensis et Wismariensis expeditionem grandem ordinantes contra Ericum Danorum regem, cum multo populo mare intraverunt et vento prospero comitante, circa festum B. Mariæ Magdalenæ z) locum Norsunt a) apprehenderunt, cum Danis pugnare cupientes. Hamburgenses autem cum suis navibus ab aliis aliquantulum disgregati, ad certandum cum hostibus se paraverunt. Quos Dani mox invadentes, cum ipsis acriter pugnarunt. Sed multitudine Danorum tandem victi Hamburgenses succubuerunt, multis de eis occisis et pluribus captivatis. Lubicenses vero eodem tempore cum Sweis congressi, ipsos vicerunt et captivos eos secum in urbem suam deduxerunt. Bello vero illo peracto, et civitatibus ad propria remeantibus, venerunt naves Baycales b) pretiosis onustæ merci-

p) Die 10 Novembris. Quod affirmatur literis Johannis episcopi Lubecensis d. 20 Decembr. 1420 scriptis (Bunge: Liv-Est- und Kurl. Urk. Buch V. n. MMDXX. Hvitfeldt (ed. in 4:to, IV. pag. 294 ipsas inducias d. 25 Novembr. initas esse dicit. q) Sc. in Flensborg. Textus habet *prælatis*, quod nos ex codice Lincopensi emendavimus. Ita etiam Detmari Continuatio: *uppe desseme sulven daghe.* r) Detmari Cont. omittit *Slesvicensis et Lubecensis* atque infra duos principes Johannem et Ericum. s) Quæ hic aperte exciderunt, sic e codice Lincopensi suppleri possunt: "Similiter et predictis placitis interfuerunt nuntii civitatum subscriptarum scilicet". t) Johannes Jerechini archiepiscopus jam an. 1421 depositus est (cfr. supra Tom. I. 1. pag. 142, 143 et infra sect. 2 pag. 59 et 101); eodem anno frater Johannes Haquini electus et sequenti anno consecratus est (l. c.). u) Pactum vero inter reginam et urbes Hanseaticas de moneta reformanda jam d. 8 Octobris an. 1424 Havniæ initum est (vide Danske Vidensk. Selskabs skrifter, IX. 703—705). v) Inter urbem et arcem Gottorp. x) D. 21 Julii. y) Cfr. infra uberiorem expositionem Rufi et continuationis Detmari, et chronicon Rhytmicum supra Tom. I. 1. p. 63. z) Die 22 Julii. a) I. e. Öresund. b) Ita vocabantur, quia a *Baye*, portu in Britannia, qui a *Nantes* versus meridiem paulo distat, venerunt (Hirsch, Handels- und Gewerbsgesch. Danzigs pag. 91).

Digitized by Google

bus et in manus Danorum inciderunt numero ferme XXXVI. quarum mercatores capti sunt et omnibus bonis spoliati et in vincula conjecti. — — — — — — — — — — — — — — — — —

Sexto decimo anno Sigismundi, qui est domini MCCCCXXIX. — — — Wismarienses cum suis Vitalianis et quibusdam Rostoccensibus mare intrantes circa festum Nativitatis Mariæ, c) quasdam comprehenderunt naves de Swecia censum annuum regi Danorum ex parte regni illius debitum deferentes. Viri autem in navibus illis constituti numero fere trecenti certamine duro contra Wismarienses proeliati sunt, de ipsis multos vulnerantes et quosdam interficientes. Sed Vitaliani civitatum præfatarum triumpho obtento ultra ducentos Sweos captivaverunt et naves eorum magnis bonis onustas ad portum Wismariensem cum captivis deduxerunt, omnia inter se dividentes rapta. — — — — — — — — — — — — — — — — — —

Decimo septimo anno Sigismundi, qui est domini MCCCCXXX. Philippa regina Daciæ, Sweciæ et Norwegiæ obiit in Swecia in Vigilia Regum, d) et sepulta est in Wasteen monasterio principali ordinis S. Brigittæ: pro cujus animæ salute Ericus rex Danorum dictum monasterium solenni eleemosyna dotavit, summam trium millium nobilium eidem largiendo e). — — — — — — — — — — —

Decimo nono anno Sigismundi, qui est domini MCCCCXXXII. Henricus Hogeri proconsul civitatis Hammeburgensis redemit se et plures alios secum captos de diutina et dura Danorum regis captivitate f), solvens eidem regi XM. marcarum Lubicensis monetæ. Solutione autem facta et literis sibi datis super libertate plenaria sui et suorum, Dani nova et minus honesta usi astutia, eundem proconsulem angariaverunt ad hoc promissum, quod nisi Sweos Lubicensium captivos g) libertaret (!), denuo ut eorum verus captivus claustra et vincula eorum redeundo intrare deberet. Ipse vero proconsul pactione tam injusta nondum firmata cautelose manus eorum evasit. — — — — — — — — — — — — — — —

— — — — — Tempore æstivo quidam miles dictus Broderus h) piratarum capitaneus, natus Sweus, homo dissolutus et levis cordis, mare intravit cum multis Danis, mercatorum naves de Livonia et Prutzia venientes aut illuc transeuntes spoliare affectans. Rex autem Danorum eidem militi omnia necessaria dari ordinavit et naves suas victualibus et instrumentis bellicis onustari. Cui etiam Ericus Krummedik miles se associavit cum magnis cogonibus plenis armatis viris, particeps sortis illius esse cupiens. Quibus in pelago natantibus, venerunt Rigensium mercatores IIII. naves ferentes cum mercibus multis et pretiosis. Quas naves Broderus invadens manu hostili, tres de ipsis expugnavit et cepit et mercatores cum mercibus captivos i) secum duxit in Daciam. Quarta vero navis hostium manus evadens adjutorio Heynonis de Schowen et sociorum j) suorum Trabenam k) apprehendit cum mercibus suis. Partitis autem spoliis inter consocios, Broderus mare reintravit cum majori populo, audacior factus de præda capta et lucro acquisito. Cujus præsentiam in mari existentem percipientes Lubicensium mercatores, portum Revaliensem cum mercimoniis visitare solentes, onustaverunt suas naves. Quibus in auxilium dedit civitas IIII. naves magnas ad prælia maritima constructas et aptatas, plenas viris armatis et instrumentis bellicis, quibus duos consulares viros animosos in Capitaneos assignarunt. Hæ naves mare intrantes, vela sua confestim levarunt et cursu lento, quia ventum lateralem habebant, procedentes, Danicis tandem ripis, ubi hostes latitabant, applicuerunt. Videns autem eos Ericus Krummedik miles et considerans naves eorum grandes esse et multas, tremulus factus cum suis mox retrocessit. Broderus vero Sweyn l) miles animosus et levis cordis existens, remque parum ponderans, aviditate lucri prævie recepti motus, suos socios sic allocutus est: Viri, fratres et fortissimi athletæ, virilem jam assumite animum et constanter pugnate, quia omnium harum navium nobis occurrentium hodie domini erimus m). Erat enim tam fervide accensus ad bona mercatorum rapienda, quod non attenderat alias recessisse naves in classe sua sibi junctas n). Cumque jam priores naves grandes ipsum pertransissent, Broderus cum cogone suo armatis viris referto duas barcas posteriores observans, ipsis applicuit, non videns in eis armatos quoscunque, sed solos nautas et naucleros in loco eminentiori stantes ad regendum naves, cæteris omnibus industria in charybdi (carina) latitantibus o). Impingens autem miles in scapham primam, mox omnes armigeri quasi de somno excitati, de cavernis proruperunt et bumbardis suis crepantibus, balistis et arcubus tela ad modum grandinis jacientibus in Danos illos fortiter insilierunt. Desuper vero magnis lapidibus de vertice mali cadentibus hos prostraverunt et illos conquassaverunt. Alia vero mercatorum barca in continenti ab altera parte adveniens, et navi Danorum hostiliter impingens violentia vehementi, quasi dirupta media ipsa cessit impingenti. Cujus armati fortiter insurgentes hostes

c) Die 8 Septembris. d) Sc. in nocte inter d. 5 et 6 Januarii (cfr. supra Tom. I. 1. pag. 32 et 149. e) Solum 1100 floreni Anglici, quamquam Ericus etiam Calmariæ 13 canonias in memoriam conjugis instituit (cfr. Lagerbring, Svea rikes hist. IV. p. 70, 71.). f) Hoyerus in pugna navali an. 1427 supra descripto captus est. g) Ericus Olai inter nobiles Svecos captivos (an. 1427 factos) affert Gregorium Magnusson (de Eka) et Hermannum Rodenkerke (supra Tom. II. 1. pag. 124). h) Continuatio Detmari ex cujus versione solum graviores discrepantias proferimus, habet: *Broder Swens.* Hic Broder Svensson miles postea a Karolo Kanuti marescallo propter seditiosas minas circa diem 1 Novembris an. 1436 decapitatus est (v. supra Tom. II. 1. p. 142, 143). i) Cont. Detmari: *grep darynne boven hundert koplude.* j) Cont. Detm. solum: *myt hulpe der lykendeelre van Wismar.* k) I. e. fluvium Trawe. l) Lege: Swensson. m) Cont. Detm. addit: *unde jo se groter synt, jo dar meer gudes ane ys.* n) Idem: *he nicht en markede, dat yd strytschepe weren; och sach he nicht, dat syn partige van em vloch.* o) Idem: *de wepener hadden sik nedder lecht unde weren en deel under deme overlope.*

Digitized by Google

percusserunt in ore gladii cum furore nimio, et plures vulnerarunt. Prosilientes ad ultimum ex utraque navi mercatorum armati in Danicam barcam, ipsum Broderum militem cum omnibus in ea existentibus captivarunt et vinculis, cippis p) et compedibus eos manciparunt, multis in mare saltantibus et submersis. Numerus autem captivorum erat fere ducenti LX. q); spoliatis autem ipsis Danis suis armis, reperti sunt apud Broderum floreni quadringenti. Potiti ergo victoria Lubicenses, naves suas verterunt, et prospero vento flante, Trabenæ portum cum ingenti gaudio intrarunt. Rumor autem adepti triumphi incontinenti ad urbem perveniens Lubicensem, lætitiam fecit magnam in populo. Sed non tale gaudium cor regis Danorum exhilaravit, imo timor et tremor super ipsum et omnes suos consiliarios venerunt, et præ dolore quasi contabuerunt, qui antecedenter lætati fuerant, cum spolia mercatorum diviserant. Cives ergo et civissæ Lubicenses cum perciperent adventum Broderi Sweyn et sociorum ejus, urbem in magno numero exiverunt, cupientes ipsos videre. Introducti ergo in civitatem, turrium custodiæ omnes traditi sunt. Ubi tamen non diu tenti, cum pietate et misericordia magna exactionati sunt r) et tandem licentiati. Broderus tamen ex certis causis aliquamdiu s) captivus tenebatur, liberum habens transitum intra civitatem. — — — — —

— —

Secundo anno Sigismundi imperatoris, qui est domini MCCCCXXXIIII — — — Interim autem cum hæc sic agerentur in Prutzia per sæpe dictos nuncios, alii solennes viri civitatum quatuor, puta Lubicensis, Hammeburgensis, Luneburgensis et Wismariensis iverunt in Daciam ad placitandum cum Erico rege Danorum pro festo B. Johannis Baptistæ in opido Werdingburg dicti regni et ad tractandum de pace et concordia, ac sedandam litem damniferam et periculosam parti utrique. Duxerant autem civitates prædictæ secum pro suis consiliatoribus et complacitatoribus spirituales principes duos, puta Verdensem et Razeburgensem episcopos. Rex vero Ericus pro suis consiliariis collegerat plures principes seculares et spirituales, puta episcopos Hildensemensem, Lundensem, Roschildensem, Rypensem, Abowensem et alios plures t); duces vero, puta Bavariensem, Pomeranensem, Sundensem, Lovenburgensem u) et ducissam Magnopolensem v), ac cæteros comites et milites. Cum quibus placitantes per mensem civitates prælibatæ parum vel nihil ad pacem et amicitiam ac damnorum recuperationem tempore treugarum eis per Danos illatorum deserviens actum aut conclusum ibidem extitit. Unde quasi vacui revertentes, quod conclusum videbatur inter partes, civitatibus congregatis retulerunt x). — — — — — — — — — — — — — — — —

— — — — Generosus quidam vir, Engelbertus nomine, Sweus natus, homo magnæ astutiæ et industrius, exactiones intolerabiles et gravamina nimia, quibus ipse cæterique nobiles regni, ac alii burgenses, opidani villanique necnon populus universus ejusdem regni Sweciæ opprimebantur et vexabantur a Danis castrorum regni advocatis et capitaneis per Ericum regem positis et constitutis, diutius pati nec volens nec valens, contra dictum regem Ericum se extulit et erexit cum suis, electus forte ad hoc a Domino, ut alter Saul et roboratus ad protegendum populum suum, et ad debellandum justitiæ adversarium. Colligens igitur multitudinem populi grandem de terræ nobilibus et urbanis, opidanisve et villanis, indigenis et advenis, regi Erico prædicto pacem interdicere minime formidavit. Et fultus dicti exercitus collecti præsidio, stipatusque militia tam forti, regnum in manu valida peragravit, urbes expugnando, castra noviter fundata dejiciendo et solo æquando, antiqua vero vi capiendo, et ditioni suæ in bonum et profectum regni omnia subjiciendo. Capitaneos autem dictorum castrorum ac urbium natione Dacos removit, et Sweos eisdem præficiens, juramento fidelitatis prævie accepto, ea custodienda et regenda ipsis commisit. Sicque in omnibus juste procedens, prospereque agens, atque sagaciter et bene cuncta disponens regni negotia, omnium prælatorum et satraparum voluntates et consensus sua probitate et industria ad se inclinavit. Hanc autem bellicosæ exercitationis militiam præfatus Engelbertus superba quadam extollentia animi aut cupiditate arroganti dominandi nequaquam assumsisse creditur, sed quia innatæ miserationis pietate afflictis compatiens, multos perpendit enormes committi excessus per Danos castrorum regni rectores, ac Ericum regem dictos excessus multis vicibus querulose ad se delatos non corrigere, sed surdis auribus semper transire et dissimulare: idcirco universitatis bonum proprio præponens commodo, justitiæ executionem et inordinati regiminis emendationem, quas precibus frequentibus et monitionibus oportunis et importunis multiplicatis obtinere minime potuit, armorum virtute et fortium Sweorum ad hoc pium militiæ exercitium ad se inductorum animositate in regni profectum ad salutarem effectum deducere tentavit. Erat enim non aliud suæ intentionis propositum, quam ut per inceptum negotium regnum Sweorum in suis antiquis libertatibus et privilegiis conservare posset et mercatoribus cum suis mercibus solitum et securum transitum in regnum prædictum et exi-

p) *Cippus* interdum "rete," sæpius vinculum quodvis signat (v. Du Cange, Glossarium). q) Cont. Detm. *by twehundert unde vertich.* r) "Exigere, per vim auferre," Du Cange, Glossarium. Hic tamen alia vis verbi, ut "tractare," desiderari videtur. s) Jam die 10 Februari 1434 Broderus in Swecia versatur (Styffe, Bidrag etc. II. p. XC. not. *). t) Inter hos ex Svecia erant episcopi, Thomas Strengenensis et Sigge Scarensis (v. Diplomat. Norvegic. V. p. 453 et VI 480). u) Cont. Detmari: *Luneborch.* Hvitfeldt autem (v. infra not. x.) solum *Hertug Bernt aff Saxen* affuisse narrat. v) Idem rectius: *den hertighen van Mekelenborch.* x) De placitatione in Wordingborg cfr. literas principum et prelatorum supradictorum d. 2 Julii 1434 ibidem scriptis (Hvitfeldt in 4:to, Tom. IV, 510—515).

Digitized by Google

tum faceret. Ad quod intentum pium et bonum perficiendum fortuna sibi mirabiliter arrisit, et omnium bonorum favor prosperitatem merito sibi suisque auxiliatoribus exoptavit y). Rex autem Ericus audiens prælibati Engelberti actus et processus, et eos sibi præjudiciales nimium reputans, ac vergentes in regiæ majestatis suæ dedecus, literis suis seriosis et minis formidabilibus ab incepta præsumtione ipsum revocare, quantum potuit, laboravit. Sed parum valde, imo nihil scribendo vel minas eidem demandando profecit. Cogitans autem rex virum illum personali sua præsentia exterrere, ut vel sic a proposito illicito resiliret et in gratiam regiam redire laboraret, parari jussit naves, quibus mare quantocius transire valeret, et Sweorum regnum apprehendere. Quibus mox ad nutum præparatis, ipse cum quibusdam nobilibus suis navem Sertum roseum z) nominatam intravit, cæteri vero vasalli et stipendiarii aliam navem grandem Krakam dictam ascendentes, cum rege suo mare intrarunt, et navigantes pariter, sed non pari enfortunio (infortunio) ad portum optatum omnes pervenerunt. Nam exorta tempestate mare exagitatum navem illam magnam periclitari coegit, et procellarum impetuositate furibunda conquassata, homines circiter CLX fluctibus pelagi immersi sunt, paucis in vita cum maximis laboribus et angustiis in fragmentis navis salvatis. Sertum vero roseum vix dominum suum regem salvum ad illum locum deferre valuit præ fluctuum immanibus impulsibus, ut parva schapha aridam anxius apprehenderet, sed eo exuto, mox a procellosis gurgitibus exagitatum crepuit, et in partes varias concussum periit cum quibusdam suis inhabitatoribus. Veniens autem rex in Sweciam a), modicam inibi reperit consolationem suorum, sed quasi omnes potiores regni sæpe dicto Engelberto adhærentes, adventum regis sui minime curaverunt. Qui videns se a subditis suis spretum, et perpendens in manibus hostium se constitutum, in habitu peregrino clam, ut fertur, in Daciam reversus est. —

3. *Ex Chronico Rufi et Continuatione Detmari excerptum* a).

(*Ex Chronico Rufi*).

1427.

— — — — Dessulves jares by sunte Magdalenen dage b) wolden de sos stede sik echt vorsoken uppe den konink van Dennemarken, unde vorsammelden in groten hovetschepen unde anderen clenen schepen, snykken unde barsen boven achte dusent man woll geschicket mit wapene, schote unde mit alleme resschope, dat nottroftichliken to stride horet. Do de schepe tomale c) woll vitaliet weren, do schickede en islik stad ere hovetlude up ere schepe, de dat volk regeren scholden; men boven alle de hovetlude wart myt vulbort der stede gesettet en overhovetman, dar se alle up waren d) scholden. De overman was genomet her Tydeman Steen, radman to Lubeke, unde up dat he deste vlitliker unde deste truweliker de vlote vorwere unde der stede vyende deste menliker sochte unde vorvolgede, so makede de rad van Lubeke van demesulven Tydemanne Steen enen borgermeister unde bevolen eme ernstliken van alle der stede wegene de gantzen vlote, dat he darmede an den Sund segelde unde dar nicht uthschede umme jeniger sake willen, de Bayesche vlote e) were dar dor gekomen; unde wat he den anderen hovetluden der schepe hete don unde laten, dar scholden se eme alle horsam ane wesen. Also dyt tomale woll bestellet was, unde de schepe alle rede weren, do segelden se alle in den Norsund vor eme guden wynde. God van hemmele hadde sundergen der vlote roke f) unde vorlenede en wedder unde wynt unde gaf in ere

(*Ex Continuatione Detmari*).

1427.

— — — — De sos seestede, Lubeke, Hamborch, Sund, Rostok, Wismer unde Luneborch makeden ene grote hervart to watere jeghen konynk Erik van Dennemarken, unde leten inropen vele soldeners to eren eghenen borgheren, unde geven den ryken solt; ok makeden se to herlike schepe, en yslik stad na erer macht, unde besorgheden de myt touwen unde myt instrumenten unde myt spyse unde myt alle deme, des dar not was tho orleghe, unde deelden do dat volk darin, unde setteden in een islik schip twe hovedlude, de dat volk regeren scolden, unde setteden ok so enen ghemenen hovedman dar en boven, deme alle de anderen behorsam wesen scholden by lyve unde by gude, also dat se nicht en deden, id en duchte eme gud, unde leten wat eme myshaghede. Desseme menen hovedmanne ward gheboden van allen steden, dat he myt der gansen vlote scholde seghelen in den Nursund, unde scholde den nicht rumen umme nenerleye sake willen, id en were, dat de schepe, de ut der Baye scholden komen unde van der Wysel g), weren to beyden

y) Hinc Continuatio Detmari, quæ superiora omisit, excerptum et versionem exorsus est. z) I. e. Rosenkrans, quæ navis etiam in Chronico Rhytmico (supra Tom. I. 2. p. 73) comparet. Ibidem de jactura hujus et sequentis navis copiosius narratur. a) Jam die 3 Octobris consiliarii regni regem advenisse certiores facti sunt (Styffe, Bidrag t. Sweriges Hist. II. p. 261). Die 15 Novembris Ericus rex Holmiæ literas de sua Sweorumque conciliatione emittit (Hadorph, Rim Krönikan II. pag. 84–86). a) Ex omnibus, quæ in his de Svecia ad annum 1435 traduntur, nihil præter sequens excerptum separatim reddere necesse fuit, quia ceteroquin a Kornero, quem excerpserunt et verterunt, tam parum differant, ut discrepantias solum in notis, quibus Chronicam Novellam illius ditavimus, afferre satis esse visum sit. Hic vero in pugna navali an. 1427 duæ versiones adeo Kornerum copia rerum superant et invicem quoque distant, ut expositionem utriusque integram inserere aptum judicaverimus. — De ipsa re cfr. Mantels in Hansische Geschichtsblätter. 1871 pag. 134 sqq. et Gadebusch, Pommersche Sammlungen, Greifswald 1783, I. pag. 28, not. 7. b) D. 22 Julii. c) Omnes ad unum. d) Morem gerere, obedire. e) Cfr. supra pag. 211 not. b. f) Cura, sollicitudo, cfr. *ruchlos*. g) Weichsel.

Digitized by Google

hande ere vyende, dat se der so mechtich hadden gewest, hadden se wolt, dat en nicht van en gekomen hadde. So grot heil unde vrome hadden de stede in deme dage van godes gnaden in erer hand, dat ere walt vruchtet hadde geworden, unde ere lof unde eere vormeret over alle land; men do dat heilsame gudt gehindert wart — van weme und wo, dat richte god — do volgede notroftliken darna so grot unheil, schande, schade unde vornichtinge dersulven stede, dat se by mennigen jaren dat nicht vorwynnen.

Do nu desse vorbenomede sos stede in den Sund weren komen, do schoweden se vor Kopenhaven ere vyende vor sik in stolten schepen. Der stede schepe overst weren hoch vorhoven unde woll to vechtende gebuwet unde leten i) by der Denen schepe also en kerke vor ener klus l); de vloten beyde schyneden ok in der sunnen, also twe berge van sulvere, clar. Also de Denen de stede komen segen, ere herte dat was strides gheer; se wunden up ere segele ho unde leten to eren vyenden dregen. Do dat sach de borgermeister van Hamborch, her Heyne Hoyer geheten, vil drade nalede m) he sik den van Lubeke unde sprak: de vyende komen uns under ogen; wat rade gy, wes wy begynnen? — Do sede de overste hovetman, her Tydeman Steen: wy wyllen dar an in godes namen. Der wort wart her Hoyer sere gevrowet. Do schickede sik en islik to der were, unde malk sprak den sinen to all by lank in den schepen. Den van Hamborch vil de erste strid: de wereden sik also kone helde unde slugen der Denen vele dot. Der Denschen schepe quemen vele umme se unde brachten se in grote not; dat segen woll de anderen stede, men dar was leyder nemant, de en to reddinge wolde komen. Also worden se to deme lesten vorwunnen unde worden mestich geslagen unde gevangen van den Denen.

Den hovetman van Lubeke segelde ok an en grot bartze, darinne weren vorsten, ryddere unde vele guder lude, de deme orloge den hals woll gebroken hadden, were dat se gevangen hadden worden; men do se beyde drapen scholden, do vruchte sik dat grote schip vor deme clenen unde wek over de syden, unde leet de barzen vor em over scheten: id schude lichte van tucht wegene, dat de knechte den heren weken. Do den weke segen de hovetlude der anderen schepe, de nicht don en scholden, men dat se segen den Lubeschen hovetman don, also men sede, de weken ok der tucht unde leten de barzen mit vrede. Men all sulke tucht unde schonent duchte nicht erlik wesen eme schipheren enes anderen Lubeschen schepes, Goswyn Grul genomet, darinne was her Johan Beere radman mit den sinen. He brachte sin schip mank de vyende unde sede dengennen, de dar mede inne weren, dat se sik wereden, oft se wolden; de stelleden sik do also stolte degen n) unde vochten mit den Denen menliken lange wile unde slugen erer vele dot sunder groten schaden van eren. Se worden erer to deme lesten mechtich unde wunnen en af ere schip unde vingen se alle. Dessulven gelikes dede en ander schiphere, Wolter Bischop genomet, mit den sinen unde lede en grot schip an vul Sweden. Der vyende worden de Lubeschen ok mechtich unde wunnen dat schip mit harden slegen unde grepen de alle, de darinne weren, ane degenen de dar syden dorch den Sund gekomen, unde de scolde he beleyden myt aller macht, dat se nicht en quemen in der Denen hende erer vyende. Unde wan se alle myt sekerheyt dor gekomen weren, konden se denne jenigherleye hovewerk h) oven myt den Denen, dat profytlik were, dat mochten se don myt vorsichticheyt unde kloegheyt.

Do alle desse dink wol ordeneret unde besloten weren, so seghelde alle dyt her ut boven veer dusent manne, unde quemen myt eneme wynde in den Nursund in sunte Marien Magdalenen avende k), unde vunden vor sik des konynghes volk myt groten schepen, ghebuwet unde beret to stryde. Do seghelde de hovedman van Hamborch (her Heyne Hoyer geheten) by dat schip des ghemenen hovedmans der stede, unde vragede, wat se don scholden, wente alse vor ghescreven is, nemand scholde wes beghynnen, yd were syn wille, edder wat he dede, dat scholden se ok don. Do antwerde he deme hovedmanne van Hamborch, dat se wolden soken konlyken ere vyende in den namen godes. Des wart de hovetman ghevrowet, unde herdede de synen to, dat se menlyken scholden vechten. To hand toghen de Denen up ere seghel, unde leten dregen an de schepe der stede, also dat itlyke leden an de van Hamborch, unde itlyke leden an de van Lubeke, unde vechteden manlyken to beyden syden. Do se langhe gevochten hadden, do halp god, dat itlike schepe van Lubek myt groten sleghen unde arbeyde vorwunnen ere vyende, de se angelecht hadden, unde grepen de, unde brochten se mede to hus; ok bleef er vele dot. In desser mangelinghe vloten der Hamborger schepe ut der dupe, dar id vloet was, so dat se quemen to sittende up de grund. Do behalveden se de Denen unde vechteden myt en so langhe, dat se se vormodeden, unde alse nen hulpe en quam, so worden se vorwunnen unde gevanghen, unde gebracht to Kopenhaven in den torne. Unde de van Lubeke myt eren gevanghenen unde ok de anderen stede toghen to hus, unde vorbeydeden nicht der schepe ut der Baye unde van der Wysele, de se gheleyden scholden, alse en gheboden was. Unde do se wechgheseghelt weren, nich vul dre stunde darna, quemen de schepe ut der Baye, geladen myt kosteleme gude, unde quemen in der Denen hende, alse syk alle man hadde befruchtet; unde nemen darvan boven XXX schepe, unde sloghen unde vynghen koplude; ok bleven

h) Proprie: res quæ militem decet, postea: omne quod ad certamen pertinet (*hofman* hoc tempore idem ac miles valet).
i) Videbantur. k) Die 21 Julii. l) Habitatio eremitæ, sacellum. m) Statim appropinquavit. n) Viri fortes

Digitized by Google

dot bleven unde sik ok sulven drenkeden o). Van den anderen hovetluden weren clene, de an de vyende wolden, sunder se leten sik dunken, vere p) af were en gud plate.

m) Anno 1408, quamquam solum XI annos nata, speciali dispensatione Papæ monialis consecrata est, facta est abbatissa inter annos 1446—1448; jussu Karoli regis an. 1452 deposita est, sed denuo circa annum 1457 hanc dignitatem recepit et usque ad mortem an. 1465 retinuit (v. Diar. Vastenense, supra Tom. I. 1. pag. 125, 169, 174—177 et 187). n) Obiit anno 1387. o) Verisimiliter jam in baptismo nomen Erici accepit (cfr. Jahn, Danm. Hist. p. 36, not. 3). Filius erat Wratislawi VII:i ducis Pomeraniæ et Mariæ, filiæ Henrici, ducis Magnipolensis et Ingeburgis, sororis Margaretæ reginæ. p) Gerardus VI:s in bello a Ditmarsis d. 5 Augusti an. 1404 interfectus est. q) In Alsia insula. r) Hoc anno 1410 contigit. Adhuc die 14 Augusti Abrahamus literas in Sönderborg Alsiæ datas subscribit (v. Jahn Danmarks Hist. pag. 494). Dies incertus est. Supra pag. 24 fontem inseruimus, qui diem 5 Septembris affert, sed in not. i. ibidem observavimus, forte V Kal. Sept. (28 Augusti) legendum, quia Jahn l. c. pag. 53, autore omisso, hunc diem exhibet. In Kalendario Trolliano (supra Tom. I. 1. pag. 234) dies VII. Kal. Sept. (26 Augusti) legitur, quo ex fonte Lagerbring Svea Rikes Hist. IV. 32 fortasse diem 27 Augusti, quem, item nullo fonte citato, affert, sumserit. De judicio super Abrahamo facto cfr. uberem expositionem, quam Jahn fecit (l. c. pag. 473—478). s) Forte *deponerent* — *demandarent* legendum. t) Hoc anno 1415 contigit, v. *die Lubeck. Chroniken* ed. Grautoff, II. pag. 11. u) Lacuna; certe narratio de restitutione consulum d. 16 Junii an. 1416 excidit (cfr. Grautoff l. c. pag. 14). v) Hoc foedus nullo alio loco nisi apud Reimarum Kock, qui tamen aperte nostrum chronicon exscripsit, legitur. Hvitfeldt (Danm. Rig. Krönika in 4:to pag. 322) foedus ad verbum inseruit, quod die 15 Junii 1423 inter regem et easdem urbes initum est. Primo aspectu crederes nostrum auctorem hoc vidisse et falso anno ascripsisse, sed duo foedera ita differunt, ut id verisimile non videatur; et ipsum excerptum presbyteri eum diploma præ oculis habuisse monstrat. x) Lege: tamen.

Digitized by Google

res!) in tam spaciosis terris regnorum suorum non habuit spacium terre pedis dimidii y), quo mori potuit et debuit. Sed in naui existens ante ciuitatem Flensborg, maxima et mirabili orta tempestate fulminum et tonitruum, recessit a corpore anima eius z). —

Cap. XLII. Sequenti anno a) rex congregauit iterum magnum exercitum nauigio ad recipiendam dictam terram. Expeditionem fecit et quasi totam terram nauibus circumdedit et prope insulam Vlugge b) maiores naues collocauit, in quibus armati multi apparebant, et ibidem aliquamdiu dimicauit. Et subito c) dimissis magnis nauibus cum apparentibus armigeris in paruis nauibus, snikken d), ad commune passagium properabant et illico, antequam omnes de terra congregari possent naues, exeundo pluribus hincinde interfectis, Dani siccam terram receperunt e). Et postmodum equis adductis, quotquot inuenerant masculini sexus, in ore gladii crudeliter occiderunt, aliquibus fugam capientibus ad ecclesias, presertim in opidum Borch f). Extractis inde vestibusque exutis in cimiterio lacrimabiliter ducendo, nudos ferociter necauerunt, sacra loca, ecclesias et cimiteria vna cum sacramentis et sacrosancto corpore dominico, heu, heu! execrando g) enormiter inaudita faciendo, violabant omnem terram, omnes domos spoliando et demum omnes domos et casalia totius terre comburendo. Et neminem in ea permiserunt remanere, sed captiuos ducentes omnes viros remanentes, mulieres, virgines et infantes, ex quibus plures, proh dolor, propter inopiam peiores effecti, viri facti pirate, mulieres, virgines meretrices et adultere. Tanta inhumanitas a paganis et barbaris nullibi legitur, quanta in hac terra facta ab hiis, qui christiani dici debent. —

(Quæ de impugnatione urbis Slesvig per Ericum regem anno 1426 et pugna navali prope Havniam anno 1427 auctor affert, multo breviora sunt, quam quæ supra pag. 211 et 214 e Kornero et aliis attulimus, neque quidquam novi continent, quare ea hic inserere superfluum duximus).

y) *Dies Wort ist so verwischt, dass man zwischen* dimidii *und* remanens *schwanken kann,* Lappenberg. z) Anno 1412 in nocte inter dies 27 et 28 Octobris (v. supra pag. 24, not. d.). a) Igitur an. 1417; sed 1420 hæc Imbriæ (*Femern*) expugnatio accidit (v. Kornerum supra pag. 210 et infra Chronicon Saxonum Nordalbing.). b) Hodie Imbriæ insula coalita. c) Duo codices "subinde" exhibent. d) Minores naves etiam apud nos tunc *snäckor* vocabantur. e) Die 9 Julii; prima descensio d. 1 Julii non successit (v. supra pag. 210). f) Cfr. l. c. not. o. g) Lege: execranda.

XXVIII.

Ex Chronico Saxonum Nordalbingiorum excerpta.

Hoc chronicon *Die Chronik der Nortelbischen Sassen* inscriptum bis editum est 1) a Michelsen apud Falck, Staatsbürg. Magazin, Tom. IX pag. 340—380, 2) a Lappenberg in Quellensammlungen d. Schlesw-Holst. Gesellschaft, Tom. III., Kiel 1865, quam posteriorem editionem nos adhibuimus. Opus, quod in anno 1483 finitur et cujus vetustissimus codex jam an. 1486 scriptus esse videtur, duas partes 1) in anno 1448 compositam historiam 2) additiones in sequentibus triginta quinque annis factas comprehendit. Presbytero Bremensi non usus est, quamvis primo aspectu ita videtur; similitudines ex communi materia declarantur. Contra Detmarus et Kornerus ei ignoti fuisse non videntur, quamquam eorum narrationes ita contraxit, ut affinitas haud facile perspiciatur. Historiæ Suecanæ quamvis parum subsidii ministret, tamen pauca, quæ exhibet, non prætermittenda nobis visa sunt, cum fontes, ex quibus singula hauserit, pro certo indicare non possimus.

Digitized by Google

Anno domini MCCCLXIII a). De hertoge van Mekelenborch brochte sinen sone Albert myt walt in dat koningrike to Sweden, unde de olde Waldemar, en koning van dren riken, leuede noch. Des settede de hertoge sinen sone uppe de borch Ogen b) ane der Sweden dank, dar he telede enen sone c), unde was en jar myt deme sone in deme lande d). Darna also de olde koning Waldemar storuen was e), do sammelde koninginne Margareta ene grote schare des volkes unde jagede des hertogen sone wedder ut deme lande f). De hertoge quam tor Wismar, unde sin vader was vorstoruen g). He vorsammelde ene grote schare des volkes h), unde myt groten schepen segelde he to Schone unde wolde striden jegen de koninginne. De koninginne Margareta wolde beschermen eres vader lant, se brukede des rades erer guder manne unde vorsammelde ene auergrote schare des volkes unde toch tegen den hertogen i), dar bleuen vele doden to beiden siden. Dar wart de hertoge vangen myt twen greuen, alse greue Albert van Holsten, Iseren Hinrikes k) sone, unde de greue van Reppin unde vele mer worden vangen, de de koninginne altomale uan werdicheit quit gaf l) unde sande se wedder to hus in eres uader lande. Men den hertogen myt sinem jungen sone m) let se sluten myt starken keden unde bewaren souen jar lank. Do loseden se de Lubeschen unde de Prutzeschen heren vor sostich dusent mark suluers n). De junge sone toch wedder in Sweden unde leuede nicht lange o). De vader toch to Swerin unde regirede sines vader lant.

Anno domini MCCCLXX p) do starf de olde here Waldemar, en koning van Dennemarken. Na sinem dode koninginne Margareta, do en wedewe, nam to sik en herte enes mannes. Se vorwan den koning van Sweden, alse hir vorschreuen is, unde regirede alle dre koningrike wol unde laueliken unde beschermede dat meine beste wol vertich jar allene. — — — — — — — — — — — — — — —

Anno domini MCCCCIX q). Do koninginne Margareta lange jar allene regiret hadde unde olt wart, eer vordrut lenk to regiren. Hirumme kos se to sik enen jungen heren van den kinderen des hertogen van Pomeren van vertein jaren r), unde kos ene in enen sone, unde schaffede id so, dat he wart gekoren unde gekronet in enen koning ouer dre rike, Dennemarken, Norwegen unde Sweden. Sin name was geheten koning Erik. Koninginne Margareta regirede noch mede in den landen. Altohandes vor erem dode so leet se radebraken to unrechte umme hates willen enen ratman to Vlensborch, de in sinem lesten de koninginnen eschede, se scholde in deme drudden dage bi eme wesen vor deme alderhogesten richtere unde geuen antwort s) Dat ok in der warheit schach. Do de drudde dach quam, wart se dot gevunden, dar se allene was in enem schepe t). — — — — — — — — — — — — — — — — —

u) Anno domini MCCCCXX. Do wart id to wetende deme koninge v), dat de Holsten wedder heren weren worden uppe Vemeren, unde tornede sik tomale sere. Darumme sammelde he souen hundert grote schepe unde segelde wedder na Vemeren. Do he bi den strand quam, do lach dat volk van Vemeren uppe deme strande vnde wereden sik manlike unde slogen unde vordrunken untelliken vele Denen. Dar vorlos de koning enen groten eddelen vorsten, siner suster sone x), darumme he sik sere errede unde mogede y). Tom lesten vormodede z) dat volk uppe Vemeren, unde de koning quam boven dat volk, unde dat volk nam de vlucht, so dat etlike vellen in lutteke a) schepe unde quemen wech; etliche worden in dat water geworpen, de anderen worden altomale b) gedodet myt deme swerde. He was erger wen Herodes, he schonede noch

a) In sequenti eventus annorum 1363—1397 in unum coguntur. Quamquam plurima memoriam Korneri afferunt, tamen dissimilitudines quoque comparent, ob quas brevem expositionem præterire noluimus. b) Forte deformatio vocis Stockholm, metropolis Sveciæ, ad quam Albertus d. 29 Novembris an. 1363 advenit (v. supra p. 207 not. f). c) Ubi ille (sc. Albertus rex) filium genuit. Patrem Albertum ducem non respici per se liquet, cum Magnus filius ejus natu minimus jam an. 1355 comparet. Desponsatio Alberti regis cum Rixa, filia Ottonis, comitis de Schwerin, jam d. 12 Octobris an. 1352 facta est (v. Pötker, Neue Saml. Meklemb. Schriften, IV. p. 7. et Rudloff Pragmat. Handb. d. Meklemb. Gesch. II. p. 311). Messenius solus (Scondia Illustr. III. p. 23) annum nuptiarum affert sc. 1365, quo autore nescimus. De hac et secunda uxore Alberti regis cfr. infra Genealogiam Doberanensem. Rixa adhuc d. 23 Aprilis 1377 in vivis est (v. Riks Ark. Perg. Bref n. 1265). d) Korner (supra pag. 208) dicit Albertum ducem post conventum in Jönköping an. 1364 ad Germaniam revertisse. e) Die 24 Octobr. 1375. f) Hoc eventus annorum 1376 et 1377 respicere videtur, cum Margareta conatus Alberti senioris ejusque filii Henrici, ut Alberto, filio Henrici cum Ingeburge sorore Margaretæ genito, regnum Daniæ acquirerent, ad vanum redegit (v. supra Detmarum pag. 187 et libellum Magnopol. pag. 198, 199). g) Hic vero de Alberto rege agitur, qui post patris obitum an. 1379 et fratris Henrici an. 1383 regimen ducatus suscepit ideoque pluries Teutoniam visitavit h) In fine anni 1388 (v. supra pag. 188). i) Lege hic et infra: koning sc. Albertum. Pugna prope Falköping d. 24 Februarii an. 1389 commissa est. k) I. e. Henricus ferreus. Cfr. supra pag. 189 not. c. et d. l) Korner: redemtis pro pecunia competenti (v. supra pag. 189, not. i). m) Ericus. n) In Septembri an. 1395 (v. Detmarum supra pag. 191, 192). o) Anno 1397 obiit in Gotlandia (v. supra pag. 204). p) Lege 1375, die 24 Octob. q) Scriptor sequentia huic anno sine dubio ideo ascripsit, quia Ericus jam in dies sine consilio Margaretæ ipse per se negotia administrare incepit, et inimicitiæ cum Holsatis hoc anno ortæ sunt. r) Duo Chronica Svetica item narrant eum XIV annos in electione an. 1396 complevisse, tertium IX annos exhibet (v. supra pag. 24 not. g.). s) Idem uberius narratur in continuatione quadam chronici Detmari, quæ in codice Hamburgensi exstat et apud Grautoff, *die Lübeck. Chroniken*, II p. 602 impressa est. t) Anno 1412 inter dies 27 et 28 Octobris. u) Sequentia excerpsimus, sicut antea idem in Presbyteri Bremensis Chronico fecimus, quia Sveci huius belli participes fuerunt, et neutra narratio solum ex Korneri Chronico effluxisse videtur. v) Sc. Erico Pomerano. x) Error, ut videtur. Neminem filium sororis Erici novimus, nisi Christoferum, qui Erico postea successit. y) Irascebatur et indignabatur. z) Defatigati sunt. a) Parvas. b) Omnes una vel ad unum.

Digitized by Google

vrouwen noch man. Vrouwen unde junkvrouwen venk he unde vorde se in Dennemarken. Vele kinder vordrank he, vele leet he voren up en werder c) in der see, dar se mosten vorsmachten, unde ene at den anderen. Vele rike vrouwen beschattede he unde vornichtede he, de armen sande he in dat lant to Holsten. Tom lesten vant he twehundert manne und mere in der kerken, de umme vredes willen in de kerken gevlan weren, de he sunder barmherticheit ut der kerken teen let unde naket unde blot vor sik werpen alse swine unde dorsteken unde speten alse poggen d), also dat dat blot vloet over de straten, alse ein river, unde en blef nicht en minsche unbeschediget. Darna berouede he de hilligen kerken und alle hus. He nam alle monstrantien unde alle klenode ut den kerken unde schonde nicht dem hilligen sacramente. Darna entstickede he unde vorbrande alle kerken, kluse e) unde huse in de grunt unde vornichtede unde dodede alle dink, also dat dar nouwe f) en hunt uppe deme lande en blef. Darna gink he wedder to schepe unde mit synem volke unde den vangenen segelde he wedder in Dennemarken. Unde wol dat desse koning Erik lange na levede unde ovel regirede, so wart he doch tom latesten van sinen egenen ridderen ute deme lande vordreven, alse ok hirna schreuen steit. — — — — — — — — — — — — — — — — — — —

Anno domini MCCCCXLVIII, des dinxtedages na unser leuen vrouwen dage der hemmelvart g) do wart Cristianus, en greue van Oldenborch unde Delmenhorst, to Kopenhauen koren in enen koning to Dennemarken unde Norwegen, alse dat geschaffet hadde hartich Alf, to Sleswik unde Holsten hartoge, dede was des koninges moderbroder. De Sweden koren enen anderen koning, de het Kanutus h).

Anno domini MCCCCLVII do toch koning Kanut van Sweden hemeliken enwech to Danseke i) myt grotem schatte, unde alse dat vorworuen hadden hertoch Alf unde de bischop van Upsael k), so wart koning Kersten wedder koren tom Stockesholme in enen koning in Sweden in sunte Gregorius dage l).

Item koning Kersten hadde den Sweden lauet unde swaren, he en wolde nene schattinge mer don, wan plichtich were. Dat louede hartogh Alf unde de bischop van Upsael mede m), men dat en helt he nicht. Na deme dode hartogen Alues, sines omes n), betengede o) he dat volk to beschatten unwonliken, dar ene de bischop van Upsael umme straffede. Do venk he den bischop unde brochte ene to Kopenhauen p), de en bevrundt man in deme lande was q). Do wart alle man quat unde togen alle wedder van deme koninge unde koren enen houetman ouer dat lant, her Sten Sture genomet r), en bevrundt man, de dat lant reigeret in allem vrede. Darumme na gades bort anno domini MCCCCLXXIII s) do vorsammelde koning Kersten en grote schar des volkes unde toch in Sweden unde wolde Sweden wedder winnen, unde quam vor Stockesholm. Dar wart tomale en grot krich; dar wart menliken gevochten, unde bleuen doden to beiden siden. Dar vorlos de koning bauen dusent man, de anderen nemen de vlucht, unde deme koninge worden vele gude man afgevangen, de he in sineme leuende newerlde t) wedder losede. Aldus wart he ok newerlde wedder koning in Sweden, dewile he leuede. (*Scriptor jam mortem Adolfi ducis an 1459 memorat et deinde iterum, quomodo ille Kristiernum in regnis Daniæ et Sveciæ adjuvaverit, iisdem fere verbis, quibus supra, exponit, quæ igitur inserere superfluum duximus*).

c) Ita regio aqua circumdata appellatur; cfr. loca Prussica, Marienwerder, Danzigerwerder. d) Ranæ. e) Claustra. f) Vix. g) Die 20 Augusti. Unde hic error natus sit, nescimus. Certe de electione Kristierni jam in mense Junio actum est (v. Regesta Danica I. n. 3,793), sed demum die 28 Septembris in placito Wiburgensi (in Jutia) rex Daniæ salutatus est (v. literas apud Hvitfeldt, Danm. Rig. Krön. in 4:to, Tom. V. p. 7). h) Lege: Karolus Kanuti, qui in mense Junio an. 1448 rex electus est (v. supra pag. 223, not. g.). i) D. 24 Februarii e Holmia fugit, tertio die Dantiscum pervenit (v. supra pag. 230, not. h. et i.). k) Cum Adolfus dux et archiepiscopus Upsal. id assecuti essent. l) D. 12 Martii. Falsum; prima electio Holmiæ d. 24 Junii, sollennis electio apud Morasten d. 2 Julii facta est (v. supra pag. 231 not. s). m) Adolfus dux literas Kristierni d. 3 Aprilis an. 1457 datas, quibus libertates Sveciæ se observaturum promittit, subscribit (v. Hadorph, Rim-Krön. II. 197). n) Anno 1459. o) Incepit. p) D. 14 Augusti an. 1463 archiepiscopus, Johannes Benedicti, captus est, in fine mensis Octobris rex eum secum Havniam traduxit (v. Detmarum supra pag. 233 et scholia ibidem). q) Scriptor dicere velle videtur, gentem archiepiscopi numerosam et potentem fuisse, ut re vera erat. r) Anno 1470 paulo post Karoli mortem (v. supra pag. 242 not. s.); scriptor eventus annorum 1463—1470 præteriit. s) Sequentia anno 1471 evenerunt. Pugna in Brunkeberg apud Stockholm d. 10 Octobris pugnata est. t) Numquam.

Digitized by Google

XXIX.

Ex Chronicis Alberti Krantzii.

Albertus Krantzius Hamburgæ (anno incerto) natus, primum Coloniæ, deinde Rostochii, cujus universitati an. 1463 ascriptus est, studiis se dedidit, in qua per multos annos moratus etiam dignitatem rectoratus anno 1482 tenuit. Postea (anno incerto) ad urbem natalem, ut lector primarius Theologiæ esset, vocatus, mox propter prudentiam atquæ doctrinam etiam in publicis urbis negotiis sæpe adhibitus est, ut annis 1497—1499, cum in Angliam et Franciam missus est, et anno 1503 in pactione Lubecensi, qua lites inter Johannem, regem Daniæ, et urbes Hanseaticas componerentur. Anno demum 1517 d. 7 Decembris diem obiit supremum a). Præter hæc supradicta academica et publica munera officiaque, quæ ei committebantur, Krantzius etiam in fatis terrarum aquilonarium investigandis earumque historiis conscribendis haud paulum temporis et laboris consumpsit, quorum laborum tamquam fructus numerosi ejus libri, Chronica regnorum aquilonarium (Svecia, Dania et Norvegia), Saxonia et Vandalia etc. fuerunt b).

Etsi principio a viro, qui eventibus ipse interfuerit, hand exiguas res nostram historiam illustrantes jure exspectares, tamen re vera admodum pauca ejus generis in ejus scriptis inveniuntur, quæ res ex variis causis declaratur. Primum nostræ res ei necessario multo minoris momenti fuerunt, quam ea, quæ reges Daniæ eorumque cum urbibus Hanseaticis inimicitias attinuere. Deinde aliquanto ante mortem historiam regnorum aquilonarium tractare desiit; jam enim in anno 1504 c) Swecia et Dania ad finem perductæ erant, ut ex ipsius verbis in illis manifestum est (v. Daniam lib. IX. cap. III: »is est rerum status in hodiernum diem anni qvarti post mille quingentesimum mensis Maji, quo hæc scribebantur» et Svetiam lib. VI. cap. II., ubi narrat inter proceres regnorum de conventu in Kalmarnia convenisse (quod Havniæ d. 18 Maj an. 1504 constitutum est) et deinde pergit: In ea exspectatione hodie res conquiescunt» d). Ad extremum in iis, quæ sunt ipsius ætate vetustiora et nos attinent, Saxone Grammatico, Hermanno Kornero ceterisque Detmari continuatoribus, quorum ex scriptis nos excerpta supra dedimus, assidue usus est, ut in his temporibus aliquid ex eo sumere superfluum esset. Quare excerpta nostra ad ea, quæ in ipsam scriptoris ætatem incidunt, ad tempora igitur Johannes regis, coercuimus. Neque certo hæc pars scriptorum Krantzii historiæ nostræ multas res alicujus gravioris momenti præbet, ut excerpta sequentia satis demonstrant. In universum aliquid vagi in compositione ejus hæret; anni et dies, in quibus res evenerunt, parce afferuntur; 'manifesto studio rhetoricum quasi colorem narrationi dandi ipsam haud raro conturbat et obscuritate involvit, quæ obscuritas insolito quoque verborum et elocutionum genere atque structura haud parum augetur.

Quamquam Reimarus Kock libris Krantzii usus fuerit, tamen præter illum etiam tam multos alios fontes inspexit et in suo Chronico Lubicensi colligendo adhibuit, ut multo plus ab eo, quam a Krantzio de rebus nostris edoceamur. — Nostrorum medii ævi scriptorum, qui huic operi jam inserti vel inserendi sunt, solum Johannes Magni Gothus et Laurentius Petri libros Krantzii laudant, sed in iis locis solum, ubi auctoritas ejus minima est, sc. in antiquitatibus Aquilonis, eo usi sunt. Olaus autem Petri opera ejus nosse non videtur; fortasse Chronicon jam consummaverat, antequam Chronica aquilonaria Krantzii primum in lucem an. 1546 edita sunt e). Contra jam Hemingus Gadd in oratione contra Danos an. 1510 habita f), Krantzium laudat, quod ut jam supra diximus g) non adeo est mirandum, cum in universitate Rostochii eodem tempore, quo Krantzius, versatus, ejus amicitiam sibi comparare potuerit et postea, — cum pluries ob publica negotia per Germaniam aquilonarem proficisceretur vel propter communes Svetiæ et urbium Hanseaticarum cum Dania lites atque bella frequens com-

a) Hæc sumsimus ex *Krabbe, Die Universität Rostock*, ed. l. c. an. 1854, I. p. 224—235. b) Omnium scriptorum Krantzii indicem, separatis editionibus etiam notatis, invenies apud Potthast: Bibliotheca Historica medii ævi pag. 409. c) Norvegia jam in anno 1500 abrumpitur, ut observavimus infra pag. 285 not. f. d) Sicut ex his elucet Sveciam et Daniam eodem tempore finitas esse, ita propior investigatio utriusque operis mox ostendit, neutram altero vetustiorem proprie dici posse, sed scriptorem eodem tempore in utraque conscribenda versatum esse. Non minus enim frequenter in Svecia Daniam, quam in Dania Sveciam pro testimonio affert. e) In querimoniis a Gustavo I: contra Olaum Petri (in fine anni 1539) propositis, illius *Nye Svenske Crönike* citatur et nonnulla ex contentis afferuntur (v. Monumenta Polit. Ecclesiastica ex Archivo Palmsköldiano, ed. Olaus Celsius 1750 pag. 26—29). f) V. supra pag. 62 not. *. g) Vide præfationem hujus orationis supra pag. 43, 44.

Digitized by Google

mercium cum his urbibus haberet — librorum Krantzii, pristini socii, cognoscendorum facilem occasionem invenerit.

Scriptoribus nostris posterioris ætatis, ut Messenio ceterisque illo recentioribus, Krantzium et notum et ab iis sæpe usitatum esse memorare vix necesse habemus. In excerptis faciendis, quod Svetiam et Daniam attinet, editionem an. 1546—1548 Argentorati, quod Vandaliam, editionem an. 1580 Francofurti ad Moenum impressam secuti sumus.

1) E Suecia.

Lib. V Cap. XLII. Joannes, Christierni filius regis, in Daniam rex electus a) et confirmatus, in Noruagiam hæreditario iure succedens, Sueciæ quoque regnum expectabat. Admoniti proceres a vicinarum regionum nobilitate, ut ad antiqua secum pacta respicientes, communem tribus regnis principem præficerent, nil aliud egerunt, quam si vellet rex Joannes conuentas dudum subire conditiones b), Suecis quoque regnaret. Sed ille nisi liberam regendi potestatem haberet, contempsit, temperamenta tamen adhiberi pateretur c). Sed ad eorum, quibus regnaret, nutum imperare, non regnum, sed seruitutem deputauit d). Diu præstolatus est, si forte sua sponte ad cor redirent: aliquando curauit admoneri. At quem gubernatorem deputauere regni e), ea fuit modestia, ut diu populus regem non desideraret. Igitur in hoc rerum statu multi decurrerunt anni, cum interim Suecia a bello non vacabat. Nam Russi orientalia Sueciæ contingentes, nonnunquam bello f) lacessere Suecos adoriuntur; vicissim illi Russis faciunt incursiones g). Nihil tamen magni fiebat præter intercursiones: nam finibus quisque suis præsidia adhibuere. Interim legationes crebrescunt principis magni Moscouiæ, qui supra omnes proceres prolatauit imperium, magnam illam urbem Naugardiam sibi parere cogens. Is enim in Daniæ regem modernum Joannem respiciens, facile, si de conditionibus belli conueniret, Sueciæ [ɔ:am] utrique interceptam ad iuga cogerent h). Sed rex prudentissimus audiebat quidem legationes et, quod tempori congrueret, respondebat: neque plenam scismaticis fidem dedit, neque omnino repulit, sed cum honore dimissis oratoribus, interim cogitauit, quid regnis suis, quid communi Romanæ ecclesiæ conduceret honori. Ita Moscouitæ ad hunc usque diem in incerto relicti, nesciunt, quid animi in se gerat rex memoratus i). Mercatores tamen Germaniæ princeps ille Moscouitarum in terris suis (et præcipue in Naugardia) captos tenuit et rebus omnibus nudatos diu seruauit in carcere, quod gratificari putaretur ea re principi memorato. Multis deinde pactionibus in medio habitis, post longam captiuitatem vix liberati sunt qui superfuere. Sed de rebus nulla spes.

Cap. XLIII. Interim Joannes rex cum titulum præferret electi in Suecia, semper expectabat bene gerendæ rei in Suecis occasionem. Pertæsum est aliquando nonnullis ex proceribus, quod gubernatori, etsi integerrimo ad illum diem viro, tamen omnibus natu et origine pari subesse cogerentur; de inuocando rege, quem elegerant, apud se cogitabant. Sed quoniam multi etiam contrariam fouerunt sententiam, sine magno incommodo res transire non poterant. Ergo intestinum veriti malum, diu quieuere. Interim qui Gotlandiam pro Suecis diu gubernauit, strenuus ad arma miles k), iam senio ingrauescens, cum intelligeret procerum in regno super inuocando electo rege repugnantes sententias, illis accessit, qui putauerunt regno expedire regem habere, et illum regem, quem pridem omnes elegerunt. In eam sententiam pedibus vadens, quod potuit fecit: regi insulam cum oppido et arce consignauit l). Ea fuere regi primordia Sueciæ inuadendæ. Inde cum res per proximos annos magis atque magis inter regni proceres agerentur, ipseque gubernator in utramque partem æque videretur promptus, cœpit prævalescere eorum sententia, qui regi inclinabant. Ea tamen res undecunque iniecta mora differebatur: nonnullorum verba a rebus et res a verbis animaduersa sunt discrepare. Tentata fuere inter utrasque partes colloquia. Nam rex ipse ex suo snbmisit concilio, qui cum Sueciæ proceribus agerent: sed nulla in re conuenere. Arma ostenderunt aliquando; bellum rebellibus animo sedit. Idque ingruente iam bruma m) intentatum est. Erat tum in occiduis partibus longa bellorum consuetudine innutrita gregariorum militum peditum tum n) magna manus, ex variis

a) Kristiernus I:s obiit d. 21 Maj 1481. b) Hic sine dubio tractatus Calmarniensis d. 7 Septembris an. 1483 factus respicitur (impres. apud Hadorph, Rim-Krön. II p. 318—333). Admonitiones a ceterorum regnorum nobilitate, quæ supra memorantur, certe spectant conventus a consiliariis trium regnorum an. 1484 Calmarniæ, an. 1494 Novæ Ludosiæ habitos. c) Forte pro: patiebatur. Scriptor dicere velle videtur, Johannem viam pacificationis armis ad tempus prætulisse. d) I. e. putavit. e) Exspectares: at ille [sc. Steno Sture], quem Sueci gubernatorem regni deputaverunt. f) Sic editio an. 1580; nostra falso: bella. g) De bello inter Svecos et Ruthenos annis 1495, 1496 vide Reimarum Kock supra pag. 244, 245. Indutiæ an. 1497 d. 3 Martii initæ sunt (v. Allen, De tre Nord. Rig. Hist. I. p. 641, not. 58). h) Exspectares: respiciens, putavit facile — — — Sveciam inter utrumque interceptam coactum iri. i) Errat scriptor. Jam d. 8 Novembris an. 1493 foedus inter Russiam et Daniam adversus Svecos ictum est (v. supra pag. 247, not. k). k) Ivar Axelsson (Tott). l) Die 15 Junii an. 1487 (Danske Geh. Arch. Aarsberetn. IV. pag. 273). Krantzius præcedentis inter Stenonem Sture et Ivarum Axelsson discordiæ ac tandem belli nullam mentionem fecit (qua de re cfr. fontes supra pag. 243 not. z. memoratos). m) Sc. inter annos 1496 et 1497; de sequentibus cfr. Reimarum Kock in anno 1497 supra pag. 245. n) Hoc "tum" per errorem irrepsit.

Digitized by Google

prouinciis coaugescens, scilicet per Franciam, Flandriam, Brabantiam ac Gelriam; malis urbium et prouinciarum varie iactabatur. Guardiam dixere, et quasi custodiam finium, quibus inuocabantur. Custodes dicti, vastatores erant: manus hominum impia, quæ nihil sacrum putabat. Dei summi ac hominum iniuria in æquo illis fuit. De his loquor, qui maiorem numerum confecere. Cæterum inerant et viri sensati militaris generis ac ex oppidanis, qui etsi ordines ducebant aut etiam stipabant, rectis tamen animis de Deo, sanctis et iustitia fuere. Sed in tanta colluuie mortalium a maiori multitudine censere solemus uniuersos. Inerant omnium prouinciarum homines, promiscuum vulgus, Hispani, Galli, Anglici, Scoti, Longobardi, Suitenses, superiores Alemanni, Sueui, Bauari, Franci, Saxones: immixti militares, qui ordines duxere. Eam manum rex stipendio conductam misit in Sueciam; aderat ipse cum equitibus expeditis. Nec minus gubernator cum iis, qui pactis vetustis pertinaciter inhærebant, armauit quos poterat, non contemnendas copias. Eduxit quoque magnam manum in mineris laborantium o), ferreum genus hominum; sagittis quam p) frequentes utuntur acutis longisque hastilibus. Sed præuenerant regis copiæ, ne iungerentur agmina Suecorum, intercepto nuncio, qui locum et tempus conueniendi detulerat. Eduxit autem contractam suorum manum gubernator [ex] oppido Stockholm, quod unum mercaturis maxime idoneum [est], et in quo multi ex Germanis habitare delegerunt. Eas copias excepere regii et collata manu, multis cæsis, profligauerunt. Nam ubi fugam intentarunt in oppidum memoratum, multi in ipso cæsi sunt itinere. Iam inclinabat regi q) victoria, copiis expeditioribus profligatis. Veruntamen rustica quam diximus multitudo, durorum pectorum, in loco demorabatur nuncium a gubernatore. Sed priusquam victoriæ regiorum ad eos nuncii peruenirent, aderant pedites memorati de Guardia r) et instituto in eos prælio quasi murum oppugnauere, non cedentes loco; non est alias visa rustica manus tam pertinaciter locum defendens, donec vulneribus defecti caderent. Quod si equestres alas cum ductoribus habuissent, nulla vis superasset tam immanem et inuictam ad vulnera manum. Iam multitudine morientium adacti, qui supererant cedere cogebantur. Victoria fuit regiorum, non tamen incruenta. Nam quotquot sagittis eorum contingebantur in locis mortalibus, mox animas posuere. Id erat arcuum robur, et vis dirigentium. Gubernator ipse, aliquot submissis amicis, ad regiam se parauit voluntatem. Tum qui ad rem ex proceribus neutrales fuerunt cum his, qui partes semper regias sunt tutati, ad regem venere. Omnia ex voluntate victoris sunt constituta: sacramenta præstantur, inunctio solennis peragitur s). Et omnibus pro more et arbitrio constitutis, post aliquantam in regno moram gubernator ipse regem reduxit, comitatus in Daniam t), ipse quoque a rege non inhospitaliter habitus, quo in fide conseruaret noui regni populum, necdum animos in eundem alienos habentem. Is est rerum status in annum usque quingentesimum millesimum a Christo nato et salute mundo præstita.

Cap. XLIIII. Ad eum qui proximus erat annum u) cum in eo regno componendis rebus rex invigilaret, exoritur tumultus a plebe indignante, quod tam facile cessisset omne regnum regi, cui pridem minor populus Thietmarsorum restitisset. Exceptum est murmur non inuitis quorundam ex nobilitate auribus, qui rem miscuere. Interuenerant ecclesiastici nonnulli, qui pro consuetudine regnorum consiliis publicis magnam autoritatem fouent v). Effectumque est, ut rex, cum multa tentasset rebus in bonum modum salutaremque statum reparandis, [et in iis] frustraretur, clam regno enauigans excederet x), regina relicta in arce cum fideli suorum præsidio, armis commeatibusque abunde ad omnem casum præparatis. Prægnans erat y) ibique paritura sperabatur. Quod si marem esset enixa, regem indigenam populus ambire ac placide accipere putabatur. Sed præsenti adhuc regi illa obuenere a Sueciæ proceribus, ut insidiatum capiti suo non dubitaret. Crebrius inuitatus ad loca suspecta, vitauit congressum ac mira fortuna elusit omnes insidiantium molitiones z). Non erat altera rebus via, quam perfidum genus armis petere, vi bellorum ad iuga cogere, insidias et omnem iniuriam vi depellere, cogereque inuitos, ut fidem impleant, pacta firment faciantque imperata. Rex ergo æstate proxima a) de longinquo vocauit arma; misere principes ex fide auxilia, venit magna multitudo gregariorum ad stipendia. Quæ dum intus comperta habuere Sueci, arma quoque illi contraxere, inuocantes de prouinciis vicinis auxilia. Sed nemo se commouerat, multi tamen stipendia facturi, ad eos undecunque concurrerunt. Rex perfidiam regnicolarum per urbes maritimas questus, premonuit, ne quis se hostibus suis immisceret, hostem testatus habiturum, qui arma, commeatus

o) Hic Dalecarli significantur, quorum magna pars in ferri cuprique fodinis et officinis laborabat. p) Aut "sagittisque" aut "sagittis quidem" legendum. q) Pugna jam erat profligata, cum rex ad Holmiam navibus advenit. (v. supra pag. 151). r) Hic attendendum est Krantzium certamina dierum 28 et 29 Septembris an. 1497 apud Rotebro et Holmiam inverso ordine, quem ceteri exhibent, exposuisse (cfr. supra pag. 135, 136 et 149, 150 atque Tom. I. 2. pag. 332). s) D. 11 Octobris an. 1497 rex Holmiam ingressus est (v. supra pag. 83. not. m.; cfr. pag. 136). Die 26 Novembris coronatus est (v. supra pag. 140, not. e.). t) Hoc in mense Januario an. 1498 accidit. Steno Sture regem usque ad Halmstad prosecutus est (v. Allen de tre Nord. Rigers Hist. I. p. 159). u) I. e. anno 1501, cujus de eventibus cfr. Reimarum Kock supra pag. 247. v) Presertim Hemmingus Gad, electus Lincopensis. x) Die 11 Augusti rex Holmiam reliquit (v. supra Tom, I. 2. pag. 333). y) Hoc nullo alio loco memoratur, neque verisimile videtur, regem, si ita fuisset, defensionem urbis uxori traditurum fuisse. z) Chronicon Rythmicum Danicum (supra pag. 137) etiam de insidiis Stenonis Sture loqvitur. Rex ipse idem narrat (cfr. Allen l. c. I. pag. 177 et 637, not. 30). a) Sc. anno 1502.

Digitized by Google

aut quascunque merces hostibus suis importaret b). Idem [ɔ: Item] rex Scotiæ, Danorum regis ex germana nepos, misso per maritimas urbes honorato nuncio factitabat, sanguinis nodum, fœderis societatem ad auunculum cunctis denuncians. Adoritur igitur rex auxilio Scotorum hostes suos Suecos. Sed tanta se multitudine in arma contulerunt, ut multis millibus exsuperarent venientem. Monitusque [est] a nonnullis, qui regi fauebant, nisi quinquaginta millibus fortior veniret, nihil illi sperandum. Leuibus aliquando præliis concursum est: sed exercitibus totis non conflixere c). Traxere Sueci secum in rebellionem Noruagios multos d). Cæterum inuenti sunt in illa gente, qui fidem regi suo implerent, passi obsideri e). In quibus spectata fides militis, qui ante annos aliquot, regia dictante sententia, manum perdidit: et iamnunc sollicitatus, etiam armis impulsus, flecti a fide non potuit f). Sed iam voluminis huius modum impleuimus.

Liber VI.

Cap. I. — Filius regis Christiernus, auitum referens nomen, primis tum in armis detonuit. Is agmine in Noruagiam ducto, soluit Suecorum obsidionem g), quasdam arces iam a Suecis insessas expugnauit æquauitque solo h), magnis animis paterna bella gerens, sublimi omnium spe, quod futurus sit multis ad prælia regibus fortunatior. Fabulam passim circumferunt, eamque miris fauoribus efferunt. (*Hanc fabulam omisimus, quia nos non attinet. Narratur, quomodo olim rex quidam Daniæ in Scania venans sibyllam offenderit, quæ ipsi bellicam gloriam Kristierni secundi prædixerit*).

Cap. II. — Suecia interim rebellionem suam prosequitur. Ciuitas Stockholm aliquandiu in fide regis permansit: arx cui inerat regina, cum Germanorum manu in tuto erat, quandiu superfuere commeatus. Oppidum diu a Suecis oppugnatum deditur, cum sibi timeret a fame. Arcis custodes cum cibis et potibus uterentur incommodius, cæperunt ægre spiritum ducere, multis per tempora morientibus. Cumque spes propinqua [ɔ:longinqua esset] de rege liberaturo obsessos, et ad paucos redacti essent custodes, reginaque i) ab illis foemineo decori non magnopere timeret, dedita est arx quoque Sueciæ proceribus k). Regina, ut erat religiosa foemina, postulauit admitti in monasterium b. Brigittæ, Wasten vocant. Ibique intenta deuotioni, mansitabat aliquot annis: donec minis cardinalis legati Raymundi, et opera consiliarium [ɔ: consularium] doctorum de Lubeca, qui eo missi fuerant, persuasum, ut proceres regni inclinarent ad tractatum extra fines regni ineundum in una urbium Pomeraniæ. Horum opera regina educitur, et in regnum reuertitur l), cum interim Sueciæ proceres proximo anno ad coetum consentirent. Sed increuit nouitas m). Nam oppidum Calmer n) cum arce, quam rex tenuit in confinio Daniæ, a Suecis oppugnatur: rex aduolans tutatur o). Ita rebus ad bellum renouandum intentatis, conuentus omittitur. Moritur interea Steno miles, regni gubernator p): qui ubi nimium auscultauit ecclesiasticis, miscuit fas atque nefas, cum vero qui recte senserunt de rebus euigilarunt, placuitque in commune, ut de communi consensu procerum ex tribus regnis treugæ firmarentur per integrum annum. Interea deligitur locus in Calmer q). In eam conuenturi sint cum rege a singulis regnis oratores, cum plena de summis rebus potestate acturi. Ibi veteres querimoniæ singulorum excutientur, statueturque, quod ad perpetuæ pacis et tranquillitatis commoda videbitur pertinere. In ea expectatione hodie res conquiescunt. Lubecenses nauigant in Sueciam intrepide, gratiam regis necdum ad plenum assecuti. Pactis conditionibus stetisse non putantur. Ipsi quos habuere promissorum sibi factorum fideiussores, exactissime ad assem usque emunxere r).

b) Cfr. Reimarum Kock in anno 1502 supra pag. 248. c) Eventus anni 1502 aliquid obscure depinguntur. Obsessio Holmiæ lib. VI. cap. II. describitur. Scriptor utroque loco omnino omittit, Johannem in mense Majo Holmiam versus vela fecisse, sed non prius, quam arce jam dedita, illuc pervenisse (v. supra pag. 84.). De levioribus certaminibus hujus anni cfr. Allen de tre Nord. Rig. Hist. I. p. 308. d) Præsertim Kanutum Alfsson militem (e gente Svecana "Tre Rosor" appellata), de cujus inimicitia cum Johanne rege et impugnatione in arces Norvegiæ facta legentes inspiciant Allen l. c. pag. 258—261, 265—279. e) I. e. obsidiones potius sustinuerunt, quam regem deseruerunt. f) Hic scriptor forte in errorem incidit. Nullus alius fons tale aliquid memorat. Omnes arces, quas Kanutus Alfsson aggressus est, deditæ sunt, excepta Bohus, in qua Henricus Krummedige capitaneus erat; et hunc celeberrimum virum, regis intimum amicum, nullo tali supplicio affectum esse, certum esse videtur. g) Sc. arcis Bohus, quam Kanutus Alfsson obsidebat. h) Hic arces Elfsborg et Öresten respiciuntur, quas Kristiernus d. 18 Julii et 10 Augusti expugnavit (v. supra Tom. I. 1. pag. 81, 82 et Allen l. c. pag. 270—275). i) Sic ed. 1580. Nostra male: reginæque. k) Pactione jam d. 6 Maji facta, die 9 Maji 1502 Sveci arcem intraverunt (v. supra pag. 248 not. z.) l) De studiis urbium Hanseaticarum et cardinalis legati, ut regina liberaretur, deque ipsius in Daniam reditu cfr. Reimarum Kock supra pag. 248, 249. m) Hac insolita dictione scriptor dicere velle videtur, inopinatum aliquid e parte Svecorum factum esse. n) Ed. male: Calmec. o) De hac obsidione fontes fere nihil memorant. In Collectionibus Erasmi Ludovici (supra pag. 85) legitur civitatem Kalmar d. 12 Martii an. 1503 obsideri coeptam esse et d. 9 Maji expugnatam. Chronicon Rhythmicum (supra Tom. I. 2. pag. 199) narrat, Johannem regem ipsum defensioni interfuisse. Ille autem demum in posteriore parte æstatis cum classe Kalmarniam advenit et tunc ex illa et arce urbem a Svecis obtentam tormentis vexavit (v. literas Nicolai Claesson d. 28 Augusti an. 1503 datas apud Styffe, Bidrag t. Skand. Hist. IV. p. 347. p) Die 13 Decembris an. 1503 (v. supra pag. 250, not. x). q) Ed. male: Calmec. Legati Sveciæ cum Johanne rege d. 18 Maji an. 1504 pactionem inierant ea conditione, ut consiliarii trium regnorum in initio mensis Junii an. 1405 Kalmarniæ convenirent, ad quod tempus inimicitiæ cessarent (Hadorph l. c.). r) De severitate, qua Lubecenses pecuniam ex illis, qui Johannis regis sponsores in foedere d. 29 April 1503 facto fuerant, exegerunt v. Allen, De tre Nord. Rig. Hist. I. p. 331. Cfr. infra Krantzii Daniam lib. IX. cap. II et III.

Digitized by Google

2. *E. Dania.*

Lib. VIII.

Cap. XLI. — s) Secuta sunt tamen proxime illa tempora, quibus ad eius cladis vindictam cum rex peruenire non posset, iuuentus per Holsatiam, quorum pars [ɔ: patres], auunculi, patrui, [con]sobrini illa clade perierunt, atrocibus minis victores insectantur, polliciti, cum primum per ætatem arma ferre poterunt, si occasionem nacti fuerint, quod facile sperant, [et] ducem, ultores se futuros paternæ ac consanguineæ necis. Interim vero Sueci ubi audiere regem a minori populo retroactum, pudere cœpit illos ignauiæ suæ, quod cessissent armis, quæ a rustica plebe contrita memorare[n]tur. Igitur conspirauere, rebellionem meditantes. Rex ipse cum speraret beneuolentia potius quam seueritate regnicolas in fide continere, regno decedens, reginam in regia dimisit (quam multi prægnantem rebantur), ut in regno parturiens indubitatum illi daret hæredem. At ea spes vana fuit. Abiens vero, regni gubernatorem, dominum Stenonem stare in litem t), in omni honore et administratione confirmauit, eaque secum semper esse voluit familiaritate, ut inuitatus regem in regnum comitaretur Danie. Inde honoratus ac muneratus, rediit in Sueciam u). Sed gentilis feritas populum non reliquit, quum exagitaret eum pudor, quod victus cessisset armis. Dolis rem agere constituerunt. Vocatur rex, ut in regnum reuertatur, obiecturus se Russis, quorum excursionem nunciatam accepisset v). Nihil opus fore armis a Dania producendis, solo illos indigere principe, vires armorum regno non deesse, copiosos esse in Suecia milites Russis repellendis, si caput accederet multitudini armatæ. Rex eam [rem] non carere ratus insidiis, noluit tamen de perfidia patenter suspicari, sed paucis contentus, in Sueciam nauigauit. Venientem cum qualicunque comitatu paucorum ad custodiam corporis militum contempsere et sæpe mutato conueniendi loco, suspicionem iniecere regi, non esse sinceram et integram illorum in regem se [ɔ: suum] deuotionem w). Aliquot locis congressus x), tergiuersantes deprendit, quærentes occasionem nescio quid agendi. Rex aucta in se maleuolentiæ suspicione, non se illis credidit, sed quomodo potuit, manibus eorum se subtraxit y). Erupit deinde manifeste rebellionis audacia, cum literis missis accusarent aut regem, aut regios in regno procuratores et officiales de non impletis ex fide promissis z). Reginam deinde in arce Stockholm circumsistunt, oppugnantes et ciuitatem et arcem. Urbe potiti sunt post plurimum laborem, arcem expugnare armis haud poterant a). Fame tentarunt et profecerunt temporis diuturnitate, cum milites arcis propugnatores ex inedia et omnis generis incommodo cibo morbum contraherent, unde magna pars interiit. Arce dedita, reginam deduxere in monasterium Wasten diuæ Brigittæ. Duobus pene annis in libera habuere custodia, donec misso in eam rem nuncio, [qui fuit] D. Raymundus de latere legatus apostolicus, tituli S. Mariæ nouæ presbyter cardinalis, una cum legatione consularium virorum de Lubeca, de illorum manibus eriperetur, ac in regnum Daniæ cum honore reduceretur b).

Liber IX.

Cap. I. — Rex interim Daniæ, Sueciæ, Noruagiæ Joannes, multiplici Suecorum perfidia infestus, arma in illos edomandos et ad iuga reducendos comparauit mouitque in hostes ac rebelles. Erant nonnulli intra regnum fideles viri, quos puduit fraudis et rebellionis in regem, qui etsi sanum saperent, victi tamen longe maiori numero rebellium quiescebant. Quod poterant, regem admonuere, perduelles ea multitudine esse in armis Suecos, quod nisi quinquaginta millia duceret armatorum, nihil profuturum eius aduentum c). Factæ sunt aliquot in aduersarios excursiones et levia prælia, sed tum ire d) copias reduxit. Innotuit perinde regi esse occultam intelligentiam inter primarios utriusque regni, qui missis invicem nuntiis magnæ in caput regium proditionis crimen molirentur. (*Jam interfectio Pauli Laxman, consiliarii Daniæ, describitur* e)).

Cap. II. — Cum interea regina, in contumeliam regis, in Suecia detineretur in libera quidem custodia, sed quæ abire non sineretur, pro obside habita. Sed in quos usus? cum intentata rebellione regios omnes regno perturbassent, mouissentque vicina regna, ut ea quoque nonnihil in regem intentarent. Et Dania,

s) In cap. 39 scriptor paucis verbis expeditionem Johannis regis in Sveciam an. 1497 memoravit, legentes "ad id quod in Svecia diximus" relegans. In cap. 40 expeditio regis in Dithmarsiam describitur. t) Enuntiatio est corrupta. Pro *stare* certe *Sture* legi debet; *in litem* forte ad *in fide* mutandum est. u) Krantzius temporum ordinem transponit. Johannes rex reginam in Svecia reliquit an. 1501, cum propter defectionem Svecorum in Daniam profectus est, non autem, cum anno 1498, Stenone Sture comitante, in Daniam rediit; supra in Svecia (v. pag. 282). res recto ordine exposuit. v) Regem ob tractationem cum Ruthenis iter in Sveciam ineunte anno 1501 fecisse etiam alio loco dicitur (v. literas aliquot consiliariorum Sveciæ d. 13 Aug. 1501 Holmiæ datas (Hvitfeldt, Kong Hansis Chrönicke in 4:to pag. 177—179). De postulatis Ruthenorum cfr. Grönblad, Nya Källor t. Finl. Medelt. Hist. n. 66, 68 et 72). w) De insidiis, quas rex suspicabatur, cfr. Sveciam supra pag. 282 not. z. x) Bis rex et consiliarii Holmiæ an. 1501 convenerunt, sc. primum in mense Martio, deinde a fine Maji per sex septimanas. y) Cfr. supra pag. 282 not. x. z) Rex ipse se "alternis diebus" literas minis impletas ab adversariis accipere dicit (v. Allen l. c. I. pag. 203). Cfr. literas apud Hadorph, Rim-Krön. II. p. 372—378. a) Civitas portas aperuit jam die 17 Octobris an. 1501; arx demum d. 9 Maji an. 1502 (v. supra pag, 84, 85 et Tom. I. 1. pag. 77 et 2. pag. 333). b) Cfr. Sveciam supra lib. VI. cap. 2. Non Cardinalis ipse, sed nuntius ejus Sveciam visitavit. c) Pro: profuturus esset ejus adventus. d) Forte "tandem" pro "tum ire" legendum. e) Quæ d. 22 Junii an. 1502 contigit (cfr. Allen l. c. I. pag. 280—289.

Digitized by Google

amisso coniurationis capite, quiescere videbatur. Noruagia autem, (quod in ea diximus f)) instinctu Sueciæ procerum, rebellionem ostendebat. Sed aderat Christiernus, regis filius, pro sua ætate dux acer in armis, et nascentem flammam in sui [ɔ: suo] primordio extinxit g). Cum interea Lubecenses mercatores Sueciam pro sua consuetudine peterent et admoniti a rege, ut ab hostibus suis auxilia ac consolationes retraherent, minusque parerent, regem ad iustam indignationem pertraherent, ut sineret præfectos regionum non illo quo solebat fauore prosequi mercatores. Captæ sunt aliquot naues ab regiis: naufraga bona præfecti in custodia deposuere. Aucta sunt grauamina in diuersantes per regnum Daniæ, quando neque regiæ admonitioni paritum est, nec uspiam appareret, in quo regi (cuius regnis fruerentur ad quæstum) complacarent. Minorata libertas, onera duplicata, naufragia non reddita, aliquantæ naues de mercibus suspectæ Suecorum detentæ, donec causa omnis ad discussionem perueniret. Atque ea res crebrescens exciuit senatum Lubecensem, ut, quoniam literis inuicem missis nihil ageretur, obseruato tempore, cum ex regno non plures [ɔ: complures] naues Danorum, importantes, quæ commeatui urbis inseruirent, essent in portu Lubecensi, ad sequestrum ponerentur. Indigna res visa regnicolis querimoniam apud regem extorsit. Literis res terminari haud poterant. Lubecenses arbitrati tempus esse ad arma respicere, quando belli socios habituri forent Suecos, cætera quoque regna non sine motibus essent; expediunt armamenta, vocant gregarios milites ad stipendia. Concurritur magna peditum alacritate, quod donatiua iusta sperarent et licentiosam prædam ex regnis. Interposuit se medium regis germanus Fridericus dux Sleswici et Holsatiæ h). Diu causa ventilatur, et videbantur Lubecenses ad arma promptiores. Sed dum ille treugas confecit, nuncios mittit intermedios. Intererat de latere legatus cardinalis, qui tum agebat in provincia Germaniæ, dominus Raymundus T. S. Mariæ presbyter cardinalis.

Cap. III. — Is cum Lubecam venit, nihil duxit antiquius quam eximere belli necessitatem perfecitque, ut res componerentur pace sequestra i). Adiuuabant illum illustres principes et domini, Magnus Magnopolensis, et Fridericus Slesuici ac Holsatiæ duces: capita autem pactionum literis domini cardinalis firmabantur ad memoriam. Factique sunt fideiussores idem dominus Fridericus dux et militares Holsatiæ non pauci, polliciti per literas, quod, nisi omnia ex fide impleantur ad constitutum diem, ipsi Lubecam reuertantur, inde non egressuri, donec ære numerato capita conuentionis compensentur. Erat disputatio inter Lubecenses ac memoratos vades, arbitrantibus de sua parte Lubecensibus, quod memoratus dux Fridericus cum aliis se obstrinxisset rediturum in eam urbem, e diverso contendentibus memoratis Holsatiæ militaribus, aliud esse caput in literis, quo ipsi loqui incipiant, diuersum ab eo, in quo princeps ab initio locutus, sermonem suum conclusit. Idque parati sint subjicere iudicio iurisperitorum k). Rex interim, cum et ille preferat [ɔ: præ se ferat] Lubecenses non impleuisse pacta conuenta, non festinat eximere damnis et oneribus fideiussores suos.

Is est rerum status in hodiernum diem, anni qvarti post mille qvingentesimum, ad principium mensis Maji, quo hæc scribebantur. Quo tempore regina Daniæ, iamdudum opera memorati cardinalis legati, ante proximam brumam (accedente legatione Lubecensium, qui ex constituto consulares viros miserant, ad interpellandos regni proceres super regis sui in regnum susceptione ac super omni controversia) manibus l) Suecorum erepta, in regnum suum deducebatur m). Lubecam venit, vota in Sterneburg n) ac Wilsenaco o) solutura, simul visura filiam, quæ per absentiam et diuturnam eius captiuitatem nupta illustrissimo D. Joachimo, marchioni Brandenburgensi, principi electori, matri ex constituto occurrerat p): votique facta compos redierat per eandem Lubecam in regnum præter multorum opinionem. Nam erat loqvax fama, satietate Daniæ plenam regnum non revisuram. At illustris foeminæ religiosa fides et filiorum amor non sinebat in cor eius aliud ascendere, quam quod honestas ipsa et fides coniugalis deposceret.

3) E Wandalia.

Lib. XIIII.

Cap. 29 q). — Lubicenses mercatores iam diu favorem nullum sensere in Daniæ regno, quum naufraga bona non redderentur iustis dominis, et nonnullæ naues captæ cum mercibus non restituerentur, insuper immunitates mercatoribus in regno dudum permissæ et indultæ male seruarentur, quum magna rerum pars

f) Hoc vero in "Norvegia" non reperitur, in qua scriptor in anno 1500 subito narationem abrumpit. Editor ibi hæc obscura verba addidit: "Hic auctor defecit. Et rerum statum descripsit usque ad initium mensis Maji ad annum Christi 1504". Krantzius forte "Norvegiam" lapsu calami pro "Svetiam" scripsit. g) De sequenti regis et Lubecæ discordia cfr. infra excerptum ex Vandalia. h) De sequenti pacis actione, quæ Lubecæ in mensi Aprili an. 1503 facta est et cui Krantzius ipse interfuit v. Allen l. c. I. p. 322, sqq. i) Exspectares: ut controversia de seqvestratione pacifice componeretur. k) Cfr. hic verba Krantzii supra in Svecia, lib. VI. cap. II. "Ipsi (Lubecenses) quos habuere promissorum sibi fidejussores, exactissime ad assem emunxere". l) Editio male: nauibus. m) De mediatione Cardinalis et Lubecæ deque reditu reginæ in mensi Novembri an. 1503 v. supra lib VIII. cap. XLI in fine, Sveciam lib. VI. cap. II. et Reimarum Kock supra pag. 248, 249. n) Locus in medio ducatu Magnipolensi. o) Vide pag. 227, not. b. p) Hæc peregrinatio reginæ in menses Martium et Aprilim an. 1504 incidit (v. Allen l. c. I. pag. 340—342. q) Scriptor proxime supra de iis, quæ in Frisia anno 1500 evenerant, narravit.

Digitized by Google

clam rege et eius iniussu (quod postea apparuit) ageretur, querulantibus autem non tam prompte de iustitia satisfieret, quia rex suspicione in Lubicensem senatum non vacaret, per illum occultis agi machinationibus, ut Sueci minus parerent, magis autem rebellionem regi ostenderent. Novissime, quum iam rex missis in Lubecam oratoribus, pontifice r), milite ac viro militare, insinuaret illis perfidiam in se procerum Suecie, quibus dolis et insidiis pertentassent vitam illi eripere, qua vi et iniuria reginam conthoralem detinerent, his rebus cogi regem arma in illos parare, hoc vicinitatis affectione deposcere, ne regno inuehant commeatus, id si minus putaverint regiæ dandum amicitiæ, sciant pro hostibus se habiturum quoscunque in mari invenerit hostibus robur inuehere. Ubi quum Lubicenses obtenderent causam ad se non pertinere, nec sibi placere rebellionem Suecorum, aut regis in personam et regine collatam iniuriam, cæterum mercatores, omnibus rebus neutrales, incolumem habere navigationem fas et iura sinant, regii oratores mandata sua renovant et abeunt. Idem [ɔ: Item] non diu post ex Scotia missus a suo rege miles, per omnes maritimas urbes publicabat, regi suo esse in animo, avunculum suum, Daniæ regem, ab iniuriis Suecorum vindicare: proinde si quis inuentus sit, qui arma, commeatus aut res ullas solatio Suecorum importet, pro hoste habendum. Mercatores magno se rerum detrimento queruntur arceri, quia habeant merces et pecunias et socios mercaturæ suæ in regno. Rex iubet asseruari mare. Apprehensa est Lubicana navis de Livonia civitate Rigensi denavigans. Ea ab regiis capitur, quia dicerent merces vectare Suecicas. Magnus in urbe civium clamor exoritur, senatum nimiam prætendere ad iniuriam civium patientiam; aliter sensurum, si illorum privatas opes rex inuaderet. Missæ ad regem literæ, missi nuncii. Quum nihil impetrarent, observatum quo tempore Dani multis eorum nauibus in portu essent Lubicensi; omnes sub arresto ponuntur: nautæ et mercatores, porrecta dextera, pro captivis, donec laxentur, habiti. Ubi pernotuit res in Daniam, mirati sunt multi, cur id paterentur, qui commeatus omnes urbi inueherent. Sed tamen, qvia res aliter ad iustum tractatum perduci posse non videbatur, fecerat senatus quod a ciuibus velle cogebatur. Interim vadunt et redeunt literæ inter regem et urbem; et cum nihil amicum hinc atque illinc resonaret, parantur arma in inuicem. Primi Lubicenses accipiunt gregarios pedites undecunque accurrentes. Malignum genus vulturio olfactu sentit, ubicunque parantur cadavera. Conscribunt nauticum populum, aliquanta millia. Inserit se rebus primum distinendis, inde (si fieri potest) etiam componendis dominus Fridericus, Sleswici et Holsatie dux, germanus frater regis. Vadit in urbem suo stipatus concilio s): incipit causam pertractare. Sed illas tum voluere Lubicenses conditiones, quas dux neque expromittere neque ad effectum perducere fideret. Fiunt utrinque, quum nihil concluderetur, protestationes ad effectum, ut quæque pars iusti speciem obtenderet. Aderant enim pro parte regis nonnulli ex terræ primoribus. Sed qvoniam amborum principum unum est per Holsatiam concilium procerum, quicquid mediatoris officio dux interponeret, ita est acceptum, quasi ex altera parte sonaret. Unde factum est, ut nihil inter illos tum ageretur. Ita tamen disceditur, quod, si regi videretur, iterum super iisdem rebus conuenirent. Missus ex primoribus unus t), qui regem doceret super iis, quæ essent in cœtu ventilata.

Cap. 30. (*Initio capitis scriptor adventum Cardinalis Raymundi Lubecam enarrat, deinde conventum pacis ibidem et controversias inter legatos regis Daniæ et urbes Hanseaticas*) u). Caput erat omnium rerum, si Lubicenses Suecia abstineant, donec perduelliones ad iuga cogantur. Id difficile visum mercatoribus, magnam rerum suarum partem tenentibus in Sueciæ regno. Demum in has leges utrinque consentiunt, ut naue onerata v) in Sueciam mittant Lubicenses ex suis consulares oratores, qui reginam e manibus eorum extrahant persuadeantque regni proceribus, ut ad pacis tractatum occurrant in diem Laurentii in urbe Sundensi. Mittit quoque reverendissimus dominus cardinalis nuncium specialem ad liberandam reginam x).

r) Jens Andersen, episcopus Fioniensis. Allen (l. c. I. p. 211) hanc legationem ad initium anni 1502 refert. s) Primus adventus Frederici ducis Lubecam ad mensem Martium an. 1503 pertinet (v. Allen l. c. I. p. 315). t) Johannes Rantzau officialis in arce Segeberg (Allen l. c.) u) Cfr. supra Daniam lib. IX. Cap. II. v) Forte: ornata; cfr. Reimarum Kock supra pag. 249. x) Cfr. Reimarum Kock supra pag. 249.

Digitized by Google

XXX.

Ex Genealogia Doberanensi excerpta.

Ex Diplomatario claustri Doberanensis in membrana scripto, quod archivum magni ducis Megalopolensis hodie possidet, ill. G. C. F. Lisch eam in *Jahrbücher des Vereins für Mecklenburgische Geschichte, Tom. 11, Schwerin* 1846, edidit. In duas, forte tres partes, dividi potest. Prima enim manus in annotatione anni 1363 in his verbis »Magno quondam rege Sveciæ» consistit; et ex quodam dicto *) videtur, scriptorem ante annum 1375 hæc composuisse. Secunda manus solum duas sequentes lineas »Porro dominus Johannes — — — Rodolphum et Albertum» annotavit. Deinde tertia manus, quam Lisch eandem ac secundam esse putat, quamvis illud pro certo affirmare non audeat, sequentia usque ad finem scripsit, quod paulo post annum 1400 fecisse videtur **). In iis igitur, quæ ut ad nostram historiam pertinentia excerpsimus, scriptores suæ ipsorum ætatis eventus aunotaverunt. Lisch priorem partem fortasse eam ob causam compositam esse putat, ut Kirchberg in Chronico Rhytmico (quod infra excerpemus) conscribendo ejus subsidio uteretur. Etiam postea non ignota mansit, nam Nicolaus Marescalcus (ex cujus »Annalibus Herulorum» infra nonnulla edemus) multa ex hac genealogia aperte hausit. — Una cum hac genealogia Lisch alteram quoque, Parchinensem appellatam, edidit, quæ genealogiæ Doberanensis primam partem descripsit et nonnihil mutavit, sed duobus tantum locis exceptis, quem in notis nostris apte inserere potuimus, nihil, quod nos attinet, comprehendit.

*) Johannes de Werle-Goldberg, qui an. 1375 obiit, "adhuc superstes" dicitur. **) Ultima annotatio narrat, Johannem ducem, filium Magni, Alberti regis fratris, uxorem duxisse (quod an. 1398 contigit) "de qua filium Magnum cum filiabus generavit".

— — — Iste dominus Albertus habuit tres filios a): Hinricum, Albertum et Magnum, quos genuit sibi uxor sua Eufemia, soror domini Magni, quondam regis Suecie b).

Huius filius dominus Hinricus habuit vxorem dominam Ingeburgem, filiam domini Woldemari, regis Danorum c), de qua genuit filium nomine Albertum d) cum duabus filiabus.

Porro dominum Albertum, fratrem eius, pater suus dominus Albertus senior introduxit e) in regnum Suecie anno domini MCCCLXIIIo circa festum beati Martini f) manu valida et constituit ipsum regem Swecie pro awunculo suo domino Magno, quondam rege Swecie.

g) Porro dominus Johannes, dux Magnopolensis et Stargardensis, frater domini Alberti h), genuit quatuor filios, videlicet Johannem i), Ulricum, Rodolphum et Albertum k), ex quibus Rodolphus factus fuit episcopus Scharensis in Gothia l), postmodum vero, Johanne Junghen electo Zwerinensi prodiciose a suis familiaribus interfecto, idem dominus Rodolphus postulatus fuit in episcopum Zwerinensem et per dominum Bonifatium papam nonum translatus. — — — — — — — — — — — — — — —

a) Genealogia Parchinensis addit: "et duas filias, Yngeburgem, quam desponsavit Romano marchioni Brandenburgensi et Annam, quam comiti Adolfo desponsavit". — Ingeburgis post mortem Ludovici Romani (an. 1365) Henrico ferreo, comiti Holtzatiæ nupta est. b) Albertus, filius Henrici Leonis, qui obiit 1329, an. 1336 in vere Eufemiam uxorem duxit (v. Detmarum supra pag. 184); parentes utriusque hoc matrimonium jam anno 1321 transegerant (v. Styffe, Bidrag t. Skand. Hist. I. pag. 2). Albertus obiit an. 1379. c) Pactio matrimonialis d. 23 October an. 1350 in Tornborg scripta est (v. Munch, Norges Historie V. pag, 496). d) Ille qui post mortem Waldemari (an. 1375) regnum Daniæ sibi vindicare conatus est (v. supra Detmarum p. 187 et Libellum Magnopolensem pag. 198, 199. e) Geneal. Parchinensis habet: . . . "Albertum . . . desponsavit cum Rixa filia Ottonis comitis in Swerin et introduxit" . . . Paulo supra ibidem dicitur, Albertum seniorem "post obitum Ottonis, comitis in Zwerin, qui non habuit filium, sed tantum duas filias Rixam, uxorem Alberti, noui regis Suecie" comitatum Zwerinensem anno 1359 emisse. — De Rixa cfr. supra pag. 278 not. c. f) Die 11 Novembris. D. 10 Novembris expeditio Warnemunde profecta est, d. 29 Nov. ad Holmiam venit (v. supra pag. 195, not. d. et f.). g) Hinc secunda manus, ut in præfatione diximus. h) Scilicet Alberti senioris, patris Alberti regis. i) De hujus expeditione in Sveciam an. 1391 v. Detmarum supra pag. 190. k) Hinc tertia manus (forte eadem ac secunda), quæ paulo post an. 1400 scripsit. l) Post obitum Torstani episcopi, qui contigit an. 1386, electus est episcopus Scarensis, in proelio d. 24 Februarii an. 1389 prope Falköping captus, mox liberatus est et Sveciam exeunte anno 1390 vel ineunte anno 1391 reliquit atque episcopatum Sverinensem accepit (v. proxime infra et sect. II. pag. 11.)

Digitized by Google

Post cuius obitum m) Albertus rex Zvecie, eo quod dominus Magnus (anno domini M° CCC° LXXXV° in die sancti Egidii) n), eius frater, eciam decesserat et unum filium dominum Johannem et unicam filiam Eufemiam, que domino Balthazar domino de Werle, vxor fuit tradita, reliquerat, terram Magnopolensem regendam accepit, quo hic moram faciente o) Margareta, regina Dacie, confederata Sweis, fecit obsedi Axewalde in Swecia p), Albertus vero rex soluturus huiusmodi obsidionem cum exercitu suo, in quo erant Ericus dux Magnopolensis eius filius, Rodolphus dux Stargardensis et episcopus Scharensis, Albertus Holtzacie q) et Guntherus in Lyndow comites r) et alii multi nobiles militares, quos dictus rex de bonis monasteriorum et ecclesiarum fecit expeditos, ad Zweciam nauigio se transtulit et congressione facta idem rex cum omnibus suis in manus inimicorum suorum tradebatur (anno domini M° CCC° LXXXIX° in die sancti Mathie) s) et cum filio suo fere ad septem annos captiuus in Dacia tenebatur, post quos amisso regno Zwecie libertati fuit restitutus t), qui mox filio suo Erico filiam domini Buggizlai ducis de Wolgast matrimonio copulauit, et sibi dominam Aguem, sororem Frederici, Bernardi et Hinrici ducum in Brunswik et Luneborg vxorem accepit u), de qua vnum filium nomine Albertum procreauit.

Filius vero eius Ericus ad recuperandum regnum patris amissum cum vxore sua et milicia transiuit ad insulam Gothlandie, quam feliciter cum ciuitate Wisbū optinuit, sed ibidem in breui tempore moriendo vite cursum consumauit v).

m) Sc. illius Alberti, qui in nota d. memoratur; obiit an. 1388. n) Die 1 Septembris. o) Adhuc in Decembri an. 1388, v. supra pag. 188, not. a. p) In Vestrogothia (v. Detmarum ad an. 1388 supra pag. 188). q) Filius junior Henrici Ferrei comitis. Etiam in sequenti pugna captus, mox liberatus est (v. supra pag. 189, not. i.) r) Etiam comes in Reppin erat, quare commentatores interdum ex illo duas personas fecerunt. Adhuc in anno 1394 in captivitate servabatur (v. supra pag. 191, not. i.). De ejus cum Alberto rege cognatione, vide Munch, Norges Historie. VI. pag. 313 not. 2. s) Annus et dies eadem manu in margine ascripti sunt. Proelium d. 24 Februarii, ut hic dicitur, prope Falköping iu Vestrogotia commissum est (cfr. fontes supra pag. 188, not. y allatos). t) Anno 1395 in Septembri in conventu Helsingburgensi Albertus tandem liberatus est (v. supra pag. 192, not. r.). u) Hæ nuptiæ in Februario an. 1396 in Swerin sollenniter celebratæ sunt (v. primam continuationem Detmari supra pag. 203). v) Obiit anno 1397; de die obitus cfr. supra pag. 204, not. e.

XXXI.

Ex Chronico Rhythmico Magnopolensi Ernesti de Kirchberg excerpta.

Hoc chronicon semel tantum »e codice membranaceo eoque autographo, quem inter cimelia adservat archivum ducale Swerinense» apud Westphalen, Monumenta Inedita etc. IV. pag. 593—840 typis impressum est, quam editionem igitur, quamvis haud parva incuria factam, hic sequi coacti sumus. Scriptor ipse in ingressu *) (pag. 595) se hoc chronicon rogante Alberto duce (patre Alberti regis) anno 1378 conscripsisse ejusque in conciunatione alia ex Chronicis Helmoldi, Romanorum, Saxonum et Danorum alia ex ore multorum hominum collegisse dicit. Ex verbis ejus pæne suspicandum esset, ipsum primum in Latino sermone scripsisse et deinde opus Germanice vertisse, nisi forte id solum exprimere voluerit, se ea, quæ ex Latine scriptis fontibus hauserit, Germanice reddidisse **) Præter fontes ab ipso allatos etiam Genealogia Doberanensi usus esse videtur, quæ paulo ante scripta, fortasse ea ipsa causa, ut illi in hoc chronico conficiendo subsidio esset, composita est ***). Earum vero rerum originem, quas, ut nos attinentes, excerpsimus, neque ex illa genealogia neque ex aliis notis fontibus repetere potuimus. Si aliqua, et ea tamen exigua, similitudo inter hoc chronicon et Annales Lubicenses vel Chro-

*) Ubi suum nomen "Ernst von Kirchberg" ipse affert. Lisch demonstrare conatus est, eum, quamvis lingua superioris Germaniæ usus sit, tamen e gente Magnopolensi fuisse (vide *Jahrbücher für Mecklenb. Gesch.* XII. 39—58). **) In eadem enim pagina 595 legitur: *dyt buch so wart irhabin dutsch uz Latinischen buchstabin* . . . et paulo infra *du bestund ich kunsten fry dyt buch zu puren und zu fynen dudisch gar uz den latinen*. ***) Vide Lisch in Jahrbücher f. Meckl. Gesch. XI. p. 4.

Digitized by Google

nicon Detmari (quæ supra sub n. XXII et XXIII excerpsimus) hic et illic deprehendi potuerit, ejus tamen generis est, ut remotum communem fontem, si talis exsistat, indicare non possimus. Uno tantum loco (v. in fine excerptorum de deditione Stegeburgi et Magni domicelli supplicio) communem cum Continuatore Saxonis (supra p. 125) fontem habuisse videtur. Ceteroquin ex ignotis fontibus sua sumsit; quæ de morte ducum in carcere apertis fabulis ornata tradit, forte carmini populari cuidam, hodie deperdito, debet; et fieri potest, ut tale opus respiciatur, cum hoc flagitium describere incipiens, dicit: *Dar von dy Cronike sayd behende, sayd eynen teyl und nicht zu ende.*

Opus ejus pro dolor! non integre ad nos pervenit; omnia, quæ historiam Alberti ducis attinuerunt, hodie perdita sunt. Ad extremum animadvertere volumus, nos, quoad potuimus, interpunctionem efficere studuisse; in editione Westphalii ea omnino deest, ubi singuli solum versus incisis invicem separantur.

Cap. CXXIX. — — — — — — —
Darnach yn dem nebisten jar a)
frow Sophya starb virwar b),
Schwedisch geboren von Königes lib,
des jungen Hinrich Burwinis wib c),
und wart mit ungehabin d)
zu Doberan begrabin.
— — — — — — — — — — —
Cap. CXL. Nach der Beheymischen reyse e)
irhub sich nuwe freyse f)
zu Sweden daz wart offinbar,
der könig und syne brüdere gar
czweytrechtig worden ungelogin g);
ir czwene waren herczogin,
Erich und Woldemar,
den könig den hiez Beringar h).
König Birgir mechtig was,
des trugen die brüdere groszin haz,
sy warin darüm czweytrechtig,
den könig was in vil zu mechtig:
Der Thenische könig Erich
gab im syn swestir löbelich i),
darvon syne kint vil edeler sint,
wan synre andern brudere kint.
Sich hatte herczoge Woldemar slechte
gewybet us eyme andirn geslechte,
des Swedischen marschalkes tochter gar
hatte herczoge Woldemar k);
den her in kortzir zid darna
inthoubidte von dem liebe da l).
Von Werle hern Nyclaws tochtir sich
solde nemen herczoge Erich m),
sy was zu jung der jare,
dy herczogen beyde czware n)
der eyne der virliz syn wib o)
dem andirn virsmahete der jungen lib,
sy wolden ouch me adels phlegin p).
Erich wybete sich geyn Norwegin,
des königes tochtir im da wart,
Ingeborg hiez irs namen vart;

a) Anno 1252, quia scriptor proxime supra Lubecam incendio an. 1251 vigilia s. Viti vastatam esse narravit. Annus autem rectus esse non potest, cfr. infra not. c. b) *Für wahr*, certo. c) Commentatores hujus Sofiæ obscuram originem explicare diu conati sunt, sed frustra. Henricus Borwinus (tertius ejus nominis, dominus de Rostock et filius Henrici Borwini secundi, qui an. 1226 obiit) in literis originalibus d. 24 Aprilis an. 1241 datis donum *pro felici memoria quondam uxoris nostræ, dominæ Sophiæ, filiæ regis Sveciæ*, dat (Meklenb. Urkund. Buch, I. n. 527). Sed sub literis ejusdem Henrici d. 15 Februarii an. 1237 scriptis secretum ejus pendet, cujus in aversa parte aliud sigillum est impressum hac inscriptione: *Sig. dominæ Sophiæ de R...ok*, insigne vero Sofiæ tres leopardos i. e. insigne regni Daniæ profert (l. c. num. 463). Quam ob rem omnes Sofiam e domo regia Daniæ ortam esse putaverunt. Sed omnes domicellæ Danicæ hujus nominis aliis principibus nuptæ fuerunt (Sofia filia Valdemari I^{i} jam an. 1281. Sigfrido de Orlamunde nupta est, v. Molbech, Histor. Aarböger I. p. 48; Sofia, filia Vald. II^{i}, uxor Johannis I^{i} marchionis Brandenb:s in primis nuptiis erat, l. c. p. 54 et Mekl. Urk. Buch III. n. 2689; duæ Sofiæ, filiæ fratrum Erici Plogpenning et Abelis regum, aliis nupserunt et decetero multo juniores erant), quare tandem critici conjecerunt, Waldemarum III^{m}, filium Valdemari II^{i}, ex quo nulla progenies memoratur, forte hanc Sofiam filiam habuisse. Sed omnino neglexerunt, Vald. III^{m}, qui an. 1229 matrimonium iniit, filiam habere non potuisse, quæ an. 1237 nupta fuerit et ante an. 1241 obierit, relinquens liberos (de quibus cfr. Mekl. Urk. Buch. II n. 959 et 1143). — Fortasse nobis novam conjecturam proferre liceat. Ericus Erici, rex Sveciæ, qui an. 1210, filiam Valdemari I^{i}, uxorem duxit (v. supra pag. 2), forte filiam Sofiam, de avia materna appellatam, habuit; quæ Sofia insigne generis maternæ adhibere potuit, eo magis, si in Dania educaretur, ubi mater Rikiza post mortem viri (an. 1216) versata, an. 1220 obiit. Abel, rex Daciæ, an. 1251 hunc Henr. Borwinum *generum* appellat (Mekl. Urk. B. II. n. 675), quod si nostra conjectura vera est, *consobrinæ maritum* indicaret. Nostri fontes hac de re silent. — Ad extremum observandum nobis est, hoc Kirchbergii dictum a Nic. Marescalco Thurio (v. sequentem num. XXXII.) et a Krantzio in Vandalia (lib. VII. cap. 3) in Henricum Borwinum II^{m}, qui an. 1226 obiit, nullis testimoniis allatis, traductum esse, quam ob rem Lagerbring respectu temporis hanc Sofiam filiam Karoli Sverkersson regis, an. 1167 occisi, fuisse credidit (Svea Rikes Hist. II. p. 190, not 3). d) Luctus, lamentatio. e) Henricus Magnopolensis cum marchionibus Brandenburgensibus regi Bohemiæ contra Albertum, regem Romanorum, an. 1305, auxiliatus erat. f) Nefas, scelus: Scriptor captivationem regis Birgeri in Håtuna per fratres an. 1306 in Septembri factam aperte respicit (de qua cfr. supra pag. 109 et Tom. I. 1. pag. 27 et 56 et 2 pag. 32, 33). g) "Pro certo", v. Ziemann, Mittel-Hoch Deutsch. Wörter-B. p. 586. h) Lege: Birger. i) Nuptiæ Birgeri et Margaretæ, sororis Erici Menwed, d. 25 Novembris an. 1298 Holmiæ celebratæ sunt (v. supra pag. 128 et Tom. I. 1. pag. 26). k) Waldemarus dux an. 1302 Cristinam, filiam Tyrgilli Knutsson marescalli, uxorem duxerat (v. supra pag. 177, not. l). l) Tyrgillus Knutsson d. 6 Febr. an. 1306 securi percussus est (v. supra pag. 177, not. m). m) De hujus Rixæ cum Erico duce desponsatione an. 1310 cfr. infra cap. CLXXIII. n) *Zwar*, quidem. o) De divortio Waldemari, quod verisimiliter jam an. 1305 factum est v. supra pag. 181, not. h. p) Scriptor dicere velle videtur, duces illustriora conjugia appetiisse.

Digitized by Google

des königes tochtir von Schottenlandt
herczoge Woldemar nam zu hant q).
Der könige töchtere namen sy,
uf daz ir kint glich edele by
ris bruder kinden weren.
Sy namen mit ungeberen r)
gremisch gar und mit ungemynnen s)
irs bruder wib dy königynnen;
sy fürten sy mit ungeberden
czüschin yn und iren pherden
und twungen sy dy selbin wyle t)
zu loufene eyne halbe myle u).
Do dy bosheit hörte glich
der milde könig Erich,
her wart czorniglich irwegit
um dy bosheyt uz gelegit.
Her besante bald und ernstlich
den von Mekilnborg Hinrich
und bad yn komen rechte
so daz her mit im brechte
vierhundirt gewapint oder me;
das geschach in bedelichir fle v),
her clagete was im geschehin waz
von der Schwedischen herczogin haz,
dy in gehönet hattin sere
an der königyn synre swestir here.
Des königes bede schir geschach x)
von Mekilnborg der Lewe gach y)
brachte im dy benanten schar
geyn Denemarkin ubir gar
und bleyb dar by im lange czid
und half ym rechin synen nyd.
Da her vil ungemachis leyd,
syns willen her doch nicht virmeyd z);
waz her geleyd mit syme here,
doch bleyb her by im vast zur were;
darüm wart her gehöbit werde a)
von dem könige an alle gewerde b);
unsprechlich silbir und golt
her im da gab und waz im holt c).
Der milde könig Erich
geyn Sweden czoch gar mechtiglich,
da vulgete im mit willen so
von Mekilnborg Hinrich Leo.
Manig alder und ouch jungir
da lidden so groszin hungir,
daz den tod da manchir warb,
daz ir hungirs vil irstarb.
Ir nod waz nicht geringe,
sy lagen vür Nycopinge
ses wochin in so groszir nod d),
daz ir vil noch bier noch brod
da empiszin e) yn dem here,
dem hungir zugegin were;
es ist me das doch geschach,
des frischin waszirs ingebrach,
wo mydde solden sy sich labin f),
sy en mochtens nicht gehabin;
des wordin also krank dy starkin,
daz sy musten geyn Denemarkin
czihen wider. Hinder sich
sich rach der könig hesziglich
an der herczogin lande
mit roube und ouch mit brande,
der wart virwüstet eyn groz teyl
von dem könige sünnder meyl g).
Do daz geschach du schreib man war
Dritzenhundirt und nüyn jar
um dy czid, als man vyren mag
des toufers sante Johannis tag h).
Von Mekilnborg her Hinrich
wart da begabit mildiglich
vor syn dinst zu solde
mit silbere und mit golde,
da wart wirdiglich bekant
syn vart wider yn syn lant.
— — — — — — — —
— — — — — — — —
Cap. CLIX. Sich vügete von wundirs macht,
daz sich hub eyn czwytracht
czüschen den swedischen könige slechte
und ouch synen brüdirn rechte,
der eyne herczoge Erich gar,
der andir herczoge Woldemar.

q) Ericus Ingeborgem, filiam Haquini regis, an. 1312 matrimonio secum junxit, et eodem tempore Waldemarus Ingeburgem, filiam Erici regis Norvegiæ, fratris senioris præcedentis Haquini, uxorem duxit (cfr. supra Tom. I. 2. pag. 42). r) Mala tractatio, injuria. s) Hostiliter et cum odio. t) In hac occasione. u) Hoc certo captivationem regis et reginæ an. 1306 respicit (v. supra not. f). v) Hoc cum supplice prece fiebat. x) Precibus regis statim obtemperatum est. y) Celeriter, prompte, v. Lexer, Mittel-Hoch-Deutsch. Wörter-B. I. p. 722. z) Voluntarie (sc. regi) non defuit. a) Digne, merito. b) Dignitas, honor. c) Dijudicare non possumus, utrum hæc ad sequentem expeditionem in an. 1309 referenda sint, an Henricus etiam antea Ericum regem in bello cum ducibus Svetiæ juvaverit. Fontes silent, sed attendendum est, nomen Henrici in diplomatis Magnipolensibus inter d. 29 Sept. an. 1307 et 12 Martii 1308 non comparere, Birgerumque regem in tractatu d. 26 Martii 1308 cum fratribus facto Henricum inter suos fautores numerare (Dipl. Svec. III. p. 523), et Ericum regem Daniæ in Octobri an. 1308 Henrico pecuniæ summam sibi a Lubeca debitam assignare (Mekl. Urk. B. V. n. 3250). d) Sex septimanas" etiam duo nostra chronica afferunt (v. supra Tom. I. 1. pag. 64 et 93). Obsidio verisimiliter in fine Septembris an. 1309, ut Chronicon Rhythmicum (l. c. I. 2. pag. 40) habet, incepit et per sex septimanas duravit. Adhuc in medio Novembri rex et Henricus ante Nycopiam versantur (v. supra pag. 112, not. o et pag. 125 not. f), sed d. 21 Decembr. rex in Helsingborg moratur (Suhm, Danm. Hist. XI. pag. 619). e) Hoc vocabulum explicare non possumus. f) Sed malum ingravescit, aqua enim recens, qua se recrearent, defuit. g) Forte pro: *sunder meylde*, sine misericordia. *Meyl* maculam significat. h) D. 24 Junii. Hoc mendum esse pro *s. Johannis Ewangelisten tag* = 27 December jam Munch in Norges Historie, IV. 2. p. 529, not. 3 concludit. Scriptor tempus, quo expeditione finita in Daniam revenerint, forte indicare voluit (cfr. supra not. d).

Digitized by Google

Darvon dy Cronike i) sayd behende
sayd eynen teyl und nicht zu ende,
darũm wil ich es sagin vord,
doch ist bermlich der mord
zu hörin und unsprechlich.
Zu eyner czid gevügete es sich,
daz der könig Berigar
syns swagirs hülfe nam virwar,
Eriches von Dennemarkin
des milden königes starkin k).
Syne brüdere vieng her ungelogin l)
dy vorgenanten herczogin m).
In eynen torn her saste sy,
daz wart doch me (!) gehört noch ny,
her wolde sy da virterbin
und heymlich hungirs sterbin;
der sy bewarte yn der nod n),
by synen houlden her im gebod,
her solde in yn den torn nicht schichen,
darmede sy mochten sich irquicken.
Da twang sy so der hungir sere,
daz da irging eyn fryntlich ere o)
undir denselbin brudern czweyn,
ir iglich wart der truwen reyn
daz her synen lip im zu eszene bod p);
by libes leben vür den tod
ir iglich sprach getruwelich:
vil liebe bruder ysz mich,
myn vleysch wil ich dir zu eszene geben,
uf daz du haldes lengir leben;
da sach man truwe sündir czogin q)
czüschin den brüdern den herczogin.
Nu starb von dem hungere gar
der eyne herczoge Woldemar,
der andir herczoge Erich,
uf daz her möchte irquicken sich,
der az syns toden brudern arm
gyrichlich was daz nicht barm, (!)
und was her mochte irlangen ja,
syns liebes mit den czenen da,
da myde her irnerte sich
von dem tode jemerlich.
Sy warin mit henden, füszen drad
gesmedet, daz sy von der stad
sich nirgen mochten wegen
noch hyn noch her gelegen.
Nu enkunde her yn keynre schicht r)
syns bruders vleysch gewynnen nicht
her inczuges mit den czenen gar s)
von dem herczogin Woldemar;
do her des mochte getun t) nicht me,
du starb her ouch yn hungirs we u).
Do daz irvuren ire man,
dem könige begunden sy widerstan
um irer lieben herren tod
den her vügete in mit nod;
her treib in zu denselbin haz
und doch ir rechte brudir waz.
Der könig von dem hasze starkin
czog enweg geyn Denemarkin
zu syme swagere vlüchtigliche,
dem milden könig Eriche v),
dar besante her im zu fromen
den von Mekilnborg dar komen;
Der Denische könig Erich
und von Mekilnborg Hinrich
in brachten mit gewaldiger hant
in syn rich und in syn lant.
Zu Sweden zu derselbin czyd
streyd her eynen groszen stryd
mit synen vygenden sundir czagin,
der wart manchir da geslagin,
manchir ouch gevangen wart
von der synen widerpart;
von dem vygintlichim spil
synre vygende fründeten sich im vil x).
Darnach mit herliglichen synnen
dy houbitlude der herczogynnen
bestalleten gar mechtiglich
Stekeborg yn Swedenrich;
des königes son daruffe waz
bestallet mit vil groszem haz

i) Quod Chronicon significetur, dijudicare non possumus, fortasse solum carmen populare, ut in præfatione conjecimus. k) Etiam Detmarus, Ericum regem hujus facinoris conscium fuisse narrat *(alse men sprak*, v. supra pag. 182), sed nostri fontes hac de re silent. Intestino vero bello in Svecia orto, Birgero opem tulit. l) Pro certo. m) Duces in nocte inter d. 10 et 11 Decembris an. 1317 capti sunt (v. supra pag. 23 not. q et Tom. I. 1. pag. 27 et 56). n) Christierno Skærbek, militi Esthonico, hæc custodia mandata erat (v. Chron. Rhythm. supra Tom. I. 1. p. 42). o) *Ere* forte "nobilis æmulatio" significat. p) Hoc forte ita vertendum: uterque tam sincera fidelitate (pietate) erat, ut alter alteri corpus ad edendum præberet. q) Non hæsitans fidelitas; cfr. Müller-Zarncke, Mittel-hoch Deutsch. Wörter-B. III. p. 937. r) Nulla ratione. s) In his verbis aliquid corruptum inesse videtur. t) Pro *thun*, facere. u) Hæc foeditas, Ericum carne fratris vitam sustentasse! solum in carmine Danico traditur (v. Grundtvig, Danmarks folkeviser, III. p. 462). — Nostrum Chronicon Rhytmicum Ericum ante Waldemarum animam efflasse narrat. — Eos non immediate post captivationem mortuos esse, certum fere est (cfr. supra pag. 182, not. h). v) "Circa finem anni (1318) de Gotlandia fugit cum uxore in Sialand", v. Chronicon Sialandiæ (supra pag. 113). Etiam nostrum Chron. Rhytm., Birgerum, postquam Brunkonem dapiferum Holmiæ initio Novembris 1318 supplicio affectum esse audierit, de Gotlandia in Daniam fugisse narrat (cfr. antiquiorem redactionem chronici in editione Klemingii, I. p. 150; recentior redactio (v. supra Tom. I. 2. p. 51) inter supplicium Brunkonis et fugam Birgeri narrationem de Magni domicelli decapitatione an. 1320 intrudit). Adhuc d. 10 Sept. 1318 Birgerus in Gotlandia est (v. Dipl. Svec. III. p. 373, 374). x) Cum scriptor postea de obsidione castri Stegeborg loquitur, initio crederes hic certamen apud Karlaby-langa, ubi Magnus, filius Birgeri, cum eqvitibus Danicis Vestrogothos d. 19 Martii prostravit (v. supra Tom. I. 1. pag. 65 et 2. p. 48) spectari, sed Henricum hoc vere usque ad d. 11 Aprilis 1318 in Magnipoli versantem invenimus et demum 22 Maj in Wordingborg (Meklenb. Urk. B. VI. n. 3970 et 3984). Forte in proelio apud Miölkalanga in Scania, ubi Dani d. 26 Octobris 1318 profligati sunt (v. supra pag. 126, not. f), Henricus affuit, quia et in Octobri et in Novembri cum apud Ericum regem in Wordingborg invenimus (v. Hvitfeldt, Danm. Rig. Krön. in 4:to, Tom. III. p. 266—271).

Digitized by Google

von Ostirn y) wan zur erne z).
Der könig hette in gerne
von der nod intsetzet
und syner vorchte irgetzet a)
und waz dy wyle yn Denemarken
by syme swagir dem könige starken b).
Her sante gewapint czweyhundirt dar,
der houbitzman Brunke hiez virwar,
dy solden dy borg entsetzin da,
der wart gefangen balt darna,
der herczogynnen lüde jo
vingen ir und redderten c) in so.
Da könig Erich dyse nod
irvur, daz Brunke waz so tod,
her wolde lösen zum andern male
synre swestir son von sulchir quale,
daz sy yn ouch mordeten [n]icht
mit sulchir martirlichin phlicht d).
Ses kogken sante her uf dy vart
mit wepenern dryhundirt bart e)
dy solden dy borg entsetzin balt
vor der vygentlichen gewalt;
dy worden alle begriffen,
gewapind und mit schiffen f).
Der könig yn Denemarken bleyb
dem unglückes vil bekleyb g);
darnach nicht gar lange czid
ted der tod in lebens quyd h).
In sulchir tad und wyse
gebrach den lüden spyse;
sy gaben dy borg mit undirscheyde i),
irs liebes gewunnen sy geleyde,
ouch solde des königes son loz syn
gevengnis und tödlicher pyn.
Daz wart virwisset und virrigelt
und mit brifen vast virsigelt;
dy bischoffe und des landes besten
mit gelübeden musten daz virvesten,
daz sy doch brachin schemelich
da tod waz könig Erich k);
sy hiewen im ab syn houbit,
we dem wer in geloubit.

— — — — — — — — — —

Cap CLXXIII. — — — — —

Eyn groz hof wart dyselbin czid l),
da nam her Nyclaus m) sundir nyd
eyn Denischen königes tochter da,
dy waz geheyszin Rixa n),
zu dem hove in stoltzir vard
vil Rittirschaft geübit ward.
Dy junge frauwe Ryxa war
eyne tochtir und eynen son gebar,
derselbe son den hiez Johan,
dy tochtir dy wart sundir wan o)
gelobit zu wybe wirdigliche
von Sweden herczogin Eriche p),
sy inwart im doch zu wybe nicht
daz quam von wundirlichir schicht q),
darnach sy do zu wybe wart
von Holtzten greven Gerhart r).

— — — — — — — — —

y) Die 23 Aprilis. z) *Erne* tempus messis significat. Dies deditionis incerta est; Chron. Rhythm. (supra Tom. I. 2. pag. 50) narrat castrum Nycopiæ deditum esse *om vårfrudag*, i. e. circa 15 Augusti vel 8 Sept., sed Stekeborg nonnihil longius defensum esse. Forte ante impetum Sveorum in Scaniam in Octobri captum est, certe in Novembri Magnus captivus est (v. Dipl. Svec. III. p. 384). a) Aut "timoris libenter oblitus esset", aut "filium timore libenter liberatum voluit." b) Error, v. supra not. v. c) Circa d. 1 Novembris Brunke Holmiæ rotatus est (v. supra Tom. I. 2. p. 51). d) Ne eodem supplicio (sc. quo Brunke) afficeretur. e) Vox forte contracta a *beradt; beraden* est: providere, instruere. f) Cfr. discrepantem chronici rhytmici expositionem de his duobus versus Stegeborg factis expeditionibus (supra Tom. I. 2. pag. 49). g) Multæ calamitates ei adhæserunt. h) Die 31 Maji an. 1321 Birgerus obiit (v. supra pag. 122, not. h). i) Certis conditionibus. k) Attendenda est similitudo inter hunc locum et Continuatorem Saxonis (supra pag. 125). — Ericus Menwed d. 13 Novembris 1319 obiit. l) Scriptor supra bellum inter Henricum Magnipolensem et Nicolaum de Werle (anno 1293) descripsit. m) Nicolaus de Werle, (cujus patruus Henricus de Werle an 1262 Richizam, filiam Birgeri ducis, uxorem duxerat v. supra pag. 5, not. g). n) Soror Erici Menved et filia Erici Glipping. Nicolaus IV papa hoc matrimonium, non obstante consanguinitate, an. 1291 concessit (Mekl. Urk. B. IV. n. 2722). o) Sine suspicione. p) Hoc in conventu in Helsingborg in Julio an. 1310 pactum est (v. Diplom. Svecan. II. p. 624 et Hvitfeldt in 4:to, III. p. 131 sqq.). q) "Ex insolita historia (i. e. causa) hoc accidit." Ericus dux, hac Sofia deserta, Ingeburgem, filiam Haquini regis Norvegiæ, an. 1312 duxerat (v. supra cap. CXL., not. q). Ob violatam pactionem dux sequenti anno compensationem promittere coactus est (v. Hvitfeldt l. c. p. 165). r) Hoc dubitari potest, nam Gerardus an. 1313 Anastasiam, filiam Nicolai comitis Swerinensis uxorem duxit (v. Meklenb. Urkund. Buch VI. n. 3634 et 3650).

Digitized by Google

XXXII.

Ex Annalibus Herulorum ac Vandalorum Nicolao Marescalco Thurio auctore.

Nicolaus Marescalcus in Turingia (unde cognomen) circa annum 1470 natus primum Erfordiæ et Wittenbergæ studiis se dedidit, deinde per aliquot annos officio consiliarii apud Henricum ducem Magnopolensem fungebatur et denique anno 1510 Rostochium se contulit, ubi ad mortem an. 1525 moratus in studiis et diversis scriptis præcipue historicis conscribendis se totum collocavit *). Tria ex his apud Westphalen, Monumenta Inedita, sunt inserta, sc. Annales Herulorum et Vandalorum (Tom. I. pag. 167 sqq.) Vitæ Obotritarum (l. c. II. pag. 1549 sqq.) et Chronicon der Meklemburgischen Regenten Reimweise (l. c. I. pag. 562 sqq., quod nihil fere aliud, nisi Annalium Germanica versio est). Cum Annales et Vitæ easdem res eodem, parum laudando, modo tractent, utrumque opus excerpere supervacaneum fuit, quare ex Annalibus, quia in illis, quod ad nostras certe res attinet, series temporum minus turbatus sit, excerpta fecimus et in scholiis solum nonnullas dissimilitudines in Vitis Obotritarum animadvertimus. Pauca sunt, quibus scriptor nostram historiam ditat, et plurima ex melioribus fontibus nobis cognita sunt; cum ad hoc accedit, criticam artem nullum fere locum in ejus scriptis tenere, incuriam magnam, parvam historicam fidelitatem esse, pæne dubitavimus, num illi in nostro opere locum concederemus. Cum tamen nonnulla digna sint quæ attendentur et ipsa vitia correctionem necessariam fere reddant, præsertim cum scripta ejus haud raro ab auctoribus allata sint, hæc excerpta, quæ ceterum parum loci desiderant, inserere decrevimus.

Genealogia Doberanensi et Chronico Kirchbergii, ex quibus supra excerpta dedimus, Marescalcum usum esse observare vix necesse habemus. Quare etiam ea, quæ de expeditione Henrici Leonis in Sveciam 1309 et de Erici ducis desponsatione cum Sofia de Werle 1310 a Kirchbergio, nulla nova re allata, mutuatus est, præterivimus.

*) V. Krabbe: Die Universität Rostock I. pag. 275 sqq.

Lib. III. Cap. II. — — — — Illi a) vero Heruli et Vandali cessere, qui Sophiam duxit regis Suevorum oceani filiam, e qua sustulit Joannem, Nicolotum, Burvinum, Pribislaum et filias duas. — — —

Lib. VII. Cap. I. Albertus, genitore Leone defuncto b), successit; Euphemiam, regis Suevorum oceani ac Noricorum filiam duxit in conjugem, Rostochii nuptias celebrans c). Princeps prudentia singulari præditus, genitore etiam callidior. Latrones fere et eorum receptatores igne ultore compescuit, laudem insignem ad posteros adeptus. Prædia a majoribus inter hæc proceribus impignorata liberavit, finitimis omnibus charus ac perjucundus. At dum legationem ad Cæsarem Romanum Ludovicum a Magno Suevorum ac Noricorum rege, conjugis germano, obit (*in itinere a comite Swartsburgensi capitur, sed jussu imperatoris postea liberatur*) d). — — — — Ad socerum vero rediens honorificentissime habitus, eques ab eo auratus, in urbe Scandinaviæ principe factus, quum forte fortasse rex diadema ibi regium susciperet, anno fere millesimo trecentesimo quadragesimo primo e). — — — — — — — — — — — — — — —

Cap. II. Henricus, Alberti filius, conjugem duxit Ingeburgim, Baldomari regis Cimbrorum filiam f). Scandinaviam bello adortus, Helsiburgium obsidione vallavit et paucis interjectis diebus vi superavit, in tutelam tradens civium Luconiorum g), Visimariorum ac Sunnoniorum h), sed qui Margarethæ Cimbrorum tum

a) Sc. Henrico Borwino juniori (qui obiit an. 1226). Errat scriptor de sequenti conjugio; filius ejus Borwinus tertius Sofiam uxorem habuit, v. supra pag. 289 not. c. b) Anno 1329. c) Anno 1336 in vere, v. Detmarum supra pag. 184. d) Cfr. Kornerum supra pag. 206, not. a. et b. e) Detmarus (supra pag. 184) narrat Albertum apud ipsius nuptias Rostockii in vere anni 1336 ab Erico duce Saxoniæ militem factum esse. Eodem anno Magnus rex Holmiæ d. 21 vel 22 Julii coronatur (vide l. c. not. k). f) Anno 1350 v. supra pag. 287, not. c. g) I. e. Lubecensium. h) I. e. Sundensium.

Digitized by Google

reginæ, Haquini regis superstiti dedidere i), quam injuriam nec optimus princeps inultam accepit. At ex Ingeburgi Albertum sustulit, qui Nicolai principis Cheronesi filiam uxorem duxit k), et quum herciscundæ familiæ judicio cum regina in Scandinavia egisset ac mox de jure armis belligereret l), peste absumptus interiit, Doberanum relatus, ubi et conditus anno millesimo trecentesimo septuagesimo m), cujus soror nupsit Vratislao, Sidinorum duci n), e qua prognatus Ericus, qui Suevorum dein oceani ac Noricorum rex designatus est. Henricus vero ludis xysticis Visimariæ illisus interiit, anno millesimo quadringentesimo ad Calendas Majas o).

Cap. III. Albertus, Alberti senioris filius, Henrici germanus, Richardim, ut diximus, Otonis comitis Suerinæi filiam duxit p), una accepto comitatu eo, e qua sustulit Ericum ac filiam, quæ Joanni nupsit, duci Ligiorum ac Cheruscorum q), Caroli Cæsaris Romani filio. At mox Ingeburgis [ɔ: Richardis] in Scandinavia obiit in urbe Stocholmo, tumulata in æde divi Dominici r). Duxit dein Agnetem ducis Brunopolitani ac Lunæburgiani filiam s), e qua Albertum et Ericum t) excitavit, e quibus Albertus Margaretam duxit Marchionis Brysani u) filiam, qui strategematis militaribus clarus, eques auratus Solymis factus, sine heredibus elatus est. Genitor ergo Albertus a magnatibus proceribusque regni Suevorum oceani in regem lectus est, defuncto vita Magno, illorum rege v), e cujus ipse sorore prognatus erat. Nam Magnus ille Haquino filio Margaretam Baldomari regis Cimbrorum filiam collocavit x), violato jurejurando, quo regni proceribus juraverat filio e Cimbrorum familia regia conjugem se non daturum y), quod si faceret, primores regni fidelitatis orco liberati facultatem haberent regem quemcunque vellent eligendi. Sic ab illis irarum adhuc plenis adscitus est Albertus. At Margareta, Baldomaro genitore defuncto, quum non extarent liberi alii stirpis virilis, ipsaque ex Haquino, pariter defuncto z), Olaum a) filium accepisset, Cimbrorum regnum adepta summa prudentia administravit. Et cum hac Albertus rex, orta de regnis dissensione, armis contendere decrevit. Consertaque hostiliter manu, quum juventuti rex magis quam grandævis auscultat, loci iniquitate inter paludosa deceptus, a suis fidelibus aciem deserentibus destitutus, a regina dispalato exercitu, cæsis proceribus multis, captus est, cum filio Erico, anno fere millesimo trecentesimo octogesimo octavo b), in Codonaviam c) perductus, annos septem d) retentus, multo a regina ludibrio divexatus e), pondo argenti millibus sexaginta liberatus est f), multum ad ea matribus familias Herulis mundo muliebri opitulantibus, unde jus illis etiamnum succedendi, liberis generis virilis non extantibus, sed in vita tantum g). Duxit vero postremo ducis Sidinorum ac Juliæ augustæ filiam h), e qua nullos acepit liberos Tumulatus in Gadebuso, anno millesimo trecentesimo nonagesimo quarto i). Erico rege, ex conjugio primo peste absumpto, in Albiburgio Gotorum tumulato k), extincta sic stirpe ea.

Cap. V. Joannes, Magni filius, Juditam duxit, filiam Ottonis, comitis de Hoja, e qua Magnum suscepit, qui brevi in fata concessit, Suerini tumulatus, filias insuper aliquot. Rex erat Suevorum electus, vivo adhuc Alberto patruo rege, quum in postliminio l) ille ageret, coronatus m).

i) Falsum, nam Haquinus an. 1380 obiit, dum hic obsidio Helsingburgi in æstate anni 1369 per Henricum Magnipolensem et urbes Hanseaticas sine dubio respicitur, cum bellum Waldemaro regi ab iis illatum est. Fieri potest, ut Henricus se ab urbibus deceptum putaret, nam d. 21 Julii 1369 capitanei Helsingburgi Henrico et urbibus arcem d. 8 Sept. se tradituros promittunt, sed in tractatu d. 30 Novembr. 1369 inito hæc et reliquæ arces Scaniæ urbibus solis impignorantur (v. Hanse-Recessen I. pag. 456 et 477). — In Vitis Obotritarum cap. XCI. Marescalcus rem ulterius implicat, narrans Albertum Helsingburgum cepisse et filio Henrico tradidisse, qui deinceps ab urbibus sit deceptus; addit Haquinum, regem Norvegiæ, auxilium Ottonis, marchionis Brandenburgensis et Ottonis, ducis Brunsvicensis, contra Albertum poposcisse et accepisse k) Filia erat Nicolai comilis Holsatiæ sec. Genealog. Doberanensem. l) De conatu hujus Alberti in annis 1376 et 1377 regnum Daniæ post mortem avi materni Waldemari IVi occupandi 1376 cfr. supra Detmarum pag. 187 et Libellum Magnopolensem pag. 198, 199. m) Obiit an. 1388; tumulatio ejus in Genealogia Doberanensi omittitur. n) I. e. duci Stetinensi vel Pomeranensi. Nomen uxoris Maria erat. o) Obiit an. 1384 d. s. Georgii Wismariæ (Genealog. Dober.). p) De conjugio Alberti cfr supra pag. 278 not. c. q) I. e. duci Silesiæ (Görlitz). r) Hoc a nostris fontibus non memoratur. Rixa adhuc anno 1377 in viventium numero est (v. supra pag. 278, not c). s) Hæ secundæ nuptiæ an. 1396 celebratæ sunt (v. supra pag. 203). t) Albertum regem etiam in secundis nuptiis filium Ericum habuisse, nullibi vidimus. u) I. e. Frederici Vi, marchionis Brandenburgensis. v) Gravis error, cum Albertus jam anno 1363 in Sveciam intrusus est et Magnus anno 1374 obiit. x) Nuptiæ anno 1363 celebratæ sunt. y) In Vitis Obotritarum cap. XC dicitur: "violatis literis in quibus depictus rex flexis humi poplitibus tribus exertis digitis jurabat Aquino de Cimbrorum prole filio se uxorem non daturum" etc. — Tales literas exstitisse dubitare audemus; sequentia verba de jure Sveorum, si id fieret, alium regem eligendi aperte pactionem desponsationis Haquini cum Elisabeth de Holsatia d. 29 Junii an. 1361 respiciunt (v. supra pag. 194, not. v). z) Haquinus obiit an. 1380; filius Olavus jam an. 1376 regnum Daniæ accepit et an 1387 obiit. a) Textus male: Ololaum. b) Lege 1389, d. 24 Februarii (cfr Detmarum supra pag. 188 et 189). c) Marescalcus ita Havniam reddere solet. Albertus vero primum Bahusiæ dein in Lindholm in Scania servabatur. d) Lege: sex. e) In Vitis Obotritarum cap XC. legitur: "Albertus ... jurejurando affirmavit capitio se non ante ornaturum quam eam superasset .... [Margareta ei in proelio capto] capitium dono dedit, latitudine cubitorum propemodum quindecim, filamine addito cubitorum undeviginti, quo omnibus ludibrio habendum voluit." De quo cfr. Chron. Rhythm. Danic. supra pag. 133. f) Anno 1395 in Septembri (v. supra pag. 192, not. r). g) Hac de re uberiorem illustrationem apud scriptores Magnopolenses frustra quæsivimus. h) Scriptor hic Albertum cum filio Erico confundit, qui filiam Bugislai ducis de Wolgast an. 1396 sibi junxit (v. supra pag. 203). i) Mirus error; Albertus an. 1412 obiit. k) Ericus an.1397 in Gotlandia in Wisby decessit, v. supra pag. 204, not. e. l) Ita Marescalcus "captivitatem" reddit. m) De coronatione scriptor errat, et illa "electio" in eo constabat, quod Albertus rex, d. 24 Julii an. 1388 Holmiæ diploma signabat, quo filium Ericum et fratris filium Johannem successores, si quid infortunii ipsi accidisset, declarabat (v. Styffe, Bidrag till Skand. Hist. I. pag. LXXXI, not. *).

Digitized by Google

XXXIII.

Ex Chronicis Stralsundensibus excerpta.

In primo tomo operis *Stralsundische Chroniken* intitulati, quem Mohnike et Zober anno 1833 Stralsundis ediderunt, inter alia etiam collectio quædam, quæ *Auszüge aus Stralsundischen Chroniken vom jahre 1230 bis 1521* inscribitur, ibi pag. 159—224 inserta est. Nomen «Congesta Buschii» quoque illi datum est, quia Henricus Buschius, consul urbis an. 1577 mortuus, opus possedit vel fortasse ipse collectionem confecit. Ex diversis fontibus scriptorem contenta hausisse statim apparet, sed qui fuerint fontes vel natura eorum atque nexus, nondum satis explicatum est*). Id quidem certum videtur, non minus quam tria chronica Stralsundensia, quorum unum in anno 1458 desiit eodemque tempore compositum erat, a collectore adhibita esse, et verisimile est, omnia excerpta, quæ nos infra dabimus, certe illa, quæ annos 1445—1454 complectuntur, ab ipso illo in anno 1458 subsistente chronico originem trahere**), qua re pretium brevium annotationum non exigue augetur.

Quamquam in universum solum ea, quæ Sveciam directe attingunt, excerpere soliti sumus, tamen hic aliquas res, quæ minus nos, quam reges Daniæ et rationes inter eos ac vicinas civitates attinent, non exclusimus, partim quia tam exiguum exigunt spatium, partim quia cum iis, quæ excerpsimus, prope conjunctæ sunt.

*) De diversis operis fontibus cfr. Mohnike in prefatione pag. XXIX. et Koppman in *Hansische Geschichtsblätter* 1872 pag 164. **) Busch ipse ad an. 1449 annotavit: *kann aber nicht unterlassen, dasjenige, so im Chronico Sundensi, welches Collector zu dieser zeit gelebt und entweder eine Rathsperson oder sonsten in bestellung des Raths gewesen, aufgezeichnet, hier anzuhängen.*

Anno 1420 — — — Anno eodem vordarff koning Erick Vemeren, dar dede he grothen schaden vnd mord, he vordarff dat land, dath idt ganss thonichte wardt; he leeth fruwen vnd jungckfruwen vor de wagen vnd ploch spannen, he leth karcken vorbernen vnd daruth nehmen, wath dar wass; he leth fruwen vnd jungckfruwen krencken vnd schwechen a).

Anno 1424 b) toch koning Erick tho deme hilligen graue; dath dede he vmme der mordt vnd schlachtinge willen, de he vp Vemeren dede, wente he reddede sick hir uth c) vnd quam hir ock wedder, dar he sine bedeuarth gedahn vnd vullenbracht hadde.

Anno 1427 do wardt de here van Holsten d) geschlagen vor Flensborg in vnses heren himmelfarth nacht; vnd de Lübschen vorreden e), dath he geschlagen wardt.

In demesuluigen jahre do wardt de Baiesske f) vlate genahmen in deme Sunde do althohandt nha pingsten g); dar wehren alle dusse städte nha vthgemaket, dath men se beleiden scholde; dar wass ein mede, herr Tidemann Stene, vnd wass van Lübeck, de vörede de vlate dem koninge tho gude h); men se kondten mit nenem südosten windt den Dracköhrsunde i) finden.

bey ihm sein solte, verrichtet und hernach her eingebracht, das er sich mit capittel, ritter- und mannschafft auch stadt Riga wol vertragen wolte, allein den Schwedischen jüngsten bundt gedächte er nicht zu unterschreiben. Solches thate er zu versuchen, ob sich die parten von einander scheiden liessen. (*Archiepiscopus nonnullos ex nobilitate Rigam mittit, qui nuntient, se archiepiscopo jusjurandum dare diutius differre non posse; Sabbathum ante Reminiscere terminum, ultimum hujus rei statutum esse*). Denen ward geantwortet: man hoffte nicht, das die ritterschafft von ihren vollmächtigen sich sondern, und was sie theils in Sweden durch denselben belobet, theils allhier in Riga versiegelt, brechen würden; solten nur standthafft bleiben, der bestimte landtag wäre vorhanden, da würde sichs ausweisen, was jeder thun und lassen könte. Der her Nils Erickson hat ihnen auch mit harten worten ihre leichtsinnigheit und wanckelmuth verwiesen, und bey ihrer verbündniss zu verbleiben ernstlich ermahnet. (*Dominica Reminiscere* [*d. 19 Febr.*] *1486 statutus conventus Rigæ habitus est. Archiepiscopus, qui in Blumenthal moratur, tandem illos octodecim articulos* s) *approbat et deinde d. 1 Martii in urbem recipitur. Denique d. 15 Martii pax inter magistrum Livonicum, capitulum Rigense atque urbem sollenniter inita est*) Nachdem nun die sachen mit beyden landes herren, zu solchen stande gebracht, hat der schwedische hauptman auch seine ansprache von der krone Schweden wegen mit und wieder den orden vorzutragen und abzuhandeln begehret. Da dan abermahl die hern prälaten ins mittel getreten, und es so weit gebracht, das der orden künftigen instehenden sommer seine volmächtige gesandten nach Stockholm abfertigen solte, um diesen händeln völlig abzuhelffen, so dan auch eingewilliget worden. Der her ertzbischoff ist in der stadt geblieben bis Freytags nach Ostern t), da er sich von hinnen nacher Lemsel begeben, die hern schwedische gesandte aber blieben noch bis an Pfingsten u), und reparirten ihre schiffe an der stadt kaye, solchergestallt das ihnen an nicht fehlete, proviantirten auch dieselben mit aller zubehör, alles aus der stadt mitteln, volckommen, das sie hernacher ein gantz halb iahr damit zur see bleiben können: hernacher sind sie in begleitung dreyer burgermeister von hinnen bis nach Dünemünd gefahren, daselbsten auch etliche tage wolgehalten, und endlichen am Pfingst Montag v), mit guten contentement zu seegel gangen und gen Schweden geseegelt. — — —

(*Non obstante supradicta pace, an. 1486 facta, Ordo Livonicus Rigenses omnibus modis violare continuat*). Es hatte auch der rath einen rathsherren, hern Heinrich Götten, nach Schweden an her Steno 1488
Sturen abgeschicket, welcher sich um des reichs assistenz vermöge verträge bewerben solte. Diesen hatte der her Steno Sture mit sich gen Ratzeburg x) genommen, alda er einen tag mit den hern meister des teutschen ordens angesetzet hatte: da dan der orden sich auch erkläret, das sie bis künftigen 1489 jahres pfingsten geruhig bleiben y), und der 6 wendischen städte deputirten in Liefflandt erwarten, auch dieselbe zu mittlern leiden und gebrauchen wolten. — — — — — — — — — — — — — — — — —

(*Anno 1489 in Februario et Aprili plures bullæ papales, quibus urbs contra ordinem in tutelam curiæ recipitur, Rigam perveniunt*). Nach diesem wahren viel besendungen des ertzbischoffen an die stadt und hinwieder, welche handelten wegen des schwedischen bundes, ob die stadt Riga ihre sachen ausstellen wolten zur dijudication der krone Schweden, oder zu den hern ertzbischoff und seinem capittel, oder zu den hern praelaten und stände im lande, nebenst den 6 wendischen städten. Und wiewol die stadt zu allen diesen vorschlägen mitteln wehlete, und einen jeden ihr gefallen liess, so wurde doch nichts draus: den der ertzbischoff suchte auch praetentiones von neuen auf die stadt, den er hatte den schwedischen gesandten zu Reval gelobet, die unkosten, so die krone Schweden zu beschirmung der kirchen Riga gewandt, zuerstatten z): allein die stadt Riga solte das geld darzu zahlen. (*Ordo vero viam compositionis, quam archiepiscopus ingressus est, contemnens, Rigensibus d. 30 Septembris 1489 bellum indicit*). Wie nun diese händel sich also angesponnen, ist ein erbar rath leichtlich zu ermessen gewesen, was ihnen hieraus für gefahr zuwachsen können, zumahlen sie zum kriege ziemlich imparat, und durch den ewigen vertrag in schlaff gleichsam wiegen lassen; derhalben sie alsobald an die hochlöbliche kron Schweden hern Henrich Krivitz rathman, und Henning Loning, elster, abgefertiget, dieselbe vermöge verbundes zum hülff und beystandt zubewegen, und zu entschuldigen, das sie die ihrigen auf Bartholomaei a) verschienen jahres gen Stockholm nicht senden können. Bald nach ihrer abfarth, als nemlich der orden der stadt entsaget, wurde der stadt diener Heydenrick Have den gesandten gen Schweden nachgesandt, diese der orden verfahren ihnen anzukündigen: auch ferner durch Schweden an die Ansee-städte schreiben zu bringen, der stadt ungelegenheit zu notificiren und eylige hülff und trost zu erhalten. (*Paullo infra tota narratio his verbis:* "So weit das rothe Buch inter Archiepiscopalia zu finden" *abrumpitur*).

s) Iidem, quorum supra not. q. mentionem fecimus. t) Die 31 Martii. u) Die 14 Maji. v) Die 15 Maji. x) Raseborg arx hodie est deleta; prædium "Kungsgården" prope Ekenäs in meridionali litore Finlandiæ eodem loco situm est. y) "Middewoken vor Petri ad Vincula" (d. 30 Julii) an. 1488 Gregers Mattson et octo alii consiliarii ac nobiles regni Sveciæ se, ut procuratores Stenonis Sture, cum procuratoribus magistri Livonici tractatum de indutiis ad pentecosten anni 1490 duraturis iniisse, confitentur, conventus pacis Rigæ ad d. 24 Junii anno 1489 statuitur. Literæ scriptæ sunt *Razebury up dem Holme genannt Presteholm* (impressæ apud Hupel l. c. IV. pag. 709–714). z) Hoc Archiepiscopus forte promiserat, cum die 17 Novembris anni 1488 Revaliæ controversias inter ordinem et regnum Sveciæ de damnis Svecicis compensandis componit (Hupel l. c. pag. 714). a) Die 24 Augusti.

Digitized by Google

XLI.

Ex scriptis Aeneæ Sylvii.

Illustrissimus ille vir, qui tandem dignitatem papalem (nomine Pii secundi) annis 1458—1464 tenuit, in multiplicibus suis scriptis etiam res nostras nonnihil duobus locis attigit. In Historia de Europa (cui etiam titulus: »De his quæ Frederico tertio imperante ... per totam Europam memorabiliter gesta sunt usque ad annum 1458 Commentarius» datur) caput XXXIII aliqua ad historiam septentrionis pertinentia exhibet. In »Libro de viris sua ætate claris» brevis adumbratio Erici Pomerani, regis trium regnorum aqvilonarium, in capite XXXV:o datur. Aeneæ Sylvio nostras res parum notas fuisse per se necesse erat et ex scholiis nostris infra satis liquet. Legentes, qui vitam scriptoris ejusque libros melius cognoscere velint, ad *Voigt, Enea Silvio de Piccolomini,* I et II, Berolini 1857 – 1862 in 8:vo et ad Potthasti Bibliothecam histor. Medii ævi relegamus.

1) Ex Historia de Europa.

Cap. XXXIII. De Dania sive Dacia sive Svetia, et Norvegia, de Margarita trium regnorum insigni domina deque varia trium reg[nor]um fortuna.

— — — — — In hac terra a) patrum nostorum memoria, Voldimarus regnavit, in Svetia Magnus, Aqvinus in Norvegia b), qvem ferunt divinum fuisse hominem, miro provincialium amore atqve obseqvio cultum. Huic conjunx Margarita fuit Voldemari filia, ex qva natus Olaus patri succedens, brevi tempore vita functus, regnum matri reliquit c). Ea et paternum adepta est, extincto Voldimaro d). At Magno in Svetia hominem exuente, Albertus dux Megapolensis vocatu populi diadema suscepit e). Qui dominatum vicinæ foeminæ contemnens, bello Daciam Norvegiamque lacessere coepit. Occurrit ei Margarita coactis copiis. In campis late patentibus pugnatum est, tanqvam ipsa viri, hostis foeminæ animum induisset, victus Albertus captusqve et in triumphum ductus, regnum amisit. Dimissus tandem, infame senium in paterna domo finivit f). Margarita clarissima mulier tribus imperans regnis ad senectutem usque magnifice ac religiose subditos gubernavit, demum senio confecta, cum tantum per se ferre neqviret, Ericum Pomeraniæ ducem qvatuor et decem annos natum, filium sibi adoptavit g), regnaque illi commisit, et Philippam regis Angliæ filiam dedit uxorem h). Is cum, conjuge sine prole defuncta, ducere uxorem ulterius nollet, jamqve 55 regnasset annos, ad extremum sub imperio Frederici poulari tumultu ex regio solio deturbatus est i). Et Christophorus dux Bajoariæ, sibi ex sorore nepos, in ejus locum suffectus, qvi avunculum suum decem annis quibus ipse imperavit, in insula Gothica regnare permisit. Christophoro autem ex hoc seculo abeunte Daciæ ac Norvegiæ coronam Christiernus accepit k). Sveci vero in electione regis discordantes, alii Carolum eqvestri dignitate insignem, alii Canutum ejus fratrem natu minorem regno præficiunt l). Pendente adhuc electionis negotio, Carolus immissis militibus, Stocholmum oppidum clam occupat, in qvo regia sedes habetur. Canutus per amicos arcem invadit, hinc bellum inter fratres de regno ortum, et pugna diu anceps,

a) Scilicet Dania. b) Haqvinus, filius præcedentis Magni; obiit an. 1380. c) Olaus an. 1387 defunctus est. d) Minus recte, nam post mortem Valdemari an. 1375, Olaus filius Margaretæ electus est rex Daniæ, quamquam illa et filio vivo et postea ipsi regimini præfuit. e) Non post mortem Magni (1374), sed jam an. 1363 per seditiosos magnates Albertus in regnum Sveciæ intrusus est. f) Albertus an. 1389 captus et an. 1395 e carcere liberatus, an. 1412 obiit. g) XIV annos natus fuisse dicitur an. 1396, cum in Dania et Svecia eligeretur (v. supra pag. 278 not. r.), sed hæres Norvegiæ jam an. 1389 declaratus est. h) Anno 1406, d. 26 Octobris (v. supra pag. 130, not. n.). i) Anno 1434 Sveci defuerunt; an 1438 (cum summum 42, non 55 annos rex fuerat) ipse Daniam deseruit. k) Christophorus obiit an. 1448 d. 5 Januari: Kristiernus in autumno electus est (v. supra pag. 279, not. g.). l) Auctor hic in singularem errorem incidit, ex una persona, Carolo Knutsson, duas faciens; quæ res errori ansam præbuerit, eo minus dijudicare possumus, cum nullus Svecus cum Carolo de corona certaverit. Electus est in Junio an. 1448 (v. supra pag. 223, not. g).

Digitized by Google

occisis utrinque pluribus, ea demum lege induciæ pactæ, ut potestas eligendi regem, exclusa nobilitate, plebi fieret. In qva cum Carolus gratiosior esset, majestas regni ad eum defertur, Canutus privatam vitam degit. Carolus vero novo regno tumidus atque insolens, armatis navibus Ericum ætate confectum, nulli noxium, sibi ipsi viventem, e Gotia propulsavit m). Qvi etiam hodie in humanis apud Pomeranos, unde illi origo fuit, parvo contentus vitam agere fertur, qvam sint incerta mortalia, et qvam inania suo exemplo docens, qvi tribus potentissimis regnis exutus, nec parvam insulam, in qva decem annis delituerat, usqve ad mortem retinere potuit, ætate plenissimus. Sed neque Carolo scelera sua impunita fuere, qui dum Christi ecclesias perseqvitur, religionem contemnit, sacerdotes dispoliat, festos dies observari prohibet, jura divina et humana confundit, a Johanne Benedicti filio, Upsalensium præsule, viro cordato et impigro, a qvo nobilitas regni excitata est, magno prælio superatus est, ac regno pulsus, in parva insula non longe ab ostio Vistulæ exilium agit n). Christiernus in locum ejus assumptus, pietate ac justitia melior, iterum tria regna nostro tempore in unum redegit, cui et Gothia paret, Gothorum qvondam sedes ac patria.

2) Ex libro: De viris ætate sua claris.

Cap. XXXV. De Erico Stetinensi.

Ericus, ex domo Stetin[ensi], ex fratre matris Sigismund[i] generis [o: genitus] filius o), admodum juvenis Daciae atque Norvegiae regnum adeptus est p). Cumque aliquot annos rexisset, seditionem adversus se nasci sensit, volensque furori cedere Ierosolymam ire statuit q) venitque ad Sigismundum fratrem r) in Hungariam pluribusque diebus apud eum fuit honorifice receptus. Erat autem corpore pulcher, capillis aureis, oculis grandioribus, facie rufa, cervice larga atque nivea; vestibus utebatur privatis. Nam lineo colari s) quamvis aureo ligamine gulam claudebat candidam. Solus ipse e terra sine adiutorio non tactis strepis t) ascendebat equum mulieresque omnes et praesertim imperatricem in suum spectaculum cum amoris desiderio trahebat. Cum venisset Venetias, admodum honoratus est ivitque Ierosolymam et redivit incolumis. Cumque in Prusciam reversus adhuc seditiones vigere adversus se in regno sensisset, vocatis fratribus Theutonicis: "Ego", inquit, "ex Ierosolyma nunc redeo, devotionemque meam peregi, sed maior adhuc animo instat. Iam mihi nulla saeculi voluptas est, nulla mihi soboles est, uxor mortua est u), quid amplius restat nisi ut Deo serviam? Quod si vos mihi habitum vestesque ordinis dederitis atque me quasi unum ex fratribus communi praebenda alueritis, stat mihi mundo cedere. Daciam ego vobis, Norvegiam Gothiamque relinquo, ut sit religionis; nec enim mihi quisquam est necessariorum, quem regno dignum aestimem v)." Vos bene haec regna gubernabitis atque illorum hominum proterviam compescetis; nam mihi parum obedientes erunt." Ad hoc Pruteni dicunt, se non velle tantum principem vestire habitu, sed quamdiu apud eos manere voluerit, daturos se sibi victum et provisionem rege dignam — nam et alii apud eos principes fuerunt, Vitoldumque Lituaniae ducem commemorant — offeruntque sibi ad regnum compescendum auxilia. Ille non contentus in regnum remittitur, ubi cum luxuriose vixisset, cum justitiam negligeret, cum virgines ac maritas violaret x) desidiæque incumberet, rursus major seditio oritur, scribuntque principes et prelati atque communitates Sigismundo cæsari regnum dare, quamvis ex sua magnitudine archiregnum dici possit; nam quatuor in se continet amplissima. Fateri se tamen Romano imperio subjectos, inquiunt petuntque, uti Sigismundum regem eis tradat auctoritate Romana, nam quem habent regem inutilem dicunt regni pessundatorem. Sed Sigismundum magis vinculum carnis, quam imperii decus movit: postponere namque utilitatem imperii, quam cum justitia tueri poterat, voluit y), quam fratrem relinquere, quem non poterat honeste tueri. Misit igitur oratores in Daciam z) cumque his fecit, uti principes magis

m) De Karoli conatu annis 1448, 1449 Gotlandiam sibi vindicandi, qui perfidia Erici regis et interventione Danorum irritus factus est, cfr. supra p. 223 et 297, 298. n) Seditio archiepiscopi in Februario anni 1457 exorta est, Karolus Holmiam d. 24 Februarii deseruit et d. 27 Februari Gedanum pervenit (v. supra pag, 230). o) Sc. Vratislavi, cujus soror Elisabeth erat mater Sigismundi imperatoris. p) Cfr supra not. g. q) Prima seditio in Svecia an. 1434 erupit, profectio vero Erici ad terram sanctam annis 1423—1425 facta est (v. supra p. 295 not. b). r) I. e. consobrinum. s) Collare est amictus colli. t) Strepa vel stapes, Suetice *stigbygel*. u) Filippa regina an. 1430 vita decessit. Quæ res una cum illo dicto, regem auxilium contra rebelles subjectos petiisse, suspicionem fere movit, hic duas commorationes Erici regis in Prussia anno 1425 et an. 1437, cum re vera subsidium ibi adversus illos quæsiverit, (v. Styffe, Bidrag t. Skand. Hist. II. p. CX) confundi, quamquam etiam monendum est, Wytoldum, qui infra memoratur, an. 1420 obiisse. v) Certum vero est Ericum jam pridem molitum esse, ut Bugislavum, ducem Pomeranensem, consobrinum successorem institueret (v. Styffe, l. c. II. XCII). x) Eadem accusatio supra pag. 129, lin. 4, legitur. y) *Magis* ante *voluit* forte excidit. z) Magnates Daciæ Sigismundo coronam obtulisse nullo alio loco memoratum vidimus, et ipsa res dubia videtur; error forte ex eo natus est, quod Sigismundus antea inter Ericum et Hansam pacem efficere conatus erat.

Digitized by Google

timore quam amore Erico conciliarentur; timebant autem Sigismundum, qui frater ejus erat et imperator. Sicque vivo Sigismundo Ericus regnavit, et eo mortuo, cum vetusta vigerent odia et Erici vitia non essent minora, rursus primates regni ad Albertum Cæsarem mittunt novumque regem petunt a), cujus opera Christophorus rex [o: dux] Bavariæ in regem Daciæ assumptus est, Erico proximus sanguine; sed nec sanguis nec ullum vinculum jura imperii tenet. Ericus igitur ubi se omnibus vidit exosum ac timet impetum furori cedens in Gothiam navigavit, ubi usque in hanc diem inglorius dies agit b).

a) Idem a continuatore Detmari in anno 1438 (supra p. 221) narratur. b) Hoc igitur ante mortem Christophori anno 1448 scriptum est. Ericus an. 1449 Gotlandiam Kristierno I:o tradidit.

XLII.

Ex diversis fontibus Germanicis breviora excerpta.

1. Ex Einhardi Annalibus excerptum.

Editionem in Monumentis rer. Germanic. Tom. I. p. 200 secuti sumus. Einhardus, celeberrimus ille amicus et historiographus Karoli Magni imperatoris, circa an. 770 natus est et an. 844 d. 14 Martii obiit.

(a) *Narrat Einhardus, quomodo post mortem Hemmingi, regis Danorum et filii Godofridi, an. 812 Sigifridus, nepos Godofridi, et Anulo, nepos Herioldi quondam regis, de imperio certantes ambo occumbunt, et postea fratres Anulonis, Herioldus et Reginfridus reges constituuntur. Qui anno 813 ad Westarfoldam* b) *cum exercitu profecti sunt, ut desciscentes principes et populum sub imperio denuo subigeret*). Quibus perdomitis cum revertissent et fratrem ab imperatore missum c) recepissent, filii Godofridi regis d) et ex primoribus Danorum non pauci, qui jam dudum relicta patria apud Sveones exulabant, conparatis undecunque copiis, bellum eis intulerunt et confluentibus ad se passim ex omni Danorum terra popularium turmis, commisso cum eis proelio etiam regno non multo eos labore pepulerunt (*In sequenti auctor res Danicas plus semel memorat, mortem Reginfridi anno 814 et baptizationem Herioldi, quæ an 826 Mogontiaci facta est, describit*).

a) De sequenti expositione cfr. fontes supra p. 156, not. c. citatos. b) Westfold illa terra vocabatur, quæ in occidentali ora illius sita erat sinus, qui versus Kristianiam, metropolim Norvegiæ, extenditur. c) Hemingum, qu captivus apud imperatorem erat. d) Unus ex eorum, Horicus, in anno 827 nominatur.

2. Ex Annalium Bertinianorum parte secunda autore Prudentio Trecensi episcopo.

Secundum editionem in Monumentis rer. Germanic. I. pag. 434. Prudentius obiit anno 861 et res igitur suæ ætatis narrat.

839. — — — Venerunt etiam legati Græcorum a Theophilo imperatore directi a) — — —. Misit etiam cum eis quosdam, qui se, id est gentem suam Rhos b) vocari dicebant, quos rex illorum, Chacanus vocabulo, ad se amicitiæ, sicut asserebant, causa direxerat, petens per memoratam epistolam, quatenus be-

a) Sc. ad imperatorem Lodovicum. b) Inter omnes constat, quanta vehementia docti viri de vi hujus vocabuli *Rhos* certaverint, utrum populum Slavicum an Scandinavicum significet. Si quis hodiernum controversiæ statum et variantem hujus excerpti interpretationem cognoscere velit, inspiciat *Bestushew Rjumin, Geschichte Russlands* (Tom. I. Mitau 1874, in 8:vo, ubi p. 67 omnia fere scripta de hac re composita afferuntur), *P. A. Munch, Om nordboernas forbindelser med Ryssland* etc. (Christiania, 1873, 8:vo) et *E. Kunik, die Berufung der Schwedischen Rodsen* (I et II, S. Petersburg, 1844, 1845, in 8:vo).

Digitized by Google

nignitate imperatoris redeundi facultatem atque auxilium per imperium suum totum habere possent, quoniam itinera, per quæ ad illum Constantinopolim venerant, inter barbaras et nimiæ feritatis gentes immanissimas habuerant, quibus eos, ne forte periculum inciderent, redire noluit. Quorum adventus causam imperator diligentius investigans, comperit eos gentis esse Sueonum, exploratores potius regni illius nostrique quam amicitiæ petitores ratus, penes se eo usque retinendos iudicavit, quod veraciter invenire posset, utrum fideliter eo necne pervenerint; idque Theophilo per memoratos legatos suos atque epistolam intimare non distulit, et quod eos illius amore libenter susceperit, ac si fideles invenirentur, et facultas absque illorum periculo in patriam remeandi daretur, cum auxilio remittendos; sin alias una cum missis nostris ad ejus præsentiam dirigendos, ut quid de talibus fieri deberet, ipse decernendo efficeret.

---

3. E Chronico Thietmari episcopi Merseburgensis.

Thietmarus, filius Sigifridi comitis Walbeccensis, an. 976 natus et an. 1009 episcopus Merseburgensis factus, in hoc officio an. 1018 vita defunctus est. Eventus seculi X:i et ineuntis XI:i in hoc chronico describit, ubi res Danorum et Nortmannorum haud raro tanguntur, res vero nostram historiam attinentes solum duobus locis memorantur. Editionem in Monumentis Germaniæ, Tom. III. p. 723 sqq. secuti sumus.

Liber VI. cap. 54. — — (*Anno 1013 d. 4 Januarii Liewizo archiepiscopus Bremensis obit. Henricus rex, qui obitum ejus jam Merseburgi comperit, ad Magdeburg transit, ubi festum purificationis Mariæ* [*2 Febr.*] *celebrat et Unwano, capellano suo, archiepiscopatum vacantem donat).* Tunc jussu regis et præsentia ejusdem a Gerone archipresule a) cum consensu et auxilio episcoporum Ekkihardi b) et Thurgati c) Unwan ungitur archiantistes. — — — — — — — — — — — — — — — —

Lib. VII. Cap. 28. Sed quia nullus ad comprehendendas aquilonaris regionis varietates, quas natura præ ceteris mirabiles ibidem operatur, et crudeles populi istius executiones sufficit, omitto et de geniminis (!) viperarum, id est filiis Suenni d) persecutoris pauca edissero. Hos peperit ei Miceconis e) filia f), soror Bolizlavi successoris ejus et nati, quæ a viro suimet g) diu depulsa, non minimam cum ceteris perpessa est controversiam (*Describitur deinde, quomodo filii, Harold et Cnut, Svenonem tumulent et ulsiscendi causa Angliam an. 1016 adoriantur*). — — — — — — — — — — — — — — — —

a) Se Magdeburgensi. b) Slesvicensi. c) Episcopus Scarensis erat et circa annum 1029 mortuus est (v. Adamum Bremensem supra pag. 163 not. 1 et x). d) Sven Tveskägg, rex Danorum, qui an. 1014, d. 2 Febr. in Anglia mortuus est. e) Miseco, dux Poloniæ, an. 992 obiit (v. Thietmarum lib, IV. cap. 37). f) Gunnhild a scriptoribus Islandicis vocatur; uxor Svenonis in primis nuptiis erat, sed ab eo rejecta ad patriam rediit et deinde Erico Segersäll in matrimonio datur. De obscuritate, qua horum regum nuptia, quia uxores quasi permutarunt, involutæ sunt, vide quæ diximus supra pag. 160 not f. Commentatores Germanici Sigridem Storråda hic respici minus recte putaverunt, quia ignoraverunt eam Svenonis secundam uxorem fuisse. g) Sc. Svenone.

---

4. Ex necrologio monasterii s. Michaelis Luneburgensis.

Anton Kristian Wedekind hoc an. 1833 Brunsvici in 8:vo edidit; ætatem codicis et speciem idem alio loco (Noten zu einigen Geschichtsschreibern etc. Hamburg, 1823, I. p. 327 sqq.) descripsit; vetustissima manus necrologii, a qua sequentia excerpta originem ducunt, ad finem seculi XII:i pertinet, sed, ut Wedekind observavit, scriptor aliud antiquius necrologium, in quo nihil spatii pro annotando restabat, descripsit.

XIIII Kal. Aprilis. Theodori martiris. Obiit Godescalk episcopus a). — — — — — — —
VIIII Kal. Aprilis. Seleuci et Agapiti. — — — et Thurgat episcopus b). — — — — — —
V Kal. Novembris. Simonis et Jude apostolorum. Obiit Athalwardus episcopus c). — — — —

a) Post mortem sequentis Thurgoti an. 1029 ejus successor, ut episcopus Scarensis, fit, sed Sveciam numquam adiit (v Adamum Bremensem supra p. 163, not. v). Adhuc anno 1048 d. 12 Martii vivit, cum ecclesia in Luneburg eo præsente consecratur (v. Wedekind, Noten etc. I. p. 420). b) Vide Chron. Thietmari hic supra et Adamum Brem. supra pag. 163 not. x. c) Forte noster Athalwardus junior, episcopus Sictunensis, qui inter annos 1069—1072 obiit (cfr. supra pag. 166, not. o et 173, not. a), hic respicitur.

Digitized by Google

5. E Chronico Gozecensi.

Ex monasterio Gozecensi, hodie Goseck inter urbes Naumburg et Weissenfels, hoc chronicon in quo fata monasterii inter annos 1041—1153 traduntur, nomen accepit. Scriptorem circa tempus, quo opus substiterit, vixisse certum est. Editionem in Monumentis Germaniæ, X. pag. 140 sqq. secuti sumus.

Lib. 1. cap. 10. Ipsis in temporibus a) abbas Hilthinus per archiepiscopum in Dacia episcopus ordinatur b) et Sindrammus, qui et Sinzo c), natione Thuringus, vir ut creditur bone religionis, loco ejus subrogatus est. Verum abbas Hilthinus episcopus factus, cum per duos fere annos arguendo, obsecrando gregi sibi credito invigilaret, nec tamen verbo et exemplo præeunti consentientem perspiceret, suscepti regiminis pondera sero licet sibi doluit imposita et verens, ne, dum diutius in eis frustra laboraret, suæmet salutis curam negligeret, virgam pastolarem archiepiscopo reddidit et unde venerat huc se recepit d). — — —

a) In capite præcedente eventus anni 1056 memoratur, unde concludendum videtur, Hilthini in Sveciam ordinationem paulo post evenisse. Editor qvidem Germanus dubitat, numne hoc an. 1062 acciderit, quia Hilthini successor Sindrammus anno 1062, *ordinationis suæ anno* obiisse dicitur, quæ verba editor ita interpretatur, ut Sindrammus ipso ordinationis anno obierit. Apertum autem est quoddam signum numerorum ut VI, vel tale aliquid excidisse, et monendum est alium codicem "ordinationis suæ anno XIV" habere. b) Pro Dacia legi debet: Svecia; ut Adamus Bremensis (vida supra) nobis docet, qui (lib. III. 70 et lib. IV. 20) Hilthinum ab archiepiscopo Adalberto episcopum Bircensem ordinatum et mutato nomine Johannem appellatum fuisse tradit. c) *Vocabatur* hic desideratur. d) Annalista Saxo (v. excerptum infra), Johannem episcopum Bircensem an. 1071 d. 13 Junii Halberstadtii sepulturæ Burchardi episcopi interfuisse narrat.

---

6. Ex Vita Wolfhelmi abbatis Brunwilarensis a).

Hæc vita in Monumentis Germaniæ Tom XII edita est, ubi monstratur autorem Conradum, monachum Brunwilarensem, inter annos 1110 et 1123 hanc vitam conscripsisse; ipse Wolfhelmus jam an. 1091, die 22 Aprilis mortuus est. Ad quem annum sequens excerptum (pag. 192), sit referendum, non satis elucet.

— — — Unde b) nimirum, ut par erat, mente consternatus c), absque morarum dilatione Coloniensis ecclesiæ præsulem adiit, illi, quæ gesta fuerant, ordine exposuit. Cuius mentis dolori ille condolens, datis etiam sanctorum reliquiis, evocatum ad se direxit cum eo quendam Hezelinum, Scarnensis sedis antistitem d), ut sua vice prædictum locum, quia episcopii sui diocesis erat, deo consecraret et ejus servitiis manciparet e). —

a) Hodie *Brauweiler* paulo a Colonia urbe distans. Monasterium ordinis Benedictini ibi an. 1028 fundatum est. b) Sc. de quodam omine. c) Sc. ipse Wolfhelmus. d) Lege: Acilinus, Scarensis antistes, quem Adamus Bremensis (in libro III, cap. 70 et lib. IV. cap. 23, vide supra pag. 167 et 171) ab archiepiscopo Bremensi in episcopum Scarensem (circa 1067 vel 68) ordinatum fuisse, sed labores timentem Coloniæ usque ad obitum mansisse narrat. e) Seqventia nos non attinent.

---

7. Ex Annalista Saxone.

Editionem Waitzii in Monumentis Germaniæ, Tom. VI. pag. 542—777, in excerptis adhibuibus. Liber in anno 1139 desinit, sed scriptor serius circa medium seculum XII:m vixisse videtur.

A. d. 1071 — — — Eodem anno dominus Burchardus sive Bucco Halberstadensis episcopus principale monasterium in Halberstad 12:mo post combustionem anno consummatum, indictione 9, epacta 17, concurrente 5, anno cicli lunaris 5, cicli decennovennalis 8, honorofice dedicavit in secunda feria pentecostes, Idus Junii a); prosecuti sunt eum 7 episcopi in misterio septiformis spiritus sancti in laudem regis regum deputati; in 2:do post ipsum loco Adalbertus, Bremensis archiepiscopus, 3:o Ricbertus Fardensis, 4:o Werinherus Argentinensis, 5:o Benno Osnabruggensis, 6:o Thietgrimus Brandeburgensis. 7:o Bircensis nomine Johannes b). — — — — — — — — — — — — — — — — — — —

a) D. 13 Junii. b) Abbas Gozecensis, nomine Hilthinus, erat, cum Adalbertus, archiepiscopus Bremensis, eum an. 1056 vel paulo postea episcopum in Birca in Svecia nominavit nomenque ad Johannem mutavit. Vide Chronicon Gocezense mmediate supra et locos ex Adamo Bremensi ibi memoratos.

Digitized by Google

A. d. 1123. — — — Adalbero Bremensis archiepiscopus post Fridericum, qui 3 Kal. Februarii obierat, canonice electus, pro reposcenda pallii dignitate Romam vadit. Ibi a domino apostolico Calixto honorifice excipitur, in archiepiscopum ab eo consecratur, habitaque sinodo, canonico et judiciario ordine pallium obtinuit negligentia duorum antecessorum suorum amissum et in Danos translatum c). Antiqua enim et nobilis illa Bremensis ecclesia jure metropolitano super Danos et Suethos et Norvegos et Scridevingos principatum habuit. Addidit quoque dominus apostolicus hanc auctoritatem, ut predicte ecclesie pontifex liberam predicandi licentiam habeat, quousque terra ad oceanum versus partes illas extenditur. His ita actis in hoc quoque dominus papa honorem sibi adauxit, quod quendam bone conversationis clericum, qui secum Romam venerat, Suethis episcopum ordinavit d). — — — — — — — — — — — — —

c) "Hæc in diplomate de pallio concesso non leguntur, ita ut alterum hujus argumenti deperditum esse videatur; cfr. Lappenberg cod. dipl. Hamb. p. 126", Waitzius. — Archiepiscopatum Lundensem an. 1104 a ditione Bremensis diocesis separatum esse eique primatum regnorum aquilonarium tributum esse superfluum fere est memorare. d) Quis fuerit, nescimus. Forte ille Siwardus, Obsalensis episcopus, qui an. 1141 d. 11 Juli et 1142 sine die Bremæ literas Adalberonis archiepiscopi Bremensis testatur. (Bremisches Urk. Buch. I. n. 33 et 35). De hoc Siwardi ex diocesi Upsalensi expulsione aliquid ante annum 1134 cfr. infra excerptum ex Hist. de fundatione monasterii Rastedensis.

---

8. Ex Helmoldi presbyteri Chronicis Slavorum.

Scriptor ille memorabilis, cui historiæ Germaniæ et Daniæ tanta debent, in priore parte seculi XII:i natus et nonnihil post annum 1171, in quo Chronica ejus terminantur, mortuus esse videtur. Liber ejus in Monumentis Germaniæ, Tom. XXI. pag. 1—99 novissime prodiit.

Lib. I. cap. 85. — — (*Lubeca urbs igne consumpta est anno 1157, sed jussu Henrici Leonis, ducis Saxoniæ, reædificatur).* Et transmisit dux nuncios ad civitates et regna aquilonis, Daniam, Svediam a), Norwegiam, Ruciam offerens eis pacem, ut haberent liberum commeatum adeundi civitatem suam Lubike. —

a) Anno 1163 d. 18 Octobris Henricus Leo, pace inter Teutonicos et Gutenses composita, his diversa privilegia et libertates in suis terris concedit (Lubeck. Urk. Buch. I. n. III). Birgerus dux junior in privilegiis Lubicensibus datis sine anno (1250—1259) "tractatum, quem illustres principes — rex Sveorum, Kanutus [1167—1196], Dux Saxoniæ Henricus et Byrgerus, dux Sveorum, inter Theutonicos et Sveos antiqvitus firmaverunt" memorat. (Diplomat. Svecan. I. n. 846).

---

9. Ex Chronico rhytmico Livonico Detlevi de Alnpeke.

Hoc chronicon, quod in fine seculi XIII:i compositum res in Livonia usque ad annum 1290 gestas persequitur, in Scriptoribus rerum Livonicarum, I. p. 521 sqq. (Riga et Leipzig 1853) insertum est. Nostram historiam solum sequens excerptum (pag. 543) de clade Svecorum in Estonia an. 1220 attinet, quam Henricus Lettus (supra n. XXXIX) melius et diligentius descripsit.

In die Wic a) da quamen sider b)
Die Sweden dar mit groser craft;
Die wurden bie in wonhaft,
Ein bischoff c) vnn [ɔ: unde] volkes gnuc.
Als sie die see dar ubir truc,
Die buweten in das lant ein hus d).
Als die katze mit der mus,
Spielten die Oselere.
Den Sweden ward is swere.
Das hus gewunnen sie in an.
Nie kein ir entran;
Sie slugen sie algemeine tot.
Der bischof leit die selbe not e);
So man die warheit sprechen wil
Do half sin bannen masen f) vil.

a) Ora maritima occidentalis Estoniæ. b) Scriptor supra bellum a militibus ordinis contra Osilienses et pugnam apud Karidal in Estonia ineunte anno 1220 exposuit. c) Karolus Lincopensis, v. Henricum Lettum, supra pag. 316 not. a. d) Castrum Lealense non aedificabant, sed occupabant, vide l. c. e) Die 8 Augusti 1220 vide l. c. not. b. f) Modice, mediocriter.

Digitized by Google

10. Ex Chronico principum Saxoniæ.

Sequens excerptum hausimus ex *Meklemburgisches Urkunden Buch* I. n. 392. Ipsum Chronicon, quod ante annum 1290 compositum est, nondum integrum typis impressum est.

— — — Juttam a), quam duxit Nicolaus dominus de Werle, et genuit Johannem, qui duxit filiam Guntheri de Repin, [et] Henricum seniorem, qui duxit Rixam filiam regis Sveciæ b).

a) Filia Henrici I:i de Anhalt, qui an. 1252 obiit. Nuptiæ ejus cum Nicolao circa 1231 factæ sunt. b) Filia erat Birgeri ducis junioris († 1266). Post mortem prioris viri, Haquini junioris regis Norvegiæ an. 1257, huic Henrico anno 1262 nupta est (v. supra pag. 5, not. g); an. 1288, d. 13 Decembris Nicolaus et Henricus, domicelli de Werle, mortuam matrem Rickeze dominam de Werle, quondam reginam Sveciæ memorant (Mekl. Urkund. Buch, III. n. 1989; eædem literæ in Diplomatario Suecano I. n. 887 perperam ad annum 1282 relatæ sunt).

---

11. Ex Necrologio Altenbiesano.

Sequentem annotationem non ex ipso necrologio, quod videre nobis non licuit, sed ex Scriptoribus rerum Prussicarum, II. pag. 41, not. 3 sumsimus, ubi fons *das Altenbiesener necrolog aus der ersten hälfte des XIV jahrh. bei Bachem, Versuch einer chronologie der Hochmeister des teutschen Ordens u. s. w. Munster 1802. 4:to s. 21, anm. e. zum 13 Julii* esse dicitur.

(1260) Eodem die a) fuit occisus magister Lyfonie, frater Borgardus de Horenhusen, et cum eo centum et xxxvi fratres et dominus Karolus dux de Sweden b) cum tota familia sua, et multi alii obierunt in conflictu christianorum in nomine Jhesu Christi.

a) Sc. d. 13 Julii. Annus erat 1260 (non 1261), cfr. SS. rer. Prussic. I. pag. 97, not. 2 et *Mittheilungen aus Livl. Gesch.* 3 p. 433. Pugna apud Durben, fluvium in Curonia, commissa est; paroecia hujus nominis adhuc exstat. b) Filius erat Ulfonis Fase ducis, qui an. 1248 obiit, cujus pater Karolus dux an. 1220 in Estonia occisus est (v. supra Henricum Lettum p. 316). Mors ejus in Chronico Rhythmico (supra Tom. I. 2. pag. 8) describitur; de testamento ejus cfr. Strinnholm, Svenska folkets hist. IV. p. 414, not. 976.

---

12. Ex Annalibus Polonorum.

Secundum editionem in Monumentis Germaniæ, XIX. pag. 651; apud Bielowski, Monumenta Poloniæ Historica, Tom. 2, pag. 826 postea prodierunt. In priore parte seculi XIV:i compositi sunt.

1285. — — — Eodem anno dux Primislius maioris Polonie duxit uxorem, filiam regis Suecie, nomine Rithcsam in octavis sancti Francisci a). — — — — — — — — — — — — —

a) Die 11 Octobris. Rikizza filia erat Waldemari I:i, cui Magnus frater an. 1275 regnum eripuerat; Chron. Rhythm. (supra Tom. I. 2. p. 12) nuptias Nycopiæ celebratas esse narrat. Dlugossus (Historiæ Polonicæ Lib. VII. p. 840), qui rem ad annum 1287 perperam refert, solennitatem nuptiarum d. 11 Octobris Posnaniæ celebratam esse narrat. Primislaus an. 1295 rex Poloniæ inunctus, sequenti anno interfectus est; Rikiza uxor filiam ei an. 1288 pepererat (v. eosdem Ann. Polonorum).

---

13. Ex Annalibus Mosomagensibus a) excerpta.

Secundum editionem in Monumentis Germaniæ III. pag. 165. Annales a diversis sunt scripti et in annum 1371 perducti; in fine annotatio de anno 1452 postea subjuncta est.

1335 Fuit crudelis ventus in multis locis et fecit multa mala maxime in ecclesiis, scilicet in ecclesia beate Marie de Letanne. Eodem anno defunctus est in Prussia Johannes comes Namurcensis et nobilissimus, homo potens in armis; cui successit Guido frater ejus. Ipso anno accepit rex de Norwegue et Suesse sororem eorum in matrimonio b).

a) Hodie "Pont à Mousson" apud Mosam flumen. b) Nuptiæ Magni regis et Blancæ, comitissæ Namurcensis, paulo ante d. 7 Novembris an. 1335 in Norvegia celebratæ esse videntur (cfr. Munch, Norges Historie, Anden Hovedafd p. 187 319 et 320).

Digitized by Google

14. Ex Chronico Johannis Vitodurani.

Scriptor in *Winterthur* in Helvetia ineunte seculo XIV:o natus ordinem s. Francisci intravit et annis 1340—1347 hoc chronicon composuit, quod in anno 1347 terminatur. Nos editione, quam Georgius Wyss, *Zürich* 1856, 8:vo curavit, usi sumus; jam antea Eccardus illud in Corpore historicorum, I. p. 1733 sqq. inseruit.

Anno domino MCCCXLII. — — — Anno eodem rex Dacie habens in auxilio unum dominum de Locha Swevum cum CCC galeatis et confligens cum rege Swecie prostravit de pocioribus regni illius CCC cum L, exceptis vulgaribus valde multis a). Propter quam cedem dominus de Locha cum suis conmilitonibus ultra manere non audens cum multa pecunia adepta per regem Dacie reversus est locupletatus b).

— —

Anno domini MCCCXLV c). — — — Circiter ista tempora dum quidam nobiles dicti de Lochem, Swevi regi Dacie auxilium contra suum hostem ut puto regem Norwegie vel Swecie pro stipendio pingwi cum multis galeatis prestarent, accidit, paganos alteri ex predictis regibus subactos ecclesiam quandam violenter hora misse subintrare. Dum autem unus ex illis prespitero celebranti in altari interim hostiam consecratam temere abstulisset et eum alter paganus propter hoc nimium dolentem cerneret, socio suo raptori hostie suggessit dicens: "Redde illi tortulam d) ablatam, quia video quod medullitus e) pro ejus amissione est consternatus." Ecce qualiter sacramentum sacramentorum per ignoranciam et infidelitatem, quandoque vero per maliciam, contempnitur et irridetur in fidei non modicum detrimentum! — — — —

a) Hæc pugna die 26 Junii an. 1342 apud Havniam commissa est (cfr. supra Chron. Sialandiæ pag. 114 et Chron. Detmari pag. 185, 186). b) Ad Ludovicum, marchionem Brandenburgensem, militatum abiit. c) Lege: 1342, sequentia enim aperte ad idem tempus, ac præcedens exceptum, pertinent. d) Panis species. e) Perfecte, plene.

---

15. Ex scriptis Petri de Suchenwirt.

Petrus de Suchenwirt poeta erat, qui in posteriore parte seculi XIV:i (adhuc an. 1395 vixit) apud curias principum, præsertim Viennæ, versabatur et heroes suæ ætatis versibus celebravit. Scripta ejus ab *Aloys Primisser*, an. 1827, Viennæ in 8:vo edita sunt.

XIV. Von hern Fridreichen dem Chreuzzpekch a).

— — — — — — — — — — —
Von Eysenburk b) für er gen Sweden
Uber di see mit snellem rat,
Gen Stocholb c) in di guten stat,
Do er den chunig von Sweden vant;
Mit dem so für er altzu hant
Gen Reuzzen wider zu dem mal d):
Gevridet wart des chuniges schal e).
Man sach in chainer lazhait phlegen f),
Von Reuzzen hin gen Orbegen g),
Gen Trunthaim wol tzway hundert meil,
Gen Schottlant er mit schneller eyl
Fur, und dar nach in Engelant.
— — — — — — — — — —

XVII. Von hern Friedreichen von Lochen h).

— — — — — — — — — — —
Darnach der hoch genenndich i)
Sein lob behaust in eren sarkch k),
Und ward marschalich in Tennemarkch
Dez edeln chuniges Woldmar,
Der nahen waz vertriben gar,
Dem half er durich gelingen l)
Das gantze lant betwingen:
Arm und reich im swürn.
Darnach die Holtzen fürn
In daz lant mit grozzer macht
Und wuesten paidew m) tag und nacht
Lant und leut in Tennemarkch.
Nu waz der chunich nicht so starch,
Daz er zu den zeiten
Mecht mit den Holtzen streiten.
Dem edeln tet der schade we;
Er sigelt pald her über se.
Daz schult ir wol gelauben,
Anderhalb hundert hauben

a) Hodie Krebsbach. Fredericus, qui pugnandi amore incitatus, totam Europam pluries pervagatus est, an. 1360 obiit. b) Isborsk apud Pskow, ubi contra Ruthenos pugnaverat. c) Lege: Stockholm. d) Hoc anno 1348 contigit, cfr. supra pag. 186. e) Primisser hoc ita vertit: expeditio regis finita est. *Schall* vero significat "rumor"; hic fortasse "rumoris cupiditas." f) Nullam in eo (Chrewzpek) ignaviam videre licuit. g) Lege: Norwegen. h) Cfr. de eo præcedens Chronicon Johannis Vitodurani. i) *Genenndich*, animosus, fortis. k) Proprie: laudes suas in depositorio earum servavit; i. e. honorem acquisitum bene tuitus est. l) Feliciter. m) *Beide.*

Digitized by Google

Versolt er auf sein selbez guet n):
Hin wider zogt der muetez fruet o),
Do worden durich di vrowen
Di Holtzen ser verhawen p),
Als man durich die mynne q) phligt,
Schir r) verlorn, schir gesigt,
Jezunt unden, iezunt oben.
s) Mit swert, mit glaefen ward geschoben
Ye ayner von dem andern,
Man hort von den galandern t)
Gar wenig suezzes singen,
Nur di scharffen chlingen
Di gaben auf den helm chlanch.
Ye ayner für den andern dranch:
Di chrey u) man ruefte paide seit!
Der edel druchte durich den streit
Pald widerumb und aber dar:
Er nam der veinde mændleich war,
Pis man im dez siges iach v).
Vor Choppenhagen daz geschach,
Den streit gesigt der wandels frey,
Da waz der chünikch nicht selber pey.
Der muetez frech mit wernder hant
Wehub x) dem chünig zwir daz lant.
— — — — — — — — — —

n) Centum quinquaginta galeas (i. e. galeatos) suo sumptu conduxit. o) Alacri animo. p) Arrogantes vel negligentes facti sunt? q) Per amorem. r) Mox. s) Jam descriptio pugnæ Havniensis d. 26 Juni 1342 sequitur. t) "Eisvogel, die Haubenlerche (*galerita*) vom Latein. *caliendrum*, Haarhaube." Primisser. u) Clamor bellicus. v) *Jechen* est fateri, concedere; hic igitur "donec (hostes) ipsi victoriam concederent." x) Pro *behub*, servavit, defendit.

16. Ex Vitis pontificum 1289—1418 anonymo autore.

Hæ vitæ pontificum apud Eccardum, Corpus Historicorum I. p. 1461—1550 impressæ per illum celeberrimo Theodorico de Niem auctori ascriptæ sunt. Th. Lindner vero in *Forschungen zur deutschen Geschichte, Göttingen 1872* p. 235—251 eas compilationem quandam, quæ Theodoricum minime attingit, esse demonstravit, cujus ultima pars (ab Urbano V:o) nihil est, nisi descripta ex illis vitis pontificum, quas Muratori in Scriptoribus rer. Italicarum, Tom. III. 2 ut addimenta ad Ptolomæum Lucensem ex m:sto Patavino inseruit. Quæ vero excerpta infra damus, in hoc manuscripto Patavino desiderantur, et igitur additamenta sunt illius anonymi auctoris, qui decetero hoc manuscriptum fideliter descripsit.

a) Similiter beata Catharina, filia sancta Brigittæ, laborans pro canonizatione suæ matris, loquendo cum Urbano aliquot dies ante suam electionem b) dixit: reverende pater, cum deus dederit vobis benefacere, sitis memor matris meæ vobis notæ in vita; et audiendo ipsam lepidam et claram in lingua, dixit interrogando; quamdiu suxisti mammas matris tuæ, quia mater in lingua lepida [erat], sed tu excellis eam; hæc in sancto Petro ante electionem trium dierum. — — — — — — — — — — — — —

(*Bonifacius IX d. 2 Novembris 1389 eligitur*). Anno secundo canonizavit sanctam Brigitam c) viduam de Svecia, mortuam Romæ sub Gregorio XI anno domini 1353 d) die Apollinaris e), quæ jussu dei stabat Romæ XXX annos f) cum familia XX personarum.

a) Sequentia apud Eccardum p. 1530, 31 leguntur. b) Urbanus VI. d. 9 Aprilis 1378 papa electus est. Diarium Vastenense hanc Katerinæ propositionem de matris canonizatione ad annum 1379 refert (supra Tom. I. 1. p. 101); sed 1379 ad 1378 est corrigendum, quia ibidem confirmatio Urbani VI:i super regula s. Salvatoris d. 3 Dec. ejusdem anni data esse dicitur, et hæc bulla d. 3 Dec. 1378 scripta est (v. infra sect. 2. p. 260, not. e). Præterea Urbanus VI jam die 15 Dec. 1378 quatuor cardinalibus hoc negotium de s. Birgittæ canonizatione mandaverat (v. infra sect. 2. p. 218). Katerina igitur a vere anni 1378 per duos annos Romæ morabatur, nam primum in mense Julio anni 1380 in Sveciam reversus est (v. sect. 2. p. 215, not. s et p. 261, not. m). c) Die 7 Octobris an. 1391 (v. infra sect. 2, pag. 241 descriptionem ipsius canonisationis). d) Apertus lapsus calami pro 1373. e) Die 25 Julii sc. an. 1373 (v. infra sect. 2 pag. 223). f) Solum XXIV annos, quia an. 1349 Sveciam reliquit (v. infra sect. 2. pag. 202, not. o).

17. Ex Annalibus Hamburgensibus 1388—1413.

Hos exiguos annales, qui in anno 1457 compositi sunt, J. M. Lappenberg in opere *Hamburgische Chroniken*, Hamburg 1861, 8:vo (pag. 227, 228) typis edidit.

Anno XIII^{c} LXXXIX iar uppe sunte Mathias dach a) vorloes koning Alberd van Sweden den stryd vor Axswolde. Des is nu vorgan LXVIII iar. — — — — — — — — — — — — —

Anno XIIII^{c} XII iar b) do starf de koninginne van Dennemarke to schepe vp enem stole — XLV.

a) Die 24 Februarii. b) Obiit nocte inter d. 27 et 28 Octobris.

Digitized by Google

18. Ex Continuatione Chronici Petri de Dusburg Conrado Bitschin auctore.

Conradus Bitschin, secretarius urbis Culmensis jam an. 1431, Chronicon Dusburgi in annum 1435 continuavit; opus ejus Scriptoribus rerum Prussicarum III. p. 472 sqq. insertum est, unde hoc excerptum sumsimus.

De lite Danorum et civitatum Hense.

Anno domini MCCCCXXII lis oritur inter regem Dacie et dominos duces Holsacie, civitatibus de Hensa eisdem adherentibus a), que per inclytum principem dominum Henricum juniorem ducem Glogovie, alias Rumpolt nominatum, in ambasiata domini regis Romanorum illuc transmissum, ad laudabilem composicionem reducitur, eodem duce in dicta ambasiata ibidem carnis debitum exsolvente b). Quo defuncto predicta litis materia ex Danorum perfidia post paucorum annorum curricula, videlicet anno domini XXVII renovatur c), et fuit error posterior pejor priore. In eadem etenim gwerra plures commendabiles mercatores, concives et nautici tam de Prussia quam de civitatibus Hense predictis in rebus et in corporibus damnabiliter periclitantur. Deinde predicto anno post divisionem apostolorum d) paucis diebus rex Danorum cum suis complicibus armatam classem civitatum predictarum in portu Sundensi e) hostiliter obruit et invasit, eos abinde potenter expellendo et nonnullos cum navibus capiendo. Et insuper post pauca classem XXXVI f) navium cum inestimabili mercium copia onustarum, de Baye g) Prussiam petencium, in eodem portu invasit hostiliter, et obtinuit homines cum bonis et navibus, capiendo et miserabiliter trucidando h). Extunc dissensiones, controversie et discordie in civitatibus oriuntur, ita quod nonnulli superiores captivantur, aliqui eciam capitali supplicio puniuntur, in Lubeck Tiedemannus Steyn et in Wismaria Ioannes Bantzkow. — —

a) Bellum inter regem et comites jam an. 1409 exortum est, sed urbes Hanseaticæ demum an. 1422 ad horum partes se contulerunt. b) Obiit an. 1423. De indutiis per eum effectis cfr. contin. Detmari (*Grautoff, Lubeck. Chroniken*, II. 33, 34), ubi tamen 1423 ad 1422 corrigendum est. c) Jam an. 1426 v. supra p. 211. d) Post d. 15 Julii. an. 1427. Proelium d. 22 Julii contigit (v. supra pag. 214, not. b). e) Id est in fretu Öresund. f) Alius codex: XXVI. g) In Britannia Gallica v. supra pag. 211, not. b. h) De hac clade cfr. supra 215, 216.

---

19. Ex historiis fundationum monasteriorum Bavariæ Andrea presbytero Ratisbonensi auctore.

In priore parte seculi XV:i ille scriptor vixit. Opusculum citatum, ex quo sequens excerptum sumsimus, appendicis loco ejusdem auctoris Chronico de ducibus Bavariæ annexum est, quod an. 1602 in 4:to Ambergæ editum est. Eadem res legitur in alio ejusdem Andreæ Chronico apud Eccardum, Corpus Historicorum, I. p. 2154.

Anno MCCCCXXVI qvarto nonas Martii obiit Catharina, ducissa Pomeranorum, uxor Johannis ducis Bavariæ a), filii Ruperti regis, in Newmarck tumulata. Hæc est fundatrix monasterii Montis Gratiæ b) de ordine Salvatoris, qui et s. Brigittæ dicitur, non multum inde distantis.

a) Mater Christophori regis Daciæ, Sveciæ et Norvegiæ. b) I. e. Gnadenberg. De situ cfr. infra sect. II. p. 298, not. e.

---

20. Ex archiepiscopatus Bremensis Chronico Henrico Woltero auctore.

Hoc chronicon, in quo fata archiepiscoporum Bremensium a primis temporibus usque ad annum 1463, in quo desinit, enarrantur, ab Henrico Woltero, canonico quondam Bremensi, qui circa medium seculum XV:m vixit, compositum est, cui eidem auctori Chronicon quoque Rastedense, quæ quidem nunc est ejus forma, attribui certe potest (v. n. 23 infra). Fontes ejus inquirere et afferre nos non attinet, cum unum solum excerptum ex eo sumsimus, quod ut statim apparet, ipse, fere ut testis oculatus, eodem tempore annotaverit. Chronicon apud Meibomium Script. rer. Germanicarum, Tom. II. 1—82 editum est. Quod Johannes Schiphowerus in Chronico Archicomitum Oldenburgensium (apud Meibomium l. c. 121—192) de eadem re narrat, ex Woltero ad verbum fere aperte hausit.

Digitized by Google

Deinde anno domini MCCCCL circa festum assumtionis Mariæ tertia die a) venit quidam cubicularius papæ, nobilis b), etiam doctor, archipræpositus Upsaliensis c) de curia Romana et transivit tribus vel quatuor equis et curru similiter duobus equis cum valisiis suis. Et cum venisset in opidum Delmenhorst, Gerhardus comes de Oldenborg ibidem captivavit eum et suos, et spoliavit primo equis, valisiis et literis legationum et mandatorum suorum ad civitates et reges. Postquam hoc capitulo innotuit Bremensi, fecerunt dominum comitem Gerhardum moneri et requiri per præpositum ecclesiæ s. Alexandri Wildeshusensis, ut dimitteret eundem; alias oporteret eos per districtum diocesis imo totius provinciæ cessare a divinis et servare ecclesiasticum interdictum, qui renuit. Item secundo monitus est literis capituli et totius Bremensis consulatus, et nihil profecerunt. Sed idem equitavit in civitatem Bremensem ipsa die Magni d) in castrum Schonebeke ad vasallos istos. Tunc archiepiscopus Bremensis Gerhardus fecit monere Gerhardum per quosdam secretim pro liberando hujusmodi nuncio papæ, quia et idem concernebat ejus juramentum: tunc statim comes fugam cepit in Delmenhorst. Postera autem die idem archiepiscopus convenit cum capitulo Bremæ, et conceptæ sunt literæ excommunicationis, et idem archiepiscopus Gerhardus Gerhardum comitem monitum et requisitum realiter excommunicavit in scriptis et excommunicationis literas per diocesin et provinciam direxit, et posuit generale ubique interdictum suorum. Et sic cum literæ excommunicationis et interdicti venerunt Hamborg, statim præpositus et decanus cum capitulo elaborare cœperunt cum duce Slesuicensi, quod de consilio episcopi Lubecensis et aliorum sine intermissione inclytus dux Adolfus ad nepotem suum Gerhardum mitteret et redditis suis præpositum Upsaliensem captivum et integro quitaret et secum absque mora componeret, alias posset maledici usque in quartam generationem a papa, quia impediret delatorem literarum suarum sacerdotem et prælatum captivando. Et sic præposito Hamburgensi ipso die Nativitatis e) veniente hac ipsa de caussa absolutus et liberatus est idem præpositus Upsaliensis, doctor decretorum nobilis et papæ cubicularius f), et reddita sunt sibi bona sua ex integro: et Christianus g) secum secrete pepigit, ut idem dominus præpositus captus sibi injuriam h), quam comes sibi fecit. Et sic comes Gerhardus ab archiepiscopo Bremensi procuravit, quantum in eo fuit: sed de sede apostolica contempta et suis se non intromisit, et de facto domino liberato realiter et effective resolutum est interdictum, quod archiepiscopus etiam in scriptis relaxavit.

a) Scriptor forte "feriam tertiam" post assumptionem Mariæ, i. e. diem 18 Augusti respicit. b) Arma ejus nobilia apud Peringsköld, Monum. Ullerakerensia p. 195 describuntur. c) Birgerus Magni vocabatur et postea episcopus Arosiensis (1462—1464) nominatus est (v. infra sect. 2. pag. 127). Nicolaus V. papa bulla d. 12 Junii 1450 Romæ data eum collectorem suum generalem in regnis aquilonis instituerat (v. Diplomat. Norvegic. VI. n. 532). d) Die 6 Septembris. e) Die 8 Septembris. f) Jam d. 15 Octobris Birgerus Magni Lubecæ literas signat (v. Styffe, Bidrag t. Skand. Hist. III. n. 17). g) Kristiernus rex Daniæ, cujus impulsu hæc captivatio profecto facta est, ut ea, quæ Karolus, rex Sveciæ, per eundem Birgerum Magni apud curiam impetrasset, in effectu impedirentur. h) "Ignosceret" vel tale aliquid excidit.

21. Ex Chronico juniore magistrorum ordinis Teutonici.

Liber, qui *Die Jüngere Hochmeister Chronik* hodie inscribitur, exeunte seculo XV:o compositus exiguam auctoritatem historicam possidet. Editionem in Scriptoribus rerum Prussicarum V. pag. 1 sqq. in excerptis (pag. 122 et 141 ibidem sumtis) adhibuimus.

Daer nae a) lange jaren by des paeus Urbanus sextus tyden soe werff die eerwerdighe Katherina, s. Brigitten dochter, aen den voirseiden paeus Urbanus dese selve gracien ende offlaten plenissimam remissionem omnium peccatorum eens des jairs opten yrsten dach van der oostmaent b) in Zweeden in o[nsen] l[even] vr[ouwen] kerck, daer s. Brigitten lichaem rust, gheheiten Watsteyn in allen manieren, als dat tot Romen is in s. Peters kerck ad vincula op s. Peters dach ad vincula, ende wert ghegeuen in Urbani ierste jair c).

— —

(Rex Poloniæ cum militibus conductitiis, qui castrum Marienburg in Prussia occidentali defenderunt, ita egit, ut pro certa pecuniæ summa illud sibi traderent d)*).* Ende die gelden daer thoe leenden Kaerl Kunutze, die uyt Sweden verdreven was e). Aldus wert die hoichmeister Marienborch quyt.

a) Scriptor Pelagium secundum papam festum s. Petri ad vincula in die 1 Augusti instituisse narrat. b) Aliud MS.: *Ostermaent.* Mensis Augusti interdum hoc nomen fert. c) Hæc bulla Urbani sexti III. Kal. Julii anno pontificatus primo (1378) data est (v. Celse, Bullarium Svio-Goth. p. 138). d) Die 4 Juni 1457 Marienborg portas aperuit (Voigt, Gesch. Preussens, VIII. 530). e) Kasimirus, rex Poloniæ, d. 11 Augusti se 6200 marcas Karolo Knutsson regi debere agnoscit (v. Handl. rör. Skand. Hist. XXXVI. s. 23).

Digitized by Google

22. Ex Historia de fundatione monasterii Rastedensis.

Hic libellus fata monasterii Rastedensis *) a fundatione in medio seculo XI:o usque ad finem seculi XIII:i breviter describit. Unus codex solum in archivo Oldenburgensi exstat, qui in membrana vergente seculo tertio decimo scriptus esse videtur, quamvis alia manus e priore parte sequentis seculi deinde nonnullas res diversis locis addidit; quæ nos infra excerpsimus, illi antiquiori manu e seculo XIII:o debentur. Hanc historiam J. M. Lappenberg primus accurate descripsit et edidit apud *Ehrentraut, Friesisches Archiv, II. pag. 238—289, Oldenburg 1854.* Henricus Wolterus canonicus Bremensis, qui Chronicon Rastedense (ex quo infra nonnulla excerpemus) paulo post medium seculum XV:m conscripsit **), hanc historiam totam fere suo operi inseruit, qua in re tamen haud exiguam licentiam ostendit, ut e comparatione utriusque textus, præsertim in iis, quæ excerpsimus, statim apparet.

*) Rastede in ducatu magno Oldenburgensi (paulo ab urbe Oldenburgensi boream versus) situm est. **) Vide Lappenberg l. c. pag. 243. Idem Wolterus etiam Archiepiscopatus Bremensis Chronicon scripsit, ex quo supra excerptum dedimus.

(*Scriptor narrat, Swederum secundum abbatem anno 1124 electum esse et monasterio multis annis præfuisse, cui deinde Symonem tertium abbatem (anno electionis tamen non memorato) successisse* a)). Temporibus istius Symonis abbatis quidam episcopus Upsalensis, Siwardus nomine, per insolentiam paganorum expulsus, de Ybernia, quæ est insula Angliae b), hic veniens ad locum istum, placuit sibi hic propter loci amoenitatem commorari. Qui etiam a Hamenburgensis ecclesiae archiepiscopo uicariam regendi pontificalia in suo dyocesi impetrauit. Hic episcopus ad petitionem quorundam nobilium in Twischena et Elmedorpe c) commorantium capellam in Elmedorpe ligneam inter castrum et stagnum positam, quam ipsi nobiles fundaverunt, sub anno Domini millesimo centesimo trecesimo quarto in honorem beati Bartholomei apostoli, deuotissime consecrauit. Isti duo nobiles, dum essent fratres propter eorum insolentiam expulsi fuisse dicuntur de Frisia. Quorum unus qui morabatur Elmedorpe, fratrem suum morantem in Twischena, in loco qui Crucewisg dicitur, prope mare d) interfecit. Postquam autem Symon abbas bene et laudabiliter huic monasterio multis annis prefuisset, mortuus est et aput antecessores suos est sepultus.

Unde conuentus eundem Siwardum episcopum, cum esset uir religiosus et deuotus, in abbatem concorditer elegerunt. Quicquid autem idem episcopus cum suis pontificalibus deseruierat, contulit huic monasterio cum clenodiis infra scriptis: Casulas e) uidelicet quatuor; sex stolas cum fanonibus f) (ex his duae stolae erant deargentatae) cum subcingulo. Mapulas g) duas ad subdyaconos, unam magnam et aliam paruam, sex albas cum singulis h), argenteum calicem cum fistula i) argentea, mitras duas et cyrotecas k) quatuor, tres dalmaticas l) et duo subtilia m); cappas n) IV:or, pallia duo et manuterium de serico, quinque cruces, ex his duae eburneae et duae argenteae, et una de cupro: marmoreos lapides duos et unum o) de argento; Candelabra duo cuprea et duo de cristallo et cupro; tria manuteria p) ad altaria; et octo corporalia q) cum fotris r). Contulit etiam libros, duos ordines episcopales; missalem et matutinalem in uno uolumine et I graduale; collectarium unum; excerpta canonum; quatuor euangelistas per se; herbarium, lapidarium in uno uolumine. Gemmam animae, elucidarium; poenitentialem; baptisterium; Chronica s), Ysydorum de summo bono; Regulam sancti Benedicti et martyrologium in uno uolumine; item ordinem de diui-

a) Scriptor bullam huic Symoni ab Anacleto papa datam affert, quam Lappenberg ad annum 1130 refert. De cetero graves errores interdum in hoc tempore comparent, ex. gr. cum Adalberonem, archiepiscopum Bremensem (1123—1148), Adalbertum (qui annis 1043—1072 sedit) vocat. b) Chronicon Rastedense hoc ita mutavit: — *episcopus Svethiæ, suffraganeus ecclesiæ Hamburgensis, Siwardus nomine, per insolentiam paganorum Hiberniæ, proprie Irland, expulsus de Svecia; nam Hibernia est insula Angliæ, quæ nondum in ista parte conversa; et ergo ista gens irruit in Sveciam in Upsaliensem ecclesiam, ubi postea factus est archiepiscopus, quæ fuit antea Hamburgensis et Bremensis ecclesiarum suffraganea. Hic archiepiscopus exsiliatus a barbaris venit* etc. — Hæc historia de Siwardi exsilio ex eo firmari videtur, quod annis 1141 (d. 11 Julii) et 1142 Siwardus episcopus Obsalensis Bremæ versatur (Brem. Urk. Buch I. n. 33 et 35), quem Siwardum supra pag. 329 not. d conjecimus, illum episcopum Svetiæ esse potuisse, quem papa anno 1123 Romæ ordinavit. Siwardus forte in tumultibus, qui cum electione Sverkeri I:i an. 1132 conjuncti erant, ejectus est. Attendendum vero est, Henricum, Sictunensem episcopum, an. 1134 in pugna apud Fotevig occisum, etiam expulsum de Svecia vocari (v. supra pag. 94 not r et 103 not. a); qui certe idem est, ac Henricus, episcopus Upsalensis, qui an. 1129 dedicationi ecclesiæ Botkyrka in Sudermannia adest (v. supra Tom. II. 1. pag. 382). — Fortasse in illo Sverinio, qui agmen præsulum Upsaliensium ducit (v. infra sect. 2 pag. 92) nostrum Siwardum agnoscere licet. c) Hodie Zvischenahn et Elmendorff; Lappenberg. d) Zwischenahner Meer; idem. e) Vestis sacerdotalis, vide Du Cange, Glossarium, unde etiam sequentes explanationes sumtæ sunt. f) Vestimentum, quod in mensa domini ministranda clerici induere debebant. g) Mappula et sudarium, quo nasum tergimus, et mantile significare potest. h) Lege: cingulis. i) "Cujus opera sanguis domini a communicantibus fidelibus hauriebatur. — Diaconus enim tenens fistulam intra calicem propinabat sanguinem fidelibus, ut quisque admoto ore sugeret de calice ex alio fistulæ capite". k) *Chirothecæ* quibus manus tegebantur. l) Tunica amplis manicis, in Dalmatia primum usitata. m) Vestis subdiaconorum, quæ et stricta tunica dicitur. n) Ita vestes maxime diversa specie vocabantur. o) Hic aliquid excidit. p) Et idem ac manutergium et species candelabri ad formam manus. q) Palla, qua sacrificium contegitur in altari. r) Fotrum est capsa, fodera vero pellitium, quo vestis ornatur. s) Codex: Crhonica.

Digitized by Google

nis officiis et penitantialem et physiologum t) in uno uolumine; vitam sanctae Mariae Egiptiacae; Aratorem; Sedulium et Prosperum in uno, medicinales sex; librum de conflictu vitiorum atque virtutum, Platonem: item Prosperum et regulas de versibus et Theodolum; Cathonem et ymnarium Prudentii in uno volumine. Prudentium, Oratium et Boëtium, item librum de significatione vestimentorum ecclesiasticorum. — —

(*Scriptor nonnihil infra memorat, mortuo Sigewardo episcopo, Donatianum quendam abbatem electum esse, qui anno 1159 Adrianum qvartum Romæ adierit et confirmationem privilegiorum monasterii impetraverit* u)).

t) Codex: uisiologum. u) Descriptum bullæ, quæ germana videtur, in codice exstare dicitur. — Chronicon Rastedense rem implicuit, inserens Siwardum adhuc temporibus Baldewini archiepiscopi Bremensis (1168—1178) vixisse.

---

23. Ex Chronico Rastedensi Henrico Woltero auctore.

Ut jam supra in præfatione historiæ de fundatione monasterii Rastedensis diximus, Henricus Wolterus, canonicus Bremensis, illud paulo post medium seculum XV:m conscripsit. Primum a Meibomio in Scriptoribus rerum Germanicarum, II. pag. 89—119, deinde ex illius editione a Langebekio in Scriptoribus rerum Danicarum, Tom. III. pag. 164—209 typis impressum est.

— — Anno etiam domini MCCCLXXV in divisione apostolorum a), Conradus comes antedictus b) construi fecit altare in honore s. Michaelis et s. Annæ matris Mariæ et sanctarum fidelium animarum in medio monasterii supra tumbam episcopi Upsaliensis Siwardi c), unde refertur, quod qui sepulcrum ejus indigne calcavit, tali die scandalum et opprobrium incurrit, quod et dicto comiti Conrado una dierum evenit, et ideo altare fundavit super eum et ad caput posuit cancellos per modum cistæ, ne ex improviso eundo locum calcaret, et fecit ibi perpetuum lumen. Non mirum, quia iste sanctus pater magni meriti apud deum, qui ad partes nostras de ecclesia sua exiliatus nobiscum requiescit. Et hoc altare postea longo tempore ibi manens, tandem temporibus Johannis XXII ad gradus chori versus meridiem translatum est. — — — —

(*Johannes de Gropelingé, XXII abbas, an. 1444 eligitur, an. 1449 diversa ædificia construit*). Hujus abbatis temporibus, scilicet præcedenti anno circa festum Michaelis d) comes Christianus de Oldenborg, subordinante summo opifice et duce Slesvicensi, in regem constituitur et eligitur Danorum et Norwegorum et reginæ regis prioris, Christophori nati ducis Bavariæ, legitime copulatur e), quæ fuit regina horum regnorum. Etiam regnum Sveonum tenuisset, si non nostro regi quidam Carolus Canuti se opposuisset. —

(*Anno 1450 Gerardus comes ad dominium Oldenborg mittitur*). Eodem tempore quidam archipræpositus ecclesiæ Upsaliensis in regno Sveciæ a curia Romana egregie veniens cum quatuor equitibus, doctor decretorum, cui papa Nicolaus V salvum conductum dedit, scribens eum pro cubiculario vero, quem ut oratorem papa misit. Hic veniens ad oppidum Delmenhorst a Gerardo comite captivatur et arrestatus ibi detinetur, licet ibi non incarceratur. Percipientes hanc causam Bremenses, congregatis tribus capitulis, consiliatur [ɔ: consultantur] pro liberatione ejus per venerabilem Johannem de Schonebeke canonicum Bremensis ecclesiæ. Hæc historia plene habetur in Chronica Bremensi f), quare hic pertranseo. — — — — —

Item anno domini MCCCCLVII. — — — Tunc temporis Karolus, qui se intromisit regno Sveonum, accersivit episcopum Upsaliensem g), qui sub eo fuit, qui tamen ei consensum minime dedit. Iste episcopus venit cum magno comitatu ad castrum magnum nomine Stokkensholm, ut ibi pranderet cum suis, Karolo absente, qui recessit ad comburendum suos contradictores, æstimans se sequi episcopum prædictum h). Episcopus vero misit nuncium post eum, mittens sibi litteras diffidationis et obtinuit illud castrum cum suis et extemplo intimavit regi nostro Christiano, qui misit statim ibi fratrem suum Mauricium, qui suscepit castrum illud ad manus fratris sui i), et ita cessit Carolus.

a) Die 15 Julii. b) Sc. Oldenburgensis. c) De quo vide supra Historiam de fundatione monasterii Rastedensis. d) Die 28 Septembris 1448 electio facta est (v. supra pag. 279, not. g). e) Die 26 Octobris an. 1449 (v. supra pag. 298, not. n). f) Sc. in Archiepiscopatus Bremensis Chronico, ab eodem Woltero concinnato; hanc historiam supra sub n. 20 excerpsimus. g) Johannes Benedicti, archiepiscopus Upsaliensis. De ejus contra Karolum regem seditione, anno 1457 ineunte, cfr. supra Tom. I. 1. p. 174 et 2. p. 153—155 et hic supra pag. 26, 27 et 229, 230. h) Detortam et obscuram hanc narrationem in singulis hic corrigere minus aptum esset. Legentes inspiciant fontes in nota priori allatos. i) Minus recte, cum Kristiernus ipse in classe Danica esset, quæ Holmiam initio mensis Junii anno 1457 advenit.

Digitized by Google

24. Ex Chronico Brunsvicensi, auctore Conrado Bothone.

Chronicon, quod in anno 1489 desinit, jam anno 1492 Moguntiæ in folio impressum et deinde a Leibnitzio in Scriptoribus rerum Brunsvicensium, Tom. III. p. 277—425 insertum est, quam editionem hic sequimur. Scriptor, qui civis Brunsvicensis erat et in fine seculi XV:i vixit, multis admodum bonis fontibus aperte usus est.

MCCXCIII. — — — Johann, hertoghe Johan sone to Sassen, name Gelburgh a), konigh Ericks dochter to Norwegen, de telde b) ōm twey sone. De erste heyt Johann, de andere Albrecht. Johan nam des hertoghen dochter to Wenden. Albrecht nam des landtgreven dochter to Hessen. — — — — —

MCCCXXX c) — — — Hertoghe Wilhelm, hertogen Otten sone to Lunenborch, de hadde veer fruwen, ein de heyt Maria, de was des koniges dochter van Paioriken d). De ander heyt Soffya, ein konigin ut Sweden e). De dridde de het Heseke, de was des greven dochter van Ravensborch. De verde, de heyt Angenese, de was des greven dochter to Anhalt. — — — — — — — — — — — —

MCCCCXXXII. — — — Ock fengen de van Lubke eynen ridder f) des koniges van Dennemarcke in eynem schepe mit twey hundert unde vertich man. — — — — — — — — — — —

MCCCCXLVIII. — — — Do konigh Ereke to Dennemarcke vorstarff ane arven, do koren de Denen wedder Palsgreven Cristoffel to einem konigh, wente he konigh Ereken suster sone was. Do he quam in dat lant unde de kronen der Denen, Sweden unde Norwegen entfengk, do stod he nummer mit den Wendeschen steden in guden frede. Unde he nam Dorotheam, marggreven Hans dochter to Brandenborch, borchgreve to Nurenbarge, de hadde he by dren jaren g), went an dusse tyd, do starff he to Helmesborch h). Do quemen de Denen to samende mit den Swedeschen i) unde koren endrechtigliken greven Karsten to Oldenborch unde Delmenhorst vor einen konigh, unde wart gekronet to einem konigh in Dennemarcke, in Sweden unde in Norwegen. Unde na rade nam he to der ee konigh Cristoffen nalaten weddevesche de koniginne Dorotheam unde mit deme so telde se twey sone. De eine heyt Olavus, de na der tyt wart geheiten Johans j), do he ein konigh wart na sines vader dode. Unde de ander sone de heyt Friderick, de wart ein hertoghe to Sleswick unde ein greve to Holsten. — — — — In dussem sulven jare j) hadde Karsten vele kriges mit der stadt Wysbar k). — — — — — — — — — — — —

MCCCCLXX. In dussem jare wart konigh Karsten to Dennemarcke in Sweden ser geslagen, vyff hundert wart van synem volcke geslagen l). Ock so nam hertoghe Hans dat fee vor twen törppen in dem stichte to Rosseborghem). — — — — — — — — — — — — — — — — —

MCCCCLXXIX. — — — Ock in dussem sulven jare de Russen de deden vele quades in Lyflant. Den fruwen se affschneden öre broste, den mennen se utleten öre ingeweyde, de kynder se worpen in de tunstacken n), itlike se worpen in hete oven. Unde darna do togen de Schweden in Russelant unde betalden se mit der sulfften dat o). — — — — — — — — — — — — — — — —

a) Lege: Ingeborg, quæ an. 1302 obiit (v. Annales Lubecenses supra pag. 176, ubi obscuram ejus originem nonnihil explicare conati sumus). b) Peperit. c) Hoc anno Otto strenuus, pater Vilhelmi, obiit. d) Lege: Majoricen, Majorca. e) Nullam domicellam Svecicam hujus nominis in fontibus investigare potuimus. f) Broderus Svensson, cfr. Chronicam Korneri supra pag. 212. g) Nuptiæ enim an. 1445 celebratæ sunt (v. supra pag. 297). h) Lege: Halmstad (in Hallandia, provincia Sveciæ). i) Superfluum fere est animadvertere, Svecos suum sibi regem, Karolum Kanuti, tunc assumpsisse. j) Scriptor errat. Primogenitus Kristierni, an. 1450 natus, Olaus vocabatur (v. Contin. Detmari supra pag. 225), sed sequenti anno mortuus est, et Johannes successor patris an. 1455 natus est. j) Sc. an. 1449, in quo Dorotheam uxorem duxit (cfr. supra pag. 298). k) Lege: Wisby. l) Apud Öresten in mense Februario (cfr. supra p. 236, not. h). m) Ratzeburg. n) Vox a vocabulis *tun* (Anglice *town*), locus septus, et *stake*, palus, composita, ut cuspidatos palos, quibus domus quasi muro quodam defendebantur, designet. o) De his vastationibus cfr. supra Continuationem Detmari pag. 238, 239.

25. Ex Chronico Sclavico parochi Suselensis.

Hujus chronici, qnod in anno 1486 desinit, scriptor usque ad annum 1483 ex notis fontibus, Helmoldo, Detmaro, Kornero ceterisque Detmari continuatoribus, sua sumsit, ut solum ea, quæ annis 1483—86 continentur, illi ipsi auctori debeantur. Editionem per *Laspeyres* an. 1865, Lubecæ in 4:to factam secuti sumus, in qua duæ antiquæ editiones principes sine anno impressæ ad verbum redduntur, et tamquam ille utrumque textum inseruimus, cum neuter alterius fons esse proprie dici possit.

Digitized by Google

Int iar MCCCCLXXXIIII. — — — Des sulfften iars was en legate a) mit vullekamener vorlathinge aller sunde in Sweden, dar id auermaten seer vorstarst b), unde he wunderliker wijsz beschattede de ermen christen, alle de ouersten des landes vulbort to gheuen. O Petre! Christus sede dij nicht: melke unde beschere mine schape, men he sede, hode und vode in gheistliken dinge tho der salicheit.

Anno domini 1484. — — — Istis iisdem diebus fuit quidam legatus cum remissione plenaria in Suecia ubi ista æstate prævalide ferbuit pestilentia. Et iste miro modo explumavit pauperes Christi, singulis tamen superioribus sine eorum damno consentientibus. O Petre, non tibi dixit Christus: mulge aut tonde, sed: pasce pasce pasce (Johannis XXI). Ideoque aperuit infernus os suum sine termino et intrabunt majores sine numero. (Ysaiæ V). Gratia autem conceditur parvulo et exiguo (Sapientiæ VI).

a) Bartholomæus de Camerino (v. supra pag. 243, not. u). b) Lege: *vorstarff.*

---

26. Ex Chronico Mathiæ Döringii an. 1420—1464 ejusque anonyma continuatione in annum 1497.

Mathias Döring, frater ordinis minorum, primum professor Erfordiensis, dein minister in Kiritz in marchia Prignitziana, ubi an. 1469 obiit, Chronicon quoddam a Theodorico Engelhusen ad annum 1420 perductum ab hoc anno in annum 1464 continuavit; alius ignotus scriptor postea opus Döringii in annum 1497 persecutus est. Menckenius illud primum in Scriptoribus rerum Germanicarum Tom. III. p. 1—54 typis divulgavit, quam editionem dein Riedel in Codice diplomatico Brandenburgensi, parte IV:a pag. 209—256, secutus est.

Eo tempore a) in regno Sweciæ surrexit quidam Engelbrecht, qui adhesione nobilium et vulgarium sibi regnum usurpare conatus est in ulcionem oppressionis, quam Daci in Swecia exercuerunt, et sic rex Dacie cum Hensis pacis federa inire coactus est b), que prius oblata et petita negavit. — — — —

Item anno domini 1448 mortuus est rex Dacie Christoferus nomine, Bavarus nacione ex patre, matre autem Danici generis c). Relicta autem ejus [erat] filia marchionis Brandenburgensis Johannis. — — —

Mortuo prefato rege Christofero, qui satis male tria regna Dacie, Swecie et Norweg[i]e gubernabat, in Swecia quidam nobilis Swecus Karolus nomine se adjuvantibus Swecis in regem Swecie erexit d), quod egre ferentes Daci in regem elegerunt comitem de Aldenborch nomine Cristianum e), qui auxilio marchie Brandenburgensis, Holsacie et ducum Bardensis, Wolgastensis, Stettinensis tota estate f) per terram et mare Sweciam infestabat, cepit civitatem Wisbu et totam Gotlandiam. Qua victoria firmatus in regnis Dacie et Norvegie, desponsavit sibi filiam marchionis Brandenburgensis, que fuit relicta regis Christoferi supradicti.

Cum Ericus quondam rex trium regnorum sub illo bello civitatem Wysbu, castrum, ymmo totam Gotlandiam, quam ut pirata occupaverat, amisisset, rediit ad Pomeraniam originale dominium suum, et factus est ibidem dux ignavus cum suo scorto Cecilia dicto. — — — — — — — — — — —

Anno 1451. — — — Eodem anno .. rex Christianus Dacie et Kanutus pretensus rex Swecie gwerram resumpserunt g). — — — — — — — — — — — — — — — — — — —

Anno 1456. — — — Eodem tempore rex Dacie Christianus nomine contra Kanutum, regni Swecie usurpatorem, per mare processit et castrum Borchholm et totam terram Oland victoriose cepit h). Qui Kanutus fugam peciit i), daturus formam [ɔ: poenam?] rebellandi, sicut et ipse suo vero domino regi Dacie rebellavit. — — — — — — — — — — — — — — — — — — —

Anno 1457. — — — (*Stipendiarii milites, quos magister ordinis conduxerat, regi Poloniæ castrum Marienburg vendunt*). Cujus perfide vendicionis et empcionis precium fugitivus Kanutus usurpator regni Swecie de thesauro furtive de Swecia abducto nequiter exsolvit k). — — — — — — — — —

Anno 1497. — — — Eadem estate Litwani sexcentos Thartaros rubros prostraverunt, qui duci Moscoviensi maximam plagam intulerunt, sed is, ut fortius Tartaris resistere posset, fedus sexannale cum Sueuis pegigit l). Qui tamen impugnatur a Dacis. — — — — — — — — — — —

a) Scriptor coeli tempestatem ab anno 1432 usque ad annum 1434 supra exposuit. Sveci an. 1434 Engelbrechto duce contra Ericum regem surrexere. b) D. 15 et 17 Julii 1435 in Wordingborg. c) Mater erat Catharina, ducissa Pomeraniæ, soror Erici regis trium regnorum, cui regi Christopherus ipse an. 1440 in Dania, 1441 in Swecia successit. d) In æstate anni 1448 (v. supra p. 223 not. g). e) In Septembri ejusdem anni (v. p. 279 not. g). f) Sc. sequentis anni 1449; cfr. supra continuationem Detmari p. 223—225 et Chronica Stralsundensia supra p. 298. g) Cfr. ibidem p. 299. h) In fine mensis Septembris (v. supra pag. 229, not. z). i) In Februario anni 1457 (v. supra p. 230 not. h). k) Cfr. supra pag. 334 chronicon recentius magistrorum ordinis Teutonici. l) Die 3 Martii (v. supra pag. 281, not. g).

Digitized by Google

Contendunt Dacorum rex et Sueci. Nuper autem Steyn Stur[e], sub cujus administratione est regnum Suecie, multum eydem regi populum afflixit m). Idem gubernator tenet in carcere quendam episcopum Suecie n) et alterum similiter episcopum in castro vallavit o). — — — — — — — — —

m) Hoc igitur aute cladem Sveorum et Stenonis Sture submissionem eodem autumno (cfr supra pag. 246) scriptum est. n) Sc. Henricum Lincopensem, qui tamen jam ante submissionem Stenonis liberatus est. o) Archiepiscopum Jacobum, qui in suo castro Almarstäk obsessus erat.

---

27. Ex Chronico quodam Livoniæ 1491—1509.

Ex manuscripto papyraceo in 4:to in Bibliotheca Upsaliensi in priore parte seculi XVI:i scripto. C. Schirren ex eodem fonte totum opusculum in *Archiv für die Geschichte Liv-, Est- und Curlands, VIII. Reval, 1861, in 8:vo* sub titulo: *Eynne schonne hysthorie van vunderlyken geschefften d. heren tho Lyfflanth myth den Russen unde Tartaren* edidit, ubi illud in fine anni 1508 vel initio anni 1509 compositum et non longe post typis impressum esse, quia supradictum manuscriptum editionem impressam aperte secutum sit, demonstravit.

(*Pace inter Livoniam et Russiam anno 1491 facta* a), *Rutheni sequenti anno Narwam exadversus novum castrum Ivangorod exstruere coeperunt*) unde dyth sulffthe nye sloth myt sulker macht vnde yle angeffangen vnde vullenbracht, dat yth yn dem sülffthen samer als ydt vp corporys chrysty b) wo vorberorth begunnen warth, dar na vp assumpcionys maryee c) an velen tornen vnde muren sere hoge dycke vnde starck vorgewalth begrepen rede was; vnde wo-wol dyt gedachte sloth dar-na van den Sweden dorch sommyge dutsche knechte yngewunnen d) vnde den heren tho Lyfflant angebaden warth, so wolden doch de vor-melthen heren des so nycht annemen vnde ock dat vorbeschreuene gebuuethe nycht vorhynderen, vp dat se den swaren penen der wrake gades vormyddelst pestylencyen samcht vur vnde dat swerth vp de anertredynge des by-vredes vorwylkoreth vnde yn den vredebreuen do bestemmeth nycht en velych worden, vnde ock den Russen myt erem keyser geyne orsake geuen ere swynde gewalth tegen Lyfflant tho ouen, dar tho wedder-stande do de lande allene noch gansz vngeschyck vnde tho vnmechtych weren; hyr-vmme als de Sweden myt grotem roue vp dem suluesten slathe gekregen wedder aff-togen vnde dat vnbemannych stan leten, wenthe yt en tho wyth belegen was tho entsetten, so hebben ydt de Russen wedder yngenamen vnde noch starcker vnde schoner gebuueth, den yth ye tho-vorn ge-weseth was. — — — — — —

a) Hoc falsarium auctoris pro 1493 esse, ut ita Ruthenos pacem novi castri ædificatione violasse accusare posset, Schirren l. c. pag. 221 docuit. b) Die 21 Junii sc. 1492. c) Die 15 Augusti. d) Die 15 Augusti 1496. Svante Nilsson, Kanutus Posse etc. cum expeditione Svecica Wyburgum reliqerunt (v. Chron. Rhythm. supra Tom. I. 2 pag. 194, 195). Die 19 Augusti obsidio incepta est et die 26 Aug. arx capta est (Schirren l. c. pag. 223 et Chron. Rhythm.). De militibus Teutonicis conf. Reimarum Kock supra pag. 245.

---

28. Ex Chronico Gedanensi Christofero Beyero seniore auctore.

Christopher Beyer an. 1458 natus, an. 1502 senatum Gedanensem intravit et an. 1518 obiit. Inter alia, quæ scripsit, etiam hoc chronicon est, quod Scriptoribus rerum Prussicarum, V. pag. 440 sqq. insertum et ex his a nobis excerptum est.

[Anno 1507]. — — — Nicht lange darnach a) kwam auch botschaft vom konig Johannes ausz Denmarck und von den herren von Lubeck und begerten, dasz die herren von Danczke die Schweden nicht solden herbergen und schutzen, sonder sie anhalten mit leib und gut zu des konig von Denmarck beste, so lange bisz Schwedenreich zum gehorsam gebracht were. Auch begerten sie, das man sich des reichs zu Schweden gentzlich solde enthalten mit zufur und abfur, dormit die Schweden nicht gestercket wurden in irem ungehorsam. Dann sie woren die zeit von konig von Dennemarck abgefallen und dem Sten Stur ihrem gubernator beigefallen und [hetten] noch seinem todt b) den groff c) Swante zum konige gewalt. Darauf antworte kurtz ein erbar rat, dasz sie nichts dorsten thuen ohne wissen und willen ihres gnedigen herren

a) Scriptor proxime supra narravit, legatum Maximiliani imperatoris d. 7 Novembris 1507 Gedanum pro auxilio petendo venisse, sed re irrita dimissum esse. b) D. 13 Decembris 1503. c) Comitis dignitas nondum apud nos introducta erat. Svanto, sicut Steno, gubernator regni vocabatur.

Digitized by Google

konigs von Polen und ohne vorwilligung irer landen und stedte, dann solch ding wer nicht allein diese stadt Dantzick belangende sonder das gantze landt zu Preussen. Domit woren sie auch abgefertiget. —

Anno 1512, — — — Bald darnach d) kwam zeitung ken Danczke, das sich der konigk von Denmarck mit Schweden und mit Wendischen stedten vortragen hette in der tagefart zu Flenszburgk e). —

Anno 1515. — — — In Junio kwomen ken Revel 100 oder mehr Moszkowitter und wolden noch Lubeck ziehen, etliche aber in Denmarck zum konige f). Also befohl ein erbar rath dem Christoff Beyer und Jorgen Proiten, das sie den schippers gepieten sollen, so sie in der sehe an die Moszkowitter komen kunden, solt man sie gefenglich nehmen gleich ire feinde; so aber welche weren, die an den konig von Dennemarck in botschaftweise zügen, solt man sie frey laufen lassen. — — — — — — — —

d) Proxime supra memoratur, senatum Gedanensem d. 9 Maii diversas literas recepisse. e) Conventus in Flensborg inter Johannem regem et Lubecenses (Sveci non affuerunt) in Februario an. 1512 habitus est. f) Allen, de tre nord. rig. hist. II. 154 negotium et foedus inter Daniam et Russiam ad annum 1516 refert.

29. Ex narratione de bello Prussico an. 1520.

Hæc coæva narratio de bello, quod ordo Teutonicus contra Poloniam an. 1520 gessit in Scriptoribus rer. Prussic. V. p. 330—339 edita est.

1520. — — — Am Sonnobent [nach] a) Francisci kam ein fenlein knecht ausz Schweden dem homeister zu hilf.

a) Editores Prussici *nach* addiderunt, quia junior quidam scriptor hoc "in die woche nach Michaelis" (29 Sept.) contigisse affert. Dies igitur fit 6 Octobris. Jam vero d. 30 Septembris magister Livonicus magistro ordinis Teutonici communicat, Sigmundum von Swelen et duo milia militum advenisse ad eum iter facturos, Holmiamque a rege Daniæ expugnatam (Index corp. hist. dipl. Livoniæ etc. in folio II. n. 2829, cfr. 2833).

30. Ex Ehronico Gedanensi 1511—1525, Eberhardo Ferbero auctore.

Ferber, qui an. 1529 obiit, graves partes in historia Gedani urbis egerat; prefectus erat classis, quæ an. 1522 contra Kristiernum II:m missa erat; chronicon ejus in Scriptoribus rerum Prussicarum, V. pag. 529 sqq. editum est.

Item im jare unsers heren XV^{C} und im XVIII° auf Michaelis a) kamen an landt bey Danczke mer dann IIII^{M} knechte, die hetten den Holmen in Schweden gerne gewonnen dem konige von Dennemarck zcu gute. —

Item in XX:tem jare ... Item in disser zceit b) hatte der homeister Heilsbergk schlos und stat belegert mit all seiner macht, went her do mer dan IIII^{M} knechte gekriget hatte aus Schweden, die mit dem konige von Dennemarck vor deme Holme gewest waren c). — — — — — — — — — —

Item anno XXII ..... (*Gedanenses decem magnas naves et unam parvam contra regem Daniæ emittunt*). Item auf s. Augustinus tag d) kegen die nacht vorloren sie eins von den besten schiffen bei Bornholm, den andern tag darnoch quamen die Bornholmischen in das hauptschiff und sprachen, wy die Lubischen und Schwedischen sie gebrantschaczt hetten und das schlos auf Bornholm ausgebrant; sie baten auch, man solte sie nicht weiter beschedigen, sie wolden uns ein erlich erkennunge schencken. Des so gaben sie unserem schiffe XXX ochsen und I^{C} schafe, die wurden in die schiffe geteilet. Sie gelobten auch uns zcu gutte zcu bergen von den vorlornen schiffen buxen und ander geczeugk, was man bergen kunte, daruber unser hauptleute ein schriftlich contrackt mit inen gemacht haben. Hirnach liffen wir noch Kopenhagen uns vormutende die Lubischen schiffe dar zcufinden, [wo] wir auch ein both und eine Denische schute mit VIII Denen namen; von den wurden wir vorstendiget, wy das die Lubischen Helschonoer ausgebrant hatten und von dannen gelaufen waren. Des haben wir unser cors nach der Deudschen seiten gesaczt, und als wir Moene vorbey gesegelt waren, ersahen wir wol VI schiffe und eine jacht, wustens nicht obs freunde

a) 29 Septembris. Una navis prope Goldingen naufragium passa est, v. literas d. 5 Octobr. 1518 datas in Indice corp. hist. dipl. Livoniæ etc. II. n. 2767. Reimarus Kock (supra p. 262) qui etiam hanc rem memorat, numerum 500 affert. Fortasse iidem milites supra pag. 32 not. v significantur. b) In autumno. c) Initio Octobris Gedanum venerunt (v. Narrationem hic supra n. 29). d) Die 28 Augusti. De sequenti narratione cfr. Chronicon Stegmanni supra n. XXXVIII.

Digitized by Google

oder fiende waren, sonder wir macheten aller dinge rede zcu nemen und aufzcugeben. Nach mittage als wir zcu hauf kamen, sahen wir und hörtens, das es Schweden waren. Item den andern tag quamen die Lubischen schiffe auch bey uns mit den Sundischen und Rostockern. Do furen wir an der Lubischen hauptschiff mit unsern bothen, dar denne die herschaft zcu hofe radtschlagten. Des lifen die Lubischen nach der Trafen mit den Schweden und Sundischen, und wir segelten mit II Rostocker schiffen vor Warnemunde, also das wir dar vorharreten der Lubischen, Sundischen und Schweden, auf das wir hauffent e) all widerumb in Dennemarcken laufen solten. Darnach als wir vornomen, das die Lubischen nicht wider kamen, liffen wir kegen der stat Lubeck. Aldo war unser herrschafft ofte und vile zcu radzhausz, kunten aber nicht darzcu brengen, das sie mit uns auf ebenteuer in Dennemarcken gesegelt hetten, also das wir und auch die Sundischen iczlicher seinen wegk noch haus liffen und quemen in Danczke wider den iii tag im October.

Item dieweil wir vor Lubecke lagen, quam Severin Norrby des koniges von Dennemarken oberster hauptman wider vom Holme f) mit des koniges schiffe kegen Koppenhagen, und hetten die Lubischen und die andern mit uns wider in den Sunt gelaufen, als wir gerne gesehen hatten, do sie vor die Trafene liffen, so hetten wir mit der hulfe Gotis alle irer gnaden schiffe queit gemacht ane allen zcweifel. — —

Item auf Johannis baptiste haben die Schweden den Stockholm wider eingenommen g), den des koniges volck von Dennemarcken sonst lange hatte innegehabt mit schwerer kost unde volckes spildrung von beiden teilen. Darnoch krigten auch die Schweden Kalmern in ire gewalt.

e) *Zu haufen*, una. f) Stegman recte dicit: *aus Fynlant.* g) De tempore cfr. Stegmannum.

Digitized by Google

ADDENDA ET CORRIGENDA.

in sectione priore

Pag.
3 not. r.: *Kal. Sept.*, lege *Decembris.*
7 not. r, lin. 2. certe legendum *peregrinatus.*
24 not. i; cfr. infra pag. 276, not. r.
29 not. t. lege *19 Augusti.*
33 not. a. *Rördam I. 2. 208* lege *308.*
34 not. u; d. 13 Aug. pugnatum est (cfr. pag. 258 not. o).
38 lin. 13 infra *pacere* lege *parcere.*
87 not. e. lege *14 Augusti.*
87 not. i lin. 2 lege *31 Augusti.*
117 lin. 28 lege *subarravit.*
154 not. l. lege *die 1 Febr.*
165 lin. 2 lege *pessimus.*
203 lin. 19 et 25 lege *ab anno 1438* et *an. 1401—1438.*
204 not. f. lege *17 Martii* (dom. Lætare).
206 not. h lege *d. 2 Martii.*
219 not. h; cfr. infra p. 229 not. d.
228 lin. 29 et 30 lege *watere myt XV.*
228 not. t, lege *Reg. Dan. I. n. 3959.*
231 not. h lege *Joh. M. infra sect. 2. p. 68.*
237 not. r. lege: *... S. Sture .. d. 9 April. ... pacti erant, ut conventus d. 24 Junii apud Stegeborg haberetur ...*
237 not. s. lege: *Stäkeborg. Dani postea Djurshamn prope Holmiam ejus loco designarunt* (Styffe l. c. IV. p. 12).
242 not. q. lege *d. 15 Maji.*
242 not. s. lege *d. 4 Julii.*
247 not. q. Uxor Stenonis Kristierni erat filia Erici *Åkesson*, non Axelsson (Tott).
250 not x et 283 not. p lege *d. 14 Dec.* (v. p. 39 not. n).
287 not. l. lege *post obitum Nicolai.*
289 not. c. lin. 8. lege: *1181* et lin. 14 lege *Ericus Kanuti.*

In sectione posteriore

47 not. l. Literæ d. 8 Martii 1304 et 28 Martii 1305 datæ eædem sunt; annus in priore ad pascha numeratur.
54 not. d. lege *1353 4 Januarii* pro *1353 2 Jun.*
106 not. s. Secretum Caroli, successoris Laurentii, jam d. 25 Aug. 1307 sub literis pendet (Hildebrand, Svenska sigiller etc. ser. 2. n. 161).
111 not. c.; cfr. sect. 1. p. 38 not. k.
113 not. r. lin. 6, lege *1069* pro *1068* (v. sect. 1. p. 166 not. o).
116 not. m. lin. 2 *eum;* lege *Adalwardum juniorem.*
119 not. p. *Chron. 1457—63* lege *Annales Holmienses.*
127 not. l. lin. 8 *d. 25 Julii 1462* lege *1461* (v. Styffe, Bidrag t. Skand. Hist. III. p. CXLII. not. 2).
128 not. q Rebro (an. 1492 Redabro) in paroecia Tillberga exstat.
138 lin. 18 in præfatione numeri XIII. De "quatuor foliis" cfr. p. 206 lin. 13—15.
156 not. c in fine. Benedictus legifer 1294—1305 non erat B. Algotsson, sed *B. Hafridsson*, ut armorum in descriptis picta imago posthac nos docuit.
221 lin. 5. Descriptum in Cod. 46 (Bibl. Upsal.) exhibet: *Margaretha de Bothum relicta .. Karoli Magnusson ... sexagenaria.*
222 not. g. Non ille Nicolaus Haquini, cujus arma descripsimus, sed alius N. H. erat maritus Ilianæ (v. Dipl. Svec. V. p. 485, 486).
224 not. a *1367;* lege *1379.*
241 lin. 2 infra lege *15 Octobr.*
244 num. XX. lin. 6 dele verba *sub anonymo Q. E. D.*
263 num. XXI lin. 7. Hoc examen vitæ et miraculorum Katerinæ jam emtione acquisitum in bibliotheca regia Holmiensi servatur.

Digitized by Google

SCRIPTORES

RERUM SVECICARUM

MEDII AEVI

TOMI III.

SECTIO POSTERIOR.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSPECTUS SECTIONIS POSTERIORIS.

I.	Historia Metropolitanæ ecclesiæ Upsalensis a Johanne Magni Gotho Archiepiscopo conscripta.	pag. 5.
II.	Incerti scriptoris Sueci Chronicon primorum in ecclesia Upsalensi Archiepiscoporum.	„ 97.
III.	Chronicon de Episcopis et Archiepiscopis ecclesiæ Upsalensis.	„ 99.
IV.	Nomina Episcoporum Lincopensium.	„ 102.
V.	Chronicon rhythmicum Episcoporum Lincopensium.	„ 103.
VI.	Chronicon vetus Episcoporum Scarensium.	„ 112.
VII.	Chronicon rhythmicum Episcoporum Scarensium, auctore Brynolpho tertio episcopo Scarensi.	„ 115.
VIII.	Chronicon Episcoporum Arosiensium, ex vetustis rhythmis Latinis extractum a Petro Swart, episcopo Arosiensi.	„ 120.
IX.	Chronicon vetus Episcoporum Wexionensium.	„ 129.
X.	Continuatio chronici Episcoporum Wexionensium.	„ 130.
XI.	Chronicon Episcoporum Finlandensium.	„ 132.
XII.	Legenda S. Helenæ Schedviensis.	„ 135.
XIII.	Vita S. Brynolphi, episcopi Scarensis, cum processu ejus Canonizationis.	„ 138.
XIV.	Vita S. Birgittæ, auctoribus magistro Petro, primo confessore Vadstenensi, et Petro, priore Alvastrensi, confessoribus Birgittæ.	„ 185.
XV.	Chronicon de genere et nepotibus S. Birgittæ, auctore Margareta Clausdotter, abbatissa Vadstenensi.	„ 207.
XVI.	Momenta quædam itineris Hierosolymitani S. Birgittæ.	„ 217.
XVII.	Ex Processu Canonizationis S. Birgittæ excerpta.	„ 218.
XVIII.	Ex Miraculis S. Birgittæ aliqua selecta.	„ 231.
XIX.	Canonizatio S. Birgittæ, Petro Amelio auctore.	„ 241.
XX.	Vita Katerinæ filiæ S. Birgittæ.	„ 244.
XXI.	Ex Miraculis Katerinæ.	„ 263.
XXII.	Translatio Katerinæ anno MCDLXXXIX, auctore Nicolao Ragvaldi, confessore generali.	„ 268.

Digitized by Google

XXIII. Ex Miraculis S. Crucis Holmiensis, fratre Gregorio ordinis Prædicatorum scriptore. pag. 276.

XXIV. Ordinatio decimarum canonicalium in diocesi Strengenensi. „ 280.

XXV. Taxa procurationis noctium in visitationibus episcoporum Strengenensium. „ 281.

XXVI. Annotationes de tributis ecclesiasticis diocesis Lincopensis. „ 282.

XXVII. Taxa procurationis noctium in visitationibus insulæ Gotlandiæ. „ 290.

XXVIII. Capitula Minoritarum eorumque Ministri. „ 294.

XXIX. Capellæ et Monasteria diocesis Lincopensis. „ 295.

XXX. Enumeratio monasteriorum ordinis S. Birgittæ. „ 297.

Digitized by Google

Historia Pontificum Metropolitanae Ecclesiae Vpsalensis in Regnis Svetiae et Gothiae Diligentia Sedis Apostolicae Legati Ioannis Magni Gothi Primatis et Archiepiscopi eiusdem Ecclesiae Vpsalensis anno Domini M. D. XXXVI. Gedani obiter collecta.

Cogitanti mihi aliquid scribere de nostra sanctissima fide Christiana, quomodo, et quando in hoc inclytum regnum Gothorum inuecta, quibusque Pontificibus, ac Regibus propagata, aucta, et conseruata fuerit, occurrit illud, quod Plato diuinitus (ut inquit Cicero) doctus affirmauit, Quales in Republica principes sunt, tales esse solere reliquos ciues. Enimuero quando illi totius humani generis, et omnis virtutis inimici, Caius Caligula, Nero, Domitianus, Diocletianus, et similes, in culmine imperii residebant, tunc numerus proborum ciuium adeo paucus erat, ut reproborum multitudini collatus, guttae in mare proiectae similitudinem referre videretur. At postquam bonorum morum, et Christianae pietatis, ac religionis amatores, utputa Magnus Constantinus, Theodosius senior, Henricus primus, Carolus Magnus, eorumque similes rerum summa potirentur, mox impositae sunt hominibus leges, quibus ad virtutem (etiam illi qui inuiti essent) cogerentnr. Hoc modo imperante Carolo Magno sacrosancta fides Catholica primum ad Saxoniam, deinde ad nostras usque terras, Deo misericorditer prouidente, peruenit. Siquidem is Carolus pro suis egregiis meritis, singularique diligentia erga Christianae fidei propagationem, Magni cognomentum assecutus, diu multumque laborauit, antequam Saxoniam, bonam nationis Germanicae partem, a saxeis diis, et idolis auertere potuisset. Nam triginta continuis annis ipsam pertinacissime renitentem bellis fatigauit, saepeque subiugauit. Sed nulla erat potentia, nulla prudentia, nulla industria, neque ulla arma, aut consilia erant, quibus poterat durae ceruicis populus in diuinis, aut humanis legibus contineri, donec prudentissimus Imperator easdem Saxonicas terras solis Pontificibus in utraque potestate, Ecclesiastica, et Regia, gubernandas commendasset: sane intelligens populum infrenem posse religione contineri, armis vero placari non posse. Quod quidem consilium quam prudens fuerit, ostendunt haec nostra tempora, in quibus ipsa Saxonia, postquam desiit Pontificiam autoritatem venerari, miserabili Marte diuisa, et collapsa, suas miserias infeliciter deplorat, documentum omnibus praebens, quam suave, et quam amplexandum, ac paternum iugum est quod a sacrosanctis Episcopis imponitur: a quo quantum receditur, tantum ad tyrannorum violentiam accedítur. Incredibile est (inquit Iustinus historicus) quanta felicitate coalescant regna, in quibus iustitia permixta est religione. Exemplo est tota Germania, quae iampridem religioni seruiens, gloriosissimum imperium inter omnes Europae regiones habebat, nunc vero apostaticum haereticorum spiritum secuta, quantum a Christiana pietate recesserat, tantum ad ignominiam abiecta vilescit. Sed haec quiescant. Dum Saxonia abiectis idolis accepisset verbum Dei, mox in ea tot sanctissimi, et doctissimi viri emergere coeperunt, ut quae prius

Digitized by Google

spinas, tribulos, zizania, labruscas genuisset, nunc hortus voluptatis, et vinea Domini Sabaoth effecta flores, uvas, et palmites in Christo permanentes generaret, virosque clarissimos, et Apostolicam vitam referentes, ad vicinas, et remotas terras, pro lucrandis Christo animabus, destinaret. Quippe viuente adhuc Carolo Magno, complures magnae sanctitatis viri in lege Christi doctissimi, ex Saxonia in Gothiam, et Suetiam peruenerunt, atque in diuersis eius locis idololatriam impugnantes, diuini verbi semina spargere curauerunt: in quorum numero erat ille Herbertus, Evangelica doctrina, et vita praeclarus, quem Ecclesia Lincopensis protopastorem suum recolit, et veneratur. Verum, quia nondum venerat plenitudo temporis, quod pater coelestis prouiderat de nostris Gothis (quibus usque ad horam undecimam otiandum erat) superuenit inimicus homo, et tenerum semen, ne in fructum erumperet, conculcavit. Consumptis enim verbi Dei nuntiis, partim naturali, partim violenta morte, et persecutione, Gothi ad idololatriam reciderunt, remanentibus nihilominus nonnullis, quos Deus praescivit, et praedestinavit, in suscepta fide, et religione. Neque omiserat pientissimus Imperator, quin etiam bene provisum esset regno Gothico, et aliis Aquilonaribus regnis, ut pro patribus filii nascerentur. Nam Ecclesias duas Cathedrales, Hamburgensem, et Bremensem (quae postea unitae fuerunt) erexit: ex quorum collegiis assumi possent viri, religione, et doctrina praeclari, qui per regna Aquilonaria Evangelium Christi praedicarent. Eius rei causa praefecit Ecclesiae Hamburgensi Eridagum, sacerdotio, sanctimonia, et doctrina insignem: quem, impetrato a Summo Pontifice Leone III. consensu, eius loci Episcopum facere disponebat. Verum cum tam sancto proposito Carolus duceretur, morte inter coelestes spiritus est translatus. Cui Ludovicus filius eius successit, anno Domini DCCCXV. optimo patri optimus filius: qui nihil a paterna pietate degenerans, Christi religionem totis viribus augere studebat, curamque praecipuam gessit de regnis Aquilonis ad Christi gratiam convertendis: siquidem Transalbianam religionem (mortuo nuper Eridago) Bremensi et Verdensi Episcopis initio regni sui commendavit. Praeterea exstruxit Regalem Abbatiam in littore Visurgi, translatis patribus cum nomine de Corbeia Galliarum: quae in ripa Summae fluminis hodie manet: ut viri sanctitate, et praedicatione verbi Dei celebriores, ex eadem Abbatia assumpti, in omnem terram Aquilonarem transplantari potuissent. Ex hoc enim deliciarum horto multae odoriferae plantae, radices in coelis fixas habentes, ad nostram Gothiam sunt translatae: quarum fructu etiam nostra tempestate illi nobiscum vivificantur, qui, contemptis vilissimis filii prodigi siliquis, coelestibus alimentis refici concupiscunt.

Ansgarius primus Suecorum, et Gothorum Pontifex, in Gallia natus, vix puerilem aetatem egressus, meruit coelesti visione ad frugem melioris vitae informari. A matre namque pridem defuncta, et per quietem visa, monitus erat mundi illecebras contemnere, in amorem Dei se totum transfundere, et nihil magis, quam coelestia concupiscere. Proinde mox relictis huius mundi opibus, se in monasterium Corbeiense contulit: a cuius patribus benigne susceptus, et in lege Domini excellenter edoctus, in eum sanctitatis gradum ascendit, ut tandem omnia Aquilonaria regna sua sanctimonia, et doctrina illustraret, factus eorum Apostolus, et praecipuus divini verbi praedicator. De tempore vero, et anno, quo in Suetiam peruenit, considero nonnullas Gothorum historias hactenus non recte sensisse, quae eius aduentum assignant anno a Christo nato DCCCXLV. qui quidem annus a morte Ludovici Imperatoris quintus agebatur: et eo anno Ansgarius (ut testatur Albertus Crantzius Hamburgensis) exsulabat in Ramsola, ad quam pridem ex Hamburgo a facie Danorum confugerat, videlicet anno Domini DCCCXL. Tunc enim Dani Ham-

Digitized by Google

burgensem Ecclesiam, claustrumque, et bibliothecam summo studio collectam, bellico furore vastauerunt, et S. Ansgarius paene nudus cum reliquis euasit in Ramsolam: ubi diu, et continue commoratus est, donec post longum exsilium (agente Ludovico Germanorum Rege) in vacantem Ecclesiam Bremensem est assumptus: a qua in Suetiam nunquam est reversus, quamvis apud vicinos Danos in novissimis diebus pontificatus sui (ut idem Albertus testatur) nonnihil praedicaverit, et solum Ericum Regem, cui scelera Impii cognomen (ut dicit Saxo) affixerant, convertit, et de impio tyranno pium Christi ministrum effecit, caeteris Danis post eius obitum diu in perfidia remanentibus, usque ad annum Christi nongentesimum octogesimumsextum, quando Popo candentis ferri laminam nudis, et illaesis manibus portans, ipsos ad Christum convertit: idque sub Suenone Ottone, qui patrem Harallum, quod fidem Christi praedicari permitteret, a regno eiecerat. Quod autem Saxo scribit, Frothonem eius nominis sextum Danorum Regem (qui tertius post illum Regem Ericum Impium erat) ab Agapito Papa Christianam fidem ad Danos usque extendi petiuisse, Romanaeque legationis aduentum fatis suis praecucurrisse, apud me verisimile non est. Duos enim Summos Pontifices eius nominis fuisse certum est: quorum prior praecessit tempora Frothonis VI. parum minus, quam trecentis annis: alter vero in pontificatu circa annos Christi nongentos quinquaginta sedit, quando Otto eius nominis primus Imperator effecit, ut idem Harallus Rex Daniae ab hoc Frothone (testimonio Saxonis) quintus, ad sacrum baptisma cum filio Suenottone perveniret. Potuisset forte Frotho ad alium quempiam Romanorum Pontificum legatos misisse, et errore scriptoris nomen illius Pontificis mutatum fuisse. Sed ista remissa sint Danis. Ego aduentum sancti Ansgarii in Suetiam prosequar: quem considero fuisse circa annum a Christo nato octingentesimum sedecimum. Lupoldus enim Bebenburgensis in libro, quem conscripsit De zelo Christianae religionis veterum principum Germaniae, dicit, in historia Francorum contineri, quod Ludovicus Imperator Caroli Magni filius, conuertit Suecos ad fidem Christi per S. Ansgarium, anno Domini octingentesimo sedecimo. Harallum vero Regneri Danorum Regis competitorem, Maguntiae una cum coniuge et filiis baptizari fecit, anno Domini octingentesimo trigesimosecundo, ut idem ipse Lupoldus ex Francorum historia affirmat. Ludovicus namque principium sui imperii habuit anno Domini octingentesimo quindecimo, finem vero quadragesimo post octingentesimum. Hunc Ludovicum in primo sui imperii anno Suecorum legati accedentes, Christianae fidei doctores impetrarunt: et in eis praecipuum Ansgarium Corbeiensem: qui cum zelo amplificandae Christianae religionis ardentissimus esset, nequaquam ad vigintiquinque annos opus tam pium, et sanctum, differendum duxit. Considerandum tamen est ex testimonio Crantzii, quod non semel, sed saepius ad Aquilonaria regna pro plantanda Christi fide transiuerit. Quocirca fatendum est, ipsum eo tempore, quo diximus, prima vice in Suetiam peruenisse, summoque honore a Rege Berone in civitate Birchensi susceptum, verbum Domini cum summa fiducia praedicasse, summaque humanitate, et pietate eiusdem Regis fretum, totam ciuitatem Birchensem (quae tunc populosa, et praegrandior totius regni habebatur) omnemque in circuitu regionem ad veri Dei cultum convertisse, idola destruxisse, Ecclesias construxisse, ac multa miracula ad Christianae fidei corroborationem operatum fuisse, diebusque, et noctibus ab orationibus incessanter summum pastorem Christum exorasse, ut vineae suae uberiorem gratiam largiri dignaretur. Quod autem nonnulli asserant, Ansgarium cum Haraldo praedicto, qui ab aliquibus Rex Danorum scribitur, ex Maguntia ad Danos praecepto Ludovici, ut Christi fidem eis praedicaret, peruenisse, nequaquam de primo eius

Digitized by Google

ad Aquilonaria regna aduentu, quo a Rege Berone exceptus est, recte intelligi potest, attestantibus id tam Saxone Danico, quam Crantzio Hamburgensi historico. Erat illi Regi Suetiae Beroni praefectus quidam inclytus Erengarius, qui velut alter Sebastianus sub militari habitu Christi militem abscondebat: tantumque in suscepta fide floruit, ut in aede sua, quam in Ecclesiam consecrari fecerat, Christo assidue serviens, miraculorum gloria illustraretur. His, et aliis compluribus in Suetia virtutibus patratis, Ansgarius in Hamburgensem Ecclesiam se contulit, relinquens in suo loco apud Bircham sanctissimum virum Simonem Pontificem, et Nitardum venerabilem presbyterum: qui cum Christianam doctrinam diligenti pietate, et pia diligentia induratis, et perfidis praedicarent, gravissimas persecutiones sustinuerunt, et tandem glorioso martyrio vitam suam feliciter consummaverunt. Reliquam partem vitae beati viri Ansgarii dicat Albertus Crantzius in sua Metropoli, et Dani, apud quos Slesuicensem, et alias Ecclesias sana doctrina, et vitae sanctimonia fundasse dicitur. Ego, quod ad Gothiam et Suetiam attinebat, obiter commemoravi.

Christianae fidei vacillatio in Suetia, et eius reductio per miraculum.

Postquam sanctissimus vir Ansgarius relicta Suetia, in suas terras rediisset, illud pusillo gregi Christiano in Gothia accidit, quod in caulis ovium, absente pastore et veniente lupo, euenire solet. Quippe occiso sanctissimo Episcopo Simone, et venerabili presbytero Nitardo, magna Gothiae pars ad idololatriam est relapsa: quod potissimum ex eo accidit, quia Rex Ingeuallus, alias Ingellus, bellum susceperat in avunculum suum Regem Beronem: quod nullis consiliis pacari poterat, donec Regnerus Daniae Rex eundem filium suum Beronem cum rege Ingello (qui eius ex filia nepos erat) in mutuam gratiam reduxisset, Regemque Norvegiae constituisset. Interea dum taliter inter mortales homines de mortali regno certatur, immortalis Dei cultus, qui tenera radice subnitebatur, paene evulsus est. Et dum ea controversia finem susceperat, ecce suboriuntur seditiones non minus periculosae inter eorum heredes. Illorum enim de regno discordia, Gothis idolorum cultum, templis victimarios, aris libamenta restituit: quamvis in toto regno religionem Christianam non abstulit, remanente semper bona parte populi in vero cultu filii Dei Saluatoris nostri, occulte tamen, propter metum tyrannorum, qui vix alium Deum praeter seipsos venerari patiuntur. Sed Deus, cuius misericordiae non est numerus, remedium tandem adhibuit opportunum, ut doctrina Evangelica non in angulis, sed supra tecta praedicaretur. Mortuo enim Erico (cui a multis victoriis nomen inditum erat) successit filius eius Ericus Aorsel, quem alii Stenchillum vocant. Quo daemoniis, et non Deo immolante, Pontifex idolorum, qui impiis sacrificiis praeerat, subita caecitate percussus, coram Rege, ac tota populi multitudine concidit. Deinde, postquam diu, et frustra deorum suorum auxilia prostratus implorasset, desperato penitus usu videndi, in domum suam est reductus, stupentibus cunctis populis, qui hoc novum, et miserabile, sed utilissimum spectaculum viderunt, et audiverunt. Sed longe mirabilius erat, quod secutum est. Nam illa mater misericordiae, regina coeli, Dei genitrix, dignata fuit se per quietem ostendere miserabili caecitate laboranti, et materna obiurgatione insignem unigeniti sui inimicum increpare: Noveris, inquiens, iuste tibi illatum esse, quod pateris, qui honorem, et obsequium domino coeli, et terrae, Iesu Christo filio meo, Christianorum Deo exhibendum, daemoniis impendisti. Nunc igitur, si sanari vis, promitte, quod idolorum cultu abiecto, de caetero fidem Christianam firma mente conserues, seruandamque omnibus praedicare curabis. Quod cum ille promisisset, mox detersa caecitatis caligine, lumen mentis,

Digitized by Google

et corporis recipere merebatur. O immensa, et stupenda Dei miseratio erga Gothicam nationem. Olim namque Deus, ut futurum gentium Apostolum Paulum a caecitate liberaret, Ananiae ministerio uti dignatus est: nunc vero pauperem Gothum longe maiore caecitate percussum, per suam dilectissimam genitricem illuminavit, et ita illustravit, ut deinceps semper publice praedicata fuerit sanctissima Christi fides in utroque regno Gothiae, et Suetiae. Igitur o Suetia, et Gothia, agnosce Apostolam tuam: agnosce magistram fidei tuae: agnosce (inquam) divini verbi genitricem, et praedicatricem. Non parva cura est Deo tuo de salute tua, qui te de tenebris gentium per suam piissimam matrem reuocavit. Erubesce, poenitentiam age, et educ quasi torrentem lachrymas tuas, quia unquam auditae sunt in te Lutheranae blasphemiae in ipsam magistram tuam Deiparam immaculatam: quae iam coelos penetraverant, ut inde, nisi cito poenitueris, terribiles ad te revertantur aerumnae. Sed haec alias. Hanc gratiam consecutus idolorum Pontifex, mox Apostolica vice fungens, omne regnum circuibat, excelsa Dei, utcunque potuit, balbutiendo praedicans, affirmansque, quoniam Christus est verum lumen ad reuelationem gentium, omnes autem dii gentium daemonia, et non est salus in simulachris eorum: igitur euertenda, et omnis eorum cultus Christiana religione commutandus. Favit illi populus miraculi novitate attonitus, seque ad suscipiendam Christi fidem parat. Verum quia messis multa erat, et operarii pauci, curavit Rex Stenchillus (iam cognomento Pius) oratores mittere ad Bremensem Archiepiscopum, pro viris doctrina et sanctitate praeclaris, qui reparandae fidei Christianae essent idonei, et pro divini cultus augmento nulla adversa formidarent. Unde et viri singularis abstinentiae, et doctrinae illico missi sunt, qui sinceritate purioris vitae esurientem in verbo Domini populum fideliter erudirent, atque evacuata idolorum superstitiosa cultura in optima via salutarium exemplorum dirigerent, et conseruarent.

Deinde Adalvardus secundus Episcopus post sanctum Ansgarium, fidem Christi in Suetia, praesertim circa Upsaliam praedicans, tanti meriti apud Deum, et homines fuisse traditur, ut eius memoria apud Suecos sempiterna laude celebrari mereatur. Nam iuxta S. Pauli exemplum, cum liber esset ex omnibus, omnium se servum fecit, ut plures Christo lucrifaceret, sciens quod, qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates. Quippe, cum esset in lege Domini doctissimus, Pontificiaque dignitate, et vitae sanctimonia conspicuus, ad mandatum Archiepiscopi Bremensis (qui erat Ansgarius, aut eius successor) relictis patria, parentibus, amicis, fortunis, secutus est oratores praefati Stenchilli Regis: cum quibus post multa maris et terrae pericula, peruenit in Suetiam: exceptusque a Rege iam Christiano, et proceribus regni (quamvis paganis) cum summo honore, in civitate Sigtuniensi: ubi tantum venerationis in ipsum ab universis est collatum, ut non secus ab eis exciperetur, quam Paulus a Galatis olim fuerat exceptus, qui de ipsis scribens ait: Sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Iesum: et si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi. Enimuero dum sacramenta offerret beatus Adalvardus, adeo devoti, et alacres offerebant donaria populi ad altare Dei, ut sub unius missae officio a populo non numeroso septuaginta librae argenti oblatae numerarentur. Quo facto clare probatum fuisse videtur dictum Pauli Apostoli: Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ostendentes opus legis scriptum in cordibus suis. Unde enim scire potuerunt offerendum esse? nisi quia etiam natura conformiter ad legem Dei docet, non opportere in conspectu Domini Dei vacuum apparere, praesertim in eo sacrosancto mysterio, ubi filius Dei Deo patri pro salute totius mundi offertur. Quippe impium,

Digitized by Google

indecorum et ingratissimum videretur, si homo peccator ibi nihil de donis sibi a Deo datis offerret, ubi filius Dei pro omnibus circumstantibus sese offerri permittit. Nec est aliqua gens tam fera, et barbara, quae non adorat Deum verum, aut falsum: illamque adorationem sine oblationibus, et victimis, nunquam fuisse credimus. Quamvis enim veri adoratores Deum (qui spiritus est) in spiritu adorant, tamen oportet ita unum facere, ut alterum non omittatur, maxime cum illis circumstantiis, quibus praecepta Domini (quae affirmantia dicimus) praecipiuntur. Quando maiores nostri Deo decimas, et oblationes dabant, omnibus bonis abundabant: nunc vero, dum cessat oblatio, accedit confiscatio, et iuxta Canonis dictum: Quod non tollit Christus, tollit fiscus. Sed istud Deo corrigendum, ut caetera, committimus. Dum ea summa humanitate exceptus esset Adalvardus cum sociis suis, diem ieiuniis, et praedicationibus, pro convertendis ad Christum animabus, noctem vero vigiliis, et orationibus impendit, per omnia se talem exhibens, ut non aliter, ac fidelis servus, et prudens, super familiam Domini constitutus videretur, essetque dignus, cui veniens Dominus diceret: Euge serve bone, quia supra multa constitueris. Fatendum tamen est, huic sanctissimo viro id tandem accidisse, quod caeteris Christi discipulis, et Dei ministris ab origine mundi accidere solet: nempe pro verbo Dei tormentis, pro doctrina veritatis suppliciis, pro fide perfidia, pro dilectione odio, et pro omnibus beneficiis summa ingratitudine compensatum est. Nam cum subversioni idolorum (quae tunc Upsaliae nimia veneratione colebantur) totis viribus incumberet, mota est in ipsum gravis seditio a proceribus et plebe, ut, qui ipsius aduentum cumulatissimis honoribus, et beneficiis paulo ante excepissent, nunc vitam eius ad dira supplicia postularent, similes illis ingratissimis Iudaeis, qui postquam Christum Dominum hymnis, et palmis excepissent non longe post crucifigendum conclamaverunt. Ipse quoque Rex Stenchillus, dum sanctissimos viros, Adalvardum, et socios eius, defendere conaretur, a furente plebe primum contumeliis, deinde morte affectus occubuit: dignior coelesti, quam terreno regno, qui se coelesti Regi tanta fidelitate commendavit. Hic vero Adalvardus apud Upsaliam virgis caesus, exemplum sanctissimorum Apostolorum, qui in plantatione fidei (ut habent acta Apostolica) flagellati leguntur, referebat. Deinde in civitatem Birchensem divertens, atque in orationibus, et divini verbi praedicationibus residuum vitae suae continuans, vitam finivit temporalem: quamvis alii verius scripsisse videntur (quibus ego assentio) quod Upsaliae adeptus sit martyrii coronam. Non enim videtur tam facile effugere potuisse ex Upsalia per aquas in insulam Birchensem, quando Rex tam potens se fuga saluare nequiret. Utcunque haec se habeant, scimus quod beati sunt, qui in Domino moriuntur, sive in Upsalia, sive in Italia, aut Graecia: nam aequa est distantia ab hoc centro, sive in mortem, sive in vitam sempiternam.

Stephanus tertius Episcopus Upsalensis, in monasterio Corbeiensi (cuius supra meminimus) ab adolescentia educatus, et in divinis legibus ita institutus, ut dignus haberetur, qui supra candelabrum in domo Domini collocari posset. Igitur ab Archiepiscopo Bremensi, cui tunc cura et legatio Sedis Apostolicae imposita erat, de convertendis ad Christum regnis Aquilonaribus, datus erat in socium, et comitem individuum praefato Episcopo Adalvardo: ambo Episcopi: ambo Apostolica vita, et doctrina clarissimi: ambo Evangelicae praedicationis gratia insignes: ambo pro Christo mori parati, ut de eis verum esset dicere: Haec est vera fraternitas, et verior amicitia, quam inter aliquos, quorum amicitiam vel Plato, vel Aristoteles, vel Cicero admirari videtur. In illis quidem sola amicitiae umbra apparuit: at in his san-

Digitized by Google

ctis Episcopis tanta erat, ut uno spiritu, una vita, una anima, in se, et in Christo unitissimi essent. Nec contenti erant seipsos Christo Deo et Domino univisse, sed Apostolico desiderio accensi, optabant omnes homines tales fieri, quales ipsi essent, exceptis vinculis, et persecutionibus, quas ab impiis patiebantur. Nam (ut diximus) postquam amplissimo honore a Rege, et populo terrae in civitate Sigtuniensi excepti fuissent, et illam civitatem (quae tunc inter grandiores regni habebatur) cum tota vicina regione ad Christum convertissent, seque ad metropolim regni (quae Upsala etiam hodie dicitur) contulissent, idolorum simulachra (quae tunc ibi superstitiosius, quam in toto regno Gothico colebantur) eversuri, mox nequissima daemonia, quibus tanta vis a duobus inermibus viris parabatur, proceres terrae tanquam aptissima vasa ingressi, eorumque malignitate freti, similem turbam contra innocentes Christi ministros excitarunt, qualis excitata erat in Paulum, et Syllam, per eos, qui expulso spiritu pythonico lucra sua perdiderant. Ita enim malignus spiritus causam eiectionis suae apud favorabiles iudices suos egit, ut necesse fuerit eosdem Apostolos, Paulum, et Syllam, virgis caedi, et vinculis alligari. Sed ut illi primitivae Ecclesiae principes ex persecutionibus fortiores surrexerunt, ita his nostri Apostolorum suppares gaudebant, quod digni essent pro nomine Iesu contumelias, et verbera pati. Stephanus enim non timore mortis, quam tandem se pro Christo passurum novit, sed zelo propagandae religionis, relicta Upsalia, ad Helsingos se convertit, omnium Suecorum optimos, etiam quando pagana superstitione seducti idolis serviebant. Huic genti non tam difficile erat virtutis viam praedicare, cum terra illa ex sua natura probos homines gignat, et educet. Proinde Stephanus non parvum populum ex illis Aquilonaribus terris Iesu Christo acquisiuit. Historia enim Suetica aperte fatetur, quod innumerabilis populus eius sanae doctrinae acquicuit. Tandem decurso tam laudabili stadio, cum nihil aliud restaret, nisi vt mercedem laborum suorum reciperet gloriosam, placuit Deo omnium bonorum autori, vt per palmam martyrii, coronam, et felicitatem consequeretur sempiternam. Itaque in terris Helsingorum, quorum primus et praecipuus Apostolus erat, martyrio coronatus est. Sepultus in Ecclesia, et villa Norala, Australiore parte Helsingiae, ad nostram vsque aetatem signis et miraculis per diuinam clementiam illustratus, cuius honorem, et gloriam, quantum potuit (dum viueret) illustrauit. Post cuius obitum Ecclesia Vpsalensis ad multos annos pastoris solatio vacabat, nullo audente illis ouibus praedicare, aut praesidere, qui lupum sub ovillis tergoribus abscondebant, quemadmodum acciderat in hoc nostro aeuo [a]), quod Lutherana spurcitia inquinatissimum est, vt in ipso impletum videatur Esaiae vaticinium: Et erat sicut populus sic sacerdos, sicut seruus sic dominus, sicut ancilla sic domina. Deinde sequitur: Dissipatione dissipabitur terra, quia habitatores eius leges Domini transgressi sunt. Propter hoc maledictio vorabit terram, & peccabunt habitatores eius &c. et relinquentur homines pauci. Hisque verbis praemissum est: Vae qui condunt leges iniquas, vt opprimerent in iudicio pauperes, et vim facerent causae humilium &c. [b]).

[c]) Interemptis itaque tam sanctis Antistitibus, non longe postea per Regem Olaum Scotkonung, virum benignissimum, licet paganum, petitus, et a Rege Anglorum Eldredo emissus, venit sanctus Sigfridus Eboracensis Archiepiscopus in Suetiam: vbi Regem, ac Reginam, et maximum populum circa annos Domini XCLIIII. ad fidem Catholicam conuertit, baptizauit, et instruxit. De quo sanctissimo Pontifice, regnorum Aquilonarium Apostolo, quia in historiis

a) In margine additur annus: 1525.

b) In margine: De quibus infra in apologia autoris plura.

c) Addidit Olaus Magnus in textu quae sequuntur, litterulis minutis.

Digitized by Google

nostris Gothicis ac Sueticis libr. XVII. cap. XVI. extensius pro plantatione fidei tetigimus, vnumquemque lectorem piissimum ad eum locum reducimus, & solidamus. Tandemque fidelis ille Pontifex mortuus est, & in Vexio sepultus.

Suerinus *d*) quartus Ecclesiae Vpsalensis Episcopus. Hic postquam proceres regni diu et multum sua idola, et daemoniorum simulachra defenderant, accepto in manus gladio spiritus sancti (quod est verbum Dei) eos intrepido animo aggreditur. Sed quae erant illa idola, et daemonia pessima, quibus Suetia pagana superstitione seducta paruerit, paucis aperire conabor. Ipsa enim Suetia vna cum Gothia, et omnibus adiacentibus prouinciis, templum quoddam nobilissimum a tempore Abrahae, prope fluvium Sala (vbi hodie Vpsala Suecorum metropolis perdurat) adeo magnifico apparatu constructum venerabatur, vt nihil in eius parietibus, laquearis, aut columnis, nisi auro splendidum videretur. Tectum praeterea totum auro fulgebat: a quo aurea catena dependens, totum templum ad moenia, domusque fastigia cinxisse memoratur. Quo factum erat, vt templum in ampla planitie situm, admirando sui fulgore venerandam religionis maiestatem accessuris ingeneraret. Astabat eius foribus arbor ingens ignoti generis, patulis diffusa ramis, aestate et hyeme iuxta virens. In hoc templo Sueci, et Gothi, antequam Christo crederent, statuas trium Deorum venerabantur. Potentissimus Thor in medio triclinio strato puluinari colebatur: cuius latera hinc inde cingebant duo suppares Dii, Odhen, atque Frigga. Thor credebant in aëre praesidentem, tonitrua, fulgura, ventos, nubes serenitatemque gubernare, frugesque, et vniuersos fructus administrare. Othinum, qui bellis praesideret, hominibusque contra hostes vires subministraret, adorabant. Friggam, quae pacis, voluptatisque autor crederetur, diuino honore dignabantur. Thor cum corona et sceptro Iouem Auxurum, Othinus Martem, Frigga Venerem exprimere videbatur. Thoro invalescente fame et peste, Othino ingruente bello, Friggae pro felici nuptiarum auspicio sacrificabant. Sacrificantes hominem immersere vivum in fontem, qui iuxta locum sacrificiorum scaturiuit: qui si facile mergeretur, faustum renuntiauere sacerdotes votum. Post nouennium, totius regni celebritate templum visebatur, nouem diebus sacrificia peragebantur, nouem per singulos dies animantium genera (in quibus et homo) sacrificabantur. Nec Regibus, quando forte deprehendebantur, pepercerunt. Corpora diis oblata in vicinum nemus (quod ob id sacrosanctum habebatur) suspenderunt. Praeterea plures alii dii, quorum Saxo meminit, a Gothis colebantur, vt Rollerus, Vagnosthus, Hadingus, Roschiophus, Rostarus. Insuper Diana singulari templo a Gothis venerata est. Ita se habentibus rebus, non facile erat sanctis Pontificibus, errorem tribus annorum millibus continuatum abolere: et nisi diuina virtute suffulti fuissent, frustra tam arduum negotium attentassent. Igitur post alios beatissimos patres, hic Suerinus (vt diximus) accinctus gladio spiritus sancti, velut alter Helias, solus contra ingentem multitudinem falsorum prophetarum Baal insurrexit, verbumque eius quasi facula ardens omnes Ethnicorum errores potenti virtute superauit. Nec plus potuerunt in ipsum magorum praestigia (quorum tunc omnia plena erant in Gothia) quam olim in Mosen et Aaron coram Pharaone. Siquidem magica ars in omnibus terris idololatriae connata, maximum vbique praestitit impedimentum propagandae fidei Christianae, maxime vero in Suetia, et regnis Aquilonaribus, donec hoc sanctissimo viro praedicante, dicere cogerentur: Digitus Dei hic est. Tam similia enim videbantur magorum praestigia, signis diuina virtute productis, vt humana mens peccatis excaecata, inter haec, et illa discernere nequiret: quemadmodum

d) Sic. Lege: Severinus. Ab eo incipit Chronicon Archiepiscopor. in Registro Upsal.

Digitized by Google

in hoc nostro calamitoso seculo fieri videmus, quando doctrinae haereticorum sub praetextu diuini verbi, tam speciose proponuntur, vt voces Dei, et non hominis, ad eas acclamari possint, cum tamen coram suis Pharaonibus nihil, praeter dracones, et ranas efficere possunt. Transforment se in Angelum lucis, quantumcunque velint, sunt tamen vasa daemoniorum ad sempiternum interitum reseruata. Sed haec in aliud tempus remissa sunt. Tandem iste felix Pontifex Suerinus plenus dierum, et operibus bonis, in Domino defunctus est: translatus in illam aeternam domum, in qua nullum bonum deest, et nullum malum adest, sed vita, felicitas, gaudium, et requies sempiterna.

Nicolaus quintus Ecclesiae Vpsalensis Episcopus, magna eruditione, et singulari sanctimonia praeditus, incidit in ea felicia tempora Ingonis Regis iunioris, quando tota patria cognouerat verum Deum, et filium eius, quem miserat Iesum Christum: iamque coeperant optimi Reges pontificiam dignitatem venerari, Episcopos vt patres colere, ministros Christi, et Ecclesiae, summo honore prosequi, decimas, et oblationes eis liberaliter conferre, iuri diuino se per omnia conformare, et demum, quicquidem erat pro augmento diuini honoris, ardentissimo affectu complecti. Quocirca a tempore Erici Aërseel cognomento Stenchil (cuius mentio facta est) vsque ad Valdemarum filium Birgeri Ierl, ducentis sexaginta fere annis nulli, aut certe pauci reprobi Reges (qui interea viginti regnauerunt) dominati sunt in Suetia: quae medio tempore ad tantam existimationem apud omnes nationes creuit, vt nulli cederet felici, beataeque regioni. Quae enim felicitas Suetico regno deesse potuit? quando Reges eius cognoscebant se esse homines peccatores, et sine Dei gratia nihil esse: atque ob id Pontificum consilia tanquam Dei oracula amplectebantur. At post Valdemarum (excepto solo Magno Ladalaas) quis dignus fuit in Suetia Rex nominari, ex omnibus illis, qui illud gloriosum nomen inaniter sustentare videbantur? Valdemarus infami carcere consenuit. Birgerus fratricida, qui sacrilegas leges contra Ecclesiam condidit, in exilio opprobrioso in arce Spichaborg consenuit. Magnus Smech, postquam Ecclesiam euertere contenderat, a Regio solio euersus est, et in Noruegianis aquis submersus. Rex Albertus ab Ecclesia, quae ei non donauerat, rapiens, regno exutus in carcerem abiit ignominiosum. Ericus Rex ex Pomeranis nullum felicius fatum assecutus, regnis exutus, in paternis aedibus est defunctus. Deinde Christophorus Bauarus, et Christiernus primus, ac secundus, inter quos erat Carolus: hi omnes quantum profecerunt, Ecclesiasticam libertatem expugnando, nullus rerum gestarum peritus ignorat. Nam Christophorus in loco parum honesto occisus est. Christiernus ab amplissimis regnis, postquam Ioannem Archiepiscopum Vpsalensem captiuârat, eiectus est. Carolus odio habens Christi ministros, publicum totius patriae odium in se expertus est, et ad septenne exilium in Gedanum ciuitatem Prussiae detrusus. Igitur cum tempora omnium illorum Regum, qui Christianae Ecclesiae obediuerant, felicissima fuerunt, et eorum, qui Ecclesiam euertere voluerunt, infelicissima, quis tam caecus modo est? qui non videat, quod omni modo conandum sit, vt illi Principes regno praeficiantur, qui studiosiores sunt diuino honori, et Ecclesiasticae libertati augendae, et conseruandae. Mox enim, cum videris aliquem praesidem rapaces manus in bona Ecclesiae extendere, nequaquam dubites, quin aliquando tibi vim sit allaturus. Cui enim homini parcet, qui audet rebus Deo dedicatis iniuriam inferre? Beatum igitur dixero hunc Nicolaum Pontificem, qui a rapacibus tyrannis liber, ab optimo Rege Ingone iuniore mirifice sustentatus, libere fidem Christianam praedicabat, Deoque, et eidem Regi fidelissimum populum efficie-

Digitized by Google

bat. Sed longe beatior terra, cuius Rex tam nobilis erat, vt coniugem mereretur sanctissimam foeminam Ragnilden, quae apud Telgas miraculis illustratur: ex qua non minoris sanctimoniae foeminam Christinam suscitauit: quae diuo Erico Regi matrimonio castissimo sociata, nomen inter praeclariores Reginas, quas vnquam Suetia produxit, merebatur. Felix profecto tunc erat Suetia, quando ex optimis parentibus optimi liberi ad Dei honorem, et patriae vtilitatem ita educabantur, vt maximis virtutibus maximam parentum suorum nobilitatem illustrarent. At nunc (heu dolor) longe secus in illis regnis fieri videmus. Quippe talis est multorum nobilium puerorum educatio, vt, si progenitores eorum vnquam fuissent nobilitate insignes, certe corruptis filiorum moribus, ad ignobilem memoriam redigantur. Magnum sane est nomen nobilitatis, magna species, magna dignitas, magna praestantia: sed non capiunt angustiae ignaui pectoris, non recipit leuitas morum, non egestas animi, non infirmitas ingenii sustinet tantam gloriam, quae ex sanguine nulla, aut certe parua, ex virtute vero tota consurgit. Sed ista remissa sint eis, qui se nobiles iactitant, et quae sit vera nobilitas ignorant, quales erant illi adumbrati nobiles, qui praefatum Ingonem Regem optimum, Principem clementissimum, patriae, et omnium bonorum amantissimum, veneno occiderunt. Post cuius infelicissima fata Nicolaus optimus animarum pastor multo dolore affectus, Suetiam coelesti patria moriens commutauit.

Sveno sextus Ecclesiae Vpsalensis Episcopus, in omnibus prudentiae partibus, ac numeris instructissimus, se, et Ecclesiam, ac clerum suum a multis incommodis, quae domesticam, et ciuilem discordiam comitari solent, prudenter praeseruauit. Siquidem hac tempestate, occiso gloriosissimo Rege Ingone, cum Sueci non exspectato Gothorum consensu, Regem Ragualdum, vt vtrique regno imperaret, elegissent, Gothi non ferentes se suo iure, et honore priuari, trucidato Ragualdo, Magnum filium Nicolai Regis Daciae (ex Margareta filia senioris Ingonis Gothorum, et Suecorum Regis) sibi Regem constituunt. Vnde ingens bellorum ciuilium occasio suscepta eo processit, vt, turbata vtriusque regni tranquillitate, quae priorum Regum prudenti consilio firmata fuerat, diuinae, et humanae leges non parum turbarentur, difficileque negotium Pontificiae, et Ecclesiasticae autoritati crearetur. Interea tamen Sueno se sapientissimum, et optimum Pontificem infatigabiliter praestans, totius *ingenii* sui neruos ad pacandos ciuium animos convertit, quotidie, et sollicite curans, ne tenerum Christianae fidei statum bellicus turbo convelleret. Qua in re cum diligentissime laboraret, maximos, et gloriosos boni laboris sui fructus assecutus est. Enimvero, quemadmodum antecessores eius (exemplo sancti Hieremiae) super gentes, et regna constituti, evellendo, destruendo, dissipando idola expugnabant, corumque templa, et simulachra tandem euerterunt: ita hic dignissimus Antistes vitiis, et peruersis moribus euertendis summopere studebat: vtrumque Deo gratissimum esse ratus, daemonia a statuis, et crimina ab humanis mentibus effugare. Proinde, dum se talem pro publica patriae, et omnium incolarum salute, ac pace gereret, summam procerum, et populorum gratitudinem expertus est. Siquidem possessiones, praedia, rura, domos in Ecclesiam liberaliter conferentes, summopere curabant, ne Ecclesiae autoritas ob paupertatis incommoda minus sufficeret vitiis reprimendis, et virtutibus conseruandis. Quando enim Deus sacerdotium instituit, ita vtique instituit, ne ob inopiam rerum vilesceret, sed possesionibus, et prouentibus abunde suffultum resistere possit aduersariis veritatis: et qui sponte nollent virtuti operam dare, coacti virga pastoris facerent imperata. Nec tamen sibi multum blandiantur nostri proceres, quasi suis ope-

Digitized by Google

ribus Christianam Ecclesiam in Suetia nimium ditassent: immo potius dolere, et poenitentiam agere debeant, quod nunquam tantum largiti fuerant sacris aedibus, et Dei ministris, quantum diuino praecepto astringuntur: et vtinam nunquam diripuissent ea, quae infimae sortis populus in Ecclesiam Christi liberaliter est largitus. Haec si quis negauerit, conferat sua donaria iuri diuino, quod per legislatorem Mosen promulgatum est, et comperiet non solum seipsum, sed totam Suetiam propterea dudum diuinam indignationem incidisse, quod in tota Europa pauperior Ecclesia vix inueniatur, quam hactenus fuerat Ecclesia Suecana: quae propterea tyrannis resistere, haereticos reprimere, innocentes defendere, oppressos erigere, pauperibus succurrere, fidem Christi extendere, transgressores diuinae legis corrigere, et alia complura officia sua perficere nequiuerat. Quocirca semper languens, semper oppressa, semper imbecillis, et infelix fuerat: nunquam satis violata, nunquam satis vexata, nunquam satis conculcata [e]). Quod quantum displiceat ipsi Deo sponso eius, in quem sponsae ignominia redundat, iudicet is, qui integro est affectu. Igitur postquam nimis diu praebuerat maxillas suas evellentibus, et conspuentibus: postquam saturata est opprobriis: postquam diu obmutuerat, et coram tondentibus non aperuerat os suum: nunc tandem tempus esset, vt proceres nostri vices ipsius dolerent, agnoscerentque, quod ea oppressa, omnis decor regni, omnisque eorum libertas pariter opprimatur: nec felicem fieri posse Sueticam nobilitatem, donec Suecana Ecclesia tam potens fuerit, vt cuicunque tyranno eam caedenti dicere possit: Cur me caedis? Ad cuius rei probationem satis est considerare, modernos Reges nequaquam potuisse redigere nobiles suorum regnorum ad vilem, et ignominiosam seruitutem, nisi prius Ecclesiam ipsam omni libertate priuassent. Sed ista in aliud tempus quiescant. Ad Suenonem dignissimum Pontificem reuertar: qui, sedato domestico bello, et electo Rege Suerchero, quietiora sortitus est tempora: quorum commoditate ita vsus est, vt magnum vbique animarum lucrum assequeretur. In primis ipsum Regem Suercherum ad multa praeclara opera pictatis induxit: qui inter caetera suae Regiae magnificentiae praeclariora monimenta, monasterium Alvastrense construxit: in quo sepultus, diem extremi iudicii exspectat. Nec Episcopus Sueno vita diuturnior esse potuit, qui mortali corpore deposito, immortalem animam Deo reddidit immortali.

Divus Henricus septimus Ecclesiae Vpsalensis Episcopus fuit, totiusque Finlandiae Apostolus, et patronus: cuius eximia pietas ita est publico cultu consecrata, vt priuatae laudis (quae a me exigua afferri potest) nequaquam indigeat. Attamen cum caeterorum Pontificum memorias prosequendas suscepi, ita eius felicem vitam, et gloriosum martyrium paucis attingam, vt quantum hoc matutinum sidus, quod post tenebrosam illam noctem infidelitatis nobis illuxit, ab aliis stellis in claritate differat, qualicunque modo contemplari valeamus. Siquidem totus cursus vitae eius nihil aliud spirat, quam praeclara virtutum exempla. Quis enim non considerat in ipso ab ineunte aetate fuisse constantissimam in Christum fidem? feruentissimam Dei, et proximi charitatem, in expugnandis erroribus singularem magnanimitatem, summumque ad bene merendum de toto humano genere studium, quando relicta felice Anglia, in qua natus erat, ad laboriosam Suetiam, pro lucrandis Christo animabus, se conferre dignatus est. In Anglia felix Episcopus bonis omnibus abundabat: in Suetia alieno beneficio illi viuendum erat. In Anglia iucundi amici, docta ingenia, morum ciuilitas: in Suetia atroces Christi inimici, nullaque eo tempore erudita, aut pia ingenia, sed conversatio omnibus periculis cumulata. Audierat iam pridem Sigfridum

e) In margine: Destructa religione omnia destruuntur in regno.

Digitized by Google

Eboracensem Archiepiscopum *f*), Regium consanguineum, ex Anglia profectum, quamvis a Rege Suetiae Olauo Scotkonung amplissime honoratum, tamen ab impiis proceribus eiusdem regni atroces iniurias reportasse, occisos eius nepotes, direptam eius totam supellectilem, et in summis periculis vitam inter feroces paganos deduxisse: nihilominus ille ingens fidei feruor, qui invictissimum eius pectus accenderat, nequaquam admittere potuit, quod intra patrios lares, et sub modio tam lucens lucerna contineretur. Egrediendum illi erat de terra, et de cognatione sua: obliuioni tradendus erat populus suus, et domus patris sui: superanda erant horrenda maris pericula: transeundum erat per gentes feras, et inhospitales: et demum usque ad Gothicas, et Scythicas prouincias penetrandum: conversandum in omne reliquum tempus vitae duris et ignotae linguae hominibus, et ab eis nunquam ad propriam patriam redeundum: eaque omnia, et maiora subeunda, quae in hoc mundo publicis legibus iudicati, damnati, et proscripti subire solent. Hoc modo electus Dei Pontifex ad te, o Suetia, peruenit: nunc, quae in te beneficia contulit, audi. Eras in fide Christi nouella, et tenera, hic te in ipsa solidauit: eras peccatorum sordibus inquinata, hic te ab eorum foeditate ad pia opera reuocauit: eras diuinarum, et humanarum legum ignara, hic te, vt legibus, et virtutibus operam dares, informauit: Regem tuum sanctum Ericum, vt sanctus fieret, adiuvit: leges tuas, quibus ad nostra usque tempora in pace conseruata fueras, cum eodem S. Erico correxit *g*), et ut Finlandia sub tuam ditionem accederet, sollicite laborauit: nihilque tam arduum, aut difficile, vel insuperabile videbatur, quod non pro te ornanda, extollenda, et amplianda aggrederetur. Sed quid ei pro tot laboribus impendisti? Non dico eo ipso tempore, quo in te visus est, et cum hominibus tuis conversatus est: sed hoc nostro tempore, nostra hac tempestate, quando eius tumbam, in qua sacrosanctae eius reliquiae conditae erant, auferri et profanari permisisti, abiectis quam indecenter sanctissimi martyris cineribus, in quibus habitare dignatus est spiritus sanctus: a quibus in te fluxerant diuina eloquia: a quibus tot virtutes, et miracula sancta fuisse audiveras. Haeccine est tua gratitudo in optimum Episcopum, et pastorem tuum? ut mortuum spoliari permitteres, qui, ne aeternam mortem subires, efficere curauit. Amara fuit illi vinea sua Finlandia, quando absorbuit in se sanguinem tam sancti, et innocentis Praesulis, atque ob id Dominico ore quandoque fuerat maledicta: sed poenituit, et veniam consecuta est. At longe amarior es tu Suetia in sanctum Domini, postquam sanctorum catalogo ascriptus, et miraculis illustratus est, non viderat occisor miracula, neophitus erat in fide, et forte non adhuc in Christo regeneratus. Proinde o Suetia age maiorem poenitentiam de tam temerario sacrilegio, de tanta impietate, et inhumanitate: cogita, non frustra Pontificios canones, et Imperiales leges statuisse poenas in violatores communium sepulchrorum, quanto magis in eos qui tumbas sanctorum martyrum desolare praesumunt? Praeterea perpende, et reuolue veteres, ac nouas historias, et nusquam invenies sacrilegos aliter, quam infami morte defecisse. Probat hoc sufficienter Trogus Pompeius, et eius abbreuiator Iustinus, ex quibus nonnullos adducere placuit, ut formident Christiani sacrilegia committere, quando tam infeliciter ea temeritas successerat, etiam illis, qui idola coluerant. Cambyses (inquit Iustinus) Persarum Rex, ad Ammonis templum expugnandum exercitum misit, qui tempestatibus, et arenarum molibus oppressus interiit. Xerxes quoque Persa quatuor millia armatorum Delphos ad templum Apollinis diri-

f) Gratis dicta sunt quae magnificentius quam verius Auctor, fide Legendarum vetustarum deceptus, venditat de Archiepiscopali S. Sigfridi apud Eboracenses dignitate, quam penitus ignorant annales ecclesiae Anglicanae. Cfr. quae supra monuimus in Prolegomenis nostris ad Historiam S. Sigfridi, in Tomo hujus operis Secundo, sect. I. p. 344.

g) In margine: Leges S. Erici Regis Suetiae.

Digitized by Google

piendum misit: quae manus tota imbribus et fulminibus deleta est. Philomelus Graecorum Phocensium Dux, postquam Apollinis templum spoliauerat, sequenti proelio primus inter confertissimos hostes dimicans cecidit, et sacrilegii poenas impio sanguine luit. Brennus Gallorum Dux, quasi terrena spolia sorderent, animum ad Deorum templa convertit, scurriliter iocatus, locupletes Deos largiri hominibus oportere. Sed idem postmodum, cum dolorem vulnerum ferre non posset, pugione sibi mortem consciuit. Antiochus Syriae Rex, sperans se sub specie tributariae necessitatis excusatius sacrilegia commissurum, adhibito exercitu nocte templum Elimei Iouis aggreditur: qua re prodita, concursu incolarum cum omni milite interficitur. Totus ille Brenni exercitus, qui in Tolosam reuersus est, comprehensus pestifera lue, non prius sanitatem recuperauit, quam aurum, argentumque sacrilegiis quaesitum, in Tolosensem lacum mergeret: quod longo post tempore Scipio Romanus Consul abstulit: quod sacrilegium, causa excidii Scipioni exercituique eius postea fuit. Romanos quoque Cimbrici belli tumultus, velut ultor sacrae pecuniae, insecutus est. Alexander Syriae Rex, cum militibus stipendia deessent, in templo Iouis solidum ex auro victoriae signum tolli iubet, facetis iocis sacrilegium circumscribens: nam victoriam commodatam sibi a Ioue esse dicebat. Interiectis deinde diebus in sacrilegio deprehensus est, et a suis desertus, a latronibus capitur: perductusque ad hostem suum Gripum, interficitur. Hi pauci ex tota multitudine sacrilegorum adducti, documento esse possunt, non semper verum esse, quod sacrilegus Dionysius Siculus iocando dixit: Ecce quam securi nauigant sacrilegi. Profecto non omnes hactenus secura nauigauerant aura in Suetia, qui vel Ecclesiam oppresserant, vel auxiliares manus ab ea retraxerant. Nondum ego annos quinquaginta habeo, et tamen memoria teneo, aliquem ex proceribus regni quingentos equites in quotidiana familia satis magnifice aluisse: cuius soror modo circa annum a Christo nato MDXXXVI. in ordinem plebeiae multitudinis redacta, poenam patitur, quod maiores sui non satis pii fuissent in Ecclesiam, et Dei ministros, in quos ne praedium aliquod conferrent, voto pertinaci sese dudum astrinxerunt. Quocirca nihil dubito, quin ea exsecratio, quam inclytus Rex Ericus cum hoc optimo Pontifice S. Henrico, in eos, qui Ecclesiam Christi, et Dei ministros persequuntur, edidit, multos a summo culmine nobilitatis ad vilissimam conditionem detruserat. Iustum quippe est, vt ignobiles fiant, qui Deum, a quo est omnis nobilitas, in Ecclesiae ministris contemnere non verentur. Neque opus est, ad confirmandum hoc argumentum, exempla a diuinis literis petere: nam sacra historia vix aliquid frequentius, aut horribilius inculcat, quam horrenda illorum tyrannorum supplicia, qui ab initio institutae Ecclesiae, diuino sacerdotio iniurias irrogarant. Sed haec modo sufficiant. Quod vero reliquum est de vita et miraculis eiusdem sancti Episcopi Henrici, praestabunt docti alumni Ecclesiae Aboënsis: ego enim haec pauca apud eos adduxisse volui, vt ad aemulationem prouocati, plura de communi vtriusque Ecclesiae, Vpsalensis, et Aboënsis patrono, adducere non omittant.

Praemissa Catholici Imperatoris Ludouici, filii Caroli Magni piissima sollicitudine, quam, conversa ad Orthodoxam fidem Saxonia, per religiosum Abbatem Corbeiensem, postea Bremensem Archiepiscopum, pro regnis Aquilonaribus ad Christum convertendis habuit: demum declarato, quam intime gloriosus Anglorum Rex Eldredus alias Mildredus, euolutis CXL. annis, pro eisdem gentibus ab idololatria, et pagana superstitione ad unitatem Catholicae Ecclesiae, instante Olao Scotkonungh Gothorum Rege prudentissimo, per S. Sigfridum Eboracensem

Digitized by Google

Archiepiscopum reducendis, laborauerit et profecerit: exinde restat intueri, quanto pietatis affectu S. Sedis Apostolicae, cuius autoritate praedicta conversio facta est, et indefesso summorum Pontificum studio, praedicta regna in eadem fide, plurimis iteratim emissis legatis, conseruata sunt, seu collapsa, vt Reges, et Principes sincerissimis exhortationibus euocati, ab erroribus resipiscentes, ambulent in domo domini cum consensu. Inter alios autem eiusdem S. Sedis Apostolicae sanctissimos Pontifices, cum ipse Gregorius VII. pro defensione fidei quasi insuperabili principum furori in magna constantia resistens, pluries in persecutiones incidisse legitur, dignum et iustum est, vt aliquot eius religiosae epistolae, ad Reges praesertim et regna Aquilonaria, in noua fidei plantatione, et irrigatione laudabiliter scriptae, praesentibus inserantur, quatenus omnis Catholica natio clarissime videat, et Deum laudet, quod nunquam diuina miseratio defuerat, aut sua inscrutabili prouidentia deesse velit, quin ad ostium pulsans cum filiis hominum esse desideret, et loqui pacem in plebem suam, et super Sanctos suos, et in eos, qui convertentur ad cor. Quin immo veluti gallina congregans pullos suos sub alas, incessabili voce omnes exhortatur, vt iuste, pie, sobrie, caste, et sancte in hoc seculo viuentes, superata huius seculi turbatione, quietem inveniant et possideant, sempiterna laetitia duraturam.

Epistolae igitur eiusdem Gregorii VII. annis XII. Ecclesiae Romanae de anno Christi M. LXXIIII. praesidentis, ad Reges Aquilonares, vt praemittitur in causa fidei conscriptae, potius pietatis zelo Olai Archiepiscopi Vpsalensis, quam ordinatione autoris huius libri, praesentibus pro excitanda Regum et Principum emendatione, occasionaliter sunt annexae. [h])

Gregorius VII. N. glorioso Sueonum Regi. [i])

Quoniam Regni tui terram quosdam sacri verbi ministros fuisse ingressos audiuimus, nouerit Excellentia tua nos in Domino multum laetari, deinceps quoque de salutis vestrae reparatione plurimum spei indubitanter habere. Gallicana siquidem Ecclesia non vos alienis documentis instruxit, sed quod de thesauris matris suae S. Romanae Ecclesiae accepit, salubri vobis eruditione contradidit. Quapropter vt Christianae religionis, et doctrinae gratiam obtineatis vberiorem, voluimus Celsitudinem tuam aliquem vel Episcopum, vel idoneum Clericum ad Apostolicam sedem dirigere, qui et terrae vestrae habitudines, gentisque mores vobis suggerere, et Apostolica mandata, de cunctis pleniter instructus, ad vos certius queat referre. Interim vero monemus, vt prudentia tua commissum sibi Regnum in concordiae, iustitiaeque custodia dirigat atque disponat, ac ita circa subiectos pacis iura, et aequitatis discretionem seruare inter caetera virtutum studia satagat, quatenus per temporalis regiminis sollicitudinem mereatur aeterni percipere securitatem, et cum iustis vocem totius iucunditatis plenam, in extremo examine digne possit audire: Venite benedicti patris mei percipere Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Datum III. Non. Octob. [k])

Gregorius VII. Visigothorum Regibus I. et VII. [l])

Frater noster R. [m]) Episcopus vester, ad Apostolorum limina veniens, suggessit nobis de noua gentis vestrae conversione, scilicet qualiter relicto gentilitatis errore ad Christianae fidei veritatem peruenerit. Vnde plurimum in Domino laetati, miseratori omnium intimo corde gratias agimus, qui mentes vestras lumine suo visitare, et de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, dignatus est vos aeterna sua benignitate reducere. Simul etiam ipsius ineffabilem mi-

h) Gregorii VII. P. M. quae heic sequuntur, epistolas, nisi omnia fallunt criteria, e Codice quodam Epistolarum Gregorii P. VII., Romae facile obvio exscripsit Olaus Magnus. Regesta Pontificum de cetero inspexisse Nostrum, a fide haud absonum diceres, si conferantur ea, quae mox infra refert auctor de "Pastorali libro Basilicae S. Petri de urbe" nec non de "libro Taxarum omnium ecclesiarum mundi, qui catenatus servatur in libraria secreta summi Romani Pontificis Banco XI. in australiori parte" etc. Quae cuivis adire non licuit, coram vidit et examinavit Noster.

i) "Gregorius Episcopus servus servorum Dei I. . . . (Ingoni?) glorioso Suconum Regi." Ita Baronius in Annal. Eccles. ad ann. 1080. §. LXI. Concilior. collectio Regia T. XXVI. p. 459. quam sequitur Diplomatar. Svec. T. I. p. 40. sub anno 1080 d. 4 Octobr. Habent de cetero Vastovius, Vit. Aquilon. ed. Colon. et Örnhielm, Hist. Eccl. Sveog. Cfr. Celse, Bullar. Sveog. p. 23.

k) Baronius: quarto Nonas Octobris.

l) "Gregorius Episcopus servus servorum Dei Wisigothorum gloriosis Regibus L. et A." (Ingoni et Alstano s. Halstano? perperam posita littera L. pro I. in priori, et exclusa H. in posteriori nomine). Baronius, l. c. ad ann. 1081. §. XXX. Vastovius et Örnhielm, l. c. Diplomatar. Svec. ad ann. 1080. Cfr. Celse, Bullar. l. c.

m) Rodulvardus, Episcopus Scarensis? quem meminit vetustus Catal. Episcopor. ad calcem LL. WGoth. Cfr. Celse, Bullar., l. c.

Digitized by Google

sericordiam deprecati sumus, assidueque postulare optamus, vt vos tam fidei gratia, quam bonorum operum fructibus, et in hac vita vigere, et in futura sanctorum coetibus faciat annumerari. Proinde charissimi filii autoritate S. R. E. vice beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, nobis (licet indignis) concessa, vos admonemus, vt huius fugitiuae vitae incertitudinem, ac temporalium rerum, et gaudiorum instabilitatem perpendentes, contemnere, et ad illa, quae sine fine mansura sunt, quaeque humani sensus, ac desiderii angustias amplitudine sua excedunt, memineritis aciem mentis semper extendere: concordiam et dilectionem studeatis ad invicem indeficienter habere: Ecclesiis honorem: pauperibus et afflictis compassionem: Sacerdotibus, praecipueque Episcopis, reuerentiam ac obedientiam, quasi patribus procuretis impendere: nec non et decimas, quae ad usum tam ipsorum, quam Ecclesiarum, et pauperum proficiant dare, totique regno indicare. Quod quidem nulli debet graue videri, pro meliori parte, videlicet semper victura anima, quamque decimam Deo offerre, cum pro morituro corpore plurimae gentes coniugibus suis tertiam rerum legibus compellantur exsoluere. Praeterea ad hoc summis animi viribus enitimini, vt qui velut in fine orbis, ita et seculorum, ad laborandum in vineam introistis Dominicam, inter primos remunerandi, eundem denarium horae vndecimae operatores percipere debeatis. Agite etiam, vt quemadmodum de praecessoris vestri laudabili fama valde sumus gauisi, ita quoque studiorum, probitatumque vestrarum opinio nos de se (sicut optamus) laetificet. Quia vero nouiter ad Christum conversos, nondum Christianae fidei et religionis doctrinam sufficienter vos sumpsisse putamus, volumus, vt frequenter ad hanc sedem Clericos vestros mittatis, talesque personas prouideatis ad nos destinare, quae et S. Rom. Ecclesiae moribus plenius instrui, et instructae valeant ad vos docte et salubriter, quae sunt agenda, referre. Datum Romae etc.

Gregorius Suebio id est Suenoni Regi Danorum. *n*)

Cum adhuc in ordine Diaconatus eramus, saepe dilectionis tuae literas, et Legatos accepimus: in quibus maiestatis tuae promptum erga nos animum fore intelleximus. Postquam vero (quod digni non sumus) ad locum altioris curae ministeriique peruenimus, amorem tuum in subtracta visitatione te posuisse deprehendimus: qui scriptis tuis tam diu carere (nescio cur) meruimus. Nos equidem iam nunc, non solum modo regum, et Principum, sed omnium Christianorum, tanto propensior sollicitudo coarctat, quanto ex vniuersali regimine, quod nobis commissum est, omnium ad nos causa vicinius, ac magis proprie spectat. Verum quia eminentiam tuae nobilitatis, prae caeteris regnorum Principibus, tam peritia literarum, quam studio Ecclesiasticae exornationis, pollere intelleximus, multo fiducialius ad te scripta nostra dirigimus: existimantes in te tanto facilius lucrifacere, quanto in eruditione, et prudentia morum amplius dignosceris profecisse. Rogamus igitur, et sincera te charitate monemus, vt commissa tibi regni gubernacula, secundum Deum administrare studeas, et nomen Regalis excellentiae, congrua, ac consonanti virtutum proprietate geras: quatenus eam, per cuius Principatum subiectis imperas, in corde tuo semper regnare iustitiam ostendas. Nosti enim quod gloria, et vana huius mundi delectatio, labilis est, et deceptoria. Nosti quod vniuersa caro ad finem quotidie properat: quod nec volenti, aut nolenti mortis necessitas paret. Nosti quod reges, aequa conditione vt pauperes, futuri sint puluis et cinis: et quod omnes ad districtum iudicium futuri examinis venturi simus. Quod nunc non solum nobis, qui Sacerdotes sumus, sed et Regibus caeterisque Principibus tanto concussius timendum, et expauendum est, quanto pro nobis, et subditis nostris, rationem reddituri sumus. Age ergo dilectissime, vt ita viuas, ita regnes, vt tunc aeterni Regis et iudicis faciem securus aspicias: et pro bene gesta terrenae dignitatis Ecclesia, coelestis regni sublimem et incomparabilem coronam (Deo donante) recipias. De caetero notum tibi sit, quod Legatos ad te destinauimus: qui super his, quae pro honorificentia Regni tui, tum de Metropolitana sede, tum de quibusdam aliis rebus, quae in tempore Domini N. Alexandri Papae, ab Apostolica sede et postulasti, et invicem promisisti, tibi responsuri, ac tecum acturi essent. Sed propter perturbationem Teutonicae terrae, periculosum iter fore cognoscentes, ad nos reuersuri sunt. Quapropter si qua de his tibi cordi sunt, et si te, ac regnum tuum (sicut per Legatos tuos aliquoties accepimus) Apostolorum Principi pia deuotione committere, et eius autoritate fulciri volueris, fideles nuntios ad nos sine dilatione transmittere stude: vt per eos tuam in omnibus edocti voluntatem, deliberato consilio quid tibi respondendum, quidque super omnibus agendum sit, prospicere ac pronidere valeamus. Praeterea si S. Rom. mater Ecclesia, contra profanos, et inimicos Dei, tuo auxilio in militibus, et materiali gladio opus habuerit, quae spes nobis de te habenda sit, itidem tua certa Legatione cognoscere desideramus. Est etiam non longe a nobis prouincia quaedam opulentissima iuxta mare *o*), quam viles et ignaui tenent haeretici: in qua vnum de filiis tuis, si eum (sicut qui-

n) Scil. Svenoni Estrithae filio.

o) Apuliam a Norrmannis occupatam hoc modo Papa indigitat.

Digitized by Google

dam Episcopus terrae tuae in animo tibi fore nunciauit) Apostolicae aulae militandum dares, cum aliquanta multitudine eorum, qui sibi fidi milites essent, Ducem ac Principem, et defensorem Christianitatis fieri optamus. Datum Romae VIII. Kalend. Feb. indict. 14. M. LXXIIII. Pontif. anno II. *p*)

Gregorius VII. Sueino id est Suenoni Regi Danorum.

Apud antecessores nostros iuris et consuetudinis erat, charitatiuis Legationibus docere viam Domini vniuersas nationes: corripere in his quae arguenda erant, omnes Reges et Principes, et ad aeternam beatitudinem cunctos invitare legalibus disciplinis. Plus enim tam lex Romanorum Pontificum, quam Imperatorum obtinuit: in omnem terram exiuit sonus eorum: et quibus imperauit Augustus, imperauit Christus. Nunc vero Reges, et praesides terrae, contemptores facti Ecclesiasticae legis, qui amplius iusticiam seruare, et eam defendere debuerant, ad tot irrogandas Ecclesiis contumelias convenerunt, atque ad tantam inobedientiam, quae secundum Samuelem similis est idololatriae deuoluti sunt: vt fere iam quiescentibus Legationibus nostris (quoniam paene sine fructu videntur) verba nostra tantummodo orando convertamus ad Dominum Regum, et Deum vltionum. Sed quia scimus te, et fortissimam gentem tuam, quae freno sapientiae tuae moderatur, circa matrem omnium Ecclesiarum debitam reuerentiam exhibere, quae tanto est beato Petro humilior, quanto fortitudine sua sublimior: ideo tibi dilectissimo filio nostro literas mittimus, atque paterna affectione mandamus, vt si quid est vnde indiges quod autoritas Romanae Ecclesiae possit tibi iuste largiri, per nuntios tuos, et per hos quos nunc mittimus, nobis notum facias: vt in quantum fas est te honoremus, et praedictam reuerentiam nobilissimi Regni tui merita dignitate donemus. Bonam enim famam de te accepimus, quae precibus beati Petri et Pauli nunquam te deserat: immo ad gloriam vtriusque vitae capessendam (vt desideramus) cumuletur semper et crescat. Quia vero apud antecessorem nostrum beatae mem. Alexandrum quaedam expetiisti, quibus beatum Petrum debitorem faceres, immo tibi, et Regno tuo nobile patrocinium eius acquireres, per eosdem Legatos mandes vtrum eadem voluntas sit, an fuerit passa defectum: aut (quod magis optamus) suscepit augmentum. Ego enim cum in Archidiaconatus officio essem, multum diligebam te: et (vt mihi videbatur) diligebar a te. Sed vbi pastorale officium, quod in dilectione Dei, et proximi, quasi in fundamento consistit (licet indignus) accepi, charitas quam habueram circa te maior facta est: quae te proficiscente in melius, semper in maiorem gradum Deo propitio augeatur. Datum Romae XV. Kalend. Maii. *q*)

Gregorius VII. Olao Noruegiorum Regi. *r*)

Licet ex vniuersali cura sanctae et Apostolicae sedis, cui Diuina miseratione praesidemus, debitores simus omnibus qui fidem Christi colunt: de vobis tamen qui in extremo orbe terrarum positi estis, tanto nos maioris sollicitudinis ratio, necessitasque circumstat, quanto vos eorum qui in Christiana religione vos instruant minorem copiam, et necessaria minus solatia habere cognoscimus. Quapropter oblata opportunitate scripsimus vobis, ad confortandam aliquo modo gloriam in fide quae est in Christo Iesu, qui secundum propositum voluntatis aeterni patris Dei, cooperante spiritu sancto pro salute mundi homo factus est, de intemerata virgine natus, mundum reconcilians Deo per mortem suam, delens peccata nostra per redemptionem, quae est in sanguine ipsius: et deuicta morte in semetipso convivificauit, ac resuscitauit, et nos in spem viuam, in haereditatem immarcescibilem, incontaminatam, incorruptam, in quo (sicut confidimus in misericordia eius) vobis parata est aeterna salus et vita: si tamen in illo spem firmam vsque ad finem tenueritis, credentes sicut dicit Apostolus Paulus. Quoniam in ipso inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter: propter quod seruite ei cum omni timore, et humilitate: memores quid Psalmista dicit. Quoniam Domini est Regnum, et ipse dominabitur gentium. Sitque semper in ore, sit semper in corde vestro, quod hunc versiculum paucis interpositis sequitur. Et anima mea illi viuet, et semen meum serviet ipsi. Notum autem vobis esse volumus quoniam desiderium nostrum est, si quo modo possemus ad vos aliquos de fratribus nostris mittere, qui fideles et docti essent, ad erudiendum vos in omni scientia et doctrina in Christo Iesu: vt secundum Euangelicam et Apostolicam doctrinam decenter instructi, in nullo vacillantes essetis: Sed radicati, atque fundati super stabile fundamentum, quod est Christus Iesus, abundantius atque perfectius in virtute Dei cresceretis, et secundum operationem, fructum fidei aeterna retributione dignum redderetis: quod quia nobis,

p) Hanc Gregorii epistolam Danico sermone redditam et illustratam Historiae suae inseruit Suhm, T. IV. p. 451.

q) Danice versam edidit Suhm, l. c. p. 455.

r) Scil. Olavus Kyrre, Rex Norvegorum hujus nominis tertius.

Digitized by Google

tum propter longinquitatem terrarum, et maxime propter ignotas linguas, valde difficile est: rogamus vos, sicut et Regi Danorum denunciavimus, vt de iunioribus vestris et nobilibus terrae vestrae ad Apostolicam aulam mittatis: quatenus sub alis Apostolorum Petri et Pauli, sacris ac Diuinis legibus diligenter edocti, Ap. sedis ad vos mandata referre, non quasi ignoti sed cogniti, et quae Christianae religionis ordo postulauerit, apud vos non quasi rudes aut ignari, sed lingua atque scientia moribusque prudentes, digne Deum praedicare et efficaciter ipso adiuvante excolere valeant [s]). Relatum quoque nobis est: fratres Regis Danorum ad vestram se contulisse excellentiam, vt vestris viribus copiisque nitentes, quatenus cum illis Regnum diuidat, fratrem cogere intendant [t]). Quae quidem res, quantum ad regni detrimentum, quantum ad confusionem populi Christiani, quantumque ad destructionem Ecclesiarum, quibus quotidie vicina paganorum crudelitas inhiat, et totius terrae desolationem attineat, per semetipsam nos veritas, quae Christus est, in Euangelio docet, cum dicit: Omne regnum in se diuisum desolabitur, et domus supra domum cadet. Vnde eminentiam vestram id summopere cauere monemus: vt nullius vnquam persuasione in hac parte cuiquam assensum praebeatis, vel adiutorium: ne peccatum hoc (quod absit) in vos retorqueatur: neu de dissidio regni illius contra vos, aut Regnum V. Diuina indignatio concitetur. Hoc autem vos procurare libenter volumus atque consulimus, vt praefatus Rex Danorum fratres suos in Regnum cum charitate suscipiat, et ita eis de reliquis bonis et honoribus (vt potest) distribuat, vt illos non angustet indigna necessitas, nec regni status labefactetur aut dignitas. De cetero semper cogitate de spe vocationis vestrae, et attenti ad ea quae Dominus in Euangelio dicit: Quia venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob, in regno coelorum. Nolite tardare, currite et festinate. De vltimis finibus estis: sed si curritis, si festinatis, primis patribus in regno societati eritis. Sit cursus vester fides, amor et desiderium: sit iter vestrum, mundi gloriam assidue meditari esse caducam, et ideo cum amaritudine potius, quam delectatione tenendam: sit vestrae patientiae vsus et exercitatio, subuenire oppressis: defendere viduas: iudicare pupillis iustitiam: non solum diligere, sed etiam tota virtute defendere. His namque vestigiis, hoc thesauro, his opibus, de terreno ad coeleste regnum, de fluxo et fragili ad certum et perenne gaudium, de caduca et transitoria ad aeternam et semper mansuram peruenitur gloriam. Deus autem omnipotens, qui diues et copiosus est in misericordia, meritis et autoritate Apostolorum Petri et Pauli, et nostra, per illos nobis (licet indignis) Diuinitus concessa, absoluat te, et omnes fideles tuos, ab omnibus peccatis vestris, et dirigat vos in omnem voluntatem suam: vt in hac vita vos promereri faciat, quod in aeterna beatitudine, multipliciter vobis adaucta corona, retribuat. Datum Romae XVIII. Kalend. Iunii [u]), indict. 2.

Gregorius Achono [v]) Regi Danorum.

Sincero charitatis affectu, dilectioni tuae congratulamur: quod (licet in vltimis terrarum finibus positus) ita tamen quae ad Christianae religionis cultum pertinere noscuntur, vigilanter studes inquirere: et quod sanctam Romanam Ecclesiam, matrem tuam et vniuersorum, recognoscens ipsius documenta, tibi exoptas et exposcis. Volumus etiam atque monemus: vt in his studiis et desideriis deuotio tua persistens, et quantum pietas Diuina perstiterit crescens, nullatenus a proposito recto deficiat, sed ad meliora quotidie, sicut prudentem virum, et Regem decet, constantia roboretur. Animaduertere siquidem debet excellentia tua, quod quanto pluribus supereminet ac dominatur: tanto magis sibi subditos potest exemplo suo, aut ad deterius (quod absit) inflectere, aut ad sanum consilium, ignauos etiam, prouocare. Intueri quoque prudentiam tuam necesse est temporalis vitae gaudia: quam sint caduca: quam fugitiua. Quae etsi vita diu crederetur mansura, tamen saepe multis aduersis ex improuiso surgentibus, secura stare non possunt. Vnde summopere curare oportet, vt ad illa quae transire nesciunt, et habentem deserere nequeunt, gressus tuos constanter dirigas, et affectum mentis intendas. Cuperemus nimium certe, de vestris aliquem prudentem Clericum ad nos venire: qui et vestrae gentis mores, seu continentias, sciret nobis pleniter intimare, et Apostolicae sedis documenta siue mandata, plenius eruditus ad vos posset perferre. Datum Romae Idibus Octob. [x])

s) In margine: Simili pietate motus Iulius Papa III. autoritate S. R. E. Cardinalium instituit Romae collegium Germanicum, in quo Germani adolescentes citra vllas proprias impensas foveri debeant, vt aliquando Reipubl. Christianae prodesse queant.

t) De filiis Svenonis Regis, eorumque cum Haraldo fratre dissidiis cfr. quae monet Suhm, l. c. p. 581, 593.

u) Lege: Januarii. Ita habent Baronius et Conciliorum editores a Labbeo ad Mansi. Cfr. etiam Regesta Diplom. Hist. Dan. T. I. p. 30. Danice versam hanc epistolam Historiae suae inseruit Suhm l. c. p. 590.

v) Sic. Lege: Araldo l. Haraldo, Svenonis nimirum successori. Ita Suhm, qui hanc epistolam et proxime sequentem meminit, conjecturae adsentiens Langebekii, qui litteram initialem et solitariam A. in Regestis vetustis obviam a librariis perperam explicatam recte judicat.

x) Absque nota anni. Ad annum vero 1079 refert Suhm, l. c. p. 596, et Regesta Hist. Dan. l. c. p. 51.

Digitized by Google

Gregorius Achono Regi Danorum, Episcopis, Principibus, Clero et populo salutem.

Quoniam vestrae dilectionis amor, Deo et beato Petro pronam obedientiam debitamque reuerentiam (in quantum potuimus intelligere) studuit hactenus propensius exhibere: non dubium habemus quin idcirco vobis triumphum et gloriam prae caeteris gratia Diuina contulerit: quod si in eodem studio perseuerando, vestrae deuotionis affectus in finem permanere curauerit, pro certo, et eam quam nunc habetis gloriam retinere, et ampliorem valebitis Domino auxiliante deinceps adipisci. Te itaque specialiter fili charissime, cui Regni curam prouidentia Diuina commisit, paterno monemus affectu: vt excellentissimi parentis tui *y*) Regias probitates et virtutes egregias imitari satagas. Eius quidem praecipui mores in tantum caeteris regibus praenituerunt, vt cunctis posthabitis, nec ipso etiam Imperatore Henrico, qui sanctae Romanae Ecclesiae propinquius haesit, excepto, singulari amore illum nobis amplectendum iudicauerimus. De cuius nos obitu vehementer nimiumque dolentes, vt ipsum tibi proponas exemplum, volumus, hortamur iterumque monemus: quatenus inde possis ornamenta virtutum propagando educere, vnde videris nobilissimi sanguinis lineam trahere. Denique cogitare debes, et vigilanter perpendere haec terrena, quam caduca et friuola sint: quam incessanter ad occasum cuncta festinent: vt eis confidere nulla stabilitas studeat: vt in illis habendis timor horribilis lateat: sicque fugitiuis perspicaciter agnitis et sapienter despectis, poteris ad illa stabilia et sempiterna mentis acumen extendere, quae ad sese obtinenda animum tuum invitent, et ad quae concupiscenda, bonorum te exempla accendant. Inter ceteras ergo virtutes, quas animo tuo imitandas censueris, Ecclesiarum defensionem in mente tua volumus eminere, Sacerdotalis ordinis reuerentiam proximum locum tenere, ac deinde iustitiam et misericordiam, in cunctis te iudiciis discreta seruare. Illud inter cetera non praetereundum, sed magnopore Apostolica interdictione prohibendum videtur, quod de gente vestra nobis innotuit: scilicet vos intemperiem temporum, corruptiones aëris, quascunque molestias corporum, ad Sacerdotum culpam transferre: quod quam graue peccatum sit, ex eo liquido potestis aduertere, quod Iudaeis etiam Sacerdotibus ipse saluator noster, lepra curatos eis mittendo, honorem exhibuerit, ceterisque seruandum esse, quae illi dixissent praeceperit: cum profecto vestri qualescunque habeantur, tamen illis longe sint meliores. Quapropter Apostolica autoritate praecipimus, vt hanc pestiferam consuetudinem de Regno vestro funditus exstirpantes, presbyteris et clericis, honore et reuerentia dignis, tantam contumeliam contra salutem vestram vlterius non praesumatis inferre, volentes eis occultas Diuini iudicii causas imponere. Praeterea in mulieres, ob eandem causam simili immanitate barbari ritus damnatas, quicquam impietatis faciendo, vobis fas esse nolite putare, sed potius discite Diuinae vltionis sententiam, digne poenitendo auertere, quam in illas insontes frustra feraliter saeuiendo: iram domini multo magis prouocare. Si enim in his flagitiis duraueritis, procul dubio vestra felicitas in calamitatem vertetur, et quibus victis huc vsque soliti fuistis dominari, eorum nimirum iugum ferre superati, nec resistere valentes, cogemini. Si vero nobis, immo beato Petro, in his obedientes fueritis (sicut de clementia diuina confidemus) et peccatorum vestrorum veniam, et Apostolicam benedictionem poteritis invenire. Datum Romae XIII. Kalend. Maii, 1080. an. N. *z*)

Gregorius VII. Wratislao Boëmorum duci, de scripturis sacris vulgariter non imprimendis *a*).

Quia nobilitas tua postulat, quo secundum Sclauonicam linguam, apud vos Diuinum celebrari annueremus officium, scias nos huic petitioni tuae nequaquam posse fauere: ex hoc nempe saepe voluentibus liquet, non immerito sacram scripturam optimo Deo placuisse quibusdam locis esse occultam: ne, si ad liquidum cunctis pateret, forte vilesceret et subiaceret despectui, aut praue intellecta a mediocribus, in errorem induceret. Neque enim ad excusationem iuvat, quod quidam religiosi viri hoc, quod simplex populus quaerit, patienter tulerunt, seu incorrectum dimiserunt: cum primitiua Ecclesia multa dissimulauerit, quae a sanctis patribus postmodum firmata, Christianitate et religione crescente, subtili examinatione correcta sunt. Vnde ne id fiat, quod a vestris imprudenter exposcitur, autoritate beati Petri inhibemus: teque ad honorem optimi Dei, huic vanae temeritati viribus totis resistere praecipimus. Datum Romae etc.

y) Scil. Svenonis.

z) Sic. Forte: Indictione III. Ita in Concilior. collect. Mansi, cet. nec non Regesta Hist. Dan. l. c. Meminit Suhm, l. c. p. 598.

a) Integram habemus epistolam, datam anno 1080, in Concilior. collect. Mansi, T. XX. p. 296. genuino sub titulo: "Divinum officium in Sclavonicam linguam verti prohibet (Papa)." Fragmentum solummodo tituloque alieno deforme heic apposuit Noster, aegre nimirum ferens Svecanam Novi Testamenti versionem a Laur. Andreae Holmiae 1526 editam.

Digitized by Google

Copmannus octavus erat Episcopus, qui in cathedram Ecclesiae Vpsalensis dignissime sublimatus est [b]), postquam S. Henricus autoritate summi Pontificis Adriani Papae quarti, ad dioecesim Aboënsem quam nuper ad Christi fidem converterat, translatus esset. Huic sancto viro Copmanno nulla virtus ad consummatum Episcopum necessaria defuit: Erat quippe in vita et moribus irrepraehensibilis, sobrius, modestus, prudens, pudicus, hospitalis, doctus, non violentus, non percussor, non litigiosus, non cupidus, sed suae domui bene praepositus, bonum testimonium ab omnibus habens. Igitur ex hominibus assumptus, pro hominibus in iis quae ad Deum sunt constitutus, nihil diligentius curauit, quam sanctum Henricum Christi imitatorem, in omni morum honestate, et vitae sanctimonia imitari: vt sacrosancta Ecclesia Vpsalensis tolerabilius sufferret translatum a se sanctissimum Pontificem, cum videret in eius locum successisse eum virum Diuinitus datum, qui idoneus esset in doctrina sana Ecclesiam Christi aedificare. Sed non deerant illi persecutores, quibus odiosa erat lux Euangelicae veritatis: et nisi potentia sanctissimi Regis Erici protectus fuisset, mox in principio sui Pontificatus malignorum procerum gladiis obrutus concidisset. Quomodo enim mitissimus Pontifex tutus esse potuisset? vbi eiusdem pientissimi Regis vita mille fraudibus, et totidem domesticis insidiis, ab ignobilibus nobilibus ad mortem petebatur: tam odiosa heu dolor esse solet virtus in Suetia, vt qui ipsam sequi velint, grauiores quandoque persecutiones patiantur, quam illi, qui atrocia flagitia committunt. Ferendum vtcunque hoc esset, si fieret per ignauos cerdones, per viles latrones, per homines scelere et egestate perditos: qui ex professo sunt acerrimi hostes virtutis et honestatis. Sed nobiles sunt, generosi sunt, illustres Principes sunt, aut dici volunt: qui virtutem ipsam (mox vt caput erigere coeperit) conculcant et euellunt: quibus ipsa virtus iuste dicere posset: Cur me o nobiles viri tantopere opprimitis? cur me tam indigne tractatis? cur me tam vilem existimatis? Per me progenitores vestri facti sunt inclyti et illustres: ego sola eos nobiles feci: ego eos, cum serui essent, cum agricolae essent, immo cum infimi essent, erexi, foui, magnificaui, et inter Principes, immo etiam supra Principes, collocaui. Proinde redite ad cor, desinite me, tam optime de parentibus vestris meritam, contemnere, dolete vices meas, reducite me in domos vestras. Indecorum est vobis, quod ego a vobis separer: sine me nequaquam nobiles eritis, ego sine vobis semper ero nobilissima, et quoscunque amplexata fuero, mox illustres efficiam. Videte ne me diutius extorrem esse sinatis. Sunt pauperes in ista patria ciues, et humiles rustici: qui me multo studio in suas casas rogant, nullumque officium non adhibent, quo me ad se trahant: et iam coepi cum eis iucundius habitare. Veruntamen ad vestras domos respicio, ad eas suspiro, ad eas toto corde clamo, ita vt etiam raucae factae sunt fauces meae. Aperite mihi o nobiles Succi, quia amore vestro langueo: parata sum vos in parta a Maioribus nobilitate conseruare: parata vobiscum terras et homines regere: parata omnes inimicos vestros vobis substernere: parata omnia facere pro vobis, quaccumque honeste a me petere possitis. Si vero hanc vocem meam renueritis, ego (vobis contemptis) eos ex pulueribus exaltabo, qui me de contemptoribus meis vindicabunt. Haec tamen nequaquam dicta sint in eos, qui vere nobiles sunt, sed in ipsos, qui praeter Maiorum suorum vmbram, nihil habent verae nobilitatis: Quales fuerunt illi, qui optimum et sanctissimum Regem Ericum, tempore huius dignissimi Praesulis occiderunt: post cuius gloriosum martyrium, hic Pontifex, vix annis duobus evolutis, in fata concessit, feliciorem societatem inter coelestes spiritus, quam inter discordes terrigenas assecutus.

b) In margine additur annus: 1154.

Digitized by Google

Liber Secundus.

Hactenus a tempore aduentus sancti Ansgarii in Suetiam, quem Rex siue Dux Bero in ciuitate Birchensi excepit, regnante in Suetia Ingone, qui patrem habuit Olaum Regem cognomento Tretelia, vsque ad Carolum Regem, immediatum successorem sancti Erici, fluxerant anni supra trecentos: in quibus multum laboratum fuit per Christianissimos Reges et sapientissimos Pontifices, quomodo Christiana fides in ipso regno Suetiae plantata firmari, et ad perfectum statum decoremque deduci potuisset. Tandem hic Carolus Rex, pios priorum Regum conatus gloriosiori effectui mancipaturus, prudentissimisque consiliariis subnixus, perpendere coepit: quomodo Metropolitana ciuitas Vpsalensis decorari posset sede Archiepiscopali, sine qua plenitudo Pontificiae potestatis, aut Regiae dignitatis amplitudo, ipsi Suetiae Regno attribui nequiret: cum sacrae et profanae leges affirment, nullum Regnum (in quo Archiepiscopalis sedes non est) sibi arrogare posse Regiae maiestatis honorem. Praeterea visum erat prudentissimo Regi, minus decorum esse, quod vicini Saxones, aut alii, se scriberent Legatos, aut primates, siue Magistros fidei Christianae in Suetia plantatae: cum inter illos id maxime facerent illi, qui minimam operam Sueciae ad Christum convertendae praestitissent. Igitur suae, et Regni sui honestati prudentius consulturus, simulque extraneorum Pontificum iugum a ceruicibus Succorum excussurus, solennem legationem ad Alexandrum Papam tertium expedire curauit: per quam tantum profecit, vt palleo Archiepiscopali in Suetiam ex sede Apostolica relata, sacri insignis praerogatiua, suae gentis sacerdotium externa ditione erutum, adornaret: ipsamque Suecanam Ecclesiam vnitati Catholicae Ecclesiae ita inseruit, vt ad nostram vsque aetatem, quae Lutherana impietate corruptissima facta est, ab omni schismate, haeresi et doctrina extollente se aduersus scientiam Dei et Diuinam religionem, libera fuerat et inviolata, firmiter credendo, et simpliciter confitendo, quia vnus est Deus, vna fides, vnum baptisma, vna sancta Catholica et Apostolica Ecclesia, extra quam non datur Spiritus sanctus: vnus Pontificatus, vnus indubitatus Christi Vicarius, et summus omnium verorum Christianorum Pontifex, de cuius plenissima potestate ceteri omnes accipiunt, a quo qui deficiunt, in Ecclesia Christi non sunt, sed in Ecclesia malignantium, vna cum Dathan et Abiron (qui Mosi resistebant) collabuntur. Praeterea, Deus vnus est, et qui cum colunt, in unitate colant necesse est. Voluit Deus omnes homines ab vno homine nasci, sicut ab vno Deo creari, et ab vno Deo et homine redimi: voluit ceteros Principes ab vno Mose ordinari, et ab eius spiritu accipere, quo ceteros populos gubernarent. Grauiter punivit Deus schisma Chorae, nec minus filios Aaron, qui alienum ignem offerebant: multoque amplius eos puniturus est, qui ab eius Vicario (cui commissa est in sancto Petro totius Ecclesiae sollicitudo) deficiunt. Enimvero, quae a Deo sunt, ordinata sunt, et quae ordinata sunt, ad unum relata sunt. Igitur qui vnitati resistunt, Dei ordinationi resistunt, et tandem sibi damnationem acquirunt. Quocirca nimis impium et intolerabile, Diuinaque seueritate puniendum erat illud horrendum schisma, quod superioribus annis in Suetiam et Gothiam invectum est, quando post editas Arosiae schismaticas constitutiones [c]), nonnulli minus cauti, permiserunt sibi mitras Pontificias imponi [d]): quasi non dixisset Apostolus: Nemo sibi assumat honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron: immo nec Christus filius Dei seipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad

c) Scil. Recessus Arosiensis anno 1527.

d) Fuere nimirum Magnus Haraldi Skarensis, Magnus (Sommar) Strengnensis et Martinus (Skytte) Aboensis in ecclesia cathedrali Strengnensi d. 5 Januar. 1528, Gustavo Rege jubente, ordinati ab Episcopo Arosiensi, Petro Magni, qui insuper Laurentium Petri Nericium Archiepiscopum Upsaliensem solleniter inauguravit d. 24 Sept. 1531.

Digitized by Google

eum: Filius meus es tu etc. Detestatur Dominus tales abscissos, dicens: Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant, non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. Quomodo enim praedicabunt nisi mittantur? Nec aliquo modo excusantur, quasi vis tyrannica eos ad id compulisset, magis quam illi qui idola ad praeceptum tyrannorum coluerunt. Non cadit tam leuis excusatio in opus tam exsecrandum: quo tot millia animarum (pro quibus mortuus est filius Dei) corruerant in baratrum miseriae sempiternae. Nec ignorantia tale factum (quod ex diametro Diuinae legi repugnat) excusabit: cum scriptum sit: Ignorans ignorabitur. Et alibi: Quia populus meus non habuit scientiam, ideo dilatauit infernus os suum absque vllo termino, et descendent fortes eius, et populus eius, et sublimes gloriosique eius, ad eum. Igitur tam grauem Dei offensam publica totius patriae poenitentia abolendam censeo: nisi malit aeternae maledictioni obnoxia esse, et Diuinae iracundiae flagella in se et omnem posteritatem suam prouocare. Sed iis omissis, ad illam amplissimam dignitatem (quam legatio Regis Caroli ex liberalitate sedis Apostolicae in Sueciam retulit) me converto, et nonnihil de dignitate pallei Archiepiscopalis inprimis afferam.

De Palleo e) *Archiepiscopali.*

Est igitur palleum Archiepiscoporum praecipuum ornamentum, in quo consistit plenitudo Pontificiae potestatis, et sine quo (vt sacrosancti Canones tradunt) nemo sibi Archiepiscopi nomen iure vindicare potest. Datur ab Apostolica sede difficulter, quamvis instanter, instantius, instantissime petitum. Dependet a collo Archiepiscopi circa pectus, situ suo illam (quae valde condecet Episcoporum patrem, et eorum concilii Principem) potenter designat humilitatis et sapientiae torquem, datum in locum illius aureae laminae, quae olim in fronte veterum Pontificum resplendebat. Quam vero rationem habeat hoc Archiepiscoporum priuilegium, operae pretium fuerit adducere. Nam cum Apostoli in vniuersum mundum dispersi singulis ciuitatibus praesiderent, tam ipsi, quam successores eorum misere per contiguas suis sedibus prouincias praedicatores, quos et Episcopos ordinauerunt: vt vbi recepti fuissent, omnia Christianitatis sacramenta, velut ipsi Apostoli, peragerent, et per vrbes comprouinciales Episcopos ordinarent. Et aliorum quidem Apostolorum successores Patriarchae sunt dicti: Petri autem successor (pro excellentia Principis Apostolorum) Apostolicus nominatur: Qui autem ab eis per prouincias missi sunt, tam ipsi, quam successores eorum, Archiepiscopi vocantur: et qui ab his per vrbes comprouinciales ordinati sunt, et qui illis succedunt, vsque hodie simpliciter Episcopi nominantur. Initium ergo fidei habentes ab Apostolica sede, regulam hanc Metropolitanae obseruant Ecclesiae, vt neminem habeant Pontificem, nisi ab eadem sede missum, a qua primus illi praedicator fidei missus est. Illa autem Legatio, siue missio supradicti pallei, largitio est: quod (vt dictum est) a collo dependens, significat humilitatem Domini nostri Saluatoris dicentis: Sicut misit me pater, et ego mitto vos. Igitur quemadmodum Hormisda Papa Francis Remigium, S. Petrus Treuerensibus Maternum, Paulus Maguntinae Ecclesiae Crescentem, Sergius Papa Traiectensi Willebrardum, Gregorius Cantuariensi Augustinum Archiepiscopum constituit: ita Alexander Papa tertius Stephanum primum Archiepiscopum in Vpsalensem Metropolim mittere dignatus est: vt ibi primatum haberet vera religio Christiana, vbi olim omnium Aquilonarium Regnorum incolae praecipuam idololatriae sedem venerabantur. Nullibi enim aptius ponenda erat crux Archiepiscopalis, quam vbi ille conabatur firmare thronum suum qui dixit: Ponam sedem meam in Aquilone, et similis ero altissimo.

e) Sic. In margine observavit Ol. Magnus: "palleum scribendum per e."

Digitized by Google

De Cruce Archiepiscopali.

Etsi oporteat omnes Christianae fidei professores gloriari in Cruce Domini nostri Iesu Christi, id tamen magis convenit illis, qui Episcopi in Ecclesia Dei constituti sunt: quibus solis licitum est ipsam Christianorum frontibus imprimere, et inter eos potissimum his, qui Pontificiac potestatis plenitudinem a sede Apostolica (per autoritatem et vsum pallei) acceperunt. Quid enim illa Legatio, per pallcum designata, principalius innuit quam gloriam Crucis Christi, Christiano populo praccipue, praedicandam esse: Quod vt conformiter ad Diuinam legem, et absque Schismatica prauitate fiat, necesse est tam Diuinum officium a summo Christi Vicario impetrari: alioqui contra eius assensum, non Crux Christi, sed latronum (quorum prima cura est disperdere, rapere et mactare) erigetur. Quippe cum per Christi Crucem omnia humanae redemptionis mysteria, et Diuinarum literarum Sacramenta patcfiant, non sine magna ratione, ab ipsa sancta Catholica Ecclesia ordinatum est, vt summi Christianorum signiferi, ante se ipsam praeferri faciant, quibus potissimum credita sunt eloquia Dei, et ordinatio illorum ministrorum, qui mundo crucifixi, Crucis mysterium mundo praedicabunt. Praeterea quemadmodum aurea lamina in veterum Pontificum frontibus resplendebat (ineffabile nomen Dei inscriptum habens) ita nunc in eius locum successit Crux Christi, inaestimabili mysterio humanae salutis effulgens: Vniuersa enim (inquit Divus Hieronymus) mysteria, et omnis dispensatio vetustatis, non solum quae in terris, sed etiam quae in coelis gesta est, in Christi Cruce completur: Siquidem diligenter attendendum est, quod non solum omnes historiae scripturarum, quas in terra gestas Spiritus sanctus enumerat, sed etiam in coelestibus, quae nobis occultae sunt, in Christi recapitulata passione teneantur. Igitur Crux Christi inaestimabile signum est: admirabilis virtus est: Crux resurrectio mortuorum, caecorum dux, claudorum baculus, destructio superborum, consolatio pauperum, sustentatio inopum, spes desperatorum: Crux Regum magnificentia: Sacerdotum gloria: denique totius Christiani populi spes, laetitia et honor. Igitur sacratius ornamentum est Crux, quam aurea lamina, quae ipsam in figura praecessit. Quocirca adoramus in Cruce Domini nostri Iesu Christi opportunam (vt ait Apostolus) gloriam, salutem acquisitam, reducere vitam, saluationem perfectam, in liberationem perpetuam: Adoramus Crucem, fidei praesidium, spei firmamentum, charitatis solium, misericordiae titulum, pietatis argumentum, gratiae vehiculum, pacis vexillum: Adoramus Crucem, quae superbiam excidit, invidiam obtriuit, culpam correxit, poenam destruxit. Crux Christi ianua coeli, clauis Paradisi, Diaboli deiectio, hominis erectio, captiuitatis et exsilii nostri solatium, libertatis pretium: Crux exspectatio Patriarcharum, promissio Prophetarum, triumphus Regum, dignitas Sacerdotum: Crux tyrannos increpat, potentes inclinat, afflictos subleuat, pauperes honestat: Crux tenebrarum excidium, lucis infusorium, mortis effugium, vitae nauigium, salutis imperium: quicquid Deo proficimus, quicquid acquirimus, quicquid speramus, adorandae Crucis est fructus: Per Crucem Christus ad se traxit omnia, Regnum Patris, sceptrum Filii, sigillum Spiritus sancti, et totius testimonium Trinitatis. Proinde gaudeat nostra Suetia, se tale tantumque ornamentum accepisse in suis Sacerdotibus, Deumque (vnde omne datum optimum est) benedicat, pro tam sublimis Sacerdotii gloria et honore, coneturque tota virtute sua, ne Diuinae largitati ingrata videatur. Est quippe stupendum spectaculum, et praeclarum miraculum, quando videt in suis vastis solitudinibus, tam pretiosum et admirabile Domini Dei nostri vexillum circumferri, eamque Diuinae figuram (qua serpens in deserto per Mosen exaltatus, a serpentibus

Digitized by Google

laesos sanauit) palam referri: idque per eum ministrum et signiferum, cuius autoritas non in terram Canaan (vt olim Moses et Aaron) praeuia columna nubis, aut ignis, sed in terram aeternae beatitudinis (Cruce dominica praeeunte) introducet. Tu igitur o Suetia talem potestatem de coelo tibi datam, totis praecordiis venerare: eosque Dei ministros non contemnendos puta, ad quos ipsa aeterna veritas ait: Qui vos spernit me spernit, et qui vos audit me audit. Praecipue tamen eorum primatem, de quo per accommodatam similitudinem praecepisse videtur famulo suo Mosi et filiis Israël: Ecce ego (inquiens) mittam Angelum meum, qui praecedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem praeparaui tibi: obserua eum, et audi vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaueris, et est nomen meum in illo: quod si audieris vocem eius, et feceris omnia quae loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te, praecedetque te Angelus meus, et introducet te ad Amorreum, et Etheum, et Phereseum, Cananeumque, et Eueum, et Iebuseum: quos ego conteram: terrorem meum mittam in praecursum tuum, et occidam omnem populum ad quem ingredieris, cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam. Magna sunt haec o Suetia, quae praecessor Angelus fecit filiis Israël: Sed non minora sunt, quae primas et summus Sacerdos tuus, a Deo tibi missus (quem etiam sacrae literae Angelum Domini exercituum vocant) pro tua sempiterna salute operatur. Enimvero, vt ex lapidibus, hoc est ex induratis ciuibus tuis, veros Abrahae filios, et veram gentem Israëliticam efficiat, quotidiana sollicitudine meditatur. Praecedit te, ne in via Diuinorum mandatorum erres: custodit te ne a recta fide in haereticam prauitatem corruas: nec deserit te, donec (cooperante Dei gratia) te introducat in Regnum tibi ab origine mundi praeparatum. Obserua igitur eum, et non lupos illos, hoc est Schismaticos, aliunde quam per ostium ascendentes: audi vocem eius, non haereticorum, aut Apostatarum: nec contemnendum putes eum, cuius contemptu contemnitur Deus. Non enim dimittet te cum peccaueris, vt ob peccata tua ad aeternum ignem condemneris, sed a peccatis absolutum te Diuinae gratiae restituet. Est enim nomen Dei in illo, per quod peccata remittit, per quod daemonia eiicit, per quod virtutes operatur, per quod potestatem habet, claudere et aperire coelum. Quid enim non habet, qui habentem omnia habet? Proinde si audieris vocem eius credendo Diuinis eloquiis, et feceris, hoc est opere compleueris ea, quae tibi Deus per eum loquitur, erit ipse Deus inimicis tuis inimicus, et affliget affligentes te, erisque capiens eos, qui te ceperant, et subiicies tibi exactores tuos: nec solum Amorreos, Etheos, Cananeos similesque, et crudeliores barbaros, sed omnia vitiorum portenta (per has feras gentes designata) superabis. Si vero superbiens audire nolueris vocem Pastoris tui, foris vastabit te gladius, et domi mors similis erit: adducet Dominus super te gentem de longinquo, cuius linguam intelligere non possis, gentem procacissimam, quae non deferat seni, nec misereatur parvuli, et deuoret fructum iuramentorum *f*) tuorum, ac fruges terrae tuae, donec intereas, et cum tua sempiterna damnatione addiscas, quod non frustra dixerit Deus Sacerdotibus suis: Qui tetigerit vos tanget pupillam oculi mei. Aut illud: Percute dorsa inimicorum Leui, qui oderunt eum, et non consurgent.

Ne autem admirabilis ipsius supradicti pallei virtus, remotius ab alma vrbe distantibus prouinciis forsitan ignota permaneat, aut quam sanctis Diuini nominis invocationibus, praeordinatis a Deo praesulibus, conferri soleat, ignoretur, paucis sed deuotissimis causis, et institutis a primoribus Ecclesiae obseruatis, ex Pastorali libro Basilicae S. Petri de vrbe, prout sequitur, ostendetur. *g*)

f) Sic: Lege. Iumentorum.

g) Haec addidit Ol. Magnus, "ad mentem autoris."

Digitized by Google

Benedictio Palleorum, quae fit in Basilica S. Petri de vrbe, in signum praeeminentiae principalis, et hanc benedictionem Episcopus aliquis facit cum ceremoniis Turiferorum et Clericorum, prout vidi.

Domine sancte, pater omnipotens, aeterne Deus, omnium sanctificationum origo, fundamentum et causa, omnis autoritatis cumulus, incomprehensae plenitudo scientiae, ineffabilis virtutis infusor, gubernator et rector: qui per sanctos tuos Patriarchas, prophetas et Reges tua es magnalia operatus: quibus secuturi populi, detecta aenigmatum caligine scripturarum, in nouam proficerent creaturam: quam, licet ex Abraham, Isaac et Iacob tibi semen elegisses, quo ex tribu Iuda Iesus Christus coaeternus tibi filius Deus, et Dominus noster ex Maria semper virgine naturam carnis assumeret: primatum tamen tam Pontificii in Sacerdotes, quam gubernationis in populum, ex Pharaonis captiuitate Aegyptiaca eruendum, per transitum maris Rubri, Mosi et Aaron in Sacerdotibus commisisti: vt translationem inde regni Pontificii legisque, per aquam Baptismi regenerandis populis mystice designares. Tandem eundem Dei mediatorem et hominum transmisisti, summum ei tribuens secundum ordinem Melchisedech Sacerdotium in aeternum: Qui duodecim sibi elegit, quos Apostolos nominauit, et horum Simonem Iohannis praefecit in Principem, quem Petrum, meritis praeficiendo aliis, sui participatione nominis (quia petra erat Christus) specialiter nominando Cepham, sibi in pascendis ouibus, custodiaque ouilis dominici, commisit Christiani populi principatum, pro quo te Domine singularius exorauit, vt non deficeret fides sua, sed aliquando conversus suos fratres in fundamento verae fidei confirmaret. Tantaque post sancti tui spiritus receptionem, te cooperante, superueniens sanctificationis virtus superabundauit in eo, vt (sicut Apostolorum nobis referunt actus) infirmos et debiles in grabatis ponerent et plateis, vt eosdem saltem beatissimi Petri vmbra contingeret: qui a te procul dubio ab omnibus eorum infirmitatibus sanabantur. Secutis inde temporibus sanctorum patrum, te Domine inspirante, antiquissimae mos traditionis accepit, vt a liminibus Apostolorum balteum panni, seu pallea rite transmissa, vel tradita, plenitudinem Pontificalis tribuerent potestatis, ac pro consecrationibus Altarium Basilicarumque, per vniuersum orbem terrarum pro deuotione fidelium mitteretur. Cumque super hoc a quibusdam minus credulis fuisset aliquando dubitatum, sacratissimi tibi Domino Deo nostro grati Pontifices, Leo atque Gregorius, huius sacrae Apostolicae summae sedis a te decreti Pastores coram vniuerso populo, qui astabat, pannos huiusmodi pupugerunt, ex quibus vivus protinus sanguis singulari duplicato miraculo, te Domine operante, profluxit. Vnde nos (licet horum imitatores immeriti) in his mysteriis sacris, quae actu peragimus de tuarum multitudine miserationum, propter beatorum Petri et Pauli Apostolorum tuorum preces et merita, plurimum praesumamus tantorum patrum factum, et ordinem prosequentes, clementiam tuam suppliciter exoramus, quatenus in augmentum, sustentamen ac vinculum tuae largifluae charitatis, sanctae matris Ecclesiae sponsae tuae, quod in his nostris meritis non valemus, tuae suppleat abundantia pietatis. Tuae nihilominus Maiestati, quanto possumus humilius supplicantes, quatenus hos balteos et pannos, ex pura lana, quos et quae supra sacratissimum Apostoli tui Petri piscatoris hominum et aetherei ianitoris corpus, more prisco debita cum deuotione posuimus, quae ipsius aliorumque Apostolorum, martyrum, confessorum et virginum, in praesenti Basilica venerabiliter quiescunt, ex quibus seges quasi tota tuae pullulauit Ecclesiae, quorumque merita mirabiliter protestantur largissimam tuae benedictionis, sanctificationis, Pontificalisque potestatis, praeeminentiae

Digitized by Google

ac dignitatis virtutem, plenioremque gratiam, quam misericorditer digneris infundere: vt tui spiritus cooperante virtute, quicunque iuxta eiusdem sanctae Ecclesiae tuae formam ipsorum alterum rite portauerit, vsusque fuerit in ordine primatiae, facias eum annis esse multiplicem, corporis robore salubri vigentem, et ad senectutem optatam peruenire felicem. Sit ei Domine fiducia apud te gratiam obtinere pro populo, quam Aaron in tabernaculo, Eliseus in fluvio, Ezechias in lecto, Zacharias vetulus impetrauit in templo: sit ei Domine regendi auctoritas, qualem Iosue suscepit in castris, Gedeon sumpsit in proeliis, Petrus accepit in claue, Paulus est vsus in dogmate. Et ita Domine, ipsorum Pastorum primatumque tuorum cura, tuum proficiat in ouile, sicut Isaac profecit in fruge, et Iacob est dilatatus in grege. Visita eum Domine sicut visitasti Mosen in rubo, Iesunanen in proelio, Gedeonem in agro, Samuelem in templo, et illa eum benedictione siderea, ac sapientiae tuae rore profunde, quam beatus Dauid in psalterio, Salomon filius eius, te remurmurante, percepit de coelo. Sit ei hoc contra daemonum acies lorica, in aduersis galea, in prosperis humilitas, in aduersis patientia, et in protectionem sanctitatis plenariae clypeus sempiternus, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit et regnat, in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Hac benedictione completa, aqua benedicta pallea asperguntur, et incenso benedicto adolentur: et sic vigiliis beati Petri decantatis, et benedictione hac finita, cum processione ad altare maius deportantur, et per Dominum Altararium in maiori altari collocantur: in quo altari manent vsque ad finem Diuini officii, in dicta Basilica celebrati, tuncque per manus Altararii, in vno panno serico involuta, pallea benedicta domini Subdiaconi Papae honorifice et deuote suscipiunt, atque in Altare super corpus beati Petri imponunt, clauibusque diligenter obseruant, donec opus fuerit, vt eadem pallea, seruatis laudabilibus ceremoniis, per aliquem consistorialem aduocatum pro vsu Pontificis summi, vel Patriarcharum ac Archiepiscoporum solummodo (salua quorundam praesulum exemptione) in secreto Consistorio instanter, instantius et instantissime, cum invariabili verborum forma petantur ac conferantur: nec vllus praedictorum sublimium Praelatorum sine huiusmodi pallei assecutione, munus aliquod consecrationis in sua dioecesi exercere poterit, aut praesumat: neque titulum extendere, vt videatur plenariam habere potestatem, quae iuxta conformem omnium Doctorum sententiam, et approbatam consuetudinem vsu pallei continetur. Quando autem in curia praesenti electo (licet consecrato) Patriarchae, vel archiepiscopo imponi debeat, tunc vni Diacono Cardinali, vel viua voce summi Pontificis, vel scriptis committitur, vt inter Missarum solennia, luminaribus adhibitis, super humeros genu flectentis Electi, iuramentum fidelitatis legentis, fusis certis orationibus, imponat. Si vero in longinquas partes emitti debeat, tunc summe cauendum erit, vt reuerenter ac diligenter portetur ac custodiatur: prout in libris ceremoniarum S. Rom. Ecclesiae ab antiquissimo tempore fuerat obseruatum, et indies Deo autoritatem confirmante obseruatur. Quod insuper a multis summis Pontificibus cautum fuerat, ne aliquid pro palleo petatur, aut oblatum capiatur, secusque iam fieri conspicitur, moderationi summi Pontificis arbitrabitur relinquendum: et nihilominus quod Platina in vita Leonis secundi commemorat exacte tenendum. Instituit enim quam rationabiliter et sancte (quod vtinam hodie seruaretur) ne ad Archiepiscopatum assumptus, pro vsu pallei aliorumve officiorum quicquam Ecclesiae persolueret: cum ex largitione multa mala quotidie orirentur.

Digitized by Google

Attamen clarissime habetur in libro Taxarum omnium Ecclesiarum mundi, qui catenatus seruatur in libraria secreta summi Romani Pontificis Banco XI. in australiori parte [h]), qualiter ex singulari gratia et pietate, plures summi Pontifices, suam benignitatem toti mundo exhibere cupientes, erogatis liberalibus expensis, miserunt suos Legatos, Praesules sanctissimos Romae consecratos cum palleo, ad vltimos fines terrarum: vt ibidem annuntiarent et ampliarent Catholicam fidem et religionem, ac aperte ostenderent, quam bonus est Deus his, qui recto sunt corde, et quomodo loquitur pacem in plebem suam, et in Sanctos suos, et eos qui convertuntur ad cor. Vnde inter alios habetur, quod Eugenius III. circa annos Domini mille centum sexaginta septem [i]) misit Nicolaum Anglicum, Cardinalem Albanensem, ad Noruegiam, vt ibidem daret Ioanni Archiepiscopo Nidrosiensi palleum Archiepiscopale, et vt eidem subiiceret IX. Suffraganeos, videlicet Asloensem, Hamarensem, Stauangarensem etc. Quos etiam vt consecraret et ordinaret, potestatem tribuit, saluo, quod ipse Archiepiscopus pro loco et tempore, semper susciperet consecrationem a Romano Pontifice, prout plenius videre licet in priuilegiis Ecclesiae Nidrosiensis. [k])

Alexander III. anno Domini MCLV. [l]) misit Stephano primo Archiepiscopo Vpsalensi (vt infra dicetur) palleum consecratum, et Crucem duplicem cum libro Euangeliorum, auro argentoque, et gemmis pretiosis ornato.

Ioannes XXII. anno Domini 1276. fecit quendam de ordine praedicatorum Archiepiscopum Soltanensem in partibus Aquilonis, et eodem modo misit sibi VII. fratres ipsius ordinis pro Suffraganeis, quos fecit consecrari in Episcopos in curia, a qua etiam sibi missum fuit palleum.

Clemens V. anno 1305. fecit fratrem Ioannem de monte Caluino, ordinis Minorum, existentem in dominio Tartarorum, Archiepiscopum Cambalnensem, fecitque consecrari in curia IX. fratres eiusdem ordinis in Episcopos, quos misit ad partes illas Suffraganeos, et in auxilium ipsius Archiepiscopi, missum est sibi palleum de curia, ordinatumque quod esset propter loci distantiam pro successoribus.

Clemens VII. anno 1533. fecit Ioannem Magnum Gothum gratis consecrari, et palleum ei per Diaconum Cardinalem Caesarinum consignari. Licet electus erat 1523 a Capitulo Vpsalensi [m]), dum esset Legatus Adriani VI. et demum persecutione Lutheranorum exsul factus, Romae moriens.

Paulus III. anno 1544. fecit Olaum Magnum Gothum praedicti Ioannis germanum fratrem, etiam pro fide Catholica exsulantem, in Archiepiscopum Vpsalensem, cum assignatione pallei de manu Cardinalis Trivultii suscepti, gratis per omnia consecrari, atque in omnibus liberaliter prouideri in expensis, postmodum benignitate Sanctissimi Pontificis Iulii III. confirmatus.

h) Nostrum aditum habuisse haud difficilem ad Bibliothecae Vaticanae thesauros, et hic locus docet. Cfr. ea quae super monuimus p. 18.

i) Sic. Lege autem Anno Dni. MCLII. ita enim, testimoniis Historicorum septentrionalium probe examinatis, corrigendus est auctor, qui in chronologia praesertim antiquiori saepius vacillat.

k) Eadem primitus exposita habemus in Bulla Anastasii P. IV. Venerabili Fratri Iohanni Thrundensi Archiepiscopo, ejusque successoribus canonice substituendis, data anno 1154 d. 30 Novembr. qua auctoritate apostolica confirmat et praesenti privilegio communit quae antecessor illius, Eugenius P. III., per Legatum suum Nicolaum Albanensem Episcopum, exsecutioni mandavit: Scil. "urbem Thrundensem Norvegiae perpetuam metropolim ordinavit, et ei Episcopatum Asloensem, Hammarcopiensem, Bergenensem et Stavangriensem, nec non insulas Orcades, insulas Guthraie (suthraie, sudreyjar) insulas Islandensium et Grenlandiae, tanquam suae metropoli perpetuis temporibus constituit subjacere." Edidit Pontoppidan, Annales Ecclesiae Danicae Diplomatici, T. I. p. 379. dein Thorkelin, Diplomatar. Arna-Magn. T. II. p. 5. Cfr. Regesta Diplom. Hist. Dan. p. 41.

l) Corrige: Anno MCLXIV. Cfr. quae ad Chron. Archiepiscopor. Ups. monuimus.

m) Sic legendum pro Carolo Upsalensi, quod ocitanter textus habet, qui non uno loco, ineptiis typothetae, foedissimis laborat mendis.

Digitized by Google

STEPHANVS, primus Vpsalensium Archiepiscopus, ex Ostrogothia oriundus, in lege Diuina et humana excellenter eruditus, eloquentia insignis, vitae sanctimonia conspicuus, mundanae et transitoriae felicitatis contemptor: quam Monastico instituto sub regula Diui Bernardi, in Monasterio Aluastrensi commutans, nihil vnquam minus cogitabat, quam a contemplatiuae vitae dulcedine ad actiuae vitae sollicitudinem reuocari: sed non potuit tam lucens lucerna sub modio poni, aut abscondi. Siquidem Carolus Gothorum Rex, ipsum ob tam eximiam morum bonitatem, praecellentemque bonarum literarum ac rerum experientiam (quas in eo considerauit) continuis et importunis precibus a Monasterio euocandum curauit. Itaque tam Regis importunitate, quam summi Pontificis Adriani Papae quarti [n]), de quo superius dictum est, consensu inde extractus, coepit omnibus factis suis ostendere, se non solum sibi natum, sed patriae, et omnibus eius incolis: quorum salutem et vtilitatem ita prosequebatur, quasi ipsos singulos genuisset: concordiam, pacem, tranquillitatem, iustitiam, diuinarum et humanarum legum obseruantiam, sine vlla intermissione omnibus suasit, et plurimis persuasit: Regem ipsum ad Monasteriorum et templorum erectionem, atque ad plurima alia magnifica opera pietatis, et Christianae fidei propagationem, induxit. Praeterea non parum laborauit auertere, aut mitigare graues illas discordias, quas seditiosi proceres, inter hunc Carolum Gothorum, et Ericum Suecorum Reges, suscitatas fouebant: qui (si eius optimis consiliis paruissent) nequaquam Ericum Regem vita, et seipsos honore et gloria priuassent. Tandem occiso ab impiis S. Erico [o]), Carolus utriusque Regni Suetiae et Gothiae Monarchiam assecutus, quicquid ad emendandum patriae statum attinuit, summa diligentia praestitit, fretus eiusdem optimi consultoris ingenio, cuius consilia, non secus ac data Diuinitus oracula, venerabundus impleuit. His igitur piis et sanctis studiis Stephanus meruit ab omnibus Suetiae et Gothiae incolis, vti pater patriae venerari, et ad maximum Pontificatum primus omnium in iis terris sublimari. Enimvero Alexander Papa tertius, comperta viri dignitate, ipsum (dato ab vrbe palleo, quod vnum et maximum summi Sacerdotii insigne est) Archiepiscopali praerogatiua, tempore Frederici primi Imperatoris insigniuit. Insuper, vt honorem per se amplum, primatis quoque appellatione cumulatiorem efficeret, adiecit duplicem Crucem, auro et gemmis illustrem, cui lignum sanctae Crucis erat inclusum. Praeterea singulari dono, librum Euangeliorum ei contulit: quo ipsum Legati munere, apud extremos et nouellae fidei populos, ordinauit. Itaque non parum Suetia et Gothia Romanae benignitati debet: per quam libertatis ius consecuta, tam Saxonicam, quam aliam quamcunque ditionem [r]), industria huius prudentissimi Pontificis, euasit. Nec longo post tempore, res Noruegianorum ob diuturna bella, quae (Duce Erlingo) cum Danis gesserant, paene in extremam ruinam deuenissent, ni huius Stephani prudentissima Legatio, et excellens facundia, pacem a Rege Valdemaro, ipsis impetrasset [q]): in quod negotium multum laboris et expensarum impendit, eodemque tempore, vna cum Eschillo Archiepiscopo Lundensi, Diuum Canutum Ducem, et Regem Obotritorum, in Sanctorum catalogum, iussu Alexandri Papae III. inscripsit: deinde in Gothiam reuersus, Helenam Vestrogotham, feminam sanctissimam a peregrinatione terrae sanctae reuertentem, et ab inimicis

n) Sic. Lapsus calami, pro Alexandro P. IV. ut in pagina anteced. recte.

o) In margine additur: S. Ericus passus anno 1160.

p) Primatum scil. Lundensem hisce verbis haud obscure, quamvis nimium intempestive, indicat auctor. Docent enim annales ecclesiae Svecanae, ipsum Stephanum, illiusque in Upsalensi metropoli successores Pallium, e Roma transmissum, a manibus Archiepiscopi Lundensis postea deinde accepisse, donec, continua movendo jurgia, etiam hanc principatus umbram effugere potuerint de quibus suo loco plura.

q) Hanc legationem, circa ann. 1170 gestam, e Saxone, et recte, meminit auctor. Cfr. Suhm, T. VII. p. 173.

r) Etiam haec e Saxone, nec non e Chronol. XVI. et XVII. Vide Operis nostri Tom. I. Sect. 1. p. 51, 61. Cfr. Suhm, l. c. p. 324.

Digitized by Google

Christi occisam, multis miraculis illustrem, eiusdem Alexandri Papae praecepto canonizauit [s]). Tandem anno Domini MCLXXXV. et Pontificatus sui XXIII. plenus operibus bonis in Domino feliciter obdormiuit: translatus in Monasterium Aluastrense, vnde prius importunis precibus fuerat euocatus.

IOANNES, secundus Archiepiscopus Vpsalensis, in demortui Stephani locum suffectus, a Lucio eius nominis tertio Papa, tempore Frederici primi Imperatoris (quem Itali dixere Barbarossam) confirmationem, consecrationem, et palleum meruit Archiepiscopale: hic ab initio sui Pontificatus summo studio efficere curauit, vt Rex Canutus S. Erici Regis filius, paternae sanctitatis imitator existeret, Diuinas leges et humanas seruaret, pupillos et viduas defenderet, innocentes a calumniis liberaret, patriae salutem in primis haberet, subditos vt filios diligeret, omniaque virtutum officia praestaret, per quae regnum terrenum coelesti commutari solet. Haec salutaria et paterna monita, bonus Rex, optimi Regis filius, ita perficere curauit, vt in nullo ab illa eximia patris sui sanctimonia deficere videretur: siquidem Christianae religionis vigilantissimus obseruator effectus, nihil omisit, quod ad subiectorum populorum salutem, pacem, concordiam, felicitatem, necessarium videbatur. Diuini cultus augmento ita inuigilauit, vt non solo nomine, sed vita, moribus, legibus, Rex Christianus diceretur: poenitentiam (quae sibi ob necem Caroli Regis, ab hoc Pontifice imperata erat) reuerenter excepit, et humillima veniae petitione perseueranter expleuit: Nouerat enim Christianus Rex Diuina obsequio non viribus propitianda esse. Proinde offensae religioni satisfacturus, duo preclara Monasteria Sabali (Iulita vulgariter dictum) et Varnheim, pridem inchoata consummauit, et praediis sui patrimonii liberaliter, pro peccatorum suorum expiatione, dotauit: nec ista pro Dei honore fecisse contentus, Diuini cultus ministros honoribus, prouentibus, priuilegiis cumulatissime adornauit: sacerdotia instituit: aedes sacras reparauit, aut de nouo erexit. Felix Rex, talem sortitus Pontificem, cui obediendo, diuinam clementiam et diuturnam pacem mereretur. Sed felicius Regnum, et felicissimus populus, cui contigit a tam glorioso ac pio et sapiente Rege gubernari. Verum hic Pontificatus, quamvis numero annorum angustus exstitit, tamen ingens eius gloria memoriam laudabilem sortita est in tempore sempiterno. Tribus enim transactis annis post pontificium onus acceptum, migrauit ad Dominum, occisus a paganis Estonibus in propriis aedibus Almarsteck [t]) circa principium mensis Iulii, anno domini MCLXXXVIII. et sepulturae traditus in ecclesia Vpsalensi.

PETRVS, tertius Vpsalensis Archiepiscopus, impetrato a Clemente papa eius nominis III. circa tempora Henrici Imperatoris pallio [u]) Archiepiscopali, tanto feliciorem occasionem propagandae religionis christianae sortitus est, quanto nobilior erat ipse Rex Canutus, cuius iam meminimus: semper enim diuina prouidentia et benignitas, quando disponit vberiorem gratiam, et maius incrementum fidei christianae conferre hominibus, eos reges praeficit populo suo, qui toto corde et animo, ea quae diuini honoris sunt, infatigabiliter prosequantur: igitur eam diuinae clementiae gratiam hic Petrus assecutus, non difficulter populum Sueticum (qui sub bonis regibus optimus esse solet) ad ciuiles christianae pietatis mores induxit: enimvero cum Rex ab integerrimo pontifice monitus, sponte et alacer iugum Christi subiret, accurrit totus po-

s) Haec e Chronol. XVI. et XVII. l. c. Prorsus enim silet Chron. Archiep. Ups. in enarrandis fatis hujus Archipraesulis, quod miramur, justo brevius.

t) Gratis dicta sunt. Castrum enim Almarstäk, in bellis patriae civilibus pomum eridis male celebre, longe post hujus praesulis fata in ditionem Archiepiscoporum Upsalensium cessit, tempore nimirum Nicolai Ragvaldi, qui sedit ann. 1458—48.

u) Usitatam Pallii orthographiam, nostro auctori exosam, hic offendimus. Vide supra p. 25.

Digitized by Google

pulus, beatum se fore credens, quando suo Regi in tam sancto studio conformari potuisset. Quippe cum hic Petrus in principio sui pontificatus (vrgentibus summi pontificis Clementis III. epistolis [v]) ipsum regem Canutum totumque populum eius monarchiae subiectum diligentissime hortatus esset, vt communia arma cum ceteris Christianis principibus et populis in Sarracenos Christianae fidei hostes sumeret, aut sumentibus commeatum auxiliisque prouideret, mox optimus rex hanc piam paternamque summi pontificis exhortationem, maturo consilio perpendens, decreuit omnibus modis tam sancto negotio obediendum esse, fecissetque satis decreto promissionis suae, nisi praematura morte interceptus fuisset. Huic autem Petro Vpsalensi Archiepiscopo Coelestinus Papa III. decretalem epistolam sub hoc tenore: "Charissimus &c. Fraternitati vestrae mandamus, quatenus si inveneritis vxorem Regis Sueciae [w]), graui infirmitate depressam, continentiam vouisse, et virum eius ad tempus praebuisse consensum, maxime si non idem vir continentiam vouit perpetuam, eandem viro cohabitare faciatis, et vtrumque invicem maritali affectione tractare", quae in Titul. de convers. coniugator. habetur [x]), scripsit, ex quo satis manifeste liquet, quod Reges Sueciae in causis ad ecclesiam pertinentibus, sedem Apostolicam tanquam supremum iudicem semper cum summa obedientia recognouerunt. Quo Canuto sublato, vt ad rem redeamus, Suercho purpura insignitur, qui quamvis a principio Regni sui in nulla parte virtuti aut pietati Canuto inferior esse videretur, nequiuit tamen propensum animum et affectum suum iuvandae rei Christianae nimium periclitanti accommodare, obstante Valdemaro secundo Danorum Rege, qui tunc praegrandem exercitum in terras Vestrogothorum induxit: sed inde ea potentia est repulsus, vt maximam totius Danicae nobilitatis partem ibi concidisse fateretur. Deinde suborta in Suerchonem domestica procerum rebellione, prudens Archipraesul nihil prorsus omisit, quo tam periculosa seditio quantotius sine publica totius regni ruina tolleretur, totque periculis et laboribus ob id sese implicari sustinuit, vt dum publicae paci consulturus, aliena pericula auertere properaret, in mortis periculo (quibus exstinctus est) concessit. Sepultus Vpsaliae publico totius patriae moerore, anno Domini **1197. XVIII. Septembris.**

OLAVS, in ordine Archiepiscoporum Vpsalensium quartus, ab Innocentio Papa III. (tempore Henrici VI. Imperatoris) confirmatus et palleo Archiepiscopali insignitus est, qui antea talem se ab ineunte aetate exhibuerat, vt illi amplissimae cathedrae plus honoris conferre, quam ab ea recipere posse, videretur: nec parum vtrique reipublicae, videlicet ecclesiasticae et saeculari profuisset, nisi a principio sui pontificatus emersissent illae ciuiles et perniciosae discordiae inter Suercherum Regem et nepotes diui Erici Regis: siquidem ea ciuilia bella tantum negotii pio Pontifici intorserunt, vt plus operae in auertendis bellis et parcendis ciuibus, quam saluandis animabus impendere cogeretur. Nec tamen quicuit in ipso diligens animarum cura, et pastoralis ac quotidiana omnium Christi ecclesiarum sibi a Deo creditarum sollicitudo: quam ita gessit, vt nullus in ea patria inueniretur, qui non fateretur ipsum persimilem esse alicui indulgentissimo patri, qui imprudentes filios suos in mutuam perniciem ruentes ab extremo exitio prohibere conaretur. Verum quamvis parum profecerit tam sedula sua adhortatione, qua arguendo, obsecrando,

v) Forsitan encycliae. In nostris vero Bullariis desunt.

w) Cod. Mscr. Decretal. vetustus Bibl. Ups.: Suauie.

x) Hujus epistolae fragmentum tale, suoque proposito convenientissimum, dedit auctor, quale illud sistunt Decretales Gregorii IX. Integra vero occurrit in recentioribus Decretalium editionibus, quibus ex fontibus illam derivavit Lagerbring, in app. ad Hist. Sv. T. II. p. 877, et post eum Celse, Bullar. p. 45, qui ambo hunc Joh. Magni locum non observarunt, variante lectione τα Scotorum etiam omissa.

Digitized by Google

increpando, in omni patientia et doctrina, nitebatur generosos proceres ad concordiam reuocare: attamen sua sempiterna mercede fraudatus non est, et illi qui tam sancti patris monita, tanquam ab homine, et non a Deo viuo habentia, neglexerunt, adeo damnabiliter corruerunt, vt secum vniuersam Suecorum et Gothorum monarchiam in ruinam irreparabilem protraxisse viderentur. Quippe Suercho, qui ab omnibus tam prudens, tam iustus, tam sapiens, denique tam modestus in omni negotio putabatur, vt potius omnem iniuriam pati, quam in diuinam aut humanam legem peccare voluisset, eo prolapsus est (iniuriis aduersae partis lacessitus) vt optimi regis Canuti liberos seuerius quam prudentius partim trucidaret, partim proscriptos omnibus fortunis spoliaret, prius tamen quam Suercho hunc seueritatis gradum, a sua natura quodammodo alienum, apprehenderat, ipse Olaus (breui tempore in pontificii dignitate consumpto) viam vniuersae carnis est ingressus, relicta ecclesia Vpsalensi in graui tribulatione et moerore, anno a natiuitate Domini M.CC. tertio Id. Nouembris, sepultus Vpsaliae.

VALERIVS, quintus Vpsalensis Archiepiscopus, eo tempore scilicet, quo Philippus Sueuus et Otto IIII. de imperio contendebant, ab Innocentio III. in defuncti Olai locum surrogatus, et plenitudinem pontificiae potestatis cum palleo Archiepiscopali consecutus, onerosum Pontificatum accepit, tunc enim inchoata erat inter Suecos et Gothos dissensio de potestate Regia, quae pertinacibus animis vltro citroque fouebatur, affirmante vtraque parte sui iuris esse, Regem quem vellet, vtrique Regno praeficere. Itaque dum dominium singuli, publicam patriae administrationem, ad se transferre contenderent, pariter vna cum tota patria infeliciter conciderunt. Huius ruinae non minimam causam praestitisse credebatur Suercho, quod occisis Canuti Regis filiis, homicidii reus impetratas a Valerio salutaris poenitentiae partes minus religiose exsequi curaret, oblitus pristinae modestiae suae, proinde offensa diuinitas id effecisse credebatur, vt qui Deo (per quem Reges regnant) parum obediens esset, rebelles subditos quantotius experiretur: et qui prius ecclesiasticae auctoritatis venerator existens, gloriosam ac magnificam victoriam superatis Dacis obtinuerat, nunc rursus contemptor Christianae disciplinae effectus, ciuilibus armis haud difficile obrueretur: documentum relinquens illis, qui in sublimitate positi sunt, ne offensas in diuinam maiestatem commissas, contemptu Christiani sacerdotii cumulare praesumant, quin potius Niniuitarum regis poenitentiam opportune amplectantur, ne inanem crudelis Antiochi Regis nimis sero poenitentis luctum tardius et sine fructu assumere cogantur, dicentes: Iustum est subditum esse Deo, et mortalem paria deo non sentire &c. Hoc Suerchone publicis armis occiso, Ericus Canuti Regis filius ab exsilio Noruegiano reuocatus, atque in regni solium sublimatus, primam curam restituendae reipublicae Christianae (quae bellorum turbine non parum concussa fuerat) accommodaturus, venerabilem pontificem Valerium, non secus ac patrem a quo Christo generaretur, in omnibus audiuit, eiusque salutaria monita ab omni populo diligentissime obseruari praecepit. Quocirca septem illi anni, quibus Suecia et Gothia his duobus hominibus illustrata fuit, tam felices et pacifici ac omnium necessariarum rerum affluentia beati fuisse praedicantur, vt vix vnquam tam largiflua diuinae misericordiae dona in terras nostras desursum descendisse memorantur *y*). Quae est enim benedictio, quam Deus negare vult illi populo, qui paret regi, fideliter parenti summo omnium regi. Et rursus, quae maledictio ab irato Deo non consueuit infligi populo, qui sacrilego et blasphemo regi vires subministrat. Tandem defuncto optimo et

y) Ex Erico Olai, cuius testimonium insuper comprobat Catal. Regum Svec. ad calcem LL. WGoth.

Digitized by Google

Christiano rege Erico, relictus est Valerius in tam graui moerore et dolore, vt nulla humana consolatione potuerit releuari, in quo non diu postea exspectans, beatam Deo animam commendauit [z]). Prius tamen multa sollicitudine perfecit, vt optimae spei adolescens Ioannes, Suercheri Regis filius cognomento Pius, regio sceptro donaretur: quo facto, vnus idemque annus Ioannem diademate coronauit, et Valerii corpus in ecclesia Vpsalensi honorifice tradidit sepulturae, post natum Christum M. CC.XIX. septimo Idus Aprilis. Per haec quoque tempora ordo Praedicatorum anno scilicet M.CC.XVI. et Minorum M.CC.XXII. in Italia confirmatus, successiue viros religiosissimos misit ad Aquilonaria regna [a]): vbi gloriosis et sanctis exhortationibus ac mirabili vitae sinceritate gentes Aquilonares in Dei obedientia, pura fide (quae meruit omnium rerum abundatiam) instruxerunt, et beatis moribus ac exemplis religiosaque pietate conseruarunt, tandem vero introducto per impiissimos haereticos lutheranismo, intolerabili persecutione circa annos domini 1527. defecerunt, quia odio erant omnibus impiis, propter veram fidem Christi, prout dudum fuerat a saluatore nostro dictum.

Liber Tertius.

OLAVS, sextus Upsalensis Archiepiscopus, postquam ab Honorio Papa III. dum Fridericus II. imperaret, palleo Archiepiscopali honoratus esset, satis tranquillum pontificatum a principio habuit: in quo omnia negotia ecclesiae et regni pro suis votis facile ordinaret. Tanta enim fuerat diligentia optimi antecessoris Valerii et pientissimi Regis Erici, vt statum ecclesiae et Coronae (quem illi turbatissimum inuenerunt) pacatissimum ad suos successores destinarent. Praeterea rex Ioannes, ob defectum aetatis sub prudentibus tutoribus agens, haud difficulter permisit sapientissimo Pontifici maximarum et difficillimarum causarum in Regno emergentium cognitionem et decisionem: sciens quod is, qui in diuina lege et Christianis moribus esset instructissimus, absque errore de humanis controuersiis sapientius iudicare posset et vellet. Ita tenerae aetatis princeps prudentiam, quam ex se polliceri nequiuit, alieno pectore prudentius erutam, prudentissime subditis populis accommodauit, dignus qui in plurimos annos vixisset et regnasset. Sed invidentibus fatis, quarto regni sui anno occubuit, prius mortis quam Regni experientiam assecutus. Hinc proceres in diuersa et contraria vota diuisi, optime institutam rempublicam paene euertissent, nisi huius prudentissimi Archipraesulis diligens circumspectio et circumspecta diligentia dissidentes eorum animos ad optatam concordiam reuocasset, eisque maximae bonitatis virum, Ericum Balbum consanguineum suum, praemortui Erici Regis filium, Regem constituisset: qui se tam prudentem, moderatum, iustum et benignum in omnibus praestitit, vt non ab hominibus, sed a Deo Rex constitutus videretur. Quippe quemadmodum ipsi Deo et diuinae religioni ac Dei ministris sollicitam piamque venerationem exhibuit: ita patriae et subiectis populis debitam protectionem, innocentibus praesidium, errantibus clementiam, tyrannis seueritatem sedulo adhibere consueuit. Proinde quantum a bonis et rectis corde dilectus erat, tantum a quibusdam ignobilibus proceribus ad multa vitae et honoris pericula petebatur. Siquidem inventus est aliquis gener eius, Canutus, Folchungorum nobilitate

z) Ex auctoris Hist. Goth. L. XIX. C. XII.

a) E Chronol. N:o XVI. et XVII.

Digitized by Google

magis quam ipsorum virtute conspicuus: is ut olim ille Absolon, pulso optimo patre Dauid, Regnum ambiuit: sed similis praesumptio similem sortita est vindictam. Actum tunc fuisset de Dauid, ni consilio summi sacerdotis Sadoch paruisset, nec secus periclitatus fuisset Ericus, nisi opportunis Olai Pontificis consiliis prudenter effugisset. Fertur enim post fugam reuersus, Canuto Folchungo occiso, Hollingerum ducem vivum apprehendit: quem tandem capite plexum honeste in monasterio sororum Schoog [b]) sepeliendum curauit: eo quod magis casu quam proposito in ipsius Canuti militiam deuenisset. Qui Hollingeri vitam et mores intimius nouerunt, multa praeclara testimonia de ipso ad posteros transmiserunt. Igitur postquam Olaus Archiepiscopus laudabilius quam diutius in ecclesia Vpsalensi praesidisset, Regique et Regno ac toti Suecanae reipublicae optime consuluisset, in fata concedens, ad terram viuentium euolauit, anno a Christo nato **1234.** decimo tertio Calend. Aprilis: cuius corpus relictum est in Vpsalia antiqua, translatis inde vna cum sede Archiepiscopali omnium aliorum Pontificum corporibus in ciuitatem eiusdem nominis innouatam [c]): quae vti tunc pontificia dignitate, prudentissimorum praesulum catholicae ecclesiae ordinatione per ostium ingredientium, ceteris omnibus ecclesiis Aquilonaribus videbatur illustrior: ita nunc reuerentia et vnitate S. sedis Apostolicae contempta, praeter ritum et consensum christianae ecclesiae, intruso vxorato praesule [d]), turpiter illusa, quibuslibet aliis infelicior existimatur. Cauendum ergo erit huic regno Suetiae, quod Paulus Diaconus lib. V. cap. VI. meminit de ruina Longobardicae gentis, quae (diuina religione despecta) diui Ioannis basilicam in Modicia constitutam per viles personas ordinari permisit: ita vt indignis et adulteris, non pro vitae merito, sed praemiorum datione, iisdem locus venerabilis largiretur.

IARLERVM, septimum Vpsalensem Archiepiscopum Gregorius IX. confirmauit, eique, palleo dato, plenitudinum Pontificiae potestatis tempore Friderici II. Imperatoris concessit, quam adeptus, talem se exhibuit, vt a rege Erico et omnibus regni incolis plurimum amaretur. Erat enim purus in vita, consilio iustus, conversatione mansuetus et in omni morum honestate conspicuus, eoque audito, multa praeclara faciebat Rex Ericus, pro Christiana religione, pro libertate ecclesiae, pro salute totius regni: priuilegia, libertates, immunitates Ecclesiis et ecclesiasticis personis concessit, decernens et declarans, ipsas nedum ecclesiastico et Caesareo siue Regio iure, immo diuino, naturali et gentium iure, liberas esse debere *ab omni iudicio* saeculari, bonaque earum mobilia et immobilia, non secus ac oblationes ad altare Dei impositas, omne tribunal regium euasisse. Praeterea diuinis et humanis legibus innixus, statuit grauissimas poenas in ecclesiasticae libertatis violatores, praecipiens Dei sacerdotes et templa sacrosancta atque inuiolata ab omnibus haberi et venerari. Praecipua tamen cura erat illi de metropolitana ecclesia Vpsalensi, cuius honorem tunc indefessa sollicitudine gerebat Iarlerus: constituens in ipsa duas insigniores praelaturas, totidemque canonica sacerdotia, quibus Praepositus, Archidiaconus et duo Canonici honeste foueri possent [e]). Itaque optimus rex, ob hanc pietatem in Christi ecclesiam et eius ministros, pacificum regnum, fideles subditos, tantamque gloriam apud Deum et homines promeruit, quanta ignominia iuste afficiuntur illi, qui oppresso clero et ecclesia furtis, rapinis, sacrilegiis, sempiternam

b) Hodie Skokloster. Cfr. Chronol. N:o XVI.

c) E Chron. Archiepiscopor. Ups. verbotenus.

d) Laurentius Petri Nericius, primus post reformationem Ecclesiae Sveogothicae Archiepiscopus, uxorem duxit, Gustavo I. annuente, patruelem Regis Elisabetham, filiam Matthiae Oplänning, ex uxore Brigitta, Christierni Johannis (Wase) R. Senatoris filia.

e) Cfr. Chron. Archiepiscopor. Ups.

Digitized by Google

nominis sui infamiam ad heredes (quos a se illustres fieri putant) transmittunt, atque in aeternos ignes, modo quasi ludum deridentes, tandem sine fine cruciandi detrudentur, dicente de ipsis iudice: Ipsi regnauerunt, et non ex me, principes exstiterunt, et non cognoui. Igitur beatus pontifex Iarlerus, qui tam pium sortitus est regem, et rursus, beatus rex Ericus talem nactus antistitem: erat enim in vtroque eadem voluntas, idem studium, eadem cura, qua christiana respublica ita institueretur ac conseruaretur, vt quae essent Dei, Deo, et quae essent regis, regi redderentur. Quocirca communibus eorum votis, decretum fuit bellum in Christiani nominis hostes, qui tunc terram Tauastiae incolebant, quod tam felicibus auspiciis inceptum consummatumque fuit, vt superati impii Christo filio Dei nomina darent, in omne reliquum aeuum sub vexillis eius deuotissime militaturi: in qua quidem militia, vt constantius ac prudentius perseuerare possint, datus est illis a Iarlero Archiepiscopo antesignanus et ductor, Thomas episcopus Aboensis *f*), siue potius eius successor, Thoma interim dum expugnarentur Tauasti de vita sublato *g*). Ipse autem Rex Ericus, dum sui pro Christo tam magnifice triumphassent, superata huius vitae militia, regnum Suecorum regno coelorum felici commercio commutauit: Iarlerus vero in curis admodum perplexis relictus est, quas ei peperit illa infelix discordia ducis Birgeri cum Folchungis, quos fracta fide non satis gloriose trucidauit, quod Archiepiscopus grauissime ferens, coegit ipsum vt poenitentiam, quam lex Christiana talibus facinoribus infligere solet, sponte assumat et exsequatur: alioqui hoc peccatum eius, vt in hoc seculo sempiterna infamia, ita in futuro infinita morte puniendum non dubitaret. Conatus est dux in primis obicem ponere tam salutari medicinae, aestimans (vt solent plerique potentes) indecorum esse suae celsitudini, ad abiectam poenitentiae conditionem coram diuina maiestate deiici: sed paterna Pontificis sedulitate tandem expugnatum est pectus illud durum, datusque est diuinis praeceptis locus, vt multa opera pietatis perficeret, qui multum in Deum et proximos deliquisset. Tandem pius et prudens Christi confessor Iarlerus in domino feliciter obdormiuit *h*), anno a Christo nato M.CC.LX. octauo Calend. Septemb. sepultus Sictuniae in monasterio Praedicatorum. Sub hoc Iarlero (qui alias tempore Gregor. IX. Romae consecratus, accepit palleum) concilium Guilelmi Cardinalis Sabinensis in Scheningia, vetustissimo Ostrogothorum oppido, sub Innocentio IIII. celebratum est, deinde per Papam Alexand. IIII. Anagniae, anno eius quinto, atque alios pontifices summos, prout inferius eodem libro sequitur, perpetuo confirmatum *i*).

LAVRENTIVS, octauus Vpsalensis Archiepiscopus, tum ob insignis sanctimoniae professionem, tum ob eximiam in sacris literis eruditionem, omnium in se dilectionem et fauorem convertit. Quando enim illi coelestis patrisfamilias nuncii, qui sancti Francisci regulam profitebantur, primum in Sueciam aduenissent, mox ipse renunciata omni huius mundi pompa, susceptoque huiuscemodi viuendi instituto, euangelicae perfectionis ardentissimus obseruator et praedicator euasit, suoque exemplo plurimos inclitos viros et nobili genere illustres, mundanam transitoriamque felicitatem christiana humilitate commutare, et ordinem sancti Francisci profiteri

f) Vide quae de eo egregie et copiose disputat Porthan, ad Paul. Jousten, Chron. Episcopor. Finl. p. 173. sq. cfr. Rein, Biskop Thomas och Finland i hans tid. Helsingf. 1839.

g) Munus vero renunciasse Nostrum anno 1245, docet Bulla Innocentii P. IV. ap. Porthan, access. ad Celse Bullar. p. 55. Diem obiit supremum anno 1248 in monasterio fratrum praedicatorum Wisbyensi "quo se contulerat propter Ruthenorum et Curonum furorem." Porthan ad P. Jousten l. c. p. 12. Cfr. Chron. N:o XIX. Er. Olai p. 53.

h) Senio et paralytico morbo laborans missionem ab officio petiit anno 1255. Bulla Alexandri P. IV. ap. Celse, p. 76.

i) Diplomatar. Suec. T. I. p. 330. cfr. Celse, Bullar. p. 70, 80.

Digitized by Google

perdocuit [j]). Quo facto non parum confortata est nobiscum christiana religio, quando talis et tam eximius vir doctrina, eloquentia et prudentia praeclarus, abiecta et squalida veste circumdatus, verbum Dei virtute magna praedicaret, paratus pro nomine Iesu non solum contumelias pati, sed extremas quasque persecutiones sustinere. Itaque cum ea sanctitatis professione nudum Christum pro nobis crucifixum sequeretur, nihilque minus concupisceret, quam ab ipso mundo (quem magnanimiter contempserat) honorari: ecce totius cleri et populi suffragiis in Archiepiscopum electus est, vt implerentur verba illius summae veritatis, quae dixit: Nemo accendit lucernam, et eam sub modio ponat. Confirmatus est per sedem Apostolicam eo tempore, quo vacabat imperium post depositionem Friderici II. Imperatoris, quae accidit tempore Innocentii Quarti, anno 1244. anno primo Vrbani Papae Quarti, et pallio Archiepiscopali insignitus [k]). Hic in pontificalem cathedram sublimatus, officium pastorale insuperabili euangelizandi constantia vsque ad finem vitae continuauit, sanis consiliis suis proceres ac plebem regni in sancta religione christianisque moribus et legibus conseruauit, et cum multa per interregnum (in quod pontificatus eius incidit) ad turbationem ruere viderentur, attamen singulari prudentia eius effectum est, vt nocentes longe minus auderent in innocentes. Erat ei perpetua familiaritate coniunctus nobilis ille et generosus praeses Iuarus Blao [l]), cuius humeris post fata regis Erici Balbi tota respublica nitebatur. Is sapientissimi pontificis monita cupide secutus, Birgeri ducis Ostrogothi filium Valdemarum regem fieri procurauit, omniaque regni negotia tam prudenter ordinauit, vt vterque, videlicet pontifex, qui sapienter consilia tribuit, et ipse Iuarus, qui ea prudenter exsecutus est, sempiternam nominis sui gloriam posteris destinauit. Praeterea Birgerum ducem, nouelli regis Valdemari patrem, multa seuerius in nobilitatem regni (praesertim in eos, qui iam pridem Folchungis adhaeserant) molientem, a scelerato proposito reuocauit iussitque, vt conuerteret gladium suum in vaginam, nisi velit et ipse gladio quandoque perire, praefatus nimium innocentis sanguinis terram Suecorum superioribus annis absorbuisse: proinde magis curandum esse, quomodo Deus placari possit maledictae terrae, quae tunc cruore innoxio adeo ebria esset, vt supergredientes incolas vix sustinere posset. Haec paterna monitio tantum valuit, vt generosus dux cum nobilitate in gratiam reuersus, omnia quae pacis essent, studiose exsequeretur, Deum poenitentia placaret, monasteria et templa erigeret, sacerdotia institueret, Dei ministros coleret, filios suos mox in diuina lege diligenter instrueret, et tandem in numero bene beateque viuentium et morientium locaretur. Quo fatis absumpto, non longe post Laurentius beato fine quieuit, sepultus Enecopiae apud fratres suos minores, cum quibus viuens quiescere non sinebatur, anno domini M.CC.LXVII. tertio nonas Martii.

FOLCO, nonus Vpsalensis Archiepiscopus, ex Archidecanatu assumptus, a Gregorio papa decimo (qui simili cuentu ex Archidiacono creuerat in summum pontificem) consecrationem et pallium Archiepiscopale assecutus est eo tempore, quo vacabat imperium post depositionem Friderici secundi. Hic Folco tanti et tam optimi meriti exstitit erga totum regnum Succiae totamque nobilitatem et totam ecclesiam Suecanam, praesertim Vpsalensem metropolim, vt vix inveniri queat, qui cum eo in rerum gestarum magnificentia, industria, magnanimitate conferri possit. Enimvero ecclesiam Vpsalensem magnifice construxit, translationem Archiepiscopalis sedis ab antiqua Vpsalia in nouam fieri procurauit, eamque (seruatis omnibus ne-

j) Cfr. Diar. Fratr. Minor. p. 73. nec non Chronol. XIX.

k) In margine: anno 1265. rectius 1261.

l) Ivarus Blå. cfr. Er. Olai et Chron. Rhythm. majus.

Digitized by Google

cessariis circumstantiis) perfecit [m]): et cum consideraret nimis indecorum esse, quod tantum quatuor canonici essent in ea ipsa metropoli, quae tempore paganismi plurimis idolorum ministris abundauerat, octo canonica sacerdotia pro Christi ministris et decore domus Dei atque honestate totius regni Sueciae erexit, instituens Christum dominum Deum nostrum heredem patrimonii sui, a quo illud liberaliter donatum acceperat, imprecatus testamenti sui violatoribus aeternam maledictionem et locum, qui sacrilegis apud inferos est praeparatus. Interim tamen cum omnia illa prudenter ac diligenter praestaret, quae pro diuino cultu et publica totius patriae salute, per optimum pontificem praestanda essent, Valdemarus rex sua temeritate omnia diuina et humana turbauit, factus miserabile mancipium omnium enormium flagitiorum, ita quod nec a fratribus suis (alioqui integerrimis proceribus) nec a coniuge sua, aut nobilibus regni tolerari potuisset infamis conuersatio eius. Quippe (vt verbis fratris eius Benedicti episcopi Lincopensis, Finlandiae ducis, vtar) effectus est patriae suae et publicae pacis turbator et quasi mente captus, suae famae atque honoris oblitus, diuinae vltionis immemor, diabolicae suggestionis imitator, praeceptorum Dei et ecclesiae contemptor, eaque enormia facinora commisit, quae sine horrore piarum mentium nequeant nominari. Tandem postquam obstinatum Regem, nec pontificum reuerentia, nec fraterni sanguinis respectus, nec procerum regni exhortatio, aut patriae charitas [n]), immo postquam nihil esset in coelo, aut in terra, per quod ipse ad regios mores reuocari potuisset, supplicabant proceres regni Folchoni Archiepiscopo, eiusdem regis consanguineo, et omnibus regni episcopis, vt sua ipsorum auctoritate (quam a Deo acceperant) prudentius consulere vellent reipublicae tam acephalae, et decernere quid in talem Dei et ecclesiae contemptorem statuendum esset. Itaque maturo praemisso concilio et solo Deo prae oculis habito, Archiepiscopus, assidentibus et consentientibus omnibus episcopis regni, decreuit ac declarauit, sententiamque iuri diuino consonam tulit, vt amodo regni Sueciae proceres, aut populi numquam teneantur obedire regi tam desperato, aut vllis aliis regibus siue principibus, qui tam rebelles essent Deo, vt contemptis Dei et ecclesiae praeceptis, haereses aut schismata fouere, periuria committere, sacrilegia perpetrare non erubescant [o]). Hanc sententiam Benedictus episcopus Lincopensis, plus diuini honoris quam fraterni sanguinis aestimator (iubente archiepiscopo) tulit in fratrem suum regem Valdemarum. Eodem tempore pronunciatae sunt per senatum pontificum dirae excommunicationes et anathemata in omnes homines cuiuscumque status et dignitatis, qui vnquam praesumerent violare eas libertates, quae Christianae ecclesiae et eius ministris a diuino aut humano iure vnquam sunt concessae, aut in futurum concedendae [p]). Itaque Valdemaro, per auctoritatem pontificiam (quam temere contempserat) a regia maiestate destituto, suffectus est frater eius Magnus, cognomento Ladalaas [q]) prudentia, iustitia, aequitate, pietate longe insignior, cui postquam Folco principium regni per coronae impositionem fecisset, finem temporalis vitae suae fecit in terris, aeternam (si vitae meritum cuiquam prodest) in coelis consecutus, estque Vpsaliae sepultus anno domini M.CC.LXXVII. quinto nonas Martii.

m) "Procuravit licentiam translationis Sedis ad novam Upsaliam et fecit etiam eandem", ita Chron. Archiepiscopor. Ups. et recte. Constructio vero ecclesiae cathedralis ad successores illius pertinet. Cfr quae monuimus in opere: Upsala Domkyrka och dess märkvärdigheter, p. 3.

n) Supple: revocare potuerint, vel simile quid.

o) Amplificat auctor verba Er. Olai p. 61. Rex Waldemarus "depositus per Ecclesiam et Principes, propter facinora."

p) Cfr. Celse, Bullar. p. 83.

q) In margine: Iste rex Magnus promisit Folconi archiepiscopo Vpsalensi et omnibus suffraganeis eius, quod distingueret reditus, siue iura coronae et ecclesiae, quod et fecit, ut infra suo loco diffusius erit ostensum.

Digitized by Google

Tempore Archiepiscopi Folconis Gregorius papa X. acriter increpauit regem Valdemarum, et nobiles regni Sueciae propter violationem ecclesiasticae libertatis, vt infra habetur.

IACOBVS Erlandi, in ordine archiepiscoporum Vpsalensium X., tempore Rodulphi Imperatoris a Nicolao papa III. in cathedra pontificali per traditionem pallii archiepiscopalis confirmatus, multiplicem in pontificatu laborem et dolorem invenit. Enimvero quamvis ei omnia feliciora pollicerentur, quia amotus erat iniquus et temerarius rex Valdemarus, suffecto in eius locum Magno, pio et catholico rege, qui Dei cultum et reipublicae statum (quem ignaua superbia et superba ignauia eiusdem Valdemari labefactauerat) prudenter et efficaciter restituere posset et vellet: attamen sublata vna domestica discordia, per suffectionem boni regis, mox secuta est altera non dissimulanda reipublicae pernicies: quippe illustris Folchungorum prosapia aegro animo ferens nouos homines, ex Dania et Teutonia in regiam militiam et familiaritatem asscriptos, eminentiorem locum (qui indigenis deberetur) occupare, negotium fecit regni pontificibus, praesertim Iacobo archiepiscopo Vpsalensi et Benedicto episcopo Lincopensi, rogans eos, vt curarent regi persuadere, ne praereptum Sueticae nobilitati honorem extraneis (forte ob facinora transfugis et minus integra fide in alieno solo militantibus) concedere velit, quorum votis satisfacturi pontifices regem orant, habeat illustrium virorum rationem, dignetur suo loco Sueticam nobilitatem, honorem suorum fidelium ciuium suum esse putet, satis sit peregrino militi, quod se in suo ordine et militari honore contineat, militiaque defunctus et iusto stipendio donatus in sua remittatur. Tum prudens et optimus rex inquit: Quae a nobis reuerendi pontifices impetrare contenditis, ea ex nostro regio officio sine quocunque monitore prastare volumus et debemus, alioqui non regem sed hostem subditorum nostrorum ageremus: Vnum tamen est, quod vos vna nobiscum prudenter perpendere debetis, regiam maiestatem nostram et regnum Sueciae plus rerum experientia, plus sapientia et prudentia, denique plus virtute, quam nobilitate decorari: Vos ipsi satis compertum habetis, bonam partem nobilitatis nostrae ita se disponere, vt videatur longe minorem curam honestatis suae gerere quam nos: quippe nobilium honor et gloria est, ignobiles mores fugere, virtuti operam dare, nulli violentiam inferre, aliena non rapere, innocentes non opprimere, pauperes defendere, iustitiam colere, nihilque contra diuinam aut humanam legem maligno proposito et crudeli facto committere, his vero nobilitatis officiis numquam debitum honorem negauimus. Proinde si illi ob generis nobilitatem aliis praeferri velint, studeant alios virtute superare, aut saltem aequare, sibique persuadeant, nos nunquam in eum errorem prolapsuros, vt maiorem gloriam ignauae nobilitati, quam spectatae virtuti tribuamus. Haec pontifices Folchungis cum omni modestia referentes suadebant, vt voluntati regiae obtemperantes, primam curam impendant virtuti et moribus tanta nobilitate dignis, nihil dubitantes, quin prudens rex tam iustus aestimator foret nobilitatis et virtutis, vt neutram suo honori priuari pateretur. Hanc pontificum exhortationem multi Folchungorum grato animo admiserunt, affirmantes regem iustam sententiam dixisse, verumque esse, quod nobilitas, a virtutibus ac legibus et bonis moribus aliena, nihil aliud sit quam regni desolatio et turpitudo: moxque liberos suos doctis praeceptoribus (qui eos literis et moribus ac rerum experientia instituerent) committere curauerunt, qui tam excellenter docti ab externis scholis in patriam redierunt, vt multi ex ipsis pontifices et praelati omni laude digni euaserunt, inter quos praecipuus erat sanctissimus Brinolphus r), quondam episcopus Scarensis, qui duodeviginti annis Parisiis sacras literas vigilantissime hausit et alios docuit, tantumque vitae sanctimonia

r) Legenda S. Brynolphi, in Breviario Skarensi.

Digitized by Google

profecit, vt in Sanctorum catalogum adscribi mereretur: alii vero Folchungi, pontificum exhortatione commoti, regem (super responso dato expostulaturi) adierunt, a quo durius increpati, animum ad insidias regi parandas converterunt, ipsumque regem Valdemarum, regno pridem destitutum, caput suae factionis erigentes, comitemque Holsatiae Gerardum, regis socerum, captiuantes et non paucos nobiles pro rege stantes occiderunt [s]), sed prudenti regis consilio mox intercepti poenas dederunt, siue regi iusta respondenti, siue pontificibus, quorum paterna consilia nullus vnquam feliciter recusauit. Interim dum haec dissensio in regno ageretur, Iacobus archiepiscopus finem viuendi fecit anno domini M.CC.LXXXI. sepultus Vpsaliae VIII. Calend. Nouemb [t]).

Quomodo Metropolis Vpsalensis per annos XIIII. vacabat, et interim tres successiue electi sunt, qui quoniam pallium archiepiscopale a sede apostolica non obtinuerunt, inter archiepiscopos conscribi nequiuerunt.

De Ioanne Odolphi electo.

Sublato e medio viuentium Iacobo Israelis [u]), venerabiles et prudentes patres ecclesiae Vpsalensis diuturna deliberatione fluctuantes dubitabant, cui tam praeclarum et laboriosum pontificiae dignitatis onus imponant: tandem elapsis nouem septimanis, seruato diuini et pontificii iuris ordine, concorditer elegerunt optimum et doctissimum virum Ioannem Odolphi, idque quinta die dominicae natiuitatis, vt sollenne festum laetabunda noui pontificis electione decentius illustrarent, sed completa est in eis illa prophetica comminatio, quae dicit: Dies festi vertuntur in lamentiones. Siquidem tam dignus vir, considerata grauitate pontificiae dignitatis et dulcedine priuatae quietis, non sustinuit suam libertatem tam graui seruitute commutare, proinde coram Martino papa quarto in Vrbe veteri personaliter constitutus electioni de se factae renunciauit [v]), quasi dicere voluisset cum Ieremia: Aaa domine Deus, nescio loqui, nec sum idoneus, quod mittar ad Aquilonem, in quo illa olla mortis semper succensa apparet, et a quo pandetur omne malum super vniuersum orbem, in quo etiam angelus apostata voluit exaltare thronum suum. Enimvero omnes prophetae de malignitate Aquilonis nimis multa perhibent testimonia, quocirca hunc Ioannem prudentissimum fuisse non dubito, cum sibi melius respuendo pontificatum quam amplectendo consuluit, eo quidem honore dignior, quod oblatam dignitatem aliorum prudentiae cedere non erubuit. Quis enim mentis compos huius refertum industria pectus ignoret? qui se intra priuatum fortunae habitum continere, quam dignitatis incrementa cura ac sollicitudine quaerere praeoptauit.

De electione Magni Boëtii.

Quemadmodum praedictus Ioannes pontificiam dignitatem, exemplo sancti Ieremiae laudabiliter recusauit: ita Magnus Boëtii legitima venerabilis capituli Vpsalensis electione ad ipsam vocatus laudabiliter consensit, idque exemplo alterius sancti prophetae, nempe Esaiae, qui quod Ieremias humiliter negauit, magno desiderio postulauit dicens: Domine ecce ego, mitte me &c. Hic Magnus postquam sibi persua-

s) Cfr. Er. Olaiet Chron. Rhythm. majus.

t) Chron. Archiepiscopor. Ups. κατα ποδα sequitur auctor, attamen non uno loco diem emortualem cum die sepulturae perperam confundit.

u) Semet ipse corrigit auctor, et hoc loco Iacobum Archiepiscopum Israelis filium, et recte quidem, appellat, adsentientibus Er. Olai et Chronol. XII.

v) Archidiaconus Upsalensis, quo in munere, deposita Archiepiscopali dignitate, demum obiit anno 1290. Cfr. Peringskiöld, Mon. Upl. II. p. 137.

Digitized by Google

deri permisisset, quod ecclesiae Vpsalensis confirmatio ab archiepiscopo Lundensi postulanda esset, non sine maximis laboribus et expensis se ad ipsum in Lundiam contulit, sperans se eius auctoritate, non consulto summo pontifice, pallium archiepiscopale assequi posse, at longe secus euenit, nam Ioannes, qui tunc metropoli Lundensi praesidebat, asseruit sibi minime licere ipsum pallio archiepiscopali investire, nisi summus pontifex denuo auctoritatem concedat. Quod autem fama esset, Nicolaum vrbis Romae Cardinalem, dum legatione Eugenii papae III. in regnis Aquilonaribus fungeretur, potestatem dedisse Eschillo archiepiscopo Lundensi et successoribus eius confirmandi archiepiscopos Vpsalenses, inde euenisse credendum est: quia idem Cardinalis, ordinaturus in Suecia sedem Archiepiscopalem, Gothisque et Suecis, ob inveteratam aemulationem, de vrbe et persona, tanto muneri idonea, concordare nequeuntibus, apud Eschillum pontificem Lundensem illud futurum Suetici sacerdotii insigne, quod palleum dicimus, deposuit, dandum ei in quem concors Sueonum Gothorumque suffragium convenisset: attamen Eschillus ea auctoritate vsus non est, nam contemporaneus eius Stephanus, primus archiepiscopus Vpsalensis, eisdem annis, ne videretur ecclesiam Vpsalensem in aliquo subiecisse archiepiscopo Lundensi, curauit immediate ab Alexandro papa III. pallium archiepiscopale cum omnibus immunitatibus, gratiis et priuilegiis, quibus Archiepiscopi, sedi apostolicae immediate subiecti, gaudent impetrare, cuius vestigiis tota deinceps Vpsalensium archiepiscoporum successio ita semper inhaesit, vt nunquam alibi, quam apud sanctam sedem apostolicam, tantae auctoritatis praerogatiuam quaerere voluisset. Hoc si Magnus Boëtii electus suo tempore perpendisset, nequaquam suo incommodo eius rei veritatem experiri curauisset, verumtamen ne poenitentia longi et difficilis itineris frustra susceptī nimium torqueretur, consecrationem, quae absque pallio nihil aut minimum iuris tribuit, ab archiepiscopo Ioanne suscepit, qua suscepta magis impeditus quam expeditus, in suam Vpsaliam est reuersus [w]). Siquidem Martinus papa quartus, eam consecrationem sine apostolicae sedis confirmatione factam reprobans, pallium taliter consecrato denegauit, idemque fecit eius immediatus successor Honorius IIII. nam apud vtrumque ipse Magnus electus pro pallio instanter instantius atque instantissime, sed frustra, supplicauit. Igitur totis septem annis, quibus praefuit ecclesiae Vpsalensi, coactus est satisfacere suo officio pontificali, per aliquem ex suffraganeis episcopis, non enim permittunt sacri canones Archiepiscopo, sine assecutione pallii, praecipuas sui officii partes exercere: nihilominus tam laudabiliter et vtiliter rebus ecclesiae et regni consuluit, vt in omnibus factis suis se sanctorum pontificum imitatorem fidelemque patriae suae amatorem ostenderet. Inprimis cum considerasset regem Valdemarum, relictis maiorum exemplis, totum se petulantissimi luxus illecebris mancipasse vitiaque pro virtute complexum, omnia regiae maiestatis officia intermisisse, ac sordidissimum luxuriae mancipium euasisse, velleque legitime depositam regni administrationem denuo invadere, suasit et persuasit fratri eius regi Magno, cuius memoria superius facta est, vt ipsum Valdemarum publicae custodiae manciparet [x]), potiusque fratris quam regni charitatem abiiceret: deinde Folchungorum familiam, atque in ea sanctissimum patrem Brinolphum Scarensem episcopum, audita prius et examinata vtriusque partis ratione, regis gratiae conciliauit [y]). Verumtamen ipsum regem stupen-

w) Magno Boëtii, Lundis consecrato, subirascitur Noster, primatiae nimirum Lundensis impatiens, rem simplicissimam mire detorquens. Etenim dum consecrationem a Primate Lundensi efflagitavit Magnus, pallium ab illius manibus accipere recusavit. Cfr. Bullam Honorii P. IV. d. 18 Maji 1285 Archiepiscopo Lundensi datam, ap. Celse, p. 91. Pallium identidem Lundensi misit Nicolaus P. IV. d. 4 Jul. 1289 Electo Upsalensi tradendum. Circa hoc vero tempus moritur Magnus Boetii d. 12 Jun. 1289. Cfr. Porthan, Access. ad Celse, Bullar. p. 62.

x) Cfr. Litteras Magni, Electi Upsalensis et Benedicti, Ducis Finlandiae, Episcopi Lincopensis de Waldemaro Rege, quas e Messenii Scondia derivavit Diplomatar. Sv. T. I. p. 649. cfr. p. 719, 726.

y) Sciens praeteriit auctor viam, qua in gratiam Regis redierat S. Brynolphus, scil. sollenni decla-

Digitized by Google

dis sancti et innocentis praesulis miraculis, de quibus videatur in vita S. Brinolphi, ab eius persecutione destitisse, ipsumque ob venerationem eius, qui dixit: Nolite tangere christos meos, perpetua veneratione deinceps coluisse. Praeterea hic Magnus non contentus domi et in patria plurimum vtilitatis in Suecanam rempublicam contulisse, nisi etiam magnum illud et memorabile vinculum affinitatis inter Richissam, filiam regis Valdemari, et Primislaum Poloniae regem, ducemque Pomeraniae, multa sollicitudine et impensa una cum Erico Archiepiscopo Magdeburgensi procurasset [z]), vnde non paruus honor, nec minor vtilitas Suetico regno, si fata fauissent, polliceri videbatur. Ex hac Richissa rex Primislaus filiam eiusdem nominis genuit, quae hereditario iure in Polonia succedens, regi Bohemiae Venceslao nupsit, reginaque Poloniae et Bohemiae, vt gesta Polonorum testantur, effecta est. Insuper huius prudentissimi antistitis opera adscripta est insula Arno et Torrens Vpsalensis ad perpetuam possesionem ecclesiae Vpsalensis [a]) tam legitimo titulo, vt ab ipsa nullo iure vnquam separari potuisset, licet modernis temporibus tanta vis omnibus legibus et legitime gestis illata sit, ac dietim infertur, vt potentes huius seculi honoris ac iuramentorum immemores, nihil praeter intolerabilem mendicitatem videntur tam nobilissimae ecclesiae, immo omnibus aliis Deo dicatis locis, quasi ex gratia reliquisse: sed reuera timere habent verbum potentissimi regis Gothorum Theoderici, qui per Cassiodorum, magnum cancellarium suum et vrbis Romae senatorem, de reuerentia religionis et libertate cleri inter alia sic scripsit: Constat, quod qui eiicit mendicitatem a monasteriis, inueniet eam in principum aulis.

De Postulatione, sive translatione Ioannis Episcopi Aboensis ad metropolim Vpsalensem.

Vacante ecclesia Vpsalensi per mortem Magni Boëtii, venerabile capitulum Vpsalense ad memoriam reuocans, quomodo olim sanctissimus pontifex Henricus ab ipsa ecclesia sua Vpsalensi ad ecclesiam Aboensem translatus esset, aequum et iustum fore existimauit, si nunc versa vice episcopum eius ad se transferri postularet. Quid enim aequius esse potest, quam metropolim et matrem ceterarum ecclesiarum ab eis idoneos pontifices quandoque reposcere, quibus semper praeesse ac prodesse et dignos antistites praeficere consueuit. Igitur hic Ioannes concordibus praefati capituli votis ad Archiepiscopatum Vpsalensem ab ecclesia Aboensi [ā]), cuius episcopus erat, postulatus est, moxque antecessoris sui casu cautior effectus, non a Lundensi, sed a summo pontifice Nicolao papa Quarto suam translationem obtinuit confirmari: erat enim non solum eruditione et religione conspicuus, verum etiam rerum gerendarum experientia circumspectus, praeterea ab adolescentia sua iugo diuinae legis subiectus, ita sacrae scripturae documentis suum praebuit auditum, vt non solum auditor sed diligentissimus obseruator effectus, sacrosanctum diui Dominici ordinem in monasterio Sictunensi, quod tunc sanctissimis et doctissimis viris abundabat, profiteretur, quod tamen eius quieti, minus quam sperauit, prodesse potuit. Enimuero eximia tanti viri virtus nequiuit diutius infra angusti claustri septa contineri, quam ecclesia Aboensis, solatio pastoris destituta, cogeret ipsum monasticam

ratione anno 1288 d. 3 Decembr. data, non solum de fidelitate Regi ultro praestanda, sed etiam quod sententiae excommunicationis, per Archiepiscopum Upsalensem ferendae, se submitteret, si articulos, qui placitati sunt, non servaverit illibatos. Vide insuper hoc de negotio litteras Magni, Electi Upsalensis e. a. d. 15 Dec. editas. (Diplomatar. Sv. T. II. p. 65, 67.) cfr. quae monuimus ad vitam S. Brynolphi.

z) Vide Er. Olai, p. 65.

á) Haec e Chron. Archiepiscopor. Cfr. Litt. Magni Regis de anno 1286. in Diplomatar. Sv. I. p. 8.

ā) Cfr. Bullas Bonifacii P. VIII. 1295 d. 23 Jul. et 17 Aug. datas ap. Celse, p. 97, quibus Nicolaus non solum relaxatur a suspensionis sententia, "si qua fuit", ab Archiepiscopo Lundensi, eam ob caussam in eum lata, quod, primatiae caussa, pallium

Digitized by Google

illam et suauissimam libertatem pontificia sollicitudine commutare, sed neque sic satis molestiarum subiisse putabatur, vsquequo administratione ecclesiae Vpsalensis obrutus, in fata praematura concederet. Cum enim ordinatis apud eandem ecclesiam rebus, se ad summum pontificem Nicolaum Papam quartum, a quo iam confirmatus fuerat, in Anagniam Franciae conferret, pallium archiepiscopale ab eo suscepturus, morte in terris Franciae praeoccupatus, diem clausit extremum, idque anno Christi M.CC.XCI. eo die, quem catholica ecclesia natiuitati gloriosae virginis consecratum veneratur, quae, vt pie credi potest, suum fidelem veneratorem extra patriam in sancto proposito mortuum, ad illam aeternam patriam tam solenni die voluit sublimari. Relatum est corpus eius ex Francia in Sueciam, magnaque pietatis officia, quae mortuis exhiberi solent, circa illud toto itinere, praesertim in monasteriis sancti Dominici, agebantur. Tandem in suo claustro Sictunensi quietam assecutus est sepulturam, vbi olim in contemplatiuae vitae dulcedine viuere non permittebatur.

NICOLAVS Allonis vndecimus Vpsalensis archiepiscopus. Hic ab infantia sortitus animam bonam, tantum bonis literis et optimis moribus profecit, vt postquam se ad curiam summi pontificis Bonifacii VIII. (quae tunc Anagniae erat) transtulisset, non solum doctissimis germanis, sed Italis et Gallis, summa eruditione praeditis, tale experimentum sui ingenii fecit, vt ab omnibus summa commendatione dignus haberetur, eiusque patria regnum Sueciae egregia laude extolleretur, quod explosa barbarie felicia ingenia foueret et amaret: his praeclaris meritis, non solum ab infimis et mediocribus, sed ab ipso summo pontifice et toto senatu reuerendissimorum Dominorum Cardinalium plurimum dilectus, pallium Archiepiscopale (quod aegre concedi solet) facilius in praedicta Anagnia impetrauit, eo tempore, quo Adolphus in culmine imperii residebat. Itaque in patriam reuersus, summoque honore a rege Birgero et praelatis ac proceribus exceptus, mox prouincialem synodum Arbogis indixit [ö]), quam cum coëpisoopis suis et praelatis, aliisque ad eum accedere solitis, sollicita ac prudenti cura celebrans, multa statuit pro publica salute ecclesiae et totius regni, quae si pari diligentia statuta seruataque fuissent, multi proceres vtriusque status gloriosiorem nominis sui memoriam ad posterorum perpetuitatem transmisissent, qui interim ob momentaneum et impium lucrum salutarium constitutionum transgressores effecti, vt ecclesiae auctoritatem, ita suum honorem sustulerunt aut minuerunt, regnoque et posteris Deum immortalem (cuius honor contemptus est) nimis iratum effecerunt, quorum princeps erat Torchillus Canuti, regni maraschalcus et supremus regis Birgeri consiliarius. Hic quamvis a principio nobilitatem suam multis et praecipuis virtutibus illustrasset, postmodum tamen nouam sortitus coniugem [a]) adeo auare et importune nomine regio toti regno et ecclesiae importabilia tributa imponebat, vt parum abfuerit, quin Sueci et Gothi in seditionem versi, regem et auaritiam eius regno praecipitem deiecissent. Hunc igitur Torchillum archiepiscopus Nicolaus accersitum satis modeste ac paterne obiurgans, docet habendam esse rationem regii honoris, quo si careat, ceterorum omnium inopem reputari: nihil enim in rege celebrius fama, hanc si auaritia labefactari sustinuerit, vilior quouis infami mancipio euadet: non quaerent posteri nostri de rege Birgero et fratribus eius, quam

ab eo accipere recusaverit, sed etiam Archiepiscopus Upsalensis confirmatur, et pallium per manus Cardinalium delegatorum ei tradi curavit Papa.

ö) Hocce Arbogense concilium historia patriae ecclesiastica ignorat. Cfr. Reuterdahl, Statuta Synodalia Eccles. Sveog. p. 29. Superest quidem Bulla Nicolai P. IV a. 1291 d. 25 Sept. de concilio provinciali convocando Johanni Archiepiscopo Upsalensi data. Ille vero hoc ferme tempore, in procinctu itineris ad curiam Romanam, ad plures abiit, quare Pontificis Romani Bulla, sede Upsaliae vacante, effectu caruit.

a) Hedevigis, comitissa de Rawensberg, vixit adhuc a. 1310. Cfr. Diplomatar. Sv. II. p. 597.

Digitized by Google

diuites fuerant, et quanta pompa regnum circuiverant, sed quae fuerat eorum prudentia, quae iustitia, quae modestia, et quam cumulata fuerant in eis omnia genera virtutum: haec si perpenderit rex et qui priuatis consiliis eius praesunt, non dubito, quin, reuocato tam durae exactionis praecepto, et subiectis populis integra libertas et generosis principibus inviolata honestas conseruetur: si vero haec nostra consilia minime admissa fuerint, testem invocamus Deum, quod praesentissima ruina (quae ob ea onera huic regno incumbit) numquam nobis, aut coëpiscopis nostris iuste possit imputari: futurum est enim, vt rex et fratres eius, si Deo et ecclesiae rebelles fuerint, totam Suecorum monarchiam in irreparabilem desolationem involvant. Haec pontificis verba Torchillus, attentius quam benignius audita, modo quo non debuit, auribus regis instillauit, parumque abfuit, quin rex archiepiscopum et episcopos regni (qui se pro libertate nobilitatis et totius populi viriliter exponebant) in captiuitatem redegisset. Verum eam temeritatem, in ecclesiae suae ministros commissam, offensa diuinitas seueriter et celeriter vindicauit: quippe post violatam ecclesiae libertatem et extortam a clero contributionem, Birgerus et fratres eius duces tam turpi dissidio in mutuam perniciem ruebant, vt humanus animus audiens vehementer inhorrescat [b]), siquidem fratres regem regno, deinde rex fratres foedissimis insidiis vita priuauit, et hunc Torchillum, sacrilegiorum suasorem, capitis truncatione punivit [c]). Postremo populis terrae non ferentibus tam facinorosum sanguinarium, Succiam relinquens in exsilium abiit, vbi ignominiosae vitae taedio defecit, occiso interim (ob paterna scelera) vnigenito filio eius Magno, in spem regni in Suecia relicto. Itaque infelix Birgerus, dum Dei ministros (quos propter optimum dominum eorum venerari debuit et in libertate conseruare) persequeretur et ecclesiasticam auctoritatem contemneret, factus est tam vilis, vt ab omnibus contemneretur, immo vsque in sempiternum obscura erit memoria eius, qui se voluit partis sacrilegio opibus illustrare. Prius tamen quam haec scelerum portenta ex radice in publicum erupissent, diuina benignitas Nicolaum pium pontificem ad illam aeternam domum (in qua sunt entia optimam et sempiternam vitam ducentia) euocauit, anno post natum Christum M.CCC.V. secundo nonas Februarii, cuius sepultura est in ecclesia Vpsalensi. Anno proxime praecedenti nata est diua Birgitta prophetissa, per quam vbique in sua patria atque in vrbe Roma, Ierusalem, Compostella et Barri, Cipro, Neapoli magna mirabilia toti mundo reuelanda fecit altissimus, qui eam in sponsam suam elegit, vt patet in vita eius [d]).

De discordia Regis Birgeri et fratrum eius, miserabili fato peremptorum ex radice, in historiis nostris Gothorum et Suecorum latissime ostendimus [e]) et deinceps in sequentibus capitulis ostendemus, vt vnusquisque Deum amet, timeat ac veneretur, ac eius ministros, ob honorem magni domini, cui stabunt, inoffensos viuere permittat, nisi velit foedam detestabilemque post se et posteros suos relinquere memoriam, sempiterna infamia cumulatam ac duraturam.

b) Ericum Olai sequitur auctor, quamquam interdum ultra provehitur. Haec enim Ericus: "Dicunt quidam, quod Tyrgillus, vel ob statum proprium post secundas nuptias excellentiorem, vel partem Regis nimium favorizans, ad multa gravamina regnicolis imponenda, Regem induxerit informando, sed et sua temeritate quasi adhuc imperans imponendo; ideoque omne meritum, favor et commendatio, in priori suo regimine conquisita, in multum rancorem et displicentiam transierunt. Tunc enim ratione Reginae, importabilibus tributis et exactionibus, propter nuptias tam magnifice celebratas, gravabatur communitas. Tum coepit dissentio inter ecclesiam et coronam, quia Regales ecclesiam secularem et claustra tributis et exactionibus subjecerunt." Cfr. Chronol. XVI.

c) Scil. anno 1306 d. 10 Febr. Testamentum Torchilli c. a. d. 9 Febr. datum vide in Diplomatar. Sv. I. p. 466. De truculenta nece addit Er. Olai "Haec egit in eum R. Birgerus consilio fratrum suorum Ducum, nesciens ad quem finem tenderent consulentes, qui eodem anno ipsum Regem captivarunt, consiliariis destitutum."

d) Ante oculos habuit auctor vitam S. Birgittae abbreviatam, ad calcem Revelation. it. Processum Canonizationis nec non Legendam in Breviariis Svecanis obviam.

e) Cfr. Ejusd. Hist. Lib. XX. Cap. 20 sq.

Digitized by Google

Liber Quartus.

NICOLAVS Catilli, duodecimus Vpsalensis Archiepiscopus, ob egregia et optima in patriam merita dignus habitus est, qui prudentissimo pontifici Nicolao Allonis succederet: hic enim prius in episcopatu Arosiensi talem se pro publica totius regni felicitate exhibuerat, vt si eius salubria consilia rex Birgerus exaudiuisset, felix et diu felix fuisset tam ipse rex, quam totum regnum et subditi vniuersi. Sed inventus erat alter quidam magis gratus et ob id magis perniciosus consiliarius, Torchillus Canuti Maraschalcus (cuius supra meminimus): is enim consilia afferens, quae odore lucri videbantur suauissima, efficacius, quae voluit, suasit et in multis persuasit. Quippe totum studium eius (quamvis capularis senex esset) foedam ostentabat auaritiam, nihilque enixius moliebatur, quam ex rege sacrilegum et ecclesiasticae libertatis violatorem efficere: Petrum namque Arosiensem episcopum *f*), huius Nicolai antecessorem, cuius summa industria Careli *ff*) nuper fuerant ad Christi fidem et regnum Sueciae adducti, in exsilium (quo Nidrosiae mortuus est) coëgit. Deinde graue odium inter regem Birgerum et fratres eius, omnesque episcopos regni seminauit, nec nobilitati minus infensus, quam pontificiae dignitati, hunc tandem, postquam immensorum malorum consultor et exsecutor fuisset, publico gladio caesum Nicolaus Catilli ecclesiastica sepultura indignum iudicauit, donec rogante rege et proceribus placatus, admitteret corpus illud claustro fratrum Minorum inferri, acceptis pro damno et contumeliis, in ecclesiam illatis, centum quinquaginta libris puri argenti *g*). Igitur cum Nicolaus iste Arosiensis pontifex et in archiepiscopum Vpsalensem postulatus tam constanter se pro domo domini poneret, essetque pro ecclesiastica libertate ad omnes persecutiones etiam ad mortem paratus, Clemens papa quintus ei pallium (hoc est plenitudinem archiepiscopalis potestatis) circa tempora Henrici septimi imperatoris clementer concessit *h*). Interim tamen cum ea negotia eius in curia summi pontificis agerentur, accidit, ipsum apud regem Birgerum in villa Haathuna negotiis ecclesiae suae operam dare, et ita a superuenientibus ducibus Erico et Valdemaro, vna cum rege fratre eorum, in captiuitatem duci, qui etsi in fratrem impii et in regem perfidi viderentur, omniaque insignia facinora auderent, attamen sibi a Christo domini ita temperandum duxerunt, vt mox absolutum et libertati restitutum abire permiserint. Sed non potuit tanti pontificis magnanimitas tam facile obliuisci iniuriae, summo sacerdotio illatae, quemadmodum priuatam offensam libenter dissimulasset. Quocirca duces ipsos ob ausum tam atrox facinus in pastorem ecclesiae (praemissis monitionibus) anathematis gladio ferire non dubitauit, qui tam diram pontificis exsecrationem metuentes, summopere curabant laesae religioni ita satisfacere, ne quis eorum temeritate aut exemplo minus fieret christianus: petita igitur suppliciter absolutione et clementer obtenta, calicem magni ponderis ex auro purissimo et alia donaria maxime pretiosa ecclesiae Vpsalensi in expiationem admissi facinoris contulerunt: praeterea libertates, priuilegia, possessiones ecclesiasticas deinceps sollicite augere et defendere curauerint *i*), quamobrem maxime iustificata est causa eorum, quod ecclesiasticae libertati se submiserint, quod iniuriis primum a fratre rege lacessiti fuerint, quod prius scripti et exsules iudicati, quam ad iudicium admissi fuerint. Itaque cum

f) Petrus Elavi, Nidrosiae exsul obiit anno 1299. De quo plura suo loco, in observationibus ad Chron. Episcopor. Aros.

ff) Textus perperam: Caroli.

g) Quae de sepultura habet auctor ex Er. Olai et Chron. Rhythm. majori derivavit. Ambo autem ingentem argenti vim, ecclesiae in damni levamen redditam, ignorant.

h) Bulla an. 1308 d. 15 Jul. data. Porthan, ad Celse, Bullar. p. 68.

i) Cfr. litteras dat. Upsaliae 1307 d. 11 Nov. Diplomatar. Sv. II. p. 515.

Digitized by Google

sic se haberet causa eorum, tota paene regni nobilitas, cum eis comitia in oppido Oerebro celebrans [k]) ad regis amotionem se convertit, qui tamen a captiuitate (qua per fratres detinebatur) liberatus, mala malis et peiora peioribus cumulauit. Nihilominus archiepiscopus Nicolaus et omnes episcopi regni quotidianam sollicitudinem adhibebant, tam apud duces, quam apud regem, vt in fraternam gratiam redeuntes, sibi ipsis et patriae pacem ac tranquillitatem accommodarent. Sed ea erat Dei indignatio in peccatricem patriam, aut certorum nobilium malignitas, qua vtraque pars in mutuam perniciem accendebatur, vt neque pontificibus pie ad charitatem suadentibus, neque fraternae charitatis legibus vlla ratio haberi potuerit. Hanc demum reipublicae extremam desperationem tam profunda compassione deplorans hic optimus pontifex Nicolaus, vt magnitudine doloris obrutus in fata concederet praematura, anno domini M.CCC.XIIII. tertio calend. Iunii.

Hic Nicolaus Catilli mox postquam' electus est in archiepiscopum Vpsalensem, obtinuit a rege Birgero priuilegia et libertates pro tota ecclesia Suecana, prout in literis inferius scriptis continetur: Birgerus Dei gratia Suecorum Gothorumque rex &c. [l]). Has literas regias confirmauit Ioannes Papa XXII. in Auinione, anno domini M.CCC.XVII. ad supplicationem Olai, cognomento Sapientis, electi Vpsalensis [m]).

OLAVS (cum non minus rerum experientia et bonarum literarum eruditione, quam cognomento Sapiens esset) tertiusdecimus Vpsalensis Archiepiscopus, a Ioanne papa XXII. tempore Ludouici quarti Bauari imperatoris confirmatus et pallio pontificali decoratus est. Hic in ea tempora incidit, quae sapientissimi antistitis consiliis plurimum indigebant. Cum enim perpenderet, regem Birgerum occultum et implacabile odium gerere in fratres suos, ob captiuitatem Hathunensem, qua per eos iampridem affectus fuerat, totos suae sapientiae neruos intendit, vt vindictae cupidissimum a tam pernicioso proposito auerteret, ostendens, quam vilis et abiecti atque ignobilis animi facinus ab omnibus iudicaretur, si eas iniurias animo vindicandi ad memoriam reuocaret, quae nuper solennibus pactis fuerant exstirpatae, et rursus quam nobilis, quam praeclara, quam gloriosa est in quocunque principe obliuio iniuriarum: ea enim se ipsos primum vincere solent, quicunque populos, ciuitates et regna vincere volunt: si enim se clementia vinci permiserint, gloriosi erunt: si vero inclementiae succubuerint, inglorii iudicabuntur. Haec et similia multa sapiens praesul saepissime inculcans, paene persuasisset, nisi quatuor perditissimae vitae viri Valramus, Bruncho, Lupus, Lutherus [n]), genere quam virtutibus nobiliores, infelicem regem Birgerum ad crudele fratricidium pertinacius induxissent, quod ex suo genere belluinum tot horrendis flagitiis cumulauit, vt hominem penitus exuisse crederetur. Instructo namque magnifico convivio ad Nicopolim [o]), Sudermanniae oppidum, praedictus rex fratres dulcissimis literis invitat, venientes continuis amplexibus excipit, multiplicatis osculis blanditur, summaque veneratione inducit. Nullus in obsequio modus: se non regem, sed humile mancipium coram fratribus exhibet, vt singularem crudelitatem singulari hypocrisi abscondat. Expleto convivio in cubiculum regia pompa deducuntur, sed quam quaerebant requiem, minime repererunt: rex enim armato milite stipatus continuo aduolat, praefatus se cum eis ludendi causa aduenisse. Itaque praemissa tam hostili derisione, mox nudos extrahi et in teterrimum carcerem prae-

k) Cfr. Diplomatar. Sv. l. c. p. 523.

l) Dat. Strengnesiae 1304 d. 8 Mart. et 1305 d. 28 Mart. Cfr. Diplomatar. Sv. II. p. 407.

m) Cfr. Celse, Bullar. p. 105.

n) Wallram (Skytte), Iohannes (Bruncke l. Bruncknow) R. Drotzetus, Ulf (Swalebech), quem Lupum, et Lyderus (Foss), quem Lutherum inepte appellat auctor. Cfr. Uggla, RådsL. p. 19.

o) Nyköping, Nicopolis.

Digitized by Google

cipitari mandat, cuius crudelitati crudeles ministri satisfacientes, immensi ponderis cathenis onerant praecipitatos: nec satis fuit, collis, manibus et pedibus importabilia vincula adhibuisse, nisi etiam percussiones multas et grauissimas vinculatis inflixissent, quos taliter contusos et semianimes ferus rex fame consumendos reliquit, obseratique carceris claues in flumen abiecit, se ipsum humanitate et gloria ac regno, fratresque suos vno codemque facto vita priuauit. Successit huic horrendo facinori insuperabilis perturbatio in vniuerso regno, vt mox vno omninm ore maledicta ingererentur in praefatos quatuor suggestores, qui se sapientis archiepiscopi consiliis obiecerant: nec prius a tumultu cessatum fuit, donec iidem sanguinarii rotis iniecti, documento essent tyrannis et eorum consiliariis, quomodo omne malum consilium pessimum esse soleat suo consultori, sed heu dolor, non illi soli: nam dum rex aliquis impium haurit consilium, similis efficitur publico fonti venenis infecto, a quo omnes praesentissimam perniciem sumunt, qui illinc salutarem petituri essent consolationem. Nec parum ipse archiepiscopus Olaus laborauit pro liberatione Magni filii Birgeri, ne ob paterna scelera (cum prorsus innocens esset) vita priuaretur. Inquit enim: filius non portabit iniquitatem patris, praesertim cum nullibi compertus fuisset paterni sceleris imitator. Sed victa sunt haec sapientis pontificis consilia, potestate quorundam nobilium, qui publicam patriae causam priuatis affectibus postposuisse videbantur. Tandem hic optimus et sapiens archiepiscopus vitam morte commutans, sepultus est Vpsaliae, anno domini M.CCC.XXX. tertio idus Martii.

Tempore huius Olai archiepiscopi, vacante regno post exactum regem Birgerum, suffectoque Magno minorenne, Ingeburgis, eiusdem pueri regis mater, cum consiliariis regni confirmauit omnia priuilegia archiepiscopi et episcoporum totiusque ecclesiae Suecanae *p*), vt inferius de priuilegiis erit annotandum.

PETRVS Philippi, quartusdecimus archiepiscopus Vpsalensis, a Ioanne Papa XXII. tempore Ludouici Bauari imperatoris in locum demortui Olai suffectus est et pallio archiepiscopali insignitus *q*), vir quidem doctissimus, qui ab ineunte aetate ita disciplina ecclesiastica eruditus fuit, vt dignus esset, qui ceteris in ecclesia christiana praeponeretur: erat enim castus, integer, pudicus, facundus, pauperum atque orphanorum et pupillorum amator ac defensor. Nam cum perpenderet vanitates huius mundi (qui fallacibus promissis ad sempiternum interitum, quos extollere videtur, extrudit) abiecto eius amore, se totum diuinae religionis obsequio mancipauit, susceptoque in humeros suos diui Dominici habitu, insignem se diuini verbi praedicatorem exhibuit, tantumque profecit, vt multi mundanae felicitatis contemptores per eius doctrinam effecti, in sacco et cinere poenitentiam agerent salutarem: proinde ab omnibus (ad quos sancta eius praedicatio, aut beatae conversationis fama peruenerat) ita dilectus erat, vt nullus pater ab optimis filiis magis diligi potuerit, quam is ab omnibus bonis amaretur. Quippe omnes suas exhortationes ad Dei et proximi dilectionem legumque diuinarum et humanarum obseruantiam ita accommodauit, vt nemo esset, qui non ad frugem melioris vitae (eo audito) moueretur. Itaque credendum est, Dei benignitatem tam doctum et pium patrem ad ea tempora conseruasse, in quibus omnis ordo, aetas et conditio per omnem Gothiam et Sueciam videbatur corrupisse viam suam: destituto enim rege Birgero, eiusque filio Magno (qui in regem electus erat) ob paterna scelera trucidato, ea flagitia per regnum passim committebantur, quae corrupta hominum natura, a diuinis et humanis legibus soluta, committere solet. Quamvis enim Magnus Erici ducis filius rex esset nominatus, tamen ea erat eius

p) Dat. an. 1319 d. 19 Mart. v. Lagerbring, III. p. 149. *q*) Bulla data an. 1332 d. 16 Nov. ap. Celse, p. 115.

Digitized by Google

aetas, vt neque se, neque alios regere potuisset: actum tunc de regno fuisset, nisi Matthias Catilmundi, regni gubernator et eiusdem regis tutor, hunc optimum archiepiscopum, non secus ac pientissimum patrem et Dei vicarium, in arduis et difficillimis causis audiuisset, seque et totum regnum, iuxta eius sapientissima consilia, in moribus diuina et humana lege probatis conseruare studuisset. Hic enim prudentissimus gubernator tanta diligentia, fide et integritate, ac constantia Gothos et Suecos in pace, concordia, obedientia tenuit, vt domi et foris summa tranquillitas esset, toto tempore, quo principis munere fungeretur, nec unquam a memoria historiae tranquillius, prudentius, gloriosius Suecia creditur gubernata fuisse [r]). Tantum praestat, rempublicam prouido gubernatori, quam alicui regi minus idoneo committi. Numquam enim boni reges nascuntur, sed fiunt: magnum nomen est rex, magna species, magna dignitas, magna maiestas regis, quam nulli vnquam tyranni sustinere potuerunt. Enimvero in regibus est magnus et excelsus animus, in tyrannis foeda pusillanimitas: in regibus liberalitas, in tyrannis rapacitas: in regibus iustitia, aequitas, clementia et omnia virtutum genera: in tyrannis iniquitas, crudelitas, feritas et omnium vitiorum horrendissima monstra, quibus si Suecia oppressa non fuisset, dudum inter praecipua regna totius Europae palmam reportasset. Praeterea hic Petrus inter cetera virtutum officia, quibus praeditus erat, maximum de se patientiae exemplum ad posteros transmisit: per hanc enim omnes aduersitates (quae ei opponebantur) nobiliter ac potenter superauit: quippe non solum militares homines (qui liberius, quam honestius insultare solent suis pontificibus) patientia paterna sustinuit, sed sacerdotes et monachos, praesertim eos, qui de familia sancti Francisci erant, admirabili tolerantia ad mores religiosos reuocauit [s]). Tandem multis virtutibus confirmatus, obdormiuit in Domino, anno ab Eius natiuitate M.CCC.XLI. dominica infra octauas sancti Laurentii, sepultus Sictuniae apud fratres Praedicatores.

HEMMINGVS, quindecimus Vpsalensis archiepiscopus, a Benedicto XII., tempore Ludouici Bauari secundi Romanorum imperatoris, accepto pallio [t]), meruit inter archiepiscopos numerari. Hic cum antea esset praepositus Arosiensis, tam eximia litterarum scientia, ac morum probitate et prudentia rerum gerendarum conspicuus erat, vt omnium oculos animosque in sui venerationem facile prouocaret, semper vigilans et sollicitus, quomodo patriae suae regno Sueciae sempiternum honorem conciliare posset. Interea dum tam pio et honesto proposito duceretur, multisque praeclaris operibus Suecanam rempublicam honorare et augere contenderet: accidit, Scandiam litoralem (quae dioecesim Lundensem complectitur) grauissima seruitute Teutonicorum diu vexatam, auxilio Suecorum liberandam esse et ad regnum Sueciae et Gothiae reducendam, ad quod quidem negotium hic archiepiscopus Hemmingus, saluti totius patriae consulturus, non parum laboris, industriae et expensarum contulit: non enim paruo labore, aut facili itinere ex Vpsalia cum omnibus suis coëpiscopis et tota sua familia se transtulit ad Vardbergum, oppidum Hallandiae, in medio mensis Nouembris, in quo loco ipse et Petrus archiepiscopus Lundensis, consentientibus et id ipsum maxime petentibus rege Daciae Valdemaro et toto senatu Danico, solutaque ingenti summa XXXVI. millium marcarum Coloniensium argenti puri, iudicauerunt et declarauerunt, eam ipsam litoralem Scandiam siue Schoningiam adeo legaliter et indissolubiliter vnitam essse debere regno Gothiae et Sueciae, vt de cetero perpetuis

r) Consentiunt et Chron. Rhythm. et Er. Olai in ejus laudes, quas Noster more suo amplificat.

s) "Perpessus multas injurias a Minoribus" Chron. Archiepiscopor. Ups. cfr. quae ad h. l. observavimus.

t) A Benedicto P. XII. minime, sed a Clemente P. VI. hujus successore pallium obtinuit Hemmingus, Bulla data Avenione 1342 d. 15 Nov. Cfr. Celse, Bullar. p. 118.

Digitized by Google

temporibus censeri debeat regni Gothiae et Sueciae pars, repositis terminis eiusdem regni Gothiae in ipso freto Oeresund, vt ab initio fuit. Hanc opem nisi tunc Suecia Scandianis praestitisset, futurum fuisset, vt Teutones non solum litus Scandiae, sed totam Daniam occupassent: deinde postquam iureiurando omnes tam archiepiscopi et episcopi, quam alii praelati et proceres Scandienses sese ad perpetuam fidelitatem regno Gothiae et Sueciae adstrinxissent, omniaque alia tam memorabili contractui necesssaria et opportuna perfecissent, reuersus est Hemmingus cum summa gloria in ecclesiam suam. Verumtamen quanta fuit fides et integritas duorum archiepiscoporum et omnium episcoporum in eam sempiternam vnionem, tanta fuit in ipso Magno rege Sueciae (ob cuius gloriam ista fiebant) maligna vecordia et vecors malignitas, vt non multo post tempore nequissimus sui regni praedo effectus, clam regi Valdemaro litteras redemptae Scandiae (non requisitis regni Sueciae et Gothiae consiliariis) restituerit, seque cum eo in desolationem praelatorum et procerum vtriusque regni pactis impiissimis coniunxerit, atque in tam sceleratum perditissimumque hominem euaserit, vt malignitate Caligulam, Domitianumque et Neronem superauerit, aut certe aequauerit: sapientes consiliarios, integerrimos pontifices, prudentes senatores ludibrio habuit et contemptui: nobiles et equestris ordinis viros suspicione notatos perpetuo odio insectatus est: reginae nobilissimae thorum horrendo et indicibili crimine permutauit: Ericum filium suum, regem designatum, veneno occidit: terras Oelandiae et Gothlandiae, atque in eis proprios et fideles subditos regi Valdemaro in praedam et direptionem dedit: Christi religionem, ecclesiae auctoritatem et sacramenta, sacerdotum dignitatem et quicquid diuinum aut humanum erat, in belluam conversus vituperio dedit: scurras, parasitos, impudicos, sordidos et vilissimos nebulones lateri suo et aulae sociauit, dignus talibus ministris, qualis ipse erat rex, cui etiam non suffecit nobiles proceres suos multa ignominia domi affecisse, nisi etiam vigintiquatuor regni praecipuos senatores (direptis eorum bonis) proscripsisset, atque in Magnopolim ad multorum annorum exsilium eiecisset: qui cum illic diu et frustra exspectassent, vt ad cor reuersus ostenderet, se saltem ea humana ratione vti, qua ethnici a lege Christi alieni vterentur, fecerunt tandem id quod coactio, non quod prorsus libera voluntas faciendum ostendit, eligentes in regem Albertum, filium ducis Magnopolensis, qui mox classe bellica, hybernante in Gothlandia, in Holmiam Sueciae regiam iuductus, coronam facilius quam sperauit assecutus est, Magno interim tyrannorum more latebras circumspiciente: solet enim ea esse animorum paruitas in tyrannis, vt in bellis imbelles et meticulosi, in pace importabiles inveniantur, in affligendis subditis leones, at in defensandis oppressis sunt omni lepore timidiores. Praeterea vt gloriosis regibus infame videtur, inermes sacerdotes invadere, ecclesias diripere, pauperes opprimere, viduas et pupillos spoliare: ita tyrannis gloriosum videtur, omnia nefanda facinora liberius, quam honestius committere, et in eis vsque ad vitae terminum infeliciter perseuerare. Sed abeant haec monstra in aeternas tenebras, satis enim materiae reliquum est de probitate huius optimi archiepiscopi, cui tanta debetur gloria pro eximia in patriam charitate, quanta ignominia (quae sempiterna est) infelici tyranno iustissime irrogata est: quis enim satis laudare queat tam dignum pontificem? qui se totum pro patria, pro republica, pro ecclesia et pro omnibus incolis regni, nobilibus et plebeiis, ita se illi reprobo principi opposuit: nisi enim Deus concessisset illi calamitoso seculo tam sapientem, prudentem et moderatum pontificem, vix hominum aut iumentorum vllae reliquiae in tota Suecia et Gothia remansissent. Tandem post laudabilem et aeterna memoria dignam vitam, beato fine quieuit anno a Christo nato M.CCC.LI.

Digitized by Google

Copia unionis Scaniae et Suetiae ac Gothiae [u]).

Vniversis praesentes literas inspecturis Petrus [a]) Lundensis et Hemmingus Vpsalensis diuina miseratione ecclesiarum Archiepiscopi, Petrus [b]) Lincopensis, Siggo [c]) Scarensis, Frenderus [d]) Strengenensis, Oedgislus [e]) Arosiensis, Hemmingus [f]) Aboënsis et Boëtius [g]) Vexionensis ecclesiarum eadem miseratione Episcopi, Iohannes monasterii omnium Sanctorum Lundis [h]), Ragnvaldus in Aluastræ [i]), Sueno in Herigado [k]), Vnimmarus de Warnem [l]), Andreas de Öuith [m]), Folcho de Noua valle [n]), Michael de Biækkiæskog [o]), Hinricus de Saba [p]), ... de Tummatorp [q]) et Andreas de Asylo [r]) Abbates, Petrus Dalbiensis [s]) et Wodefridus de Eskilstunom [t]) Priores, nec non Capitula Ecclesiarum cathedralium et Conuentus Monasteriorum praedictorum salutem in domino sempiternam.

Cum regnum Sueciae et terra Skaniae ita legaliter et indissolubiliter vnita sint et coniuncta, quod vnum de cetero regnum censeri debent perpetuis temporibus, ac vnius regis praesidio gubernari, sicut patentes literae et manifesta instrumenta super hoc edita lucidius edocent et declarant, Nos vnionem memoratam prompto et beneuolo amplexantes affectu, firmiter promittimus, quod magnifico principi domino nostro charissimo, domino Magno Sueciae, Noruegiae et Scaniae regi illustri, suisque successoribus et heredibus, pro dicto regno Sueciae et Scaniae in vnione praefata retinendo, nec non pro eodem, cum suis iuribus et iustitia, contra omnem hominem defendendo astabimus fideliter verbis, factis, consiliis et auxiliis, quantum possumus, iure ecclesiae, ordine et officio nostro saluis: habituri deinceps limites dicti regni Sueciae, qui ante citra Scaniam tenebantur, in ipso passagio Örasund, eosdemque vsque illuc vna cum aliis confiniis et limitibus eiusdem regni Sueciae et Scaniae, vbicunque illud hostiliter inuadi contingat, cum omni fidelitate et toto posse nostro viriliter et vnanimiter cum Dei adiutorio defensuri. Ceterum reuoluentes sedulo in intimis cordis nostri, quam plena sit periculis et onusta dispendiis intestina dissensio, ea potissimum, quae solet multoties ex vacillatione regiminis prouenire, et tantis malis, quantum Deus permiserit, prospicere circa regni regimen cupientes, firmiter promittimus, quod inclitum domicellum, dominum Ericum, filium dicti domini nostri regis seniorem, iuxta consilium et voluntatem eiusdem domini nostri in regem et dominum nostrum super dictum regnum Sueciae et Scaniae terras, prouincias et insulas tributarias ad idem regnum pertinentes, omni quo decet honore, secundum debitam formam et consuetudinem, ab antiquo iure in regno Sueciae approbatam, in loco pro electione regis deputato, vnanimiter et concorditer eligemus, obligantes nos et nostrum quemlibet extunc ad seruiendum sibi cum omni obedientia, fidelitate, seruiciis, homagiis et fauore, prout ex debito veri subditi tenentur domino suo facere et vero regi, saluo per omnia eidem domino nostro regi Magno patri eius iure regendi vt prius, praecipiendi, ordinandi et statuendi toto tempore suo, quo superstes fuerit, circa nos, subditos suos, et regni res ac negotia, quae pro commodo et vtilitate ipsius regni viderit expedire. Item promittimus firmiter, vt prius, quod si praefatum dominum nostrum regem Magnum (quod Deus auertat) nobis viuentibus migrare contigerit ab hac luce, inclitae dominae nostrae reginae, dominae Blancae et dicto domino nostro regi Erico ad honorem et seruicium in omnibus fideliter erimus, eisque in suis iuribus in Suecia et Scania fideliter astabimus iuxta posse. Et si idem Ericus rex noster protunc minor annis fuerit, sibi

u) Litteras hasce olim "in Archivo ecclesiae Upsalensis reconditas" primus edidit auctor noster in Hist. Goth. Sveon. Romae 1554. Lib. XXI. Cap. 2. mendis typothetae inquinatas, in sua Hist. Metropol. repetitas. Nihilo tamen minus hoc ex fonte derivatae comparent ap. Hvitfeldium, Pontanum, Torfaeum cet. cfr. Regesta Hist. Dan. I. p. 267. Emendatiores autem ex Orig. Membran., edidit Hadorph, in Alleg. ad Chron. Rhythm. p. 16, quo duce vitia nominum et locorum exstantiora expuncta sunt.

a) Petrus Johannis, sedit ann. 1334—1355.

b) Petrus Tyrgilli, 1338—1351, quo anno, Archiepiscopo Upsalensi Hemmingo demortuo, successor electus est. Vide infra.

c) Sigge Iohannis (Stake) sedit 1340—1350.

d) Electus 1343 d. 9 Maji, anno proxime sequente exstinctus est.

e) Egislus Haquini (de Hvalstad) sedit 1332—1352.

f) Sedit 1341—1367. Post fata odore sanctitatis inclaruit, de quo suo loco plura.

g) Electus 1321. Obiit an. 1344 ineunte.

h) Vid. Rhyzelii Monasteriol. p. 322, Daugaard, Danske Klostre p. 127. Cfr. Wieselgren, de Claustris Sviog. p. 12.

i) Meminit Rhyzelius, l. c. p. 129.

k) Heriwado, Herrewads Kloster, Scaniae.

l) Warnhem, Westrogothiae.

m) Öuith, Öfveds kloster, Scaniae.

n) Nova vallis, Nydala, Smolandiae.

o) Hodie Bäckaskog, Scaniae.

p) Saba, alias Julita, Sudermanniae.

q) Hodie Tommerup, vel Tommarp, Scaniae.

r) Asylum, Ås Kloster, Hallandiae.

s) Petrus Holgeri de Dalby, Scaniae, quem meminit Rhyzelius, l. c. p. 35.

t) Scil. Ord. S. Johannis Hospital. Hierosolymitani. In Suecia olim non boni odoris fuerunt Hospitalarii, "ther inge gode regle holle. *Nimis amari et dolosi*, ther intet annet gott göre, uthen stemple tvedrecht i rijket, som ber till skett ähr", judice magnae auctoritatis viro Ioanne Brask, Ep. Lincop. in litteris. Linköp. Biblioth. Handl. I. p. 190.

Digitized by Google

et regno suo Sueciae et Scaniae, iuxta consilium, consensum et ordinationem nobiliorum eiusdem regni Sueciae et Scaniae, tutor indigena deputetur, et castra omnia et regni munitiones cum eorundem consilio et prouisione per indigenas gubernentur, donec eum ad legitimam aetatem Deus dederit peruenire. Si vero dictum dominum nostrum regem Ericum sine liberis exstantibus decedere contingat, tunc alium de filiis domini nostri regis praedicti Magni superuiuentibus, qui convenientior et aptior habeatur, in regem et dominum nostrum super antedictum regnum Sueciae et Scaniae, terrasque, prouincias et insulas memoratas, et nullum alium rite et rationabiliter, vt convenit, eligemus. Item, si ipso Domino nostro rege Erico supradicto superstite, vel eius liberis exstantibus, contingat, dominum Haquinum fratrem eius, quem idem pater ipsorum dominus noster rex Magnus regno suo Noruegiae praeficiendum duxerat, principatum, seu regimen regni Sueciae et Scaniae contra istud patris sui et nostrum factum, velle vsurpare, tunc eidem domicello Haquino totis viribus resistemus, quod etiam proceres et domini in regno Noruegiae promiserant, quod eidem domicello Haquino in nullo penitus consilium, auxilium vel fauorem ministrabunt, quorum praetextu contra hanc constitutionem veniat, vel contravenire attemptat in futurum. Similiter si contingat dominum nostrum regem Ericum supradictum ad regnum Noruegiae velle se intrudere, domicello Haquino et eius liberis exstantibus, pari modo promittimus, quod in hoc facto ipsi Domino nostro regi Erico memorato nullatenus coadiutores erimus, aut fautores. Et si contingat, quod vterque dictorum fratrum vel eorum alter contra praemissa patris eorundem et nostra facta venire voluerit, et alienigenarum seu extraneorum ad hoc auxilium adduxerit, et per hoc regnorum praedictorum aliquod hostiliter inuadere, seu subintrare attemptauerit, extunc regnum vtrumque, scilicet Noruegia, Suecia et Scania vnanimiter et insimul totis viribus et posse huic eorum voluntati resistere efficaciter laborabit, quodcunque regnorum praedictorum prius vel pluries circa talia fuerit necessitatum, ad hoc finaliter et intente, vt eorum paterna tam prouida pacis simul et concordiae praeordinatio in suis viribus et pleno robore irrefragabiliter perseueret. Et si memoratum dominum nostrum regem Magnum plures contingat habere liberos, protunc promittimus, vt superius, quod ipsorum quemlibet vtriusque sexus in suo iure et honore iuuabimus, prout ipsis et eorum statui, conditioni simul et sexui congruit et competit, secundum leges et statuta regnorum praedictorum tam Sueciae et Scaniae, quam Noruegiae, et iuxta consuetudines in eisdem regnis approbatas. Verum si quis, cuiuscunque conditionis aut status, contra praemissa, vel eorum aliqua in parte, vel in toto se opponere, aut ea annihilare vel infringere quomodolibet nostris temporibus attemptauerit, promittimus firmiter, sicut supra, quod eidem, quominus id efficiat, totis viribus et posse nostro viriliter et vnanimiter resistemus, consiliis et auxiliis quantum possumus, iure ecclesiae, ordine et officio nostro saluis. Quamvis autem libera et spontanea voluntate ac affectanti animo huiusmodi negotium pro bono pacis fecisse dignoscimur, per hoc tamen iuribus et consuetudinibus in regno Sueciae et Scaniae ab antiquo tempore de regum electione obseruatis, in nullo penitus volumus derogari, quin ad nos et successores nostros regum electio cum iuribus suis omnibus, post mortem dicti domini nostri regis Erici, vel alterius domini nostri domini Magni filii, quem ipso domino nostro Erico rege praedicto sine liberis (quod absit) mortuo, in regem, vt praefertur, eligemus, libere reuertatur. Vt autem praemissa omnia, et eorum quodlibet maioris habeant roboris firmitatem, sigilla nostra praesentibus duximus apponenda. Datum Wardbiergis anno domini Millesimo CCC. quadragesimo tertio in octaua beati Martini episcopi et confessoris [u]).

Copia quitantiae Israelis Birgerson [v]) ab obsessione, id est gysszel, facta solutione Scaniae, liberati.

Omnibus praesens scriptum cernentibus Marqwardus de Kyrnæ et Gozskalcus de Kyrnæ [w]) salutem in domino sempiternam. Tenore praesentium constare volumus omnibus euidenter, nos virum nobilem Israelem Birghirsson praesentium exhibitorem, qui pro censu per dominum regem Sueciae pro empcione terrae Skaniae ex promisso, nobis obses exstitit deputatus, ab eadem obsessione et omni sponsione nobis et aliis pro eadem per eum facta liberum penitus dimisisse, ita quod nos vel heredes nostri, seu eciam alii, quibus promiserat, vel eorum heredes eundem Israelem, vel eius heredes, super praenominata obsessione vel permissione

[u]) Subsequuntur litterae R. Waldemari eodem de negotio ap. Hadorph, l. c. Cfr. Regesta Hist. Dan. ad h. a.

[v]) Filius Birgeri Pedersson (Brahe) de Finsta, R. Senatoris, Uplandiarum Legiferi, fraterque S. Birgittae. Paterna secutus vestigia ipse demum R. Senator et Uplandiarum Legifer. Vir apud suos magnae existimationis, desperatis enim patriae rebus an. 1363, qui R. Magno Smek succederet, in votis fuit. Dignitatem vero martyrii potiorem duxit, eodemque anno in procinctu itineris ad Cruciferos in Livonia Rigae morti occubuit. Cfr. Uggla, RådsL. p. 28.

[w]) Cfr. quae de horum fratrum familia, cum Braheorum conjuncta, observavimus in Diss. nostra de Translatione S. Catharinae Wadsten., in prolegomenis p. 5.

Digitized by Google

pro eadem facta [x]) occasionem monendi non habeant, modo quolibet vel vexândi. In cuius rei testimonium sigilla nostra vna cum sigillis virorum nobilium dominorum Gozstaui Niklisson [xx]) et Iwari Lydærsson [y]) praesentibus sunt appensa. Datum anno domini M.CCC.XXX. quarto in octaua assumptionis diuae virginis. [z])

Scania igitur siue Schoningia cum suis adiacentibus et partialibus terris, videlicet Hallandia, Blekingia, Listria ac insula Hueden empta fuit ex contributione incolarum regni Sueciae pro summa XXXVI. millium marcarum puri argenti, Coloniensis ponderis seu staterae, cum consensu ac beneplacito Valdemari regis Daniae, suorumque et regni consiliariorum ac nobilium fauore, nec non assentientibus cunctis incolis terrarum praedictarum, praelatis videlicet ecclesiasticis, saecularibus, regularibus, nobilibus et plebeiis, nemine excepto, qui in eandem non consenserit [a]). Et applicata ac vnita fuit praescripta terra Scania cum suis territoriis praedictis regno Sueciae in perpetuam possessionem, ita quod termini regnorum Sueciae manerent in medio freti Oeresund, quo diuiditur Selandia cum reliquis insulis regni Daniae a terra Scaniensi, cum protestatione praescripta etc. sub attestatione iuris iurandi, quod cum contigerit regem de nouo eligi, in Dania rex obligabitur inter alia iuramenta regalia hanc praescriptam emptionem, commutationem et terminos regnorum irrefragabiliter roborare et manutenere iurabit, quemadmodum tota regni sui communitas pro se suisque posteris successoribus sollemniter iuramentum praestitit et iurauit. Ac etiam dato, quod rex iuramento rupto periurus factus velit et conaretur hanc praedictam commutationem et regnorum terminos repetere ac mutare, aut aperto Marte tam sollennem stipulationem et contractum impedire, ipsa communitas regni etiam iuramento se adstrinxit et obligauit, in hoc casu ipsi proprio regi velle resistere, ac huiusmodi suum conatum auertere ac praepedire, et tandem super omnibus praemissis, emptione, stipulatione, consensu, iuramentis, ac aliis sollennitatibus pertinentibus ad similes conventiones, datae fuerunt litterae sub sigillis, secretis ac clemmis [b]) tam sollenni cautela roboratae, quales vnquam dari et confici poterant in contractibus sollenniter muniendis. Insuper ipsi regi Daniae Valdemaro datae fuerunt amicabili dono XIIII. millia marcarum argenti puri, staterae seu ponderis Coloniensis, propter ipsius hilarem et firmum consensum, quem praestitit in dicto actu emptionis &c.

Verum rex Sueciae Magnus, dictus Smech, scilicet blanditus, stolidus et excors, paterni suique regni proditor ac deuastator, cum rege Daniae connivens, eidem ad illius blanditias tradidit praenominatam Scaniam, abalienando eam a regno suo Sueciae et Gothiae quasi traditor ac vastator, et insuper ad huiusmodi tradimenti sui complementum consignauit illi litteras seu bullas tam sollemniter consensu consiliariorum vtriusque regni super hac legali emtione confectas: quamquam in pluribus regni locis authenticae copiae huiusmodi litterarum facillime reperiuntur, nullum forsitan nisi similem blanditum habentes exsecutorem, vt ditet alienigenas et inimicos, qui se ipsum et regnum defraudet. Insuper notum est, quod archiepiscopus Lundensis cum suo Capitulo et omnia monasteria dominorum, vtpote abbates, priores, nec non milites equestris ordinis, ac militares nobiles et ciues totius prouinciae Scaniae obligabant se in illa emptione subesse coronae regni Sueciae, in cuius obligationis euidens indicium decretum fuit, vt cum de nouo rex eligeretur in regno Sueciae, ipsis tempus electionis intimari debebat, vt aduenientes vocem &c. haberent in huiusmodi electione. Praeterea cautum erat simili robore, vt si contingeret bellum fieri inter Sueciam et Daniam, tunc archiepiscopus Lundensis, vel eius commissarii, libere et secure posset et deberet ex Scania intrare, manere et exire Daniam pro exsecutione suae iurisdictionis, idque bonae mem. Birgerus archiepiscopus Lundensis (vir prudens et mitissimi ingenii) in Scania residens [c]), confoederationemque cum Sueciae et Gothiae regnis et principibus habens, Daniam, discretiora consilia daturus, ingressus est, vt omnimoda

x) Lege: promissione pro eadem facta.

xx) (Bielke?) postmodum Legifer Smolandiae, obiit 1342. Cfr. Tibell, Ridd. L. p. 167. Nomen ejus non invenio ap. Stiernman, Höfd. M. I. p. 361.

y) Filius Lyderi de Kyrn, Advocati Finlandiae an. 1315. Stiernman, II. p. 342. Filiam Mechtildem Lydersdotter uxorem duxit Gustavus Tunason (Sture?) Legifer Sudermanniae et R. Marschus. Cfr. Stiernman, I. p. 125.

z) Corrigantur Regesta Hist. Dan. I. p. 269, quae hanc "quitantiam", mendosis sub nominibus, notaque anni erronea, proponunt. Iam vero a plurisariis quibus scatebat mendis purgatae et ad fidem Orig. Membran. Bibl. Reg. Stockh. suo restitutae anno, eidem addimus alteram eodem anno et die datam, quibus Marquardus de Kyrnæ se accepisse profitetur ab Israele Birghirsson 450 marchas puri juxta pondus Coloniense "de argento pro empcione terre Skanie ex promissione pro quo eciam ipse obses expositus erat" .... (Ex Orig. Membr. l. c.) Meminit Lagerbring, III. p. 275. Cfr. ejusd. Monum. Scan. I. p. 101. ubi offendimus Litteras R. Magni dat. Örabro c. a. "de non modicis hominum nostrorum perplexitatibus ac periculis, qui in manibus quorundam Dominorum de Theutonia, pro terra Skanie in obsidione teneri et eorundem aliqui graviter etiam vinculis stringi noscuntur."

a) Vid. Chronol. XIV. XVI. Cfr. Lagerbring, III. p. 272. Suhm, XII. p. 230. XIII p. 76. sq.

b) Svethice: *Klämma*. Sigillum majus officiale. *Riksklämma*. Sigillum Regni majus. Deest ap. Du Cange.

c) Sedit ann. 1497—1519.

Digitized by Google

et continua pax esset cum incolis Aquilonaribus, ne prouocati quasi rodentes locustae et aculeati crabrones descenderent in Scaniam, Daniam et cetera vicina loca (vt saepius acciderat) nullo valente resistere, horribiliter depopulanda.

Notandum, quod ab anno domini 1347. quando Carolus IIII. imperium accepit, factae sunt diuinae reuelationes beatae Birgittae vsque ad annum 1373. quo obiit Romae.

PETRVS Gothus Schoningensis, sedecimus archiepiscopus Vpsalensis, per Clementem papam VI. tempore Caroli IIII. imperatoris ab ecclesia Lincopensi ad Vpsalensem translatus, meruit archiepiscopali pallio decorari [d]). Hic a puerili aeuo bonis litteris et moribus traditus erat a parentibus suis in oppido Schoningensi [e]), vnde multi sancti pontifices et digni praelati originem traxisse memorantur, inter quos est singulare illud lumen regni Gothorum beatus Nicolaus [f]), episcopus quondam Lincopensis, cuius auunculus erat hic Petrus archiepiscopus Vpsalensis [g]), et parum ante nostra tempora Sueno episcopus Scarensis [h]), Magnus Sommar episcopus Strengenensis [i]) et alter quidam nostro tempore Ioannes Magni praepositus Lincopensis [k]), vir multa laude dignus, nisi se schismatico more in episcopum Lincopensem (viuente legitimo episcopo Lincopensi Ioanne Petro [l]), et propter fidem christianam cum Ioanne Magno archiepiscopo Vpsalensi, Gedanis exsulante) consecrari permisisset. Sed his in sua tempora remissis, ad Petrum reuertor, qui tantum in litteris et rerum experientia profecit, vt regiae cancellariae praefectus singularem suae prudentiae et bonitatis opinionem longe lateque diffudisset, si regem eiusdem studii et pietatis erga rempublicam nactus fuisset. Enimvero multa et praeclarissima consilia et studia eius in patriam obruebat sordida illa aula regis Magni Smech, in qua tam praeclarus vir, non secus quam gemma stercoribus insita, conspicuo magnificorum operum fulgore pollebat. Sed non diu passus est eximias suas virtutes inter obscoenos effeminatorum mores commorari. Quippe cum videret matri suae ecclesiae Lincopensi grauia damna illata et grauiora pericula imminere, eo quod summus pontifex, defuncto Carolo, eius antistite [m]), non permitteret capitulo liberam successoris electionem, mortuusque esset Nicolaus, archidiachonus eiusdem ecclesiae, in Flandria [n]), quando canonicam suam electionem prosecuturus erat, insigni pietate motus, prudenter celeriterque vacillantis ecclesiae causam (quamvis grauissimam) in optatum portum perduxit, cunctis populis ob datum a Deo tam eximium pastorem in summum gaudium effusis. Sed exsultauit Gothia ad paruam horam de ostensa tam magnifica felicitate, sed non plene exhibita. Nam cum lucerna illa ardens et lucens vix posita esset supra candelabrum vnius ecclesiae Lincopensis, mox septem mulieres, septem inquam cathedrales ecclesiae, apprehenderunt virum illum vnum et in medio septem candelabrorum aureorum in ecclesia metropolitana Vpsalensi locauerunt, vt filii ecclesiae Lincopensis dolentes plangere potuissent et dicere: Exspectauimus lucem, et ecce tenebrae: motum est candelabrum nostrum de loco suo: translata est corona capitis nostri (heu nobis) vt, quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum! Igitur quantus erat moeror his, a quibus separatus est, tanta erat omnium communis laetitia, ad quos

d) A Clemente P. VI. confirmatus 1351 d. 17 Nov. a successore Innocentio P. VI. 1353 d. 2 Jun. Pallium obtinuit, per Episc. Lincop. et Wexion. tradendum. v. Celse, p. 124.

e) In laudes oppidi Skeningensis, iterum iterumque Schoningensis appellati, excurrit auctor, ut inter alios Braskii suosque majores et consanguineos heic olim degentes quodammodo celebraret.

f) Sedit ann. 1374—1391. Post cineres odore sanctitatis superstes, de quo suo loco plura.

g) Scil. mater illius Margaretha Tyrgilli filia Archiepiscopi nostri soror fuit. Cfr. Rhyzelius, p. 112.

h) Sedit ann. 1436—1449.

i) Sedit ann. 1522—1536.

k) Iohannem Haquini, Praepositum Lincopensem, electum 1529, cum Iohanne Magni de Biælbo confundit auctor, quem dein secutus est Messenius, in Chron. Ep. p. 67. Rhyzelius hunc Ioh. Magni locum ignorat, l. c. p. 125.

l) Brask, Petri filium, Petrum salutat.

m) An. 1338.

n) In oppido Brügge Flandriae, cfr. Rhyzelius, l. c.

Digitized by Google

a Deo transmissus est. Duae erant in eo praecipuae virtutes, quamvis ei mille deessent: maxima erga Deum pietas et summa erga homines modestia. His duabus ita apud Deum et homines vsus est, vt omnes faterentur, ei singularem gratiam desursum datam, qua sciret conversari in medio nationis prauae et peruersae. Nihil enim tunc erat in vtroque regno Gothiae et Succiae, nisi prauum et peruersum: bona enim pars nobilitatis mores sui regis Magni, cui, vt diximus, cognomen lactati vel blanditi affixum fuit, eo quod puerili more permisisset se blandimentis regis Valdemari superari, atque a recto et honesto turpissime seduci. Hunc non cessauit mouere, arguere, obsecrare, vt vitam regio nomine dignam ageret, sanis frueretur consiliis, consiliarios in Deum et patriam impios a se abiiceret, prudentes et pios eorum loco admitteret, Deum timeret, patriam suam diligeret, iustitiam coleret, clementer in delinquentes ageret. Demum summopere persuadere curauit, vt XXIIII. nobiles et generosos viros ab exsilio (quod nulla iustitia eis inflictum erat) reuocaret: alioquin experturus esset, quanto zelo offensus Deus soleat innocentium oppressionem et bonorum hominum persecutionem vindicare, illamque peccandi libertatem grauissima aduersitate punire. Sed obturauit ille serpens aures suas, ne audiret vocem sapientis, et sibi ipsi semper similis effectus, pellem Aethiopis non mutauit. Proinde, quod a prudentissimo pontifice praedictum fuerat, ita expertus est, vt facili negotio regnum perderet et honorem: quippe postquam fuisset septenni captiuitate maceratus, demum in aquis Noruegiae submersus interiit, prius tamen succedente ei in regno Alberto, cuius regimine satis ostensum fuit, quam grata fuerat Deo corrupta Suecorum vita, praesertim nobilium, quam sub rege Magno licentiosius, quam honestius peregerant. Igitur dum Albertus principium regnandi, Petrus finem fecit viuendi, anno domini M.CCC.LXVI. decimo octauo die Octobris.

BIRGERVS Gregorii, XVII. Archiepiscopus Vpsalensis, ab Vrbano papa V. (dum Carolus IIII. imperabat) confirmatus et pallio Archiepiscopali praesens in Vitterbio decoratus est [o]). Huius quanta erat in sacris litteris diuinisque et humanis legibus scientia, satis ostendunt Ecclesiasticae historiae, quae ab eius fecundissimo ingenio prodierunt [p]). Enimvero adeo fertilissimum scientiae erat pectus eius, ac venerabilium doctrinarum abundantia instructum, vt quoddam coelestium opum sacrarium iuste existimaretur. Felix Ecclesia, felix Regnum, felices omnes incolae sub tanti patris Pontificatu fuissent, nisi iam venisset irreuocabile tempus diuinae vindictae, quo Deus, vltionum dominus, grauissima Regni Succiae peccata grauissimo flagello mox castigaturus esset. Quippe, postquam toto retroacto saeculo, praesertim a morte Magni Regis Gothorum, cognomento Ladalaos, tam horrenda flagitia in ipso Regno commissa fuissent, vt eius incolae, maxime illi, qui nobiles dicebantur, sceleratiorem agerent vitam, quam illarum Ciuitatum incolae, quas saluator noster ad infernum demergendas pronuntiauit, volens Deus illa enormia crimina clementer auertere, misit in Succiam sanctissimae vitae viros, Euangelicam vitam sanctorum Dominici et Francisci profitentes, qui verbo et exemplo contemtum mundi et desiderium coelestis patriae sine intermissione praedicabant. Deinde missa fuit a Deo sanctissima mulier Birgitta prophetissa, quae in medio Sueciae nata, non solum vitae sanctimonia, sed doctrina coelitus reuelata, Regem ipsum Magnum Smech et proceres Regni, consanguineos suos, summopere hortabatur iuste et pie viuere, Deum et

o) Bulla data 1367 d. 23 Jul. v. Celse, p. 131.

p) De Historiis minime, sed de Legendis, hymnis et antiphonis intelligenda sunt verba auctoris. Ita enim Chron. Archiepiscopor., unde sua hausit Noster: "Dictavit historiam S. Birgittae, quae incipit: Birgittae matris inclitae. Item historiam S. Botvidi martyris, quae incipit: Triumphantis miliciae". Cfr. quae monuimus in Diss. de Poesi Latina medii aevi in Svecia, p. 26.

Digitized by Google

proximum diligere, omnia Dei praecepta sollicite custodire. Praeterea benignus Deus (qui non vult mortem peccatoris) misit peccatrici Sueciae Sacerdotes et doctores in lege diuina doctissimos, a quibus disceret fugere a ventura ira. Insuper missi sunt ad eam sanctissimi Pontifices, quorum sanctam et approbatam vitam iam summatim expressimus. Ipsa tamen Suecia exuberantem illam diuinae bonitatis clementiam contemnens, similis facta erat Synagogae Iudaeorum, de qua scriptum est, quod indurauit ceruicem suam et cor, vt non reuerteretur ad Dominum Deum Israël: mittebat Dominus Deus patrum suorum ad praeuaricatores eius, per manum nuntiorum suorum, de nocte consurgens et quotidie commouens, eo quod parceret populo et habitaculo suo. At illi subsannabant nuntios Dei et paruipendebant sermones eius, illudebantque prophetis, donec adscenderet furor domini in populum eius, et esset nulla curatio: adduxit enim super eos Regem Chaldaeorum, et interfecit iuuenes eorum gladio. Non est misertus adolescentis et virginis et senis, nec decrepiti quidem: siquis euaserat gladium, ductus in Babylonem seruiuit Regi et filiis eius. Haec idcirco ex sacris historiis adducta sunt, vt intelligamus, offensam Dei Maiestatem paria delicta paribus poenis castigare. Quippe sicut ingrati filii Israël propter multa scelera desolati sunt, ita natio nostra, ob criminum magnitudinem, ex felici infelicissima euasit. Nam postquam duo Reges Birgerus et Magnus, persuadentibus impiis consiliariis, passi fuissent manus suas rapinis Ecclesiarum et turpissimis sacrilegiis inquinari, eorumque exemplo Nobiles animum similia audendi assumpsissent, numquam ex omni parte beatus fuerat status Regni Sueciae. Sed quod potentiores homines in Dei ministros commiserant, hoc a potentioribus Tyrannis multiplicato fenore semper passi fuerant. Noluerant patienter sufferre leue et suaue iugum Christi. At Rex Albertus iugum eis imposuit, quale meruerant diuinae legis contemptores. Sustulerant a Sacerdotio et ordine clericali libertatem, diuino et humano iure concessam: proinde redacti sunt ipsi sub iugum seruitutis, omni miseria cumulatum. Spoliauerant Ecclesiam decimis et prouentibus: priuauit eos Albertus quolibet tertio praedio, quod in patrimoniis habebant. Honorem debitum Christiano Sacerdotio non impenderant: quocirca tam viles reputati sunt a Teutonicis, vt indigni putarentur ad Regis Alberti conspectum admitti. Manus violentas intulerant in Christos domini: ideo cum peterent in necessitatibus suis Regis colloquium, alapis, improperiis, cachinnis repellebantur, aut publico risu insectandi admittebantur. Quid plura dicam? tam seuciter tunc imperatum erat toti Sueciae, vt nullum peccatum eatenus in Ecclesiam commissum videretur impunitum. Attamen ob tantam Nobilitatis oppressionem, in nullo releuata est Suecana Ecclesia, cui nunquam feliciter successit, nisi quando Nobilitas bene valuit, integramque et Christianam charitatem inter se et erga Pontifices ac totum Sacerdotium conseruauit. Hoc enim vnico remedio Regnum Sueciae in suo honore et tranquillitate conseruatur. Nunquam enim solus Ecclesiae Suecanae status corruere potuit, nisi in eadem ruina totius Regni amplitudo involveretur. Quod vtinam omnes Sueciae proceres hactenus perpendissent, ampliorem nostram rempublicam (quae nunc nulla est) ad posteros mitteremus. Nunc enim Suecana Ecclesia funditus desolata testimonium perhibet toti orbi Christiano, omnes leges diuinas et humanas a Regno Sueciae in exsilium relegatas. Sed haec quiescant. Interim ad Archiepiscopum Birgerum reuersus dolenter commemoro, tam dignum, tam eruditum, denique in omnibus virtutum partibus ac numeris instructissimum virum, per tales bellorum tumultus impeditum a summo studio suo, quo sempiternum patriae honorem et felicitatem efficaciter promouisset. Si ei integra libertas concessa fuisset, talis tamen et tam benigni propositi praemio apud Deum (cui omne cor patet) fraudatus non

Digitized by Google

est, qui tandem vitam mortalem immortali commutauit anno post Christum natum MCCCLXXXIII quinto idus Martii.

Idem Birgerus Archiepiscopus anno domini MCCCLXXVII. prima die mensis Junii in eodem oppido Telgensi celebrauit concilium prouinciale contra usurarios et alios errores, prout inferius inter libertates ecclesiae continetur q).

Idem Birgerus concilium prouinciale celebrauit Vpsaliae, vt ibidem habetur.

Hic Birgerus cum Coepiscopis suis et omnibus Abbatibus regnorum Sueciae et Gothiae scripsit Vrbano V. Gregorio XI et Vrbano VI pro canonizatione sanctae Birgittae, prout in examine eius inter acta producta sub eorum sigillis Romae in Hospitali eiusdem S. Birgittae poterit demonstrari.

Anno domini MCCCLXXX Die XI Mensis Septembris celebratum est concilium prouinciale in oppido Telgensi per Archiepiscopum Birgerum, quod require inferius in registro r). In nomine Domini amen. Idcirco iusticiae rigor.

Item Rex Albertus cum consiliariis regnorum Sueciae et Gothiae eisdem summis Pontificibus scripsit ad eundem effectum. Sed Bonifacius IX. eorum successor tandem S. Birgittam adscripsit catalogo Sanctorum.

Hic Birgerus Archiepiscopus composuit Legendam s) sanctae Birgittae, in qua continentur haec verba: beata Birgitta in regno Sueciae oriunda, non solum iuxta reuelationem diuinitus sibi factam ex sanctorum ibidem regum progenie, qui suis sanctis promeruerunt meritis, vt magnificaret dominus misericordiam suam cum illa, illustrem duxit originem, verum etiam de nobilibus deuotisque progenitoribus et parentibus nata fuit. Et hoc habetur in depositione primi testis iudicialiter examinati coram Archiepiscopo Iacobo t) Vpsalensi, prout in actis et processu eius reperitur.

HENRICVS, XVIII. Archiepiscopus Vpsalensis, ob excellentem diuini et humani iuris scientiam vitaeque probitatem et rerum experientiam, ab Vrbano VI Pontifice maximo (eo tempore quo Venceslaus imperare dicebatur) pallio Archiepiscopali meruit honorari. Hic etsi in tempora trium Principum, qui seuerius quam clementius regnabant, incidisset, felicior tamen tunc erat Pontificatus eius, quam si in aetate nostra prouenisset, etiamsi Neronem saeuitia superassent. Albertus enim Rex, quamuis multa ageret imprudenter, fretus consilio suorum Teuthonum, de Suecia et eius moribus minus expertorum, attamen nonnunquam hunc Archiepiscopum saniora consilia afferentem benignius quam illos audiuit. Nam cum hic Pontifex deprehendisset, illos incolas Holmenses (qui Teuthones erant) inplacabili odio ferri in Suecos eiusdem ciuitatis Holmensis ciues nihilque enixius ab Alberto postulare, quam sibi licere eosdem Suecos per quamcunque occasionem conniuente Rege disperdere rapidisque consumere flammis, non quieuit optimus Antistes et pastor bonus (qui libenter dedisset animam suam pro ouibus suis), donec Regis animum a concupiscentia tanti sceleris reuocaret. Itaque rex a pio Pontifice pie consultus, hoc modo suis Teuthonicis respondit: Non est (inquiens) o viri Teuthones! Teuthonica fide et integritate dignum, quod hos ciues Holmenses, subditos nostros, ob inuidiam non probata causa perdamus: ratio nobis habenda est honoris et posteritatis nostrae; malumus in persona nostra periclitari, quam Illustrissimis Magnopolensibus principibus, consanguineis nostris, talem nominis nostri notam relinquere. Ad haec verba quieuere illi, qui insidias machinabantur, donec (captiuato per reginam Margaretam Rege Alberto) liberiores et sine metu effecti, CLXX. praestantiores Ciues partim serris ligneis partim aliis horrendis tormentis et flamma consumpsissent. Qua belluina feritate excitati omnes Regni Sueciae Pontifices, praesertim Henricus Archiepiscopus Vpsalensis et sanctus Nicolaus, tunc Episcopus Lincopensis, dira anathemata et maledictiones in ipsam Holmensem Ciuitatem congesserunt, a quibus exse-

q) Vide annotationem sequentem.

r) Hoc registrum, quod forsan statuta ecclesiæ Succanæ complecteretur, deest in editione Romana. Constitutiones Telgenses, quarum prima auctor attulit verba, sunt impressa apud Reuterdahl, Statuta Synodalia pag. 89.

s) Hanc legendam vel historiam, diu ignotam (vide supra pag. 55, not. p) nuper autem repertam, vide infra in vitis sanctorum.

t) Lege: Birgero.

Digitized by Google

crationibus vsque in hodiernum diem vix obtinuerat liberari, forte existimans, Christum filium Dei minus seriose dixisse Apostolis suis: Quicquid ligaueritis in terra, ligatum erit et in coelis etc. Proinde Ciuitas illa tales fructus post ea tempora semper produxerat, vt nulli pio Christiano dubium esse possit, ipsam singulari Dei maledictioni semper fuisse obnoxiam. Fertur tunc, eundem sanctum Nicolaum Episcopum de eius subuersione dixisse illud, quod Iosephus scribit de euersione Ierusalem: Nisi Deus (inquiens) ad vindicandum scelera eius misisset Romanum exercitum, prorsus ipsa terra, tot tantaque flagitia non sustinens, Ciuitatem illam penitus absorbuisset. Satis enim nota est prodigiosa historia, quomodo ea ipsa hora, qua tormentati et concremati fuerunt Sueci illi Ciues Holmenses, omnium bonorum testimonio innocentes, mox facta fuerunt tanta fulgura, tot horrendae coruscationes et incredibiles tenebrae et portentuosa tonitrua, tantaque pluuiarum inundatio, vt praesentissima Dei vindicta subuertendum putaretur oppidum illud Holmense, ob tantum scelus a Deo et Pontificibus maledictum. Haec visi sunt Teutones pro firmando Regno suo in Suecia prudenter effecisse. Sed nihil vnquam remotius ab eo proposito esse potuit; talibus enim facinoribus perduntur Regna acquisita, et perdita nunquam acquiruntur. Deinde hic optimus Pontifex (amoto a Regni administratione Alberto) aliquanto feliciorem fortunam nactus est, regnante Margareta, quae etsi magno fauore optimum Pontificem prosequeretur, videreturque ipsum loco unici patris colere et venerari, tamen mortuum praesulem omni thesauro, in vsum Ecclesiae et pauperum congregato, spoliare non erubuit. Haec tamen nostri temporis Tyrannis longe humanior visa est, quia hi viuos et partis rebus indigentes, illa mortuum et nullius rei in hoc mundo indigentem spoliauit. Sed his et illi sua iusta praemia et supplicia a Deo iusto iudice sunt reseruata. Nec parum molestiae sensit Henricus a Rege Erico, qui Margaretae adoptiuus filius effectus, cum ea multis annis regnans, de prouisionibus Ecclesiarum se ingerere nitebatur; sed constantia et magnanimitate Pontificis repressus, minus audere coepit, donec, mortua Regina Margareta, pleniorem occasionem detestabilis sui propositi assequeretur. Prius tamen Henricus, mitiorem Regem nactus in coelo, laboriosam Sueciam coelesti ciuitate permutauit Anno Christianae salutis M.CCCC.VIII. XXIIII. die Mensis Martii [u]).

Per haec tempora, videlicet 1393. die S. Ioannis Baptistae depraedati sunt Holmenses Teuthonici oppidum Sudercopense ea immanitate, vt nec aetati nec sexui aut sacris parcerent, quorum capitanei erant 4 equites aurati et 1300 pedites armati, quemadmodum in Historia Suecorum ac Gothorum latissime tempore Regis Alberti factum commemoratur.

IOHANNES Gerichini, natione Danus, decimusnonus Vpsalensis Archiepiscopus, postquam a Gregorio duodecimo (temporibus Roberti Bauari Imperatoris) confirmatus et pallio Archiepiscopali insignitus esset, documentum praestitit toto suo Pontificatu, quomodo illi Reges siue Tyranni, qui cogitant leges diuinas et humanas euertere, terras et Regna disperdere, subditos suos opprimere, extremamque toti nobilitati et plebi perniciem inducere, primum experimentum suae tyrannidis sumere solent ab Ecclesiasticae libertatis oppressione, in qua si prosperati fuerint, nihil reliquum erit, a quo manus suas continendas putabunt. Quippe spoliatis rebus Deo dedicatis, numquid nobilium, aut aliorum ciuium possessiones sacrosanctae permanebunt, quasi hominibus parcere possent qui Deo iniurias facere didicerunt! Hoc proposito inductus creditur Ericus Pomeranus Suecorum Rex, quando iura et consuetudines Ecclesiae Vpsalensis (quibus in eligendo pontifice semper vti consueuit) in principio sui Regni violare prae-

u) Secundum Chronicon Archiepiscoporum ex Registro Upsaliensi obiit XIV Kal. April. i. e. 19 Martii.

Digitized by Google

sumpsit. Imposito enim hoc Iohanne, violentius quam iustius in Ecclesiam Metropolitanam, ipse Rex, putans ob id totam Ecclesiam Suecanam sub suam potestatem redegisse, vt nullus esset in ea, qui pro patria aut incolis staret, mox totum studium suum eo convertit, quo facilius posset omnem Regni nobilitatem penitus delere, aut tam abiectam reddere, ne vnquam de cetero se ipsam in libertatem vindicare valeret. Plena est Suecorum Historia, quam auare, quam seuere, quam crudeliter et nimis diu insolenter rexerit; tributorum nullus finis, oppressis nullum remedium, miseriarum et calamitatum nullus modus, quaesita bella contra vicinos Principes ex industria, vt in eis tota nobilitas deleretur; viris gladio foris corruentibus, domi regiis satellitibus coniuges et filiae turpi obsequio seruiuerunt; viri in fumum suspensi defecerunt, quando eorum vxores aratro applicatae abortum fecerunt; trecentos Nobiles vna tempestate mergi procurauit, nec minor numerus eorum erat, qui in captiuitate defecerunt. Nulla Historia tanta et tam atrocia mala adducere potest, quanta de regimine huius Erici commemorantur, et haec omnia aduersa ex vno eodemque fonte fluxerunt, quo nostri temporis calamitates erumpunt. Quippe, fons et origo omnium malorum in Suecia semper fuerat commodum priuatum, latens odium, contemptus legum, negligentia communis boni, fauor improuidus erga extraneos Principes et pertinax invidia erga proprios. Solent proceres aliorum felicium Regnorum tam diligenter prospicere, ne in minimo violetur legum veneranda potestas, nec alicui minimo homuncioni a Rege aut Principe contra leges vlla iniuria inferatur, quin omnes vno ore contra violentiam reclament. Enimvero quicunque Princeps alicui minimo iniuriatur, omnibus subditis suis summis et infimis comminatur; at in nostra Suecia longe secus post introductam Lutheranam impietatem M.D.XX. agi solet. Quando enim Rex aut Tyrannus (quaesito quouis colore) quemquam summum aut infimum perdere voluerit, mox omnes (horribile dictu et auditu) feruntur in hominem illum, qui Principis indignationem inciderat; prius traditor regni et Regis iudicatur, et prius noti et ignoti ipsum dentibus laniant, quam aliquis patrocinium eius suscipere dignetur, aut causam eius in iudicio audit aut defendit. Itaque nunquam difficile erit indigenis Principibus aut Tyrannis, manente Lutherana haeresi vel alio admisso detestabili dogmate, opprimere Sueciam, cum eius incolae tam acerbo et mutuo odio se opprimunt, quemadmodum eo tempore factum est, quando Rex Pomeranus et Archiepiscopus Danus impiissimo foedere coniuncti rerum summa potirentur, quorum communis voluntas erat, ita regere Sueciam, ne in ipsa vel Nobiles vel Plebeji extraneo Imperio vnquam obniti potuissent. Hanc eorum voluntatem si statim perpendissent Nobiles et obstetissent, ne Ecclesiastica libertas violentius tolleretur, tunc procul dubio, firmando Ecclesiae iura, sua quoque confirmassent. Tandem postquam hic Iohannes magis Regium satellitem quam vigilantem Pontificem per aliquot annos egisset, vsusque fuisset maiore viuendi licentia, quam integrum Pontificem oportuisset, accusatus a suo Rege Erico apud summum Pontificem, causaque eius archiepiscopo Rigensi commissa, priuatus est Ecclesia Vpsalensi Anno Domini MCDXXI et in Schalholtensem Ecclesiam Islandiae translatus, vbi graues poenitentiae partes in expiationem praeteritorum peccatorum voluntarie assumens, talem se in excolendis virtutibus et diuinis praeceptis praestitit, vt in numero bene beateque viuentium aestimaretur. Postremo occisus ab impiis subditis suis miraculorum gloria dicitur illustrari, qui profecto inter felices Pontifices numerandus fuisset ob magnificentiam, quam in aedificiis ostendit, et praeclaras animi dotes, quas natura vel fortuna sortitus fuerat, nisi suam Pontificiam dignitatem Tyrannorum auariciae succumbere permisisset, quibus dum se nimium subiicere sustinuit, rursus ab

Digitized by Google

eis ad seruitutem et abjectionem omni seruitute viliorem detrudebatur, exemplum Pontificibus praebens, ne gloriam suam (quam a Deo eximiam habent) tam vilem existiment, vt Tyrannorum obsequiis mancipari patiantur.

IOHANNES Haquini Gothus Vastenensis, vigesimus Vpsalensis Archiepiscopus, quamvis ante suam assumptionem esset Monachus et vitae sanctimonia in Monasterio Vastenensi insignis, tamen a patribus Ecclesiae Vpsalensis nequaquam electus fuisset, nisi rex Ericus sic fieri statuisset. Ipsi enim, cum essent viri prudentes, satis compertum habebant, eam Pontificiam amplitudinem non sola opinione sanctitatis, sed etiam multis aliis partibus (et maxime singulari rerum experientia) sustentari, at Rex, satis fore putans, quacunque vmbra foueri Christianam religionem, scripsit summo Pontifici Martino papae quinto, qui a Rege importune rogatus hunc Iohannem tempore Sigismundi Imperatoris confirmauit et pallio Archiepiscopali decorauit, gratiose concedens eidem, quod deposito habitu ordinis sanctae Birgittae in reliquum vteretur habitu eorum, qui vocantur Canonici regulares sancti Augustini. Hic ad eam Pontificiam dignitatem promotus, quamquam haberet pium animum erga Ecclesiasticam libertatem et salutem patriae, quae tunc vsque ad desperationem corruerat, tamen, cum non auderet a principio Pontificatus sui Regem Ericum (a quo sublimatus fuerat) offendere, parum pro republica in primis annis praestare potuit, dolentibus cunctis proceribus et Praelatis Regni, quod minus efficacem Pontificem sortita esset Ecclesia Metropolitana, quae sua industria et auxilio Suecanam rempublicam a Tyrannorum violentia semper defendere consueuerat: forte hac vicissitudine puniuit Deus ingratitudinem nobilitatis, quae tempore priorum Regum Birgeri et Magni nimis onerosa fuerat, non solum Vpsalensi, sed toti Ecclesiae Suecanae, parum prouidendo quam certissima ruina immineret statui militari, quando Ecclesiasticus status sua libertate priuaretur. Vnde enim publica salus et concordia Regni, nisi a pace? vnde pax, nisi a lege? vnde lex petenda, nisi a sacerdote? Is enim, iuxta diuinum oraculum, angelus Domini exercituum est, et legem ex ore eius requirent, non ex ore Tyrannorum, quibus perpetua est cum omnibus legibus hostilitas. Igitur, humiliato sacerdotio, necesse est legis conculcationem fieri, qua conculcata quid Regnum est, nisi publicum latrocinium? Proinde suo maximo periculo errant nostri temporis nobiles, qui putant se felices et illustres fieri Ecclesiasticarum rerum iniusta occupatione, cum non solum diuinae et humanae leges, sed ipsa naturalis ratio reclamitat, ipsisque sempiternum dedecus et omnium rerum penuriam (ob talem audaciam) comminatur. Sed haec quiescant, et interim Iohannem Archiepiscopum prosequar, quem cum venerabiles patres Collegii Vpsalensis nimis remissum viderent in tuenda vtraque republica Ecclesiastica et saeculari, monuerunt, vt habita ratione dignitatis et officii sui, ita apud Regem se interponeret, ne ecclesia Metropolitana et tota Suecana respublica Archiepiscopali patrocinio penitus destituta videretur. Hac quidem monitione tantum sapientes viri profecerunt, vt Iohannes (deposita illa nimia patientia) Regem ipsum vehementius, quam quicunque alii, ob peruersam Regni administrationem reprehenderet, nunc litteris, nunc nuntiis apud eum agendo, vt leges patriae (quae nimis diu exsulauerant) efficaciter restituantur. Nec dubitauit, anathemate in ipsum comminato, ostendere alia esse iura publicae religionis, alia priuatae amicitiae. Verum ea erat in ipso Rege pertinacia, quam a Regina Daniae Margareta suxerat, vt iureiurando sese adstrinxisse crederetur, ne vnquam permissurus esset Sueciam maiorum suorum legibus et libertate gaudere: quocirca coepit Archiepiscopus (abiecta prorsus Regis amicitia) se totum convertere

Digitized by Google

ad saluandam patriam. Quamvis enim a compluribus putaretur Regis facinoribus consentire, tamen victus amore patriae Engilbertum illum omni laude dignum (qui postea patriam a Tyrannide potenter, et prudenter eripuit) summa familiaritate complexus monuit, ut Regem Ericum de Tyrannide praefectorum informaret, opusque pro liberanda patria, quod sempiterna gloria dignum esset, aggrederetur, attamen antequam cogerentur Dalacharli, contra eum ipsum Regem Ericum bella suscipere, hic Iohannes Archiepiscopus morbo leprae percussus animam subito exalauit: prius tamen, dum adhuc integra amicitia Regis frueretur obtinuit ab eo pro canonico Sacerdotio ad Ecclesiam Vpsalensem insulam Uchnö, domumque lapideam Vpsaliae edificauit. Mors vero eius incidit in Annum Domini M.CD.XXXI. v. idus Februarii, et non longe post Engilbertus defuncti Pontificis voluntatem ad patriae liberationem deducere curavit. Postquam enim exhortationibus, precibus et ostensis infelicium indigenarum calamitatibus apud inexorabilem Tyrannorum defensorem in nullo praeualere potuit, **100,000**, armatorum agmine stipatus descendit in Daniam ut tam atroces iniurias viribus vlcisceretur. Verum de hac bellica expeditione latior est ostentio in historiis nostris de regnis Aquilonaribus ad publicam utilitatem fideliter exaratis et in fine historiae sequentis Archiepiscopi Olai, qui monita salutis incessanter exhibuit eidem inexorabili Erico regi, qui ob Engilberti formidabilem potentiam sibi fieri permisit innocentis Archiepiscopi reconciliationem.

OLAVS Laurentii XXI. Vpsalensis Archiepiscopus ex Treuda [v]) (quae non longe ab Vpsalia distat) natus. Primum domesticis preceptoribus traditus, supra omnes coetaneos suos, in bonis literis et moribus tantum profecit, ut nulli dubium foret, quin crescere posset in magnum Ecclesiae doctorem, et eximium pastorem. Hac spe missus a Capitulo et patribus Ecclesiae Vpsalensis ad praeclaram universitatem Parisiensem brevi doctissimos viros, ingenio, facundia, prudentia, sapientia, superare aut aequare videbatur. Quibus virtutibus ornatus, summo gaudio in patriam reversus excipitur, et praepositurae dignitate, magno consensu, honoratur, quam rursus tot praeclaris officiis illustravit, ut non ab ea honorem accipere, sed ei conferre videretur. Siquidem nulla virtus ei defuit, quae magnanimum, magnificum, liberalem, prudentem, modestum praelatum ornaret. Igitur (mortuo Archiepiscopo Iohanne) tam concorditer, legitime et incorrupte, electus est in Archiepiscopum, ut nulla pars canonicae electionis defuisse videretur. Eo ipso die quo tam sancte electus fuit, mox manum missurus ad fortia, iter difficile et periculosum ex Vpsalia in Romam per Finnoniam, Livoniam, Prussiam, Slesiam barbaras terras suscepit, susceptusque Romae benigniter ab Eugenio papa IIII. (tempore Sigismundi Imperatoris) consecratione, et pallio Archiepiscopali meruit illustrari. Quo comperto Rex Ericus impacabili odio, in eam optimi viri promotionem ferebatur, forte considerans, quantum praesidium habere posset Suetica Nobilitas et plebea Communitas a tali viro, qui tot virtutibus praestantissimus erat. Statuerat enim secum ipse Rex, postquam ab ejus antecessore Iohanne Haquini (qui visus erat omni agno mansuetior) liberius repraehensus fuisset, nunquam sustinere quempiam Succum in ea Metropoli Vpsalensi, facile fore ratus, ut oppresso Suecanae reipublicae capite, reliqua membra sine negotio collaberentur. Quocirca, importunissimas literas contra ipsum ad praefatum Eugenium papam IIII. scribere curavit, commovens in hominem innocentissimum non solum Papam, sed amplissimum Senatum Cardinalium, et totam curiam Romanam. Praeterea Imperatorem Sigismundum, necnon Reges et Princi-

v) Territorium Trögd juxta lacum Mälaren.

Digitized by Google

pes, omnesque trium Aquilonarium Regnorum Pontifices ad hoc induxit, ut eam arcem (in qua tot virtutes residebant) adorirentur, et a favore Summi Pontificis, per literas, per informationes, per nuncios, inportune deiicerent. Insuper, inferioris ordinis praelatos, collegia, capitula inducendo, precipiendo, cogendo, ut quovis quaesito ingenio consulerent, rogarent, inculcarent, ne tam nociuus homo (ut dicere cogebantur) Ecclesiae Metropolitanae praeficeretur. Vix credibile est, tot potentes hostes unquam contra alicuius Pontificis promotionem consurrexisse. Igitur tot importunis precibus et literis expugnatus summus Pontifex, et totus Senatus Cardinalium, deliberare coepit, quomodo ipsum ad aliam Ecclesiam transferrent. Sed inuicta hominis innocentia, nullis potuit adversis superari. Quamvis enim solus esset et ab omnibus, praeterquam a Deo et iusticia atque unico Cardinale Nouariensi, derelictus, tamen ea prudentia, ea solicitudine, ea gratia, causam vacilantis Ecclesiae et defensionem suae innocentiae ubique egit, ut brevi morarum processu, quos causae suae adversarios habuit, constantiae et integritatis amatores inveniret. Et cum seueritas Regis, nec ad mandatum papae, nec ad preces instantissimas Cardinalium, ipsum admittere voluisset, nihil eo exilio, aut tot aerumnis, et adversis casibus fractus, sed mature se ad concilium Basiliense conferre studuit, in quo ea morum et literarum claritate fulgebat, ut inter precipua membra illius amplissimi Sinodi (omnium iudicio) aestimaretur, multaque ejus prudenti consilio pro tota republica Christiana agerentur, neque omisit sacrosanta Sinodus, quin, justificata eius causa, scriberet Regi Erico pro eius reditu ad Ecclesiam Vpsalensem. Sed citius motus fuisset Rex Tartarorum, aut aliorum ethnicorum ad literas a tanta Maiestate et amplitudine prodeuntes, quam Rex, qui iam iuraverat se nunquam eum Pontificium honorem Succis permissurum, sed suis Danis aut Norvegianis quos idoneos putavit alienae Ecclesiae occupatores; iamque a principio vacantis Ecclesiae quendam Arnoldum Clementis Bergensem Norvegianum ad tale sacrilegium satis aptum super ipsam intrusit, qui postquam hoc in Ecclesia Vpsalensi egerat, quod olim minister crudelis Seleuci Heliodorus in templo Salomonis attemptauerat, a Deo percussus foedissima morte exspiravit, ostendens plus obediendum esse Deo, iustitiam et pietatem, quam Tyranno rapinas et sacrilegia imperanti. Eo e numero vivorum sublato substitutus est alter similis propositi homo, Torlacus etiam Norvegianus, qui mancipium Regiae crudelitatis effectus, venerabile Capitulum Vpsalense (quod semper integram fidem suo Pontifici servavit) multis damnis et intolerabilibus injuriis affecit, ipsamque Ecclesiam (cuius pastorem se mentitus fuerat) ita protexit, ut satis intelligeretur, agnos lupi custodiae commendatas. Hic tandem Torlacus dum illae oves Vpsalenses non audirent alienum, et bella adversus Regem pararentur, fugam paravit. Sed saevissima maris tempestate diu retentus effugere non potuit, donec sacrosanctas reliquias pollicem sancti Erici Regis clam abstractum palam remisisset, quo remisso, permissus est ad suum Regem, aut quo voluit remeare. Interim dum haec fierent, et optimus Archiepiscopus videret nullum humanum auxilium superesse, ad vota conversus, Deo causam suae innocentiae permittit, nec multo post Engilbertus (cuius supra meminimus) ex Libertino patre apud Dalacharlos natus, desolationi patriae pleno corde compatiens, totius Regni populum in Regem Ericum (ob diu paratam tyrannidem) suscitavit, ausus ea aggredi, quae delicate nutriti proceres formidabant; erat quidem corpore pusillo, ceterum animo adeo magno et excelso omnique virtute instructo, ut facile Tyrannis terrorem, bonisque praesidium polliceri potuisset. Sub hoc publico tumultu, Olaus Regi reconciliatus atque cum summa omnium letitia in Ecclesiam suam Vpsalensem reductus, ut summum gaudium ceteris, ita sibi ipsi gra-

Digitized by Google

vissimam solicitudinem praestitit, nam omnia illa damna (quae ob diuturnam vacationem Ecclesiae sunt inflicta) oportuit eum nocturna curare manu, curare diurna. In qua quidem fidelissima cura et quotidiana solicitudine utriusque reipublicae Ecclesiasticae et secularis inuicto animo usque ad mortem perseveravit, quam ei quidam natu et principatu, quam virtute nobilior (veneno in lac amigdalinum immisso) propinavit, ne glorientur soli Latium inhabitantes quam eorum Caligulae delicatas macteas conficere didicissent. Hacc optimi Pontificis mors in Annum a Christo nato M.CCCC.XXXVIII. Septimo kalendas Iulii incidisse memoratur.

Sequuntur nomina Illustrium ac generosorum Principum et nobilium huius temporis, qui acta concilii Basiliensis approbantes sua etiam priuilegia, et libertates Ecclesiae perpetue valitura concesserunt et rursus ab Ecclesia assistentiam in suis legibus pro mutua conseruatione petiuerunt et obtinuerunt.

IN NOMINE DOMINI Amen. VNIVERSIS praesentes literas inspecturis Nos infrascripti Christiernus Nicolai Miles auratus, Gostauus w) Benctson, Nicolaus Eringisli, Boetius Suenson x), Gostauus Algutson, Broderus Suenson Milites aurati, Carolus Knutson Marscal, Nicolaus Iohannis, Benedictus Iohannis, Carolus Omuson y), Carolus Bonde, Canutus Iohannis, Benedictus Vdson, Ericus Puke, Benedictus Goscalci, Benedictus Stenson, Nicolaus Stenson, Carolus Christiernson, Mathias Odgislason, Boetius Cnutsson, Olaus Raualson, Gregorius Maanson, Magnus Green, Eringislus Nielson, Iohannes Carlson, Birgerus Trolle, Otto Vlffson, Nicolaus Plaata, Iohannes Gedda, Henricus Suuerd, Benedictus Lydecason, Suno Sunason, Nicolaus Olson z), Gostaf Vlfson, Gostaus Sture, Thure Stenson, Ericus Tueson zz), Ericus Stenson, Faderus Vlfson, Haraldus Stenson, Holmsten Iohanson, Euart a) Peckatel, Ericus Jenson, Carolus Maanson, Haraldus Vlfson, Raual Maanson, Niels Croch, Gregorius Nielson, Magnus Pijch, Laurentius Snekenborg, Steno Person, Armigeri. Regni, Suetiae et Gothiae Consiliarij.

Omnibus et singulis tam presentibus quam futuris, Quorum interest aut interesse poterit, Notum sit quod ex quo nos ex optimi Dei singulari prouidentia et gratia pro commodo Regni Suetiae, et omnibus incolis eius iam congregati sumus quod qui presentes et futuri sunt possunt et debeant vti et frui certis praescriptis legibus priuilegiis indultis et antiquis consuetudinibus. Sicut in concordatis literis inter Serenissimum D. N. Ericum Dei gratia Suetiae, Daciae, et Noruegiae Regem, Ducem Pomeraniae, ex parte vna et nos ac Regni nostri, ex parte altera prima die Septembris, hoc anno in Calmarnia ex singulari potestate et commissione sacri consilii Basiliensis et Reverendi in Christo patris D. Nicolai Episcopi Vexionensis confirmationis speciale indultum habentis, prout in literis desuper confectis, diffusius est expressum, et ob id nos pro nobis et successoribus nostris infrangibili fide nostra promittimus et post hoc sine aliqua contradictione aut versutia constanter asserimus tenere velle quod omnes cathedrales Ecclesiae et parochiales, Monasteria, Capellae, Hospitalia, et alia omnia spiritualia loca, Item Archiepiscopi, Episcopi, Praelati, Capitula et clerici, seculares vel regulares tam feminei quam masculini sexus in Regno Suecie debeant eorum iustas leges, priuilegia, immunitates, exemptiones cum omnibus eorum viris, personis, colonis, seruis, ancillis et eorum bonis mobilibus et immobilibus exemptis priuilegiatis vti, frui et possidere, sicut eorum praedicta iura, leges, priuilegia et libertates in omnibus suis articulis sonant et includunt nullis exceptis, Sicuti ipsis ea omnia a Sanctissimis Pontificibus, Christianis regibus, et omnibus dominis et Principibus vtriusque sexus, data et concessa ac indulta fuerunt vsque in praesentem diem et post hac per Dei gratiam permittentur et concedentur aut concedi possunt, quae priuilegia, literas, indulta, libertates, nos cum omnibus suis clausulis et articulis plenarie et fi miter sicuti hic expressi forent amplectimur et confirmamus quam quidem nostram confirmationem et plenum consensum, Nos facimus pro nobis, nostris successoribus et haeredibus secundum nostrum posse, Volentes ea perpetuo et irrefragabiliter obseruari debere, et in nullo modo contra facere ad honorem et gloriam omnipotentis Dei et eius gloriosissimae matris MARIAE et specialis regni nostri Patroni, et sanctae fidei Chistianae manutentionem et ad bonum et quietum statum, tam Ecclesiae et eius personarum (vt liberius valeant Deo seruire) quam nostram tranquillitatem et si eueniret (quod Deus auertat) quod aliquis cuiuscunque status, conditionis esse possit, qui praedictos Ecclesiae praelatos, clericos, et eorum bona et possessiones in eorum priuilegiis legibus libertatibus, iuribus, et immunitatibus, aliquo modo turbare vel violare voluerit; Tunc volumus nos contra similes turbatores nos opponere iuxta nostram extremam potestatem, et ita ac taliter nos exhibere ex parte huiusmodi Ecclesiae et personarum ac bonorum eius, sicuti volumus vt ipsi nos et nostra priuilegia et libertates, et antiquam consuetudinem et laudabiles vsus (si nobis aliquid aduersi contigerit) debeant adiuuare ad quod fatemur nos vere obligatos esse, Ex quo Ecclesia, Prelati, clericalis status nobiscum fideliter vsque in presens secundum eo-

w) Lege: Gotschalcus.
x) Lege: Stensson.
y) Lege: Ormsson.
z) Lege: Ulfsson.
zz) Lege: Turesson.
a) Lege: Albert.

Digitized by Google

rum extremum posse adiuuerant quod regnum, et nos saeculares, reducti sumus ad nostras leges, priuilegia, equitatem, libertatem, vsum, et voluntatem et nostrarum rerum plenariam possessionem, quae omnia a nobis longo tempore per violentiam erepta fuerant et denegata. Et ad horum omnium premissorum robur et testimonium securitatem et firmitatem nostra sigilla Apposuimus ad literas praesentes quae datae sunt in oppido Sudercopensi diocesis Lincopensis. Anno Domini M.CCCC.XXXVI. v. die Octobris b).

Similes etc. literae infra de priuilegiis ecclesiasticis violatis et reformatis suo ordine reperiuntur quod scilicet regni status saecularis nunquam prospere stetit, nisi communi adiutorio Ecclesiae et nobilium. Vtrisque enim concorditer vnitis omnia eorum bona coalescunt et disgregatis infinita mala ex omni parte etiam a vilissimis hostibus accrescunt et infliguntur. Ideoque credant frustra scriptum non esse omnia quaecunque vultis vt faciant vobis homines, eadem facite illis. Item quod Esaiae 33. dicitur. Ve qui predaris Nonne et ipse praedaberis, et qui spernis nonne et ipse sperneris? cogitent ergo quam bonum et quam iucundum est ambulare in domo Domini cum consensu, et assequi aeternam felicitatem.

NICOLAVS Ragualdi Gothus Vexionensis antequam locum inter Archiepiscopos Vpsalenses meruit obtinere, multa tulit fecitque puer sudavit et alsit, cum enim adolescens ab amicis emissus esset, ut transmisso mari, ad praeclariora Gymnasia in Germania aut Gallia, discendarum litterarum causa se transferret, accidit ipsum in littore Pomeranico (quassata tempestatibus navi) periculosum naufragium nocturno tempore incidere omnibusque sociis fato absumptis, apprachensa tabula, inter undas vario fluxu, nunc in litus nunc rursus in mare iactari, nec posse auxilium (unda fauces obstruente) clamando implorare; interea, ruricola procul a littore mansionem complexus, vocem desuper elapsam in cubiculo suo audivit, qua monebatur repente a somno surgere, et periclitanti in mari amico Dei auxilium sine mora afferre; huic voci mox obtemperans, se (quamvis media nocte) in cimbam misit, et iuvenem saeuissimis tempestatibus erutum litori restituit. Quo facto satis ostensum fuit, divinam providentiam curam de eo gerere singularem. Enimuero, docillimum sortitus ingenium, brevi tempore inter doctissimos habebatur, doctrinamque suam ita praecla-

b) Litera originalis (sub die XXV Octobr. 1436) suecico sermone conscripta adhuc in fine XVII:i seculi exstabat, ut videtur ex registro Erici Palmsköldii chronologico actorum principalium in archivo regni. Aliud exemplar in eodem conventu latino confectum sermone, quod ad concilium Basileense mitteretur, postea asservabatur in ecclesia strengnensi, unde transcriptum est in registris upsalensi (et aboensi). Ex quo cum patet, exemplar ab auctore hist. metropol. allatum nihil aliud esse, nisi versionem ex suecico originali posterius factam, hic textum latinum secundum supradicta registra inserimus.

«In nomine domini Amen. Universis et singulis, ad quorum notitiam praesens scriptum pervenerit, Christiernus Niclisson, miles et dapifer regni Sueciae . . . . . ejusdem regni consiliarii et nobiles, salutem in domino sempiternam, Ad futuram rei memoriam omnium et singulorum, quorum interest, aut quomodolibet in futurum interesse poterit deducere cupimus notitiam per praesentes, quod quia de omnipotentis dei singulari et ineffabili ordinatione et gratia speciali regnum Sueciae cum omnibus suis inhabitatoribus spiritualibus et secularibus ad hoc devenerunt, quod in posterum possint et debeant suis juribus ac legibus, privilegiis et libertatibus ac antiquis laudabilibus consuetudinibus uti pariter et gaudere, prout in litera placitationis inter serenissimum principem, dominum nostrum gratiosum, dominum Ericum Dei gracia, regem Sueciae, Daciae, Norvegiae ducemque Pomeraniae ex una et nos ex parte regni ex altera partibus, prima die Septembris anni praesentis factae Calmarniae et auctoritate sacrosancti generalis concilii Basiliensis per reverendum patrem, dominum Nicolaum episcopum Wexionensem, potestatem specialem desuper habentem confirmatae, plenius continetur. Hinc nos pro nobis et nostris successoribus et heredibus bona et inviolabili fide promittimus, et in futurum absque contradictione et dolo malo firmiter observari volumus, quod ecclesiae cathedrales et parochiales, monasteria, capellae, hospitalia et alia quaecumque spiritualia loca, archiepiscopi, episcopi, praelati, capitula et totus clerus, seculares et regulares utriusque sexus regni Sueciae suis et juribus et legibus, privilegiis et libertatibus et emunitatibus cum omnibus eorum colonis, hominibus et servitoribus, coloniis, bonis et possessionibus, mobilibus et immobilibus libere frui et gaudere valeant juxta formam modum et tenorem eorundem jurium, legum privilegiorum et libertatum in omnibus suis articulis, nullo dempto, prout ea ipsis a sanctissimis Romanis pontificibus, catholicis regibus aliisque principibus, magnatibus et dominabus data et concessa sunt usque ad praesentem diem et in futurum auctore domino concedentur. Quorum tenores omnes et singulos cum omnibus suis clausulis hic habere volumus pro expressis. Hanc autem nostram approbationem et ratihabitionem pro nobis et nostris successoribus et haeredibus adjicimus et quantum in nobis et ipsis est in perpetuum inviolabiliter observare volumus nec in aliquo contrariare, ad laudem et honorem omnipotentis dei suaeque gloriosae matris et specialiter patronorum hujus regni ad exaltacionem orthodoxae fidei nec non ad bonum et tranquillum statum tam ecclesiarum quam ecclesiasticarum personarum, ut eo liberius et devotius quo quietius divino cultui velint et valeant inservire. Et si, quod absit, quisquam cujuscunque status aut conditionis exstiterit, qui dictos ecclesiam, praelatos et clerum cum eorum supradictis attinentiis in eorum juribus et legibus, privilegiis, libertatibus et emunitatibus molestare aut perturbare praesumserit, hujusmodi perturbatoribus et molestatoribus nos pro viribus efficaciter et fideliter opponere et resistere volumus et tales nos in eorum exhibere perturbatione, quales ipsos affectamus, si nos in nostris juribus, legibus, privilegiis, libertatibus et bonis regni consuetudinibus, a quoquam contingeret molestari; et merito, cum ecclesia, praelati et clerus saepedicti nobiscum hactenus ad hoc fideliter pro extremis eorum viribus cooperati sunt, quod regnum et nos seculares ad usum privilegiorum et libertatum nostrarum pervenimus, quibus longo jam tempore superiorum violentia fuimus destituti. In cujus rei firmitatem et majorem evidentiam sigilla nostra praesentibus duximus appendenda. Datum Sudercopiae anno domini MCDXXXVI, xxv die mensis Octobris.

Litera principalis est in ecclesia Strengnensi.«

Digitized by Google

ris moribus ornavit, ut incertum relinqueret, an optimis operibus, an bonis literis clarior aestimari deberet. Reversus in patriam factusque Episcopus Vexionensis talem enim se in sanctimonia vitae atque in rerum gerendarum prudentia exhibuit, ut omnium Aquilonarium Regnorum Pontifices (qui optimi et sapientissimi erant) praecellere putaretur. Nam cum unus ex omnibus eligendus esset, quis nomine Regis et quatuor Regnorum ad Concilium Basiliense decentius et utilius mitti potuisset? Is inter tot dignissimos patres aptior est inventus, talem enim se in ipso Sacrosancto Concilio praestitit, ut non ex Gothis aut Suecis, sed ex medio Latio electus crederetur. Quocirca in summo honore exceptus et habitus non solum sibi et patriae suae, sed toti Ecclesiae catholicae sempiternam peperit gloriam et utilitatem, plurimaque difficillima negocia (quae sine consummatissimo ingenio explicari nequibant) prudenter absolvit. Itaque a toto Concilio idoneus est iudicatus, qui nomine ejusdem sacrosancti Concilii illam perplexam causam et multorum bellorum materiam (quae inter Regem Franciae et Ducem Burgundiae diuturno ac inveterato odio fovebatur) extingueret aut mitigaret. Quam provinciam, una cum socio Archiepiscopo Nicosiensi susceptam [c]) tanta prudentia ac sollicitudine usque ad optatum finem perduxit, ut potentissimi Principes, deposita omni hostilitate et odio atque in fraternam gratiam reversi, amplissimas gratias agerent Christianissimo Concilio, cuius diligentia tam necessaria concordia incepta fuit et confirmata. Hoc facto prudens Episcopus tantum utrique parti, videlicet Concilio et principibus, placuit, ut ab eis magnificentissimis donis ornatus abscederet et a patribus summa veneratione susceptus, quicquid postularet, facile pro sua reverentia exauditus impetraret. Nec parvam gratiam a tota patria sua merebatur, pro cuius honore historiam de antiquitatibus Gothorum ex probatissimis autoribus Dione Graeco, Ablabio [d]) Romano Senatore, Iordane Ravennatensi ex natione Gothorum, illustri temporum suorum scriptore, et caeteris fide dignis autoribus, ingeniose excerptam, in eodem publico omnium consessu ita peroravit, ut persuasum esset patribus Regi Gothorum non iniuria primum deberi locum inter Reges et Principes Christianos. In iis honestissimis negociis occupato ipso Nicolao, accidit patres Ecclesiae Upsalensis post fata optimi Pontificis Olavi Laurentii de idoneo successore circumspicere, et cum omnes partes, quae consummato Pontifici necessariae sunt, in eo cumulatas invenissent, ipsum *magno* consensu in suum Archiepiscopum elegerunt, qui a Basiliensi Concilio non solum in Archiepiscopatu confirmatus, sed etiam plenam authoritatem impetrauit, qua episcopos vacantibus Ecclesiis cathedralibus in sua prouincia praeficere, confirmare et consecrare posset. Attamen privilegium illud personale (eo extincto) pariter est extinctum. Igitur ea authoritate fretus confirmavit et consecravit Benedictum episcopum Lincopensem post mortem illius nobilissimi episcopi Canuti [e]), qui interim dum (exulante Olauo Archiepiscopo) Ecclesia Upsalensis Tyrannide Regis Erici vexaretur, se viriliter ac prudenter pro Regno Sueciae et tota nobilitate ac communitate exposuit, nec parva damna dum patriam salvare conaretur incidebat, a quibus grata patria ipsum et ecclesiam Lincopensem iuste relevare debuisset. Praeterea impetravit a concilio Basiliensi, ne quis decetero se primatem Regni Sueciae scribere praesumat, nisi Metropolitanus Vpsalensis, a quo omne ius primatis tota Suecia in reliquum exspectare deberet (cuius decreti exemplar habetur in bibliotheca papae inter acta generalium conciliorum [f]).

c) De hac re vide: Mansi, Sacrorum consiliorum nova collectio ... Tom. XXIX. Venetis 1788, pag. 389, seu Surii. Concilia omnia ... Tom IV. Coloniae Agrippinae MDLXVII. pag. 224.

d) Antiquus scriptor, a Jornande commemoratus, ex cuius scriptis nihil exstat.

e) Filius Boetii ex illustri gente Natt och Dag; tenuit episcopatum ab. a. 1391 ad a. 1436.

f) De hac re nullum testimonium ex huius temporis actis prodit.

Digitized by Google

Neque a modo licere archiepiscopo Lundensi electo praesuli Upsalensi pallium imponere, ut superius de Magno Boetii et Iohanne Lundensi recensetur g). Tam feliciter et cum immortali laude absolutis omnibus tum privatis tum publicis negociis, Nicolaus ex Basilea in Sueciam reversus, non secus quam Angelus de coelo missus excipitur, statimque (ut necesse fuit) sollicitudinem gerere coepit, quomodo omnes ordines, praesertim Nobiles Regni, qui exacto rege Erico periculosa controversia in mutuam perniciem ferebantur, ad concordiam revocaret et cum non possent nec vellent ob mutuum odium vacanti Regno indigenam aliquem praeficere, ipseque Carolus Canuti equestri ordine conspicuus Regni Marscalchus, bona parte nobilitatis cum eo consenciente, inclinaretur Christophoro Bauarorum duci nuper in Daniae regem assumpto, consensit tandem archiepiscopus paene inuitus in assumptione eiusdem regis Christophori, cuius fastuosos mores ex Basilea per Bavariam rediens sollicite inquisiuerat. Sed placuit nobilitati Sueticae non credere experto Pontifici, nisi suo damno experiretur. Marscalchus enim qui se putauit iuvenem Regem non aliter quam pater filium dirigere posse, primus omnium penitentiam egit, quod prudenti Archiepiscopo non credidisset. Deinde omnes Regni proceres, suam imprudentiam ex mutuo odio natam exsecrantes, experiebantur quam impossibile sit, quod umquam Regem aliquem propicium assequantur, nisi, servatis legibus patriae, se fraterna dilectione invicem prosequantur, alioquin quemcumque Regem aut Principem, sive Gothum, sive Suecum aut alienigenam elegerint, mox depraehendant, quomodo mutuum illud odium in ipsorum sempiternam ruinam convertat. Quod hic Rex Christophorus non negligenter praestitit, postquam intellexerat, nobiles Regni avidius quam prudentius terras coronae in feudum postulare, et, ut voti compotes fierent, multis infamiae notis se invicem afficere. Constituit enim, ingenti auri summa diploma assecuti feudi ex cancellaria eruendum. Nec diuturnior erat concessae terrae possessio, quam alter in eam (soluta maiore auri summa) induci precaretur. Nec erant multi dies imo non multae horae expectandae, antequam sibi invicem succederent ignavissimi homines, qui taliter elusi, non solum prudentia, sed omni thesauro a maioribus relicto spoliati fuerunt vitaque non multo post (nisi Dei auxilio servati fuissent) periclitaturi. Interim dum ea infelicitate discors nobilitas laboraret, et Archiepiscopus Nicolaus nonnulla umbra libertatis gaudere videretur, ecce quorundam malignitate spargitur in eum fama, quod cum Rege Christophoro in perniciem nobilitatis consentiret, quasi idem esset lupum per aures tenere et lupum in oves concitare. Sed impudentius talia in Pontificem sapientissimum et patriae amantissimum dicta sunt, quam ignosci tolerarique posset. Profecto non ferenda est talium ignavia, qui imprudenter exteros Reges non solum admittunt, sed eligunt, vocant, rogant, ut coronam Regni suscipiant, et demum suam maliciam patribus optime meritis imputare non verentur. Hac tamen ingratitudine nihil concussus Pontifex, omnium hominum mitissimus, quin in omnibus factis suis mansuetus, benignus, longanimis, discretus, appareret et esset, exponens se quotidiana solicitudine apud Regem, non tam pro clero et Ecclesia, quam pro tota Regni nobilitate et publica totius patriae salute, nihil aliud consulens, monens, inculcans, quam ea quae perpetuam pacem efficere potuissent, in primis summopere conatus est, Regem ab enormibus flagiciis (praesertim ab illa abhominanda incontinentia, (cui spreta propria coniuge filia Illustrissimi Marchionis Brandeburgensis praeter humanum modum indulgebat) revocare, deinde, ne Regem Angliae ad bellum temere provocaret, sed naves ejus multas et magnas (quas inestimabili thesauro oneratas occupaverat) restituere curaret, foedus-

g) Vid. supra pag. 42.

Digitized by Google

que cum Regibus, Principibus et Vandalicis Civitatibus non facile violaret. Sed nulla consilia minus admitti solent ab iis, qui Deum non verentur, quam quae Deo maxime sunt accepta. Quocirca eidem Regi, nihil felicius eccidit salubrium monitorum contemptus, quam iampridem aliis Sueciae proceribus. Nam Rex voluptati nimium indulgendo, fatum suum in loco non satis illustri acceleravit, quo audito Archiepiscopus magno et irremediabili merore affectus est, non quidem ob mortem Regis, a quo minus iusto dilectus erat, sed quia prudentissime considerabat, quomodo Suetica Nobilitas mox in suam ipsius et totius Patriae desolationem ruitura esset. Huius Pontificis diligentia, vetustissimis adductis iuribus ac coram Rege et consiliariis ac nobilibus euidentissime probatis, continuata est possessio Almersteck [h]) ut sine quacunque controversia et lite movenda libero iure perpetuo spectaret ad omnimodam possessionem et dispositionem Archiepiscopi Upsalensem atque capituli vacante sede. Imo etiam ab immemorabili tempore ita firmata fuit haec possessio, ut prius necesse foret omnes patrias leges et humanam rationem a patria tolli quam ipsam possessionem tam juste et legitime ac tanto tempore et procerum consensu stabilitam debere aut posse violari. Huius itaque dignissimi Pontificis obitus accidit in dominica secunda quadragesimae, quae erat XVII. dies Februarii, Anno M.CCCC.XLVIII.

IOHANNES Benedicti de Salestada, **XXIII** Archiepiscopus Upsalensis talem se a puerili aevo omnibus exhibuit, ut nobilitatem a parentibus acceptam praeclarissimis virtutibus eximiaque literarum scientia ornaret. Indignum ratus, eos de nobilitate gloriari, qui a virtutibus et praeclaris moribus alieni, splendorem (quem parentos ipsorum aliquando habuerunt) viciose vivendo corrumpunt, ut iam non nobiles, sed degeneres atque ignobiles omnium sapientum iudicio existimentur. Quis enim tam cecus estimator est, ut putet nobilitatem sine virtute aliud esse, quam vanum mentitae probitatis testimonium; quod eos, quibus applicatur, magis infamare, quam decorare solet. Igitur hic dignissimus Pontifex, nulla fucata aut mentita nobilitate illustris, meruit ad eam dignitatem communi patrum Ecclesiae Upsalensis consensu, post fata defuncti Nicolai conscendere, quae nullis nisi virtute praestantissimis debetur, pro cuius confirmatione et pallio Archiepiscopali non parum negocii et difficultatis superandum fuit; tunc enim Concilium Basiliense cum suo papa Felice contra Nicolaum papam V. Schisma fovebat. Ideoque necesse fuit electo Pontifici, ea industria utramque partem prospicere, ne tam nobilis Ecclesia Upsalensis (quae a principio plantatae fidei sine ruga et macula fuerat) schismatica pravitate quocunque modo macularetur. Proinde pars una nunciorum (qui pro impetrando pallio missi fuerant) ipsam confirmationem a concilio Basiliensi impetrandam consuluit, eamque obtentam electo Archiepiscopo exhibere properavit. Altera vero sanius consilium amplexa, ad Nicolaum papam V. in Romam se recipere curavit, cum qua idem summus Pontifex Electo Upsalensi rescripsit praecepitque, ut damnati conventiculi Basiliensis confirmatione reiecta, a se unico et vero summo Pontifice confirmationem impetrare curaret, quod etiam pari voto praeceptum fuit et executum. Iohannes enim a liberalitate summi Pontificis omnia feliciter assequutus, tam se quam Ecclesiam Suecanam a periculoso schismate prudentissime praeservauit, magnaque multorum spes erat, nunquam fuisse aut fore prosperiorem statum Ecclesiae Upsalensis quam sub hoc Pontifice, qui prudens, benignus, sapiens, nobilis, generosus, insuper et Regis Caroli proximus ex utroque parente consanguineus erat. Verum ea optima spe

h) Perperam haec exposuit auctor; cfr. Reuterdahl, svenska kyrkans historia, B. 2, pag. 27.

Digitized by Google

necesse fuit totam Sueciam frustrari, quando Rex Carolus plus privatis affectibus suis, quam legi consanguinitatis indulgens, patrem ac patruum avumque et alios Archiepiscopi, imo suos consanguineos indignis iniuriis afficere non vereretur. Tulisset hanc vim magna patientia modestissimus Pontifex et ex animo prorsus cieciisset, nisi etiam inchoatam temeritatem gravioribus facinoribus in Christianam Ecclesiam et clerum accumulasset simulque leges et libertates Regni in magna parte violasset, ita ut nobilitati et toti plebeae communitati intolerabilis esset. Itaque Archiepiscopus suo officio satisfacturus multa sollicitudine monere curavit ipsum Regem, ut Regnum ac populum, cui gratuita electione et non hereditaria successione praesideret, in sua libertate et praescriptis legibus conservet, sui regii iuramenti rationem habeat, perpendatque populum subiectum semper libere, nunquam servilis, conditionis extitisse nec Regii honoris esse, liberae patriae odiosam servitutem inducere. Hac paterna exhortatione cum nihil proficeret, nobilesque ac plebeae conditionis homines quotidie magis ac magis insolitis, novis atque inportabilibus oneribus praeter ius et fas a Rege onerarentur, ipse Archiepiscopus ab oppressa Nobilitate et plebea communitate sollicitis importunisque precibus rogatus, arma in communem totius patriae oppressorem movere compellitur, cuius potentia Carolus (nequidquam obsistere conatus) superatur, et in terram Prussiae (in qua septenni exilio postea delituit) fugatur, in nullo a suo ingenti thesauro (quem sudore et sanguine pauperum congesserat) adiutus. Interim vero, dum Suecia taliter sibi restituta esset, et omnes incolae eius plena libertate gauderent, coeperunt nonnulli eius nobiles cogitare, quomodo Christiernus Daciae Rex ad coronam Regni Sueciae pervenire posset, ut sub eo ad possessiones et terras suas iampridem Regi Carolo venditas denuo per vim (quando iure non liceret) restituantur. Igitur non quievit eorum perniciosa audacia, donec idem Christiernus in Regem Sueciae assumptus, pari violentia qua Carolus rexerat imperaret, ut omnes compertum haberent, tyranno excluso, tyrannidem remansisse et cum optimus Archiepiscopus, patriae amantissimus esset, bellumque perpetuum cum tyrannide pro patria suscepisset, coepit ea monitione uti apud Christiernum, qua prius Carolum monere curaverat. Sed expertus est, quomodo tyrannide pares parem gratiam bonis monitoribus referre soleant. Mox enim Christiernus (quia Sueciam opprimere statuerat) praecipuum eius liberatorem Archiepiscopum captivare non erubuit, diuque in captiuitate (quamuis innocentissimum) detinuit, donec ille patriae liberator, Catillus Episcopus Lincopensis egregia atque immortali laude dignus, vim suo Archiepiscopo et toti Regno a Danis illatam, publicis armis vindicaret, ipsoque Rege Christierno ob tam insignem ingratitudinem excluso, Suecorum et Gothorum Regna in manus indigenarum (post gravissimos labores et bella) commendaret suamque infatigabilem operam adhibuit, ut Carolus Rex et Archiepiscopus Iohannes patriae restituti in mutuam gratiam restituerentur. Attamen hic Catillus dum tam pientissimo studio ferretur, ut totam patriam plus quam vitam propriam curaret, patria ipsa et vita pestifero morbo inuasus non sine publico omnium bonorum luctu privatus est (atque in Ecclesia Lincopensi prope summum altare cum summo honore sepultus). Nec diuturna erat superstitis Archiepiscopi vita [i]), quae talem finem habuit ut inter beatos spiritus collocatus esse credatur. Tempore huius Archiepiscopi missus erat in Sueciam, Gothiam, Daciam et Norvegiam Marinus Episcopus Caminensis Pii Pontificis II. nuncius ad concordandum vel iudicandum in causa dotis Dorotheae Reginae, Christophori regis

i) Obiit in Ölandia die xv Decembris 1467. Vide literas Capituli Ups. ad Papam pro electo archiep. Thordone, dat. 23 April 1468, apud Reuterdahl Svenska kyrkans historia, III, II. 540.

Digitized by Google

Daniae, quae dos erat situata in Regno Sueciae, et tandem morte partium absoluta.

Tempore huius Archiepiscopi Iacobi erat in Suecia Bartholomeus de Camerino questor Innocentii VIII, qui et maximum thesaurum a Regnis Aquilonaribus exportavit, praesertim ad effectum debellandi Turcham.

Archiepiscopus Iacobus consecrationem et pallium accepit a Papa Paulo II. et in urbe Romana 1469 in Decembri.

Archiepiscopus Gostauus Trolle a Leone X 1515.

Iohannes Gothus Archiepiscopus Upsalensis a Clemente VII. anno 1533 in Septembri.

Archiepiscopus Olaus Gothus eius germanus frater a Papa Paulo III. Anno Domini 1544. XVI Mensis Octobris pallium, ut dictum est, accepit j).

IACOBUS Ulfonis **XXIIII** Upsalensium Archiepiscopus. Cum Romae constitutus intellexisset Regem Carolum in locum defuncti Archiepiscopi Iohannis quendam Tordonem Decanum Lincopensem contra voluntatem capituli intrusisse atque in animo suo statuisse, ne quis Metropolitanae Ecclesiae Pontificatu fungeretur, nisi qui se ad eam viuendi normam (quam ipse praescripturus esset) obligari patcretur, indignissime tulit eam Regis praesumptionem, quae legibus diuinis et humanis nimium repugnabat. Ideoque permisit sibi consecrationem et pallium Archiepiscopale a Paulo papa II. tempore Frederici III. Imperatoris, anno Domini M.CCCC.LXIX. in Decembri adhiberi. Deinde in superiores partes Germaniae ab Italia descendens, obvium habuit nuncium, qui referret, quomodo acerrimus hostis eius Rex Carolus, anno Domini M.CCCC.LXX. die xv. mensis Maii, diem clausisset extremum eodemque anno et mense praedictum Tordonem vix duabus euolutis septimanis maximo moerore ex sui Regis morte concepto obiisse. Tunc Iacobus erectis in coelum oculis et manibus dominum benedicens inquit: defuncti sunt, qui quaerebant animam pueri; surgam et revertar in terram nativitatis meae; cuius limina ingressus spectator factus est atrocis belli, quod anno Domini M.CCCC.LXXI. x Octobris apud moenia civitatis Holmensis inter Christiernum Regem (eius nominis primum) et Stenonem Sture seniorem, Regni Sueciae Gubernatorem, pertinacibus animis gerebatur, et cum neutri parti auxilium ferret, creditum fuit ipsum non sincere pro publica patriae salute sentire. Eam tamen suspicionem in proximis Regni comitiis, per summam prudentiam repellere curavit, excusationem a primo ingressu et non premeditato casu mutuatus. Praeterea in Senatu Regni surgens, obnixius (quo potuit) precatus est praesentes proceres, ut se a Senatu et publico concilio Regni liberum apud Ecclesiam suam vivere permittant, praefatus, sibi satis sollicitudinis a Christiana religione (quam ex officio servaturus esset) incumbere, ipsique profanam rem publicam ita curarent, ut domi et foris publicae paci optime consultum evaderet. Quibus precibus generosi proceres, toto studio resistentes, dicebant, se nunquam eo deduci posse, quo Pontificem tanta rerum experientia praeditum a publicis Regni negociis abesse sustineant. Enimvero nimis indecorum fore putabant suum senatum, si sapientum Pontificum praesentia vacuus, speciem praeberet reipublicae mox evertendae aut per temeritatem administrandae. Itaque ipsorum importunis precibus victus et in senatum Regni conscriptus meruit, ut tam ipse quam omnes successores sui Civitatem Upsalensem cum nonnullis vicinis territoriis pleno iure et sempiterno dominio cum omnibus regalibus obventionibus possiderent, datis desuper ab eodem Senatu literis, quibus declaratum fuit, quod ab initio fundatae Ecclesiae taliter fuisset institutum k). Insuper, ut decentem familiam pro sua dignitate et Regni honestate

j) Quamvis haec annotata ad diversa tempora spectant, tamen ordinem editionis Romanae hic servavimus.
k) Vide Spegel: Skrifteliga bevis till biskopskrönikan pag. 58, 68, 69.

Digitized by Google

alere posset, decretae sunt ei Regiae obventiones per Norabothniam, et plures alias non contemnendas provincias, quarum commoditate fretus, tot commoda patriae suae invexit, quot nulli Reges aut Principes Regni ante eum a ducentis annis invexerant. Si quidem cognita est horrenda historia Birgeri fratricidae, nec ignotus est perniciosus principatus Regis Magni Smech. Deinde quam severa fuit Alberti et Margaretae dominatio, quibus omnibus intolerabilior successit Ericus Pomeranus. Post quem Bavarus Christophorus aeque adverso fato substituitur, quo mortuo coeperunt Gothorum et Succorum proceres ad cor reversi, circumspicere in omnibus regni latebris, num aliquis tam probus indigena inveniri possit, qui maiori modestia liberum populum et patriam suam gubernaret, quam aliunde advocati. Hac spe et fiducia electus erat Carolus Canuti in Regem Sueciae, qui visus erat in omnibus virtutibus conspicuus. Sed quam parum feliciter successit ea electio, satis ostendunt historiae ad nostra tempora transmissae. Itaque cum Archiepiscopus Iacobus ea praeteritorum temporum monimenta secum cogitasset, coepit cum prudentioribus consulere, quomodo honestius atque utilius esset, super Regna Gothiae et Sueciae Gubernatorem aliquem eligere, quam Reges aliunde adductos facile admittere et rursus turpiore levitate repellere. Hoc consilio per omnes proceres approbato, Steno Sture Gubernator electus, eo titulo diu feliciterque utrumque regnum gubernavit. Si enim aureum seculum umquam Gothicis terris illuxit, profecto hoc tempore omnes incolae Saturnia Regna rediisse faterentur, quando prudentissimus Archiepiscopus, in arce Christianae reipublicae praesidens, nihil consuleret, nihil inculcaret, nihil praeciperet, nisi divinis legibus et sanctorum Patrum ac Principum institutis conforme, ipseque Steno Gubernator optimum Pontificem optime monentem ac praecipientem, non secus ac deditissimus filius audiret, sollicite curans, ne proceres aut populus, pontificiae auctoritati rebellis, divinam iracundiam in se et posteros provocaret. Felix Regnum, quando hoc modo fortitudo militaris se prudentibus consiliis dirigi permittebat, tunc enim domi et foris omnia tranquilla, civium concordia maxima, legum observantia summa, Ecclesiae et divini cultus praecipua reverentia, cum advenis et peregrinis jucunda ac liberalis conversatio, cum Vandaliciis civitatibus et earum negociatoribus fidele atque incorruptum commercium, insuper omnia per Regnum promptuaria omnibus bonis referta, omnibus viatoribus hospicia et victualia gratis praestabantur. Quid plura dicam. Omne Regnum videbatur diuina manu benedictum, quod utique sic erat, quando Pontifices Deum sincera religione colentes, populum subiectum paterna caritate fovebant, a quo rursus ut a filiis amabantur et omni veneratione digni aestimabantur. At postquam haec iucunda tranquillitas ad triginta circiter annos continuata fuisset, coeperunt nonnulli nobiles hanc quietem perturbare et prosperitati Ecclesiae, imo totius Regni nimium invidere, sanius esse putantes, coronatum Regem armis regere, quam infulatos Pontifices in amplissimo Regno consiliis praesidere. Forte hic animus in eis excitatus auctusque fuit per ambitiosas quasdam conjuges, quae dominarum fastum et nomen ambiebant, quod putabant se non posse assequi, nisi maritis suis militari cingulo per manus regias decoratis. Igitur nobilitas Suecana non secus agere coepit cum suo Archiepiscopo Iacobo, quam populus Israeliticus cum Samuele et quidem simillimo fructu, siquidem Archiepiscopus, importunis eorum precibus victus, consensit, ut Iohannes Daciae Rex in Regem Sueciae assumeretur. Sed accidit quod prudentissimus Pontifex praedixerat, videlicet quod necesse esset eos celerius Regiam potenciam fastidire, qui paternam Ecclesiae auctoritatem (qua in omni libertate conservati fuerant) tolerare nequivissent. Tertio enim anno Rege Iohanne exacto, se in libertatem vin-

Digitized by Google

dicare volentes, infinitis bellis se implicuerunt nec ab eis per viginti continuos annos requiem invenerunt, donec Rex Christiernus Regis Iohannis filius seditiosae Regnum Sueciae assecutus, totam paene nobilitatem Suecicam extinxisset. Interim tamen Iacobus eandem nobilitatem semper dilexit, fovit, monuit, ut sibi et posteris suis prudentius prospicere curaret, rediret in gratiam cum Rege, quem (abiecta illa paterna Pontificum auctoritate) elegisset; non esse tam facile aut decorum ejicere Regem, sicut assumere, quippe, ut electio voluntatis, ita obedientia (saluo iusto eius regimine) post electionem necessitatis esset, quibus monitis tantum profecit, quantum solent medici, qui negligentibus aegrotis salubria pharmaca porrigunt. Complurium enim audacia eo processit, ut inductionem eiusdem Regis Daciae Iohannis in Sueciam illi imputarent, qui profecto minus ingeniosi erant artifices, quando propriam culpam in Pontificem innocentissimum tam sollerter derivare didicissent. His tandem malis satis et nimium fatigatus, circa quadragesimumsextum sui pontificatus annum archiepiscopatum in manibus Leonis papae X. in fauorem Gostavi Trolle renunciavit; nihilominus cessione facta, supervixit annos octo, non sine gravissimis persecutionibus, ut euidens signum esset, ipsum ad eternam gloriam a Deo destinatum, qui meruit tot adversa ab ingratis hominibus (de quibus ratione liberalissimae educationis et praestiti saepius auxilii optime meritus erat) sustinere. Nec quis putet me singulas huius integerrimi Pontificis virtutes recensuisse aut recensere voluisse; id enim commentaria ista non permittunt, quae non consummatam historiam sed qualemcumque sanctorum Pontificum memoriam pollicentur. Eius mors incidit in annum Domini M.D.XXII.[l]) nec permissum erat corpus eius (obsistente Rege Gostavo) Ecclesiasticae sepulturae commendari ante annum Domini M.D.XXVI, quod tunc translatum erat a monasterio Cartusianorum Gripsholm, in quo obierat, et Upsaliae honorifice sepultum quarta Februarii praesentibus Iohanne Magno Gotho, Adriani VI. et sanctae sedis Apostolicae Legato ac Electo Upsalensi, qui hanc translationem honorifice fieri procuravit, et Reverendis Episcopis Petro Arosiensi, et Vincentio Dano, Gardensi de Gronlandia, pluribusque nobilibus utriusque sexus, et maxima plebeae multitudinis turba, a quibus non secus ac communis omnium pater plangebatur.

Nec praetereundum est Leonem papam X. misisse suos Legatos ad omnes partes Europae. Inter quos unus erat Iohannes Angelus Arcimboldus, in Sueciam missus indulgentiam plenariam offerens omnibus manus adiutrices porrigentibus pro fabrica Basilicae beati Petri de Urbe, eratque saepius cum Archiepiscopo Iacobo in Arnoe, asserens postea aliis quibuscunque, sese nunquam in toto itinere a Roma in Aquilonem proficiscendo insigniorem eo praelatum more Romanae dignitatis viventem invenisse. Erat etiam idem Legatus acceptus Principi Regni Sueciae, Domino Stenoni Sture Iuniori, qui pluries eum honestauit insignibus conuiuijs suis deditque illi liberalissima dona pellium preciosarum et argenti puri (quo Regio illa maxime ob inexhaustas mineras abundat) massam unam magnitudine latitudineque orbicularis mensae. Hoc quoque ceteri Principes quisque pro sua sorte liberalissime effecerunt et insuper, quicquid pro Fabrica praedicta a tota communitate spacio 2000. miliariorum Italicorum in urbibus et pagis per Sueciam et Gothiam commorans colligere potuit, id ipsum liberalissime sine quacunque portione (qualem reliqui Germaniae Principes pro tertia vel quarta parte sibi reservari statuerunt) libere et absque theloneis, daciis, gabellis, pedagijs aut aliis inexplebilis avariciae commentis quo vellet exportare permisit. Quantus autem thesaurus ab eisdem regnis protunc eductus fuerat, Rex Daniae Christiernus eius nominis secundus missis oratoribus 1521 ad Leonem X. decies centena milia florenorum estimaturus repetivit[m]), sed evanuit illa Legatio, dum Barbarus a Romanis aurum quaereret, quod ab omnibus nationibus loco subiectionis et obedientiae in urbem afferri consuevit.

l) Errat scriptor, nam Jac. Ulfsson commemoratur ut defunctus iam in literis Gustavi Trolle dat. 25 Juni 1521. Vide Allen: De tre nordiske rigers historie 1497—1536. III, II, 449, not. 14.

m) De hac re conferenda accurata narratio apud Allen, III, I, lib. I. pagg. 60—82.

Digitized by Google

GOSTAUUS n) **TROLLE XXV.** Upsalensium Archiepiscopus, patrem habuit Ericum Trolle, genere, eruditione, virtutibus, nobilissimum, ceterum modestiore animo, quam decorum aut utile putabatur, at mater eius, ut magno genere ita animo excelso atque vehementiore existens, credebatur virile cor femineo corpori inseruisse. Hi hunc Gostauum filium doctis praeceptoribus in bonis literis et optimis moribus erudiendum tradentes, multa sollicitudine efficere conabantur, ut non solo sanguine, sed praeclaris virtutibus nobilis putaretur et esset. Hac optima spe de eo concepta, venerabile capitulum Ecclesiae Lincopensis (quae tunc a suo electo Episcopo, doctore Hemmingo Gad, nobilium quorundam ope suffulto, vexabatur) decrevit ipsum in suum Episcopum assumere, ut vires viribus opponendo, se facilius et felicius in libertatem vindicaret. Sed cum Iacobus Archiepiscopus Upsalensis simili proposito erga ipsum duceretur, datus est locus electioni Iohannis Petri Brasconis, eiusdem Ecclesiae Lincopensis praepositi. Quis tunc non credidisset optimum Archiepiscopum prudenter consulere voluisse toti nationi Gothicae, quando toto conatu ad id ferebatur, ut Ericus Trolle, tot virtutum partibus ac numeris instructissimus, in locum defuncti Suantonis Gubernator Regnorum Gothiae et Sueciae constitueretur, eiusque filius Gostauus ad Upsalensem archiepiscopatum assumeretur, ut summa in capitibus necessitudo summam omnibus incolis concordiam et pacem generaret. Sed longe aliud est, quod piissimi patres de salute Regni optime consulere intendunt, et aliud, quod ipse Deus peccatis populi provocatus praestare solet. Siquidem cum Steno Sture iunior, defuncti Suantonis filius, acceptior esset nonnullis patribus et proceribus ac plebeae communitati, posthabito Erico, Gubernator Regnorum efficitur. Quem non longo post tempore Archiepiscopus aggressus, iampridem deponendi Pontificatus allatam sibi cupidininem dicit, quem tanto oneri imparem aetas, viribus defuncta, constituat, neque enim in fastigio se, sed privatum ac procuratione liberum decedere velle, praeteritae conversationis habitum solitario vivendi genere mutaturum, adiecitque se in successorem suum elegisse nobilem virum Gostauum Trolle, eiusdem Stenonis Gubernatoris consanguineum. Facile persuasus Steno consensit literasque pro confirmatione et assecutione pallii Archiepiscopalis in favorem ipsius Gostaui ad Leonem papam X. aliosque suos in urbe Roma procuratores scribi curavit, quibus acceptis, nuncii Archiepiscopi et capituli Upsalensis celerrimo cursu in Romam, ubi tunc Gostauus morabatur, properabant, ipsumque mox in eodem loco (currente anno a nativitate Christi M.D.XV. tempore Maximiliani Imperatoris) a Leone papa X. consecratione et pallio Archiepiscopali decorari fecerunt. Qui tandem cum primum littora Suetica ex navi insiliisset, statim aderant suasores, qui monerent ipsum, quod directo cursu in Upsaliam se conferret, eo celeri transitu insidias Stenonis (quas dicere volebant in civitate Holmensi paratas) cassaturus. Quod cum Steno persuasum et factum fuisse didicisset, vehementer indoluisse dicebatur modosque idoneos invenire studuit, quibus in colloquium eius venire possit, ut quaecumque esset controversiae causa, prius in semine quam perniciosos fructus pariat extinguatur. Sed heu dolor, tantum invalescebant ex utraque parte maligni (aut certe imprudentes) consiliarii, ut haec scintilla (quae in principio facile sopiri potuisset, si sana consilia affuissent) ad inextinguibilem flammam (qua magna pars patriae desolata est) exhalaret. Interponebant consilia sua prudentissimi Pontifices et proceres Regni, sed (ut nimis saepe fieri solet in nostra Suecia) plus potuerunt consilia in cameris nata,

n) Hic in editione Romana superscriptum legimus ‹liber sextus›, quae verba ideo omisimus, quod titulus ‹lib. quintus› ibi desideratur (quamvis in nonnullis paginis alterne legitur superscriptum: l. quartus et l. quintus), et vix divisio librorum ab ipso auctore originem ducit. Praeterea haec mutatio ob id nobis non aliena visa est, quod vitam I. Magni (ut ad medium aevum non attinentem et verisimiliter a fratre Olao conscriptam) minoribus typis inprimendam curavimus.

Digitized by Google

quam ea, quae publica comitia pro publica pace pepererunt. Erant apud Stenonem viri Ecclesiastici, non satis bonae fidei in ecclesiam, qui suis perversis facinoribus graves poenas a Pontificibus dudum meruerunt. Illi summopere curabant, ne Steno in gratiam cum Archiepiscopo reversus ipsos (ut meriti essent) permitteret castigari, neque decrant apud Archiepiscopum pertinaces discordiae suasores, qui vehementem eius animum quotidiana importunitate redderent vehementissimum, attamen venerabile capitulum Upsalense ad concordiam partium semper promptum et paratum inveniebatur. Igitur, cum bonis consiliis nullus locus reliquus esset, facta est utraque pars inexorabilis, moxque per Stenonem occupati sunt et fisco regni sine iudicio omnes Archiepiscopi proventus applicati; proposita est causa eius Romae coram Leone papa X. qui ipsam examinandam commisit Ioanni Angelo Arcimboldo, viro prudentissimo, tunc sedis Apostolicae (cum potestate legati de latere) in Suecia commissario. Interim tamen Steno, non expectato summi Pontificis iudicio, arce ecclesiae Upsalensis (quam Stech vocant) expugnata et eversa, Archiepiscopum Arosiae apud fratres praedicatores in captivitatem redegit, in qua a quodam nebulone o) indigne tractatus, vulnus gravissimum in caput excepit, unde multis ossibus erutis, dubiae saluti restitutus est. Post haec papae commissarius praedictus dominus Arcimboldus causam ipsius in comiciis Arbogensibus examinatam (cum adiuncta eius resignatione) ad summum Pontificem remittit, et capitulum Upsalense Matthiam Episcopum Strengenensem in suam et ecclesiae Upsalensis Archiepiscopum postulauit, verum cum ista ficrent, rex Christiernus saepius (assumptis et reassumptis viribus) Sueciam invadit (quem Steno, bello excipiens et post plures conflictus in prima acie pugnans, occiditur), progressus regnum occupat, et Gostauus depositum Pontificatum (nihil cunctatus) resumit coepitque suis acmulis adeo intolerabilis fieri, ut dubitare coeperint, plus ne regem Christiernum an ipsum formidare debeant; ita enim ad cor revocavit suae arcis et curiarum eversionem, bonorum omnium et Archiepiscopalium proventuum spoliationem, captivitatem, vulnerationem, abiectionem et plura alia adversa sibi iampridem illata, ut necesse fuerit eos in extremam infelicitatem incidere, quicumque eum prius laesissent aut de eius ruina laeticiam concepissent. Quem affectum, dum in ipso comperisset rex Christiernus, coepit eum hortari, ut causam suam in iudicio proponat, consolationem quam velit accepturus. Proinde illam horrendam occisionem Episcoporum et nobilium (quam Stocholmiae anno a Christo nato M.D.XX. in octava omnium Sanctorum peregit) eidem Gostavo, non solum in regno, verum etiam apud sedem Apostolicam imputauit, verumtamen usque modo pauci inventi sunt, qui credere poterant aliquem Pontificia dignitate insignem talia suadere potuisse, nisi forte qui consideraverant, illa ipsa omnem crudelitatem superasse, quae in ipsum prius fuerant irrogata. Utcunque tamen illa se habeant, certum est, illam Holmensem stragem occasionem praestitisse, qua et rex Christiernus regno et Gostauus Archiepiscopatu ac patria privaretur. Ipse enim fugatum regem in Daniam secutus, non solum exilium, sed multa, quae omni exilio sunt graviora, experiebatur. Quippe Christierno a Danis exacto, relictus est Gostauus, ut alienae gratiae innixus, vitam inopem sustentaret, quam demum fastidio habens, ad Christiernum se in Brabanciam aut partes Flandriae contulit, spem habens, quod idem rex Imperatoris auxilio amissa regna recupare potuisset. Sed erat non nihil occultae controversiae in Caesare ob regem Galliae Christierni amicum, quare noluit sperato auxilio regem Daniae adiuuare. Nihilominus ipse rex (anno Domini M.D.XXXI) conflato aliquot millium vagabundo per Frisiam exercitu ex Amsterdamo Hollandiae

o) Cui nomen erat Knut Skåning, vide Allen l. c. III. I. 56.

Digitized by Google

emporio notabilissimo, vnde neruum belli minis extorserat, solvit in Noruegiam, et inde ipse ac Archiepiscopus (sequenti anno) post infelicem pugnam secretis Danorum artibus in Daniam sunt perducti atque captivati, ibique aliquanto temporis spacio Gostauus delituit, donec, mortuo rege Daciae Friderico, ciues Lubicenses Daniam sibi subiugare conarentur, quorum turmis (dum per eas speraret Christiernum a captiuitate liberari) associatus, fortissime pugnans in bello Fionensi vulneratus et captiuatus atque in carcerem Slesvicensem perductus, miserabili fato occubuit, anno a nato Christo M.D.XXXV in medio mensis Iulii, sepultus in ecclesia cathedrali Slesuicensi.

IOHANNES MAGNUS GOTHUS, XXVI Upsalensis Archiepiscopus, Lincopiae M.CCCC.LXXXVIII. XIX Marcii natus, parentes habuit Magnum Petri et Christinam, eius loci ciues, genere honesto et nobili sed virtute clariores, qui in mandatis et iustificationibus Domini sine reprehensione incedentes, felici sex liberorum prouentu felices euaserunt, quorum tres filii ad sacerdotalem dignitatem peruenerunt, tribus filiabus inter sanctas moniales educatis, quarum duae ante professionis votum honesto matrimonio collocatae sunt, dum tertia, voto castitatis emisso, ad vitae finem Christo sponso suo in sanctitate vitae in monasterio S. Ingridis Schenningiae adherens obiret. Hic Iohannes domi et in patria liberaliter doctus, admirandum adolescentioris aetatis suae videlicet XVIII. anni coram duobus episcopis Lincopensi et Scarensi ac eorum capitulis, omnibus viris doctissimis successive congregatis suum ostendit ingenium. Nam totam bibliam totumque decretum summarie et memoriter a principio usque in finem, conuenientiores allegando sententias in laudem studiosorum, quod a timore Domini inicium sapientiae sit sumendum, 2 horis allegauit, quocirca canonicus utriusque ecclesiae illico factus, studiis earum artium (quae ad pietatem faciunt) diligentius intendebat, hanc consuetudinem habens totas algidissimae hiemis noctes pauco sopore admisso, nedum diuersa philosophiae rudimenta inquirere, sed ad altiora continue studia extremas ingenii vires eleuare (prouerbia Salomonis in triuialibus scholis exponens, ut sui studii inspectores (cur ita austere viueret et alta doceret) conuerteret in stuporem. Nec quieuit, donec se clarioribus Germaniae, Galliae et Italiae gymnasiis inseruisset atque ex eis honesti studii titulos reportasset, siquidem, postquam tirocinium eiusdem studii sui primum in Louaniensi schola (cui tunc Adrianus de Traiecto presidebat) deinde in Colonia non infeliciter expleuisset, iussus est a Stenone regni Sueciae, principe in grauibus regni Sueciae negociis ad Romanam curiam se transferre, in qua doctissimorum virorum consuetudinem nactus, totos ingenii sui neruos intendere coepit, ut eorum conuersatione talis euaderet, qualem de eo spem Suecana ecclesia concepisset. Interea Stenone (cuius negocia, imo regni gerenda susceperat) in bello occiso, vt superiore capite dictum est, se in gymnasium Perusinum recipere curauit, a quo rursus post temporum interualla (accepto in theologia magisterio) Romam reuertitur, motus illo diro vulnere, quod Suecanae ecclesiae a Christierno Danorum rege nuper inflictum fuerat. Qui cum salutares poenitentiae partes a summo Pontifice ob occisionem sanctorum pontificum, Vincentii Scarensis et Matthiae Strengenensis, petere debuisset, adiecit taliter et tam indigne occisos multa infamia ubique aspergere, ut credi possit, tales Episcopos non iniuste trucidatos. Insuper conatus erat quosdam indignos sanguinarios in eorum locum (sanctae sedis apostolicae illudendo authoritati), prout erat Theodericus Slaghec ad ecclesiam Archiepiscopalem Lundensem et Scarensem ac Iohannes Ottoniensis in ecclesiam Strengenensem, quarum Episcopos occidi procurarunt, intrudere, cuius rei indignitate Iohannes Gothus plurimum prouocatus, non cessauit informare Leonem papam X et amplissimum senatum Cardinalium de occisorum innocentia, sanctimonia, religione, pietate in patriam, constanti fide in Deum et sedem apostolicam et de omnibus aliis (quae gloriosam mortuorum memoriam facere poterant) adducere curauit, summopere suadens, vt ecclesiae vacantes in libertate conseruentur, et rex ad subeundam canonicam poenitentiam potius Dauid poenitentem sibi imitandum proponat, quam illum Saul, qui sacerdotum sanguine conspersus vita et regno pariter est priuatus. Doluit vehementer summus Pontifex Leo X, doluit totus senatus, doluerunt et omnes boni tam atrox vulnus ecclesiasticae libertati inflictum, nec minus doluerunt regem illustrissimum, imperatoris generum, tam imprudenter ad quorundam malignorum hominum suggestionem sui regii honoris rationem neglexisse, putatumque fuit, vt ad cor reuersus grauissimo supplicio affecturus esset eos, qui tam audax facinus persuasissent, ad cuius solam memoriam tota catholica ecclesia concutiebatur. Quid enim apud Christianos homines horribilius dici aut audiri queat, quam aliquem regem Christianum eos occidere, quorum vita, exemplo et doctrina Christianus est aut in Christianismo conseruatur? Igitur missus est nuncius sedis apostolicae ad regem Christiernum, Iohannes Franciscus de Potentia, qui ipsum ad sinceriorem facti confessionem conuersum efficaciter inducat, vt tanti delicti contagium plenis poenitentiae lacrimis expiare conetur et laesam sedis apostolicae maiestatem dignae satisfactionis partibus placare contendat. Hac prouincia apud Christiernum fungente Iohanne Francisco, moritur Leo papa, et in

Digitized by Google

locum eius eligitur Adrianus de Traiecto (quo praeceptore vsus fuerat Iohannes Gothus in studio Louaniensi), cui mox (ut ex Hispaniis Romam venisset) se insinuare curauit et ab eo paterna humanitate collectus, non distulit necessarias informationes facere, quomodo (occisis in Suecia Episcopis) haereticorum impietas nimia susciperet incrementa et iam paene funditus totam Christianam religionem euertisset. Itaque Adrianus papa VI (consentiente Cardinalium senatu) Iohanni Gotho sedis apostolicae legationem in causa periclitantis fidei et occisionis episcoporum ad regna Gothiae et Sueciae imponit, sed quia eundum erat per Poloniam, adiuncta est ei legatio ad regem Poloniae, Sigismundum I, super induciis inter eius Maiestatem et Albertum, Prussiae magistrum, constituendis, verum cum eo peruenisset, iam rex Albertum in gratiam receperat et eo modo pars legationis faciliorem sorciebatur effectum. Deinde datis a rege comitibus deductus est ad ciuitatem Gedanensem, a cuius senatu humaniter exceptus (praecipiente eodem rege); procurata est nauis, qua peruenit in littora Ostrogothiae, vbi a praefecto regiae arcis Stegeburgensis benigne susceptus, tertio die postquam eo peruenit, se itineri commisit, vt Gostauum Erici, regni gubernatorem, in ciuitate Strengenensi comicia celebrantem adiret. In eo itinere constitutus didicit ab obuiis, priore die videlicet anno a nato Christo M.D.XXIII sexto die Iunii ipsum Gostauum a proceribus et plebea communitate electum fuisse in regem Suecorum et Gothorum, qui etiam legati aduentum (missis in occursum eius Episcopis et proceribus) magnifice excipiendum curauit exceptoque in senatu regni per seniorem senatorem Thuronem Iohannis gratias amplissimas agi fecit, quod se Romae temporibus dubiis contra hostes patriae suae fidelem defensorem praestitisset, at vbi Legatus negocia fidei Christianae coram electo rege proposuisset, sensit Lutheranae perfidiae auctores longe plus apud ipsum iuuenem regem valuisse. Erat autem Lutheranae haeresis in Suecia fundator quidam Olaus Petri Strengenensis, ordine dyaconus, iam pridem ex Wittemberga (vbi Lutheri impietatem imbiberat) reuersus. Is idoneum sortitus discipulum quendam Laurentium Andreae, presbyterum et archidyaconum ecclesiae Strengenensis, virum quidem specie et forma magis, quam virtute religiosum, sed gloriae laudisque et nouitatis improbae cupidum atque ira percitum, quod nuper in defuncti antistitis locum electus non fuisset, quemadmodum historiae de Ario Alexandrino meminerunt. Hi duo tantam perniciem universo regno Sueciae intulerunt, vt vere credi possint ex maligno spiritu in omnium bonorum destructionem et totius patriae desolationem procreati aut suscitati. Horum consilio persuasus rex voluit, quod prouincialis synodus per Legatum celebraretur, sed in fauorem haeresis Lutheranae. Quamobrem cogitauit Legatus consilium fore non celebrare tam perniciosum concilium moxque secum deliberauit de modo, quo Lutheranas terras egredi et Romam redire possit. Eo proposito dum ferretur, a nonnullis ex capitulo Vpsalensi per literas et nuncios rogabatur, vt liceret capitulo se ad ipsius conspectum conferre, quo impetrato duo ex senioribus capituli obtulerunt manibus eius literas summo Pontifici Adriano VI scriptas, quibus capitulares Vpsalenses significabant se superioribus diebus Vpsaliae capitulariter congregatos nominasse ipsum Legatum in Archiepiscopum Vpsalensem. Quo audito legatus multa adduxit, quare ea nominatio de sua persona minus idonea esse possit, meminit sempiternae discordiae, quae inter ecclesiam Vpsalensem et praesides regni esse consueuit, iamque ipsam adeo desolatam esse, vt nullam mansionem, imo nec foueam praestare queat suo Archiepiscopo, vbi ipse caput suum reclinet, nec tacuit pericula, quae Lutherana impietas tunc Suecanae ecclesiae inuexerat et ampliora illatura videbatur. Praeterea adiecit maiorem sibi quietem et feliciorem rerum successum in Italia ab Adriano Papa patre suo vnico polliceri, quam quod opus habeat se in continua Suecorum iurgia immergere, quocirca suasit, vt cassata ea nominatione, alium quempiam concorditer nominarent vel eligerent, praefatus se longe efficacius confirmationi illius electi apud sedem apostolicam cooperaturum, quam si suam personam promoturus esset. Hoc modo praelati et canonici Vpsalenses persuasi, conclaue ingrediuntur et denuo Legatum concorditer in suum Archiepiscopum eligentes ipsum importunissimis precibus rogare, postulare, obsecrare coeperunt, ne ecclesiam metropolitanam et eos desolatos relinquat, omnino futurum asserentes, ut nisi se permittat eorum precibus superari, cogerentur haereticorum potencia superati aliquem Lutherani schismatis authorem supra se intrusum (cum sempiterna jactura totius ecclesiae Suecanae) admittere. Itaque hac pia importunitate et vrgentissima ratione victus consensit in electionem tam concorditer factam, eam conditionem adiiciens, si sanctae sedi apostolicae ita placeret, et si rex predia et quascunque possessiones ac redditus archiepiscopales dudum violenter occupatos integre restituat, cui honestae et iustae conditioni rex non solum consensit, sed precibus importunis legatum aggressus rogavit, vt plenum consensum electioni praeberet, praefatus se non solum pristinos redditus et omnia priuilegia ac libertates ecclesiae redditurum, sed maiora adiecturum, imo etiam sanguinem suum pro salute ipsius Legati (si necesse fuerit) erogaturum. In has magnificas promissiones sigillo et literis regiis confirmatas Legatus nimium confidens et ad cor altum accedens submisit se regimini et persecutionibus ecclesiae Vpsalensis suamque libertatem et eximiam promotionem (quam ei sedes apostolica pollicebatur) perplexa sollicitudine commutauit, missoque in Romam fratre suo, magistro Olauo Magno, ecclesiae Strengenensis praeposito, ad arduas et praeclaras res gerendas bene instituto, Romanam curiam de suis et omnium aliorum in Suecia electorum antistitum negociis deque Christianae fidei ruina paene irreparabili fideliter informavit et informari fecit. Ea tamen pia et sancta ac necessaria postulatione omnium ecclesiarum cathedralium nihil assequi potuit, quia mors Adriani papae VI (in quo tota spes legati collocata fuit) maximum impedimentum praesti-

Digitized by Google

tit ecclesiae Suecanae, ne in pristinum statum resurgere posset. Attamen Clemens papa VII titulum legationis in fauorem electi renouauit (adiecta authoritate administrandi ecclesiam et totam prouinciam Vpsalensem. Proinde eo ipso titulo legationis contentus, difficillima et perplexa administratione se implicari sustinuit, in qua, quantum pro publica totius regni felicitate laborauerit et quantum laborando profecerit, dicant illi, qui incorrupto sunt iudicio et affectu. Quis enim nesciat, quam difficile fuerit inter tot impias Lutheranorum blasphemias pontificale officium exercere; idque in ea terra et eo tempore, quando omnes leges diuinae et humanae penitus abolitae videbantur, quando nullum inter virtutes et vicia discrimen erat, quando sacrilegia loco praeclari facinoris ducebantur, denique quando vix tenue vestigium Christianae religionis in tota Suecia (nisi forte in latebris) inueniebatur. Et illi eam maxime oppugnabant, quorum nobilitate potissimum defensanda fuisset. Interea ipse Legatus armis sua conditione dignis omnes aduersitates superare studebat, videlicet virtutibus vicia, modestia temerarios, pacientia persecutores, sana doctrina haereticos, opportunis consiliis schismaticos, diuinae vindictae comminatione sacrilegos, vt dominici praecepti memor vinceret in bono malum et res desperationi proximas aut sanaret aut, ne deteriores fierent, prouideret. Nulli molestus, nulli durus, nulli iniuriosus, sed ea mansuetudine in omnes vsus est, vt multi ex persecutoribus ecclesiae et fidei Christianae graui dolore afficerentur, dum considerarent ipsum tale viuendi genus assumpsisse, vt ex eo beneuolos totius patriae fauores mereretur, pro cuius honore perpetuaque omnium incolarum eius vtilitate non solum domi et in regno, sed foris apud reges et principes ac magistratus continue et diligenter laborauit. Enimuero propter eam anno post natum Christum M.D.XXV difficilem et sumptuosam legationem sustinuit in ciuitatem Lubicensem, vt bella (quae Germaniae principes pro rege Christierno in amissa regna restituendo parabant) auerteret simulque causam terrae Gotlandiae (vt regno Gothiae restitueretur) cum Danorum proceribus transacturus, quam quidem prouinciam (duce Deo) ita absoluit, vt Suecanam rempublicam a periculosis bellis praeseruatam non solum cum Vandaliciis ciuitatibus, verum etiam cum terris Flandriae, Hollandiae, Prussiae aliisque multis (quae pridem cum Christierno Sueciam impugnauerant) componeret honestisque et vtilibus conditionibus pacificaret, de terra vero Gotlandiae ob Danorum absentiam protestatus est in senatu Lubicensi nomine suo et regni Gothiae, quomodo ex parte Gothorum et Suecorum satisfactum esset compromisso, quod priori anno in conuentu Malmogensi per Sueciae et Daciae reges de eadem terra Gotlandensi Sueciae et Gothiae coronae restituenda fuerat attemptatum. Adiecit quoque per literas apud regem Danorum, Fridericum, conqueri, quod Daniae oratores non adessent; rescripsit rex se suis oratoribus Lubecae agentibus eam causam commisisse. Qui cum in septimam hebdomadam exspectati non comparuissent, ipse legatus una cum suo collega, Iohanne comite de Hoya, genero regio, se rursus itineri in Sueciam accingit. Prius tamen molestas et multas Lubicensium mercatorum querelas super debitis regis Gostaui audire coactus est et, nisi diligentem sollertiam et sollertem diligentiam adhibuisset, ad arma et publicam hostilitatem (ob ea debita) deuentum fuisset, nec silentio supprimendum erit, quomodo senatus Lubicensis per primarium proconsulem Thomam de Victhen et doctorem Anthonium Podenbusschium, tunc syndicum et postea proconsulem, quam diligenter monere curauit tam ipsum legatum, quam praefatum eius collegam Iohannem comitem, ne quouismodo permitterent Christianissimum regnum Sueciae ad impias Lutheri blasphemias a fide catholica apostatare, quae quidem pia admonitio, quantum grata fuit Legato et comiti omnibusque pie sentientibus, tantum regi Gostauo (iam in Lutheranam doctrinam iurato) displicuit, qui ipsam occulta opera Legati procuratam suspicatus est, eo quod didicisset ipsum multos tractatus cum praelatis et canonicis ecclesiae Lubicensis habuisse. Qui tandem in Sueciam reuersus magno procerum et consiliariorum regni fauore in comiciis Vastenensibus excipitur, actaeque sunt illi in senatu regni gratiae singularibus verbis, quod in negociis difficillimis se talem praestitisset, vt periculosum bellum in publicam et iucundam pacem commutarit. Deinde proceres ad regem conuersi orabant, vt (habita ratione tantorum laborum et expensarum eius) curaret eum liberare a multitudine debitorum, in quae necesse fuerat ipsum ob salutem et honestatem totius patriae implicari. Annuit rex iustis petitis, literaeque desuper regio signo confirmatae sunt, vt ex regiis emendis et censibus tantumdem obtineret, quantum magnitudini ipsorum debitorum (quae quatuor milia marcharum Holmensium excedebant) sufficere posset. Verum ut promissio regia ac magnifica fuit, ita eius subita reuocatio generoso principe prorsus indigna credebatur; vix enim hebdomada integra praeterierat et gratia regia (nullum sortita effectum) exspirauit. Proinde Legatus ad septentrionales partes diocesis Vpsalensis (adiuncto sibi suffraganeo Vincentio, episcopo Gardensi) diuertit, facturus ibi officium pontificale, quod apud Iampthos a viginti octo annis (propter ecclesiae et regni turbationem) fuerat intermissum. Incredibile videtur, quanta beneuolentia a clero et omni populo Norlandiarum exceptus fuerit, nec cessauit beneuolentiam beneuolentia superare, vt omnes comprobarent, eum esse imitatorem illius veri pastoris, qui cognoscit et pascit oues suas et ante eas vadit et vocat nominatim. Siquidem emendas (quae summo sacerdoti iuxta diuinam legem pro delictis populi offerri consueuerant) in vsus pauperum liberaliter erogauit, pauperes quoque (qui casuali incendio fortunas et aedes amiserant) paterna benignitate et auxilio releuauit. Praeterea erga oppressos, quos violentia tyrannorum ad inopiam redegerat, ea largitate vtebatur, vt quandoque integras summas spoliatis restituerit, decimas etiam in pecuniam commutatas ita dispensauit, vt tantum pauperibus, quantum sibi prospexisse crederetur. Solebant terrae illae

Digitized by Google

maxima salis penuria laborare. Quocirca non solum artem eis primus omnium in Suecia tradidit, qua sal conficerent, sed officinas et sartagines in pluribus locis maritimis erigi fecit, erogatis in eum pium et necessarium vsum fere millis marcis, quas gratis et sine ullo suo emolumento voluit ad pauperum necessitates perpetuo deseruire. His et similibus studiis, quantum gratiae et fauoris apud veros Christianae pietatis cultores assequutus est, tanto odio, cum ad regem Gostauum et Lutheranos rediisset, exceptus est. Enimuero suggerentibus haereticis, rex Gostauus omnem occasionem circumspexit, ne ipse publico totius populi fauore suffultus, ecclesiam Suecanam in pristinam religionem et libertatem aliquando restituere possit. Aduenerant eisdem diebus in Holmiam naues Hollandorum sale et panno onustae; id enim in pactis conclusum fuerat anno superiore in conuentu Lubicensi per Legatum cum Caesaris oratoribus (ignorante id penitus Iohanne comite Hoyensi, qui tunc plus genio quam reipublicae indulgebat). Attamen rex Gostauus (missis per regnum epistolis) asseruit opera solius comitis magnifice succursum esse necessitati totius regni (aduecta maxima copia salis), ita vt tunc eo premio emi possit lasta integra, quo prius aegre soluebatur tunna vna. Allatae sunt etiam eadem classe plures literae ipsi legato a Caesaris consiliariis in curia Burgundiae praesidentibus, inter quas erant nonnullae Caesareo sigillo signatae, quas cum rex in superficie considerasset, suspicari coepit tales literas in ruinam et damnum totius regni a Caesareo culmine missas, quocirca legatus ex Vpsalia in Holmiam citatus, quasi laesae maiestatis reus. In domo regii praefecti conuenitur, circumstant Lutherani, parati in perniciem innocentis. Iubet rex aperiri literas, Caesarea aquila conspicuas, quibus resignatis non Caesaris, sed amitae Caesaris Margaretae nomen subscriptum apparuit. Haec magnificis verbis suo et Caesaris nomine gratias egit ipsi Legato Iohanni Gotho, Archiepiscopo designato, quod in comitiis Lubicensibus tam benignus in excipiendis Caesaris oratoribus fuisset et quod se tam fidelem ac diligentem cooperatorem publicae pacis inter Caesaris subditos et regnum Sueciae praestitisset quodque periculosas inimicitias (quibus vtrique parti graue periculum minabatur) auertisset. Proinde orabat, vt mercatores (quos ad eius petitionem cum sale in Sueciam miserat) beneuole excipere curaret, experturus ob id Caesaris beneuolentiam in omnibus votis suis non vulgarem. Hoc ex literis illustrissimae reginae; reliquorum vero illustrium Burgundionum epistolae, eundem prae se ferentes affectum, documento esse potuerunt, quomodo ingrati haeretici stupidam ingratitudinem et meras calumnias pro legatione optime gesta rependebant, neque potuit ipse rex conceptum celare furorem, quin animo indignabundo assereret, rem praepostero ordine, si non perfide, agi, quando se praeterito aliis in regno a Caesaris domo literae mitterentur. Hanc, inquit legatus, perfidiam ex perfecta fide (quam in patriam gero) prodiisse (si necesse fuerit) monstrabo, illosque in regem et patriam perfidos atque in Deum impios ostendam, qui me tam spectata sua impudentia perfide egisse mentiuntur. Itaque Legatus ab his calumniis aegre liberatus, mox grauioribus insidiis impetitur, nam rex sequenti mense et die, qui sancto Erico solemnis agebatur, concione totius regni in collibus Antiquae Vpsaliae congregata omnes vires ingenii sui eo conuertit, quo posset ipsum publico totius populi fauore (quo plurimum sustentari videbatur) spoliare, petitis ad illud propositum mediis, quae ab omni humana ratione erant remotissima. Siquidem, cum a tota praesentis populi multitudine enixe rogaretur, ut cum electo Archiepiscopo Vpsalensi, hoc est cum legato (cuius probitas toti patriae nota esset), benigne conueniret exemplumque sumeret, quam felix erat Suecia, quando alias Steno Sture senior archiepiscopum Iacobum in sua dignitate conseruasset et rursus ab eo in suo gradu cum summa totius patriae pace conseruatus esset, mox ipse rex in iram concitatus multa in medium imperitae multitudinis adduxit, quae honestius siluisset, papam, cardinales, archiepiscopos, episcopos, presbyteros, monachos et omnes clericali miliciae ascriptos non secus ac totius orbis seductores, Lutheranis instigantibus, odiose nominauit, deinde, sermone ad electum archiepiscopum conuerso, comminatus est ei gladium et rotam, nisi velit regio suo voto in omnibus obtemperare, praefatus Stenonem iuniorem gubernatorem imprudenter egisse, quando Gostauum Archiepiscopum contra patriam suo gubernio non obtemperantem extremo supplicio non affecisset. Soluta concione, auditi sunt multorum piorum hominum gemitus, quibus testati sunt non procul esse totius regni ruinam. Tum rex ea ipsa hora a Legato conuiuium Mayanum pro prandio sequentis diei (qui penthecosthes erat) extorsit, ad quod cum proceribus et tota familia sua, quae millenarium numerum superabat, accedens effecit, vt, victu longi temporis breui hora consumpto, omnia promptuaria (quae antea copiis omnibus abundabant) tunc prorsus exinanita cernerentur. Allata sunt coram inuitatis plurima et preciosa fercula, vinaque exotica et optima diuersorum generum non phialis aut ciathis sed cadis et vrnis apponebantur, vt non modo regiae familiae, sed centaurorum et lapitharum atque harpyarum conuiuio sufficere potuissent. Propterea magno omnium consensu conuiuium illud splendidum ac magnificum fuisse dicebatur, ipseque rex ingrato animo affirmabat, sibi difficile fuisse tanti conuiuii apparatum medio anno prouidere, quantum ipse Legatus medio die praeparasset. Itaque sequenti die, cum ei gratias pro hesterna liberalitate debuisset, ipsum per magistrum Laurentium Andreae haeresiarcham (vt quam totius p) in Holmia compareret) citare curauit, nec potuit trium dierum inducias (quamuis mortifera aegritudine decumbens) impetrare, quin necesse fuerit ipsum semianimem inter manus praelatorum et canonicorum suorum ad nauiculam deduci, per quam ad mortem aut car-

p) Lege: quanto ocius.

Digitized by Google

cerem confestim deportandus erat. Veniens enim ante conspectum regis in arce Holmensi verbis nec se nec rege dignis excipitur. Improperat rex sua beneficia in eum collata arguitque eum acrius, quod beneficiorum immemor illos, videlicet Lutheranos, graui odio persequeretur, qui omni fauore et gratia prosequendi essent, et inter eos praecipuum et tunc praesentem magistrum Laurentium Andreae, virum probum, omni dilectione dignum, quem in comiciis Arosiensibus priore anno molesta disputatione (faciendo se principem in senatu regni) vexarat, neque ad aliud singulares fauores domi apud plebeam multitudinem et foris apud potentes principes venaretur, quam vt eis adiutus rebellionem in regiam maiestatem libere moliatur, iamque multos ex regia curia paratos esse, vt spe liberalioris stipendii ad eius curiam deficiant. Ad hoc Legatus (summa modestia vsus) respondit: doleo (inquiens) et vehementer doleo, domine rex, si aliquando tam imprudens fuerim, quod tuam regiam maiestatem verbo vel nutu offenderim, qui nunquam in animum induxi, vt minimum lixam in tua familia aut quantumcunque homuncionem in hoc toto regno iniuria afficerem; tantum abest, ut regem meum unquam offendere statuissem. Quod autem in magistrum Laurentium et eius socios parum beneuolo affectu ducor, id me iure facere existimo, quia ipsos minime beneuolos comperio in regiam dignitatem tuam, quam vna cum tota patria damnatis haeresibus infamare et desolare contendunt; nec me principem in senatu regni constituo, sed iura regni sic disponuntur, vt Archiepiscopus primum locum in consistorio regni habeat, decetque, vt, qui ceteris praefertur, ceterorum vota fideli relatione proponat. Hoc etiam exigit reipublicae vtilitas, vt liberae sint voces praelatorum et procerum in senatu, nisi videri velint potius assentatorum, quam senatorum locum occupasse, nec longe a periurio et laesa conscientia abesse creduntur senatores illi, qui patriam (quam ob praestitum iusiurandum sanis consiliis conseruare tenentur) perniciosis consultoribus euertendam permittunt. Ceterum fauores illos principum et plebeae multitudinis (propter quos in odium et iudicium vocor) nunquam mihi magis vtiles optaui quam reipublicae et potissimum tuae maiestati, in quam neque insidias neque rebellionem unquam meditabar, nec gratum est mihi, quod aliqui ex curia maiestatis tuae ad me spe maioris lucri deficiant; iampridem nonnulli simili proposito inde profecti mihi nomina dederunt stipendiumque liberale receperunt, sed tuae maiestati plus quam mihi militauerunt. Proinde, ne talibus a modo pateat domus mea, diligentius prouidebo. Insuper quam sancte oro maiestatem tuam, ne sibi de me quicquam praeter aequum et rectum persuaderi patiatur neque aliud de me statuat, quam quod honeste ad sempiternam memoriam relinqui possit. Haec et his similia prosequenti Legato indicitur a rege silentium et, ne de cetero in aliquem locum praeter regis consensum diuertere praesumat, seuerius quam iustius prohibetur. Itaque sola specie liber, re autem vera captiuus ab arce dimittitur in monasterium sancti Francisci, inde nullatenus, nisi permittente rege, egressurus. In eo loco constitutum saepe adiit magister Laurentius Andreae haereticus, importuna persuasione constantiam animi eius superaturus, vt regio voto obtemperans Lutheranam doctrinam (quam evangelicam vocabat) toti patriae praedicandam amplecteretur, habiturus ob id maiores fauores et priuilegia ac prouentus, quam vllus antea Archiepiscopus Vpsalensis. Hoc si refugeret, sciret sibi nihil certius, quam mortem aut perpetuum exilium praeparatum. Hac importunius quam efficacius suadenti respondit Legatus, se nequaquam vitam suam aut patriam tanti aestimare, quod propter hanc vel illam verae religionis desertor esse velit; quid enim prodesset vniuersum mundum lucrari et animae suae detrimentum pati. Si tamen, inquit, in voto regis est me perpetuo exilio damnare, damnet. Domini est terra et plenitudo eius; si me per medium secare voluerit, secet, Esaiam habeo in exemplum; si in pelagus me proiici iubeat, Ionam reminiscor; si me lapidare voluerit, lapidet, Stephanus mecum est protomartyr; si caput auferre, auferat, habeo Iohannem Baptistam, simili violentia trucidatum; si facultates diripere, diripiat, nudus ingressus sum mundum et nudus reuertar in terram. Hoc responso rex prouocatus iurauit et statuit, quod, ipso a metropolitana ecclesia Vpsalensi amoto, alium quempiam noui euangelii praedicatorem instituat, concilioque Lutheranorum secrete collecto deliberat, quomodo impium papistam (hoc enim nomine sedis apostolicae Legatum affecit) perdere possit; aliis placuit, quod clam et nocturno tempore sacco insutus submergatur, alii minime expedire affirmabant, nam eo modo interemptus testimonium haberet, quod innocens periisset; proinde inquirendum esse crimen aliquod, ob quod in publico iudicio, tamquam laesae maiestatis reus, damnari et occidi vel proscribi possit; erant alii, qui neque hoc neque illud probantes affirmabant, quod nullum tale crimen in hominem omnium aestimatione innoxium satis honeste obiici aut confingi possit. Propterea opportunius consilium existimabant, quod in gratiam regis, quamuis simulatam, restitutus legationem aliquam a rege extra regnum susciperet, eoque in ea occupato rex diocesim totam Vpsalensem et quicquid in fortunis haberet, vno momento occuparet. Itum est manibus et pedibus in illud consilium, et vocatus ex monasterio Legatus ad arcem regiam, summo (sed simulato) fauore suscipitur, decernitur ad regem Poloniae orator, vt filiam eius Heduigem regi Gostauuo coniugem impetret, dantur literae, sigillantur commissiones, omniaque (praeter commeatum et expensas, quae tanto negocio necessariae essent) praeparantur. Sciuit Legatus haec omnia secum subdole agi, verumtamen tam honestae legationi non consentire nequiuit, cuius occasione tot insidias sibi, tum per haereticos, tum per falsos Christianos praeparatas euadere et summum pontificem, extra patriam constitutus, de ruina totius ecclesiae Suecanae liberius informare possit. Igitur dum ista circa eum fierent, et se itineri (vt in Gedanum ciuitatem Prussiae traiiciat) accingeret, conueniunt praelati et proceres regni

Digitized by Google

in Holmiam comitia celebraturi. Sed eorum praesentia nihil profuit innocenti ad perpetuum exilium transituro, nam qui aliquid inter eos posse videbantur, hi cum rege conspirantes, non solum ipsum Legatum, sed omnes regni pontifices vna eademque proscriptione libenter explosissent, reliqui pusillum animum habentes, quae bene pro legato et republica sentiebant, exprimere non audebant. Quocirca cum nullus esset innocentiae locus in tam amplo regno, fidesque Christiana nullum efficacem patronum inter tot nobiles et potentes viros inueniret, ecce vna cum Legato omnis virtus et honestas procul extra regnum in exsilium relegatur. At postquam toto mense Septembri in mari iactatus fuerat, nunc extra nunc rursus intra scopulos periclitando, accidit quendam nuncium regis ex Gedano redeuntem asserere, publicam famam Gedani esse, Archiepiscopum Vpsalensem illuc in exilium migraturum, qua relatione turbatus rex repente iussit principes bellicae classis suae, vt ipsum subito ex sinu, cui nomen Eluesnabbe, ad se reducant. Qui seuerum praeceptum seuerius exequuti, ipsum e naui arreptum omnibusque rebus eius (cum graui iactura) dissipatis ad regem in arce Holmensi constitutum redire compellunt, a quo denuo et nimis seuere molestatus iubetur per Finlandiam ire ad castrum Viburgense, in quo tunc praesidebat Iohannes comes de Hoya, gener regis, suscepturus ab eo commissionem ad magnum principem Moschouitarum. Doluerunt vehementer omnes boni, praecipue venerabile capitulum Vpsalense, antistitem suum tam indignis modis vexari, sciebant enim eam Moschouiticam legationem nihil aliud esse, quam transitum ad certissimam mortem. Igitur procuratur nauis, et omnia tumultuarie in ipsam importantur, a qua tamen rursus reuocatur ad regem, qui mansuetior factus fecit ei potestatem transeundi in Prussiam, accepta ab eo promissione, ne impedimentum praestet matrimonio cum filia regis Poloniae contrahendo. Hac conditione permissus est Legatus in fine mensis Octobris (dum omnia frigoribus et tempestatibus occuparentur) patriam exilio commutare atque sub specie susceptae legationis in Gedanum nauigare. Quo cum peruenisset, primo et praecipuo dolore affectus est, quod omnis supellex eius et quicquid pro commeatu et expensis nuper exportari fecerat, occuparetur a creditoribus regis Gostaui, qui eis per suas regias literas mandauerat, vt Archiepiscopi bona omnia siue per leges siue alio quouis modo apprehendere curent. Itaque ab eis medietatem omnium rerum suarum pro sustentatione perpetui exilii sui aegre potuit extorquere. O humana ratio, siccine excecari potuisti in aliquo rege Christiano, vt hominem nulli unquam noxium tot grauissimis persequutionibus tam inhumaniter afficeres. Ista nihilominus exemplo sanctorum pontificum patienter sustinuit omnemque operam apud regem Poloniae adhibuit, vt regi Gostauuo tam honesta et necessaria affinitate sociaretur, quod etiam prudentissimus et pientissimus rex Sigismundus non detrectauit, apposita pia et iusta conditione, videlicet quod Sueciae rex non permittat se per pseudoeuangelistas (qui tunc Christianam pietatem vbique euertere conabantur) a vera religione abduci. Haec enim erat summa literarum et responsionis eius, ob quas rex Gostauus plurimum indignatus permisit sibi a suis Lutheranis persuaderi hoc responsum astutia Legati procuratum, quod tamen iustius eisdem haereticis aut publicae famae attribuisset. Quippe Legatus toto animo conabatur efficere, vt matrimonium illud consummaretur, ratus illinc optatam ac necessariam occasionem aliquando praestari posse, qua rex Sigismundus primus nulli Christiana pietate secundus tam regem quam regnum Sueciae ab haeretica et schismatica prauitate liberaret. At Lutheranorum consiliariorum in Suecia studium fuit prouidere, ne post tam piam et honestam principum confederationem digna aliquando premia suorum facinorum consequerentur. Igitur rex Gostauus eorum consilio superatus, non sine inaestimabili damno suo et totius regni ab ea illustrissima affinitate resiliit. Filia erat potentissimi et optimi regis, Caesaris et Romanorum regis multorumque potentissimorum principum consanguinea, regis Hungariae neptis, moribus et vitae institutis probissima, forma et vultu venustissima, in verbis et factis prudentissima, prout attestatus est magister Olaus, qui eam in Bochna q) M.D.XXVIII vidit et alloquutus est. Dos erat maxima, nempe plus quam ducentena millia aureorum, vis quoque confederationis tanta, vt duo potentes reges sic coniuncti facile communem hostem, Moschouitarum principem, exterminare potuissent. Quibus inaestimabilibus commodis potius carere voluit infortunatus rex, quam non parere suis perfidis et sordidis Lutheranis, qui nihil praeclarum, nihil magnificum, nihil regia maiestate dignum consulere potuerunt aut nouerunt, digniores profecto, quod pecora curassent, quam regum aut regnorum negocia tractassent. Quamobrem rex Gostauus accelerat literas in Gedanum, quibus Legatum acrius increpat, quod illius affinitatis negotium ad finem usque perduxisset, et, nisi velit suo regio fauore et patria atque omnibus prouentibus Archiepiscopalibus priuari, curet, ut quam totius r) se in patriam recipiat. Iam enim in sponsam accepta erat filia ducis Magni Louuemburgensis, eique a rege Gostauuo quadraginta millia florenorum in dotem conscripta sunt. Itaque Legatus nimis inuitus et dolens, tam honesta et necessaria prouincia defunctus, ad literas regis respondit, se nunquam in patriam reuersurum, nisi religio Christiana et Christianae ecclesiae authoritas pariter in patriam restituatur. Hoc responso grauiter offensus rex indignationemque supprimens, scripsit fratri et cancellario eius, magistro Olauo Magno, praeposito Strengenensi, cuius opera in multis et arduis legationibus pro publica totius patriae vtilitate apud Caesarem, reges et principes ac magistratus saepe et fe-

q) Urbs Galiciae in vicinitate Cracouiae.
r) Lege: quanto ocius.

Digitized by Google

liciter vsus fuerat, literisque magnifica munera et magnificentissima promissa adiecit, vt quanto ocius s), relicto Legato, in Sueciam redeat, habiturus primum inter regios consiliarios locum et regni Cancellariatum, cum honoribus, tum prouentibus praecellentem. Sed cautior erat Olaus, quam quod in patriam reuersus, fieret fratris sui obses (ne quidqam, extra patriam constitutus, contra regem opera maiorum principum moliri posset), imo omnium maior et fortior causa fuit, quod Olaus carissimum fratrem suum tot iniuriis et persequutionibus afflictum et maioribus angustiis ob hoc affligendum vidit, nec umquam nisi morte interueniente deserere vellet per mutuam sepulturam, quin imo alacriter illi fratri suo usque ad mortem non tantum, quia frater eius erat, ubique adesse disponeret, sed quia secretius prae cunctis mortalibus nouit eum omnia bona fideliter conari et interim in maxima persecutione quassari. Igitur cum rex consideraret utrumque prudentius sibi consuluisse, in apertum odium concitatus, toto conatu ferebatur in eorum desolationem. Quicquid enim usquam reperiri poterat, quod eorum esse diceretur (quamquam non esset), fisco applicari iussum est vetitumque fuit sub grauissima poena, ne quidquam, vel teruntium, eis extra regnum mitteretur, neque eis literae a quouis, etiam sanguine iuncto, scriberentur aut eorum scripta reciperentur, et, qui eas ferret, vt laesae maiestatis crimine irretitus puniretur. Quare interea ex rerum suarum et prouentuum priuatione damnum passi sunt (quia horribile auditu est, relinquitur examini iudicis excelsi, qui facit iudicium iniuriam patientibus et sanat contritos corde, humilians peccatores usque ad terram). Quotquot tamen legato fauebant aut fauere credebantur, durissime et inhumaniter opprimebantur, praecipue autem venerabile capitulum Vpsalense, quod terroribus et minis diu vexatum, tandem ab ipso deficere cogebatur, nec minus saeuitum est in sacrosanctam ecclesiam Vpsalensem, cui per contemptum et ludibrium impositus est quidam Antiepiscopus Laurentius Petri, illius Olaui Petri haeresiarchae frater, aetate adolescens, rerum inexpertus, nuper a schola et ferula magistri subductus, nullo iure, nullo ordine, nulla consecratione aut authoritate in tam sublimem cathedram collocatus: qui mox nouellam reginam, Catharinam Louemburgensem, laicali potestate et schismatico ritu coronauit vel verius defoedavit. Interea Legatus totis viribus incumbebat negocio ecclesiarum cathedralium, quae pastoribus in Suecia crudelitate regis Christierni orbatae erant, effecitque (multo labore et expensis), vt Caesarea Maiestas, D. Margarita eius amita, rex Ferdinandus, rex Poloniae Sigismundus, rex Iohannes Vngariae, Cardinalis Leodiensis t), Archiepiscopus Panormitanus, Archiepiscopus Poloniae Laschi bis, Archiepiscopus Matthias ter, omnes Episcopi cum Archiepiscopis coniunctim, Episcopus Cracouiensis saepe, Iohannes Fabri Episcopus Viennensis, Episcopus Henricus Bocholt Lubicensis et eius capitulum ac senatus scriberent summo pontifici Clementi VII, vt illis ecclesiis diuturna vacatione desolatis de idoneis Episcopis prouideret; nec tamen quicquam in tam sancto et necessario negocio perfici potuit, donec Legatus anno a Christo nato M.D.XXXII (relicta ciuitate Gedanensi) summum pontificem supradictum Bononiae constitutum accederet, a quo et Carolo Caesare V. ibidem praesente tam benigne exceptus fuit, vt, quicquid pro sanctissimae religionis nostrae restitutione peteret, promptissime et abunde consequeretur. Prouisum erat ei et familiae eius per summum pontificem de expensis liberaliter. Examinata est causa ecclesiae Vpsalensis in multis consistoriis reuerendissimorum dominorum Cardinalium non solum diligenter et mature, sed fauorabiliter et gratiose, vt maligni aduersarii (qui eatenus se tam piis Legati conatibus in Romana curia maliciose obiecerant) periculum honoris et fortunarum inciderent putarenturque in diuinam religionem et sanctam sedem apostolicam nimis impii et seueriter castigandi. Tandem anno Christi M.D.XXXIII sexta die Iunii in sancta hebdomada Pentecostes (quando catholica ecclesia sancti spiritus consolationem inuocasset) consistorialiter in Archiepiscopum Vpsalensem electus atque eiusdem Clementis Papae et omnium Cardinalium consensu die XXVIII mensis Iulii in ecclesia sancti Angeli, vbi beatus Gregorius olim diuina vltione mitigata vidit angelum a flagello cessasse, consecratus est et pallio Archiepiscopali per manus reuerend. Cardinalis Alexandri de Caesarinis die exaltationis sanctae crucis inuestitus. Idoneus profecto et a Deo prouisus dies ille creditur, quo is nigram poenitentiae crucem in stola candida super humeros acciperet, qui crucem domini nostri Iesu Christi haereticorum blasphemia conculcatam rursus erigere et exaltare debebat, cui muneri sine mora satisfacturus, denuo circa medium mensis Octobris se ad longissimum et difficillimum iter, quod ei sub algidissimam brumam versus Prussiam superandum erat, apparabat, vixque ob continuam febrem, qua affligebatur, ad Gedanensium urbem (in ostio Vistulae fluuii sitam) octo mensium spatio peruenit, nec facile explicari queunt rerum et personarum incommoda, quae tali ac tanto tempore passus est. Siquidem abeunte Clemente pontifice ad ciuitatem Nisensem, ut cum Francisco, Gallorum rege, negocia quaedam perageret, frustratus est ea promissa ope, quam ab eius liberalitate pro tanto itinere sperauerat, estque coactus tenuissimas fortunas suas, quae ei post tot continuos praeteritorum annorum labores et intolerabiles expensas reliquae erant, necessariis iumentis commutare, quorum pars cum Arimini defecisset, alia debiliora sed grauiore aere comparauit, parumque aberat, quin ipsa quoque iumenta baculis, quibus pedester cum sua comitiua per duras et inhospitales terras incederet, permutasset. Est tamen Paduae in monasterio diuae Iustinae liberali hospitio ad aliquot noctes exceptus. Deinde resumpto curru, quo pridem totam suam suppellectilem illuc ex Gedano aduexerat, difficulter per saxosa

s) Hic et aliis locis in sequentibus, ubi eadem verba occurrunt, editio Romana habet: quam totius.
t) Leodium, hodie Lüttich vel Liège.

Digitized by Google

itinera Viennam Austriae urbem profectus est, in qua cum a Romanorum rege Ferdinando piam et iustam opem pro reducendis Aquilonarium regnorum schismaticis ad catholicae ecclesiae vnitatem postularet simulque diuinam retributionem et maxima sua in Caesaream domum merita abunde ostenderet et probaret, inuentus est quidam Boluesius vel Vesius u), impiae et sceleratae vitae homo, cui non satis erat plures sedis apostolicae nuncios suosque patronos turpiter prodidisse atque ob id sempiternam infamiae notam incidisse, nisi etiam pientissima negocia Archiepiscopi Vpsalensis, qui domini Dei nuncius erat, detrectasset. Regi enim omni dolo et fraude persuasit nequaquam hominem illum audiendum esse, eo quod regni Sueciae negocia contra quoscunque hostes (in quorum numero rex Christiernus erat) defendisset. Itaque Archiepiscopus illo humano auxilio destitutus, soli Deo suam causam curandam commendauit. Deinde ad Olemuntium, Morauiae urbem, perueniens, benigna ac perhumana hospitalitate ab eius loci antistite, Stanislao Tursone, venerabilique capitulo collectus, toto mense Decembri ob suae aduersae valetudinis curam ibi requieuit. Nec minor erat humanitas, quam illi Iacobus a Salsa Episcopus et capitulum Vratislauiense v) impenderunt; apud quos trimestri quiete peracta, ad Gedanum anno Domini M.D.XXXIIII in principio Iunii peruenit. In quo loco constitutus, talem se pro restituenda Christiana religione praestitit, vt non modo pro vna ecclesia metropolitana et prouincia Vpsalensi, sed pro omnibus Aquilonarium regnorum ecclesiis quotidianam sollicitudinem assumpsisse videretur. In primis per literas et fideles nuncios regem Gostauum rogare, hortari et obsecrare coepit, ne pateretur sanctissimam Christi fidem per manus sanctorum patrum traditam et tam pie et iuste constantissimeque apud Sueones et Gothos obseruatam, diutius et tam indigne ab impiis haereticis conculcari. Scripsit etiam non paucas literas w) illis paucis catholicae ecclesiae reliquiis, quae per latissimam prouinciam Vpsalensem dispersae morabantur, consolando, hortando, obsecrando, ne in grauissimis persequutionibus, quas pro fide Christi et sancta Romana ecclesia sustinebant, deficerent, sed certo certius scirent se in proximo a Deo et Dei vicario, Clemente VII, sanctaque sede apostolica, si aliquanto tempore viueret, liberandos. Sed nimis crudelia fata Clementem pontificem cum sempiterno damno non solum omnium regnorum Aquilonarium, sed totius catholicae ecclesiae ex viuorum numero abstulerunt. Praeterea omnes negociatores, qui passim et toto anni tempore ex omnibus Aquilonaribus regnis ad portum Gedanensem magno numero nauigare consueuerunt, tam ipse, quam docti presbyteri, qui cum eo erant, opportune, importune assidueque hortandos curabant, vt in unam catholicam ecclesiam credentes, vno supremo Christi vicario exemplo maiorum suorum obedirent. Nec ea exhortatione contentus, multa diligenter et pie conscripsit, quibus pertinaces haereticorum errores magnopere confutabantur, effecitque, vt magnae pietatis et eruditionis vir, Petrus Benedictus, canonicus Lincopensis, quo in re diuina vsus est sacerdote, totum noui testamenti codicem, qui ab haereticis in linguam patriam translatus et plus quam in mille locis corruptus erat, docte et fideliter restituerit, petita ex sanctis doctoribus omnium scriptorum suorum probatione fidelissima et constanti. Fuisset volumen illud maximo vsui et efficaci remedio pro conuertendis omnium illorum Aquilonarium regnorum haereticis, si Archiepiscopo per suas tenuissimas fortunas illud edere et promulgare licuisset. Egit nihilominus longe plura et praeclariora, quam sedes apostolica ab vno vigilantissimo praesule in tam difficili negocio exspectare potuisset. Inter quae non infimum locum habet illa insignis pietas, quam erga ingratam patriam demonstrabat exemplo Camilli dictatoris, qui ingratam Romam a Gallis liberauit. Accidit enim in calce eiusdem anni trigesimi quarti, magnam bellicae classis partem, quam Gostauus Sueciae rex contra Lubicenses expediuerat, littoribus Gedanensibus, vi ventorum coactam, appulisse, et ex ea plus quam centum milites a Gedanensibus captiuatos et in miserabile spectaculum ductos, deinde in carcere coniectos eorumque ducem siue capitaneum, Iuarum Flemmingum, nobilem Finniae incolam et Olaum Svart, burgimagistrum Holmensem, ne limites sui hospicii sub poena capitis egrederentur, prohibitos fuisse; nec aliud quam praesentissimum vitae periculum taliter captiuatis restare videbatur; auditae sunt promiscuae multitudinis Gedanensium voces: trucidentur confestim scelerati et sacrilegi regis satellites, publicae pacis turbatores. Tunc Archiepiscopus omnium iniuriarum immemor, pro omnium captiuorum liberatione adeo sollicite et efficaciter laborabat, vt suum fratrem et secretarium, Olaum Magnum Gothum, quotidie ad illius loci senatores emitteret nec ipsum a tam difficili negocio quiescere passus est, donec omnes usque ad vnum ab imminente morte eripuisset. Interea etiam non raro Burgrauium (sic enim praefectum regium vocant) per se accedere curauit, qui tandem transacto bimestri omnibus a carcere et vinculis eductis praecepit, vt Archiepiscopo Vpsalensi perpetuas gratias agerent, quod ad eius preces vitae ac libertati gratis et nulla interueniente multa restituti essent. Attamen durae ceruicis homines in nullo ex ea gratia mitiores effecti, cum sequenti anno ad naualem pugnam contra Lubicenses conscripti essent, tanta ferocia hostibus congrediebantur, vt potentissima ipsorum Lubicensium classis, non valens primum eorum impetum sustinere, subita fuga ad

u) Iohannes a Weze (ut ipse scribit) vel Wesalius erat primum Secretarius Christierni II, deinde Archiepiscopus Lundensis a. 1522, postremum consiliarius imperat. Caroli V. Vide: Lanz, Correspondenz des Kais. Karl V, II. Leipzig 1845, pag, 49 et plur. locis. ‘Boluesius‘ vix aliud est, nisi deformatio huius nominis ab auctore facta.

v) Hodie Breslau.

w) Ex his literis nonnullae sunt impressae apud Spegel: Skriftliga bevis till Biskopskrönikan, pag. 77 et sequent.

Digitized by Google

Vismariam, maritimum oppidum euaserunt, in cuius litore naues decem praegrandes et armis victualibusque onustas Sueonibus occupandas reliquerunt. Qua victoria rex Gostauus magnopere confirmatus, classem bellicam in freto Oeresundiano collocans, non quieuit a bellis, donec Christiernum, Holsaciae ducem, Friderici Danorum regis filium, in paternum regnum collocaret, vt sese communi auxilio contra quoscunque aduersarios confortarent. Idem Danorum rex Christiernus, XL equitibus comitatus, ex australiore Dania ad Holmiam, Sueciae regiam, celerrimo cursu aduolans, visus est vna cum Gostauo rege in omnimodam euersionem ecclesiasticae authoritatis conspirasse, qua conspiratione intellecta, Archiepiscopus ad regni Daniae antistites et electos presertim Lundensem et Roschildensem, a quorum nutu ceteri pendere videbantur, plurimas et opportunas ac pias exhortationes scribere curabat, quibus diligenter eos praemonere conatus est, vt mature solliciteque prouiderent, ne Christiana fides et catholicae ecclesiae authoritas adeo desperate in Dania collaberetur, quemadmodum in vicina Gothia et Suecia corruerat. Excepta sunt eius pia consilia minore cura, quam summa Danicae ecclesiae necessitas exigebat, quibusdam ipsius praelatis plus iusto de amicorum potentia et generis nobilitate sese efferentibus afflictaeque ecclesiae Suecanae antistites tamquam ob imbelliam collapsos sugillantibus. Attamen inuenti sunt inter eos nonnulli piae mentis viri, qui constanter asseuerabant, Danicam ecclesiam nequaquam sacrosanctam fore, postquam innocentissimi Suecanae ecclesiae pontifices ob vitae puritatem integerrimique desolati essent. Quippe diuina ira minime lento gradu ad vindictam properans, heu dolor, effecit, vt omnes Danicae ecclesiae praesules et praelati, anno a Christo nato M.D.XXXVI in mense Octobri in durissimum carcerem et ignominiosissimas reorum custodias a Christierno, eius nominis tertio, Danorum rege, detruderentur, sublata eis omni libertate et spe ad pristinas fortunas umquam redeundi; tamque vilis et abiecta facta est tota Danica ecclesia et eius universus clerus, ut serui de lapide x) emti tolerabiliorem sortem incidissent. Tunc Archiepiscopus Vpsalensis, suae solitae in Deum et Dei ecclesiam pietatis memor, primum omnium ad summi pontificis Pauli III et cardinalium noticiam tam atrocem iniuriam Danicae ecclesiae illatam per epistolas deducere curabat, rogans et obsecrans, vt aliquo pacto ostendant se curam habere euersae religionis et fidei Christianae. Praeterea omnem sollicitudinem per regni Poloniae pontifices adhibuit, vt optimus eorum rex Sigismundus I suis piis et iustis precibus hortaretur Daniae regem, ne suae maiestatis honorem Christiani sacerdotii persequutione contaminaret. Deinde apud Caesaream maiestatem et eius sororem, Mariam, quae Caesareo nomine terras Burgundiae et Flandriae gubernabat, multis et importunissimis literis instabat, vt totas vires suas liberationi illius oppressae ecclesiae sine mora adhiberent, neque minor illi erat cura y) Fredericum, Palatinum Rheni, Bauariae ducem, qui cum Caesaris neptem, Christierni secundi Danorum regis filiam, nuper in coniugem accepisset, optimum ius liberandae Daniae habere videbatur. Interea vero cum Archiepiscopus tam sollicitas operas suas non solum pro sua prouincia Vpsalensi, quae duo amplissima regna Gothiam et Sueciam continet, verumetiam pro regnis Daniae et Noruegiae, vt ad catholicae ecclesiae vnitatem redirent, assidue accommodaret spemque non paruam de sua prouincia per diligentem Sigismundi Polonorum regis cooperationem sibi polliceretur, ecce affertur illi mandatum Pauli Papae III, solitae subscriptionis authoritate firmatum, quo ad Concilium Mantuanum, quod sequenti anno M.D.XXXVII ad x Kalendas Iunii inchoandum esset, accedere iubebatur. Quo accepto in tantam rerum gerendarum perplexitatem incidit, vt omnino nesciret, quid secum statueret. Erat illi non exigua spes restituendae religionis in Aquilonaribus regnis, quae, eo procul et in Italiam abeunte, omnino deperitura videbatur, nec paruam animi molestiam concepit ex periculorum et laborum ac expensarum magnitudine, quam toties ex vltimis finibus Sarmatarum et Gothorum in Italiam eundo et redeundo sustinuerat, at erant ex aduerso non paucae rationes, quae ipsum vehementius urgebant, vt se pro libertate omnium Aquilonarium ecclesiarum ad generale concilium conferret. Solus enim atque vnicus pontifex ex omnibus illis terris residuus erat, qui posset et vellet tam insignem ruinam tot regnorum et ecclesiarum coram omnibus catholicae ecclesiae praelatis siue in concilio siue extra illud proponere, ceteris omnibus Aquilonaribus Episcopis vel in captiuitatem vel exilium detrusis, et, quia Lutherani principes sese ad futuri concilii constitutiones obligauerant, necesse fuit eos in tali congregatione per aliquem idoneum antistitem conuinci. Erat praeterea aliquis magnae potentiae et pietatis princeps, qui ab universali Synodo authoritatem petituturus erat, per quam illos septentrionales principes et populos armata manu ad catholicae ecclesiae vnitatem, si sponte redire nollent, reuocaret. Hae igitur et aliae complures rationes grauissimae necessitatem Archiepiscopo afferebant, vt neque a tenuitate fortunarum, quibus penitus exhaustus erat, neque ab imbecillitate corporis, qua plurimum laborabat, excusationem assumere vellet. Sed suorum commodorum oblitus aereque alieno non pauco pro tanti itineris necessitate contracto, elegit denuo pro fide Christi iuxta sanctorum pontificum exempla ad remotas gentes peregrinari omniaque pati, quae vel ab hereticis vel a pseudochristianis ipsi inferri possint. Quae autem et quanta passus est toto illo tempore, quo illi trium Conciliorum, Mantuani, Vicentini et Tridentini, intimationes fiebant, vix dici aut credi potest. Egressus enim a Gedano, maritima in Prussia vrbe, anno a Christo nato M.D.XXXVII. feria tertia post dominicam palmarum, nihil aliud sibi toto illo itinere, quo in Italiam iret ibique maneret et inde duce Deo rediret, polli-

x) Nonne legendum: lapidia = lapicidia?
y) Desideratur verbum, forsan: incitandi.

Digitized by Google

ceri poterat, quam cruces, spinas, aculeos, opprobria et contumelias, iniurias omnesque Dominicae passionis acerbitates, quarum tunc Christiana ecclesia memoriam agebat. Siquidem multa diebus singulis in eo itinere passus, a nullo liberalius, quam a reuerendissimo et illustrissimo principe, domino Iohanne, Episcopo Posnaniensi, alias Vilnensi, exceptus est, cui si diuturnior vita fuisset, non parum pro reducendis septentrionalibus regnis ad catholicae ecclesiae vnitatem praestitisset. Ingressurus deinde Archiepiscopus vrbem Vratislauiensem, periculosissimo casu e curru collapsus, sinistrum genu collisit vixque multis annis ab ea collisione poterat restaurari, cuius curationi plurimum cooperatus est eximius et humanissimus vir, doctor Dominicus Brocchendorffius, canonicus Vratislauiensis, in cuius domo tribus septimanis lecto assidue affixus erat. Accidit his diebus eundem Archiepiscopum Vpsalensem a quodam magni nominis praesule audire de Lutherana doctrina (quasi alto ingenio Gamalielis exemplo) sic loquente: si a Deo esset, nullus eam infringere posset, sin autem aliunde, cito rueret in se ipsam. Ad quod Archiepiscopus adductis suspiriis ait: O domine Episcope, estis vos tam pusilli cordis et vacillantis iudicii, vt credatis hanc haereticorum doctrinam omni blasphemia, sacrilegio, spurcitia, innocentium oppressione, simulatione, dolo, rapina et omnimoda maledictione plenam, vt a fructibus agnoscatur, a Deo non solum non esse, sed aeterno iudicio eius reprobari, ideoque reuerenter vos exhortor, ne vmquam in medio hominum verbum huiusmodi proferatis. Si enim prudentes sunt, offenduntur, si simplices, scandalizantur et indurantur, quasi tam impiissimae doctrinae (virtute Dei et vera scripturae intelligentia) antea non esset occurrendum, quam dominus aperta terra censuram monstraret in exterminatione Datan et Abiram et sequacium eorundem. Interea tanta aquarum inundatio omnes vias ineptas reddidit, vt totum reliquum iter per Silesiam, Morauiam, Austriam, Stiriam, Carinthiam, impedito in luto et paludibus curru, difficillima quaeque sufferre cogebatur. Nec paruum erat damnum, quod in fortunis et expensis ob illam viarum difficultatem et iumentorum debilitatem contraxit, praesertim prope villam Morauiae, Vistonitium, in cuius paludibus vltra omnem solitum cursum inundantibus omnes pontes rupti erant, necesseque fuit natantibus equis et curru praesentissimum mortis periculum superare. Occurrit in Olmuntio, Morauiae vrbe, eius loci Episcopus, Stanislaus Turso; inter multa commiserationis verba Archiepiscopo dixit: cur tantae itinerum laborum et expensarum molestiae frustra te submittis, reuertere in terram tuam, nonne vides nullos Germaniae Episcopos fidem illius Concilii decreto aut vocationi praebere? Tum Archiepiscopus in sua solita constantia perseuerans respondit: etsi angelus de coelo diceret, non adeundum esse Concilium generale, in tanta Christianae ecclesiae necessitate nequaquam essem illi pariturus. Itaque inceptum iter, quamuis multis periculis obsitum, aggressus peruenit ad Forum Iulii, Venetorum terram, in medii mensis Iunii diebus, vbi ex obuiis nunciis didicit Concilium Mantuanum (propter quod tot labores, tot pericula, tot intolerabiles expensas subiuerat) abrogatum vel prorogatum. Tunc maestus et dolens iter a Mantua ad Bononiam deflectens spem habebat, ibi se per aliquem sedis apostolicae legatum instrui posse, quomodo rebus indicti Concilii succederet. Legatus autem Cardinalis Sfortia, quia minorennis erat, misit ad eum Laurentium Gran, Episcopum Signinum, virum doctissimum, qui ab Archiepiscopo de concilio interrogatus, admirans respondit: estne aliquod concilium futurum? Quo responso accepto Archiepiscopus parum vltra cum eo loquutus est, sed supprimens alto corde dolorem secumque ingemiscens, incidit in lectum aegritudinis, in quo paene vltima fata contraxisset, nisi praedictus reuerendissimus dominus Cardinalis Legatus dedisset illi liberale subsidium, et fratres ordinis praedicatorum ipsum in conuentum sancti Dominici per summam humanitatem excepissent, a quibus circa medium mensis Septembris, vix ab ea mortifera aegritudine liber, Romam versus exiuit. In quo itinere multos aduersus casus expertus est, nam cum ex montibus Apenninis ad oppidum Scarpariae per abrupta praecipicia descenderet, a deo obumbrati sunt oculi eius, vt praeuio ductore opus haberet. Florentiae apud Abbatem sancti Benedicti hospitio susceptus, in tantum tumorem sinistri genu, tum ex praecipiti itinere, tum ex illo Vratislauiensi casu, incidit, vt ipsum genu capitis magnitudinem aequaret. Sed paucis exactis diebus, non sine diuino miraculo et ope bonorum patrum sanitati restitutus, Romanum iter continuabat veniensque in vrbem Romam quinta die mensis Octobris anno M.D.XXXVII humanissimis verbis a papa Paulo III et Cardinalibus exceptus est. Paulus enim, misso in domum sanctae Birgittae nuncio, ipsum ad se vocauit venientique de Concilio in Vicentiam sequenti septimana transferendo praedixit amplissimasque gratias egit, quod in tam difficillimis Christianae reipublicae temporibus et tot diuturnis ac continuis tyrannorum persequutionibus semper constantem fidei defensorem sese exhibuisset et tandem ad Concilium generale vocatus tam prompte comparuisset, non obstantibus tot itinerum periculis et expensis, quae vix superari posse videbantur, deinde ipsi bene sperare iusso liberales expensas pro eo et familia eius se erogaturum promisit. Iisdem quoque humanissimis verbis et gratiarum actionibus erga ipsum vsi sunt reuerendissimi domini Cardinales, se et sua liberalissime illi offerentes. Sed erat tunc tempus, quod non permittebat tam gratiosa promissa effectui mancipari. Quocirca oportuit Archiepiscopum multa rerum et expensarum penuria toto semestri, quo Romae victitabat, laborare. Suborta est etiam illi non parua sollicitudo de hospitali sive domo sanctae Birgittae, quam quidam ex magnis vrbis Romae praelatis Genutius pro suo nepote a papa impetrauerat, resque ad eam desperationem deuenerat, vt eius loci prior, Holmstanus, in proximo inde excludendus esset, nisi Archiepiscopus opportunissimo auxilio illi affuisset, qui toto trimestri tam per se, quam per germanum

Digitized by Google

suum, Olaum Magnum, nunc apud dominos cardinales, nunc apud rotae auditores assidue laborabat, donec obtenta ab eis sententia domum ipsam ab omni impetitione liberam reddidisset, ipsiusque rectorem in eius possessionem reduxisset, cui non solum labore et sollicitudine, sed etiam pecunia pro deducenda et exstinguenda lite subueniebat. Interea vero cum Archiepiscopus tam piam pauperum Christi causam ageret simulque consideraret, pontificem maximum tot tamque variis curis occupatum, vt non posset eius negocia, quae pro fide Christiana in regnis Aquilonaribus restituenda attulerat, examinare, impetrauit ab eo, vt ipsorum examinatio tribus Cardinalibus, Contarino, Theatino et Polo committerentur, coram quibus toto triduo tantaque diligentia illa negocia exponere curauit, vt nihil amplius ab eo desiderare potuissent, quicunque sanctissimae religioni bene consultum esse voluissent. Sumpto enim enarrandi principio a tempore, quo primum ab imperatore Carolo Magno Christi fides ad illa regna extendi coepit, aperte ostendit illos populos in suscepta fide et Romanae ecclesiae obedientia tam pios et constantes semper postea permansisse, vt vix alibi in tota Europa constantiores Christiani inueniri potuissent, donec Christiernus eius nominis secundus, Danorum rex, maritimam Sueciae vrbem, Stockholmiam, praetextu componendae pacis ingressus, integerrimos pontifices et praelatos ac nobilissimos senatores et proceres magno numero, fracta publica fide, anno a Christo nato M.D.XX in octaua omnium sanctorum et postea, trucidasset. Quo diro vulnere in totam Aquilonarem ecclesiam illato, vix aliqui idonei viri se deinceps ad tanta sacerdotia assumi patiebantur, quia et in patria tota ecclesiae libertas funditus euersa erat, et summus Romanae ac catholicae ecclesiae pontifex Leo X tam atrox seueri regis facinus, vel dissimulando propter Caesarem, cuius soror coniux erat Christierni, vel tardius vlsiscendo ob maliciam temporum praeterire videbatur. Imo nonnulli inter primos vrbis Romae prelatos Christierno fauentes consulebant, quod cum ipso, eo quod Caesaris gener esset, indulgentius ageretur, factumque est eorum consilio, vt, qui a Christierno in occisorum Episcoporum numero promouendi proponebantur, Romae confirmarentur, et illi, qui iuxta sacros canones et antiquam patriae consuetudinem electi erant, perinde ac summo sacerdotio indigni repellerentur. Has et complures causas occasionesque z), quas illa aquilonaria regna ad pertinacissimum schisma corruerant, Archiepiscopus primo die coram tribus deputatis Cardinalibus copioso sermone perorauit. Sequenti vero die coram ipsis aeque extensa narratione de opportunis et necessariis remediis, quae adhiberi potuissent, ita disseruit, vt eius interpretatione facillimo negocio tantis difficultatibus, antequam in extremam desperationem concidissent, succurri potuisset. Et vt in hac pia causa non solum eis suaderet, sed etiam persuaderet, multis argumentis vsus est. Adduxit inprimis Romanae ecclesiae primatum, quo eius pontifices tam iure diuino et humano, quam publico catholicae ecclesiae consensu toti orbi Christiano et omnibus eius Episcopis praesident, ideoque ad eos plurimum spectare, vt in tam difficillimo tempore magis, quam in prospero et felici, sese totius Christianae gregis curam assumpsisse ostendant. Meminit praeterea plurium veterum historiarum, quae asseuerant Romanos pontifices maximam sollicitudinem et expensas pro ethnicis schismaticisque et hereticis ad veram Christi fidem conuertendis semper impendisse, vtpote pro Gallia, Hispania, Anglia, Bohemia, Moschouia, Dania aliisque regionibus et ciuitatibus ab ipsa Romana ecclesia deficientibus vel defectionem molientibus. Addidit etiam, quomodo Christi vicarius et eius cardinales strictam rationem coram diuino iudicio reddituri essent, nisi tot Christianorum animas ab aeternae mortis periculo eripere conarentur, praesertim cum facile praestare posse videbantur, quae ab Archiepiscopo petebantur. Petiuit enim, vt Euangelium, quod haeretici in linguam Gothicam transtulerant et plus quam in mille locis corruperant, auctoritate sedis apostolicae abrogaretur, constitutionesque in ciuitatibus Arosiensi et Oerebroensi circa annos Domini M.D.XXVII et deinceps M.D.XXIX promulgatae, tamquam haereticae et diuino ac humano iuri contrariae, tam in consistorio papae, quam imperiali cum earum assertoribus damnarentur, sibique auctoritas a sede apostolica permitteretur, qua suos suffraganeos in regnis Gothiae et Sueciae pro Romanae ecclesiae obedientia consecraret, vt catholici antistites pseudo episcopos tum prudenter tum auctoritate quandoque amouerent. Alioquin non exsistentibus veris Episcopis nullum prorsus efficax remedium adhiberi posset. Demum petiuit sibi legationem a sede apostolica cum facultatibus et gratiis tanto negocio necessariis decerni. Haec omnia, quae praemissa sunt, etsi prius concedi, quam peti debuissent, tamen nec approbata nec reprobata, sed ad futurum Concilium Vicentinum, quod in proximo vere celebrandum sperabatur, remissa fuerunt, et ita Archiepiscopus de his et aliis compluribus quasi frustra propositis plurimum doluit seque in vrbem Romam aduenisse poenituit. Eundum tamen illi erat ad Vicentiam, quamquam vulgari fama Romae dicebatur nullum in eo loco concilium fieri posse; causam vero non explicabant, sed magis, vt fieri solet, susurrabant. Data sunt ei a papa Paulo tertio pro eo itinere ad importunas plurium dominorum cardinalium preces quinquaginta scuta auri, quibus tres equos emit; reliqua autem munia in locum eorum, quae pridem ob inopiam vendiderat, mutuata ab amicis pecunia, comparauit; tamquam ad difficile iter (quale egestate et alieno aere grauati agere solent) ex vrbe Roma, pro qua tot labores ab adolescentia sustinuerat, gemibundus excessit, durissima quaeque ob Christi fidem subire paratus. Veniens tandem vltima die Aprilis ad portam Vicentinam, diuertit ad proximum monasterium sanctorum Felicis et Fortunati, a

z) Hic forsan vocabulum «per» est omissum.

Digitized by Google

cuius loci abbate difficillime per vnam noctem susceptus est. Sequenti vero die nobilis vir et primus vrbis Vicentinae incola, Leonardus a Portu, audita illius abbatis duricia, vehementer Archiepiscopo condoluit effecitque, vt apud conuentuales Franciscanos in sancti Laurentii hospitio reciperetur, apud quos confestim in lectum aegritudinis incidit, a quo post duos menses vix poterat releuari, erat enim languor ille nimis vehemens et intolerabilis, quem non solum ex noxiis cibis ac corruptis vinis in itinere contraxerat, verum etiam ex illa numquam satis deplorata Christianae religionis ruina assidue patiebatur. Sed aderat illi in tot difficultatibus laboranti diuina clementia per fidelem seruum suum, Iohannem Matheum, Episcopum Veronensem, qui ad ipsum in tenui palea decumbentem ingressus, vix a lacrimis se continuit lectumque, in quo commodius et honestius iaceret, apportari fecit. Deinde, vt sanitati restitutus in publicum honeste prodire posset, de indumentis et pecunia liberalissime prouidit; quippe extunc et in duobus sequentibus annis parum minus ducentis ducatis ad releuandam eius inopiam contulit et demum post tot beneficia illi scripsit, se numquam velle ipsum deserere, etiamsi illum ab omnibus aliis deseri contingeret. Erat ille Episcopus honestissimis diuiciis praeditus, sed eas omnes in orphanos, pupillos, viduas, virgines, aduenas, peregrinos et quoscumque egentes liberalissime conferebat, sola frugalitate viuendi sibi retenta. Interea tres cardinales, summi pontificis Legati, Campegius, Simoneta et Brundusinus Vicentiam XII die mensis Maii cum publica omnium congratulatione ingressi fuerunt, ad quos Archiepiscopus inter alias complures et pias exhortationes sequentis tenoris epistolam ex lecto aegritudinis coniunctim et diuisim perscribere curauit.

"Reuerendissimi domini, cum tanta et tam difficilia sunt negocia periclitantis fidei Christianae in regnis Aquilonaribus, vt si nulla alia essent, ipsa sola satis essent, propter quae conuocari deberet Concilium totius ecclesiae catholicae, non possum sine sempiterna et inexpiabili culpa omittere, quin omni conatu et studio contendam apud reuerendissimas D. V. vt pariter secum perpendant, quid remedii et consolationis hinc exspectare possint illa Aquilonaria regna, quorum nonnulli Episcopi occisi sunt, nonnulli tetro carceri in plures annos mancipati, nonnulli transfugae et exsules in alienis terris et incertis sedibus diuagantur, suntque XXIIII ecclesiae cathedrales catholicis viduatae Episcopis, et hae tanto tempore negliguntur, donec abiecto Christianismo, paganismus, vt olim fuit (euersis funditus ecclesiis) restituatur. Plura hic scribere lacrimis et aegritudine prohibeor, hoc solum nunc per viscera Iesu Christi obsecrasse contentus, vt reuerendissimae D. Vestrae per primam occasionem dignentur tam insignem ruinam fidei Christianae diligenter perpendere, quomodo possit illis pontificibus et populis aliquo modo consuli, si non perfecta consolatione, saltem vt intelligant supremos Christiani orbis praelatos habuisse et habere paternam commiserationem calamitosi populi Christiani. Neque dubium est, quin ad sempiternam totius posteritatis memoriam perscribatur, quomodo ego hic in tam grauibus negociis exaudior, et quam consolationem mecum hinc a summis pastoribus reuersus, ad Christianum gregem, qui infernalium luporum faucibus dilaceratur, reportabo; et si hinc me minime consolatum (quod deus auertat) abire contingat, tunc coelum et terram inuocare compellor, quod nunquam mea culpa tam atrox vulnus illatum fuit in Christianae ecclesiae vnitatem, quam prudentissimis atque reuerendissimis D. V. enixius, quo valeo, conseruandam commendo. Vicentiae. M.D.XXXVIII, XXVII Maii."

Ad quam quidem epistolam Legati parce respondentes iusserunt, vt Archiepiscopus meliora tempora exspectaret, nec esset tunc alicuius remedii spes, quando Papa tam remote a loco Concilii ageret. Doluit plurimum Archiepiscopus ad tam debile responsum, quod ei in tam graui negocio reddebatur, sed magis doluit, cum vix transacto altero mense omnis spes tunc celebrandi Concilii ad futurum Dominicae resurrectionis diem interposito papae decreto prorogaretur. Restitutis deinde paululum viribus, legatos adibat obsecrabatque nunc singulos per quidquid diuinum et humanum erat, addiditque obsecrationibus gemitus et lacrimas, vt saltem vnam sessionem celebrarent, qua constitutiones Gostaui, Sueciae et Gothiae regis, procerumque eius in Comiciis Arosianis anno Christi M.D.XXVII et deinde M.D.XXIX ad euertendam in illis terris omnem Christianae ecclesiae auctoritatem promulgatas et a maiori parte subditorum eius vice legum acceptas examinarent et ab omni iure diuino et humano alienas iudicarent. Sed cum nihil omnino ob praedictam causam, quod cum tempore omnis iniquitas oppilaret os suum, ea precum importunitate proficeret, exhibuit eis quandam propositionem Nicolai Raualdi, antecessoris sui, Archiepiscopi Vpsalensis, dudum in Concilio Basiliensi propositam. In qua de praeeminentia antiquorum regum Gothorum et eorum magnificis per terrarum orbem gestis plurima memorabantur, vt ipsis legatis persuasum fieret nequaquam negligendos esse eos populos, qui suorum maiorum exemplo possent et Romanae ecclesiae et Romano imperio et reliquis nationibus aliquod graue negocium afferre. Adnotata est ea propositio inter legatorum acta, nec aliter fuit Archiepiscopo satisfactum, qui ob id animum fere despondens nihil amplius de futuro Concilio sperabat. Sed vt primus omnium praelatorum ad Vicentiam venit, ita post omnes legatos et Episcopos medio mense Septembri inde discessit. Interea a patriarcha Veneto, Hieronymo Quirino, tunc Vicentiae praesente per secretarium suum impetrauit, ut eius hospitio per aliquod tempus colligeretur, donec de vniuersali Concilio aliquid efficacius statueretur. Itaque patriarcham confestim Venetias redeuntem comitatus, omni genere humanitatis ab ipso exceptus est, nam illi et de honesta mansione et de magna expensarum parte in patriarchatu usque ad tertium annum liberaliter prouidit, cum interim optimus Episcopus Veronensis (cuius paulo

Digitized by Google

ante meminimus) in reliquis omnibus necessariis ipsum abunde releuaret. Invadebat tunc ingens Italiam fames, praesertim Venetiam et Forum Iulii, proximum eorum territorium, maximamque mortalium multitudinem occidit. Et nisi tali tempore tales consolationes Archiepiscopo a diuina prouidentia dati fuissent, omnino illi cum sua familiola fame periclitandum fuisset. Erat tamen eo tempore satis felices et nobiles ciues inter Venetos, qui ipsum saepius adeuntes eius inopiam plurimum releuare potuissent, sed praeter compassionis verba nihil ab ipsis triennali tempore, quo apud eos victitabat, assequutus est. Scripsit interea Papae de sua extrema inopia, sed frustra ab occupatissimo pontifice auxilium exspectabat. Tandem cum neque ad Dominicae resurrectionis diem occasio aliqua celebrandi Concilii appareret neque aliqua spes a modo residua videretur, Archiepiscopus tot tediis incommodisque affectus statuit sibi in Germaniam redeundum esse potius, quam in Italia sine omni vtilitate diutius et frustra versandum, tenorque epistolae talis erat.

"Sanctissime pater, deuota pedum oscula beatorum; quia illud optimum Sanctitatis vestrae desiderium, quo ad vniversalem Christianae ecclesiae restitutionem et generalis Concilii celebrationem continue ducitur, multis modis impeditur, firmiter mecum constitui cum bona venia Sanctitatis vestrae ad principium proximi Februarii in Germaniam et Poloniam redire. In quo quidem itinere non solum Caesarem, sed reges, Ferdinandum Romanorum et Sigismundum Polonorum adire decrevi, ipsa mea personali praesentia exploraturus, an exemplo sanctorum regum et principum ostendere velint, se gladium in vindictam reproborum haereticorum accepisse. Et quia negocia, quae ego hactenus promoueram et nunc promoueo atque deinceps vita comite promoturus sum, magis, ni fallor, concernunt S. V. et s. sedem apostolicam, quam meae humilitatis personam, rogo et obsecro eandem Sanct. vestram, dignetur mihi aliquam quantulamcunque portionem de pane Christi impartiri, vnde saltem necessarium commeatum pro tanto itinere tantisque Christianae fidei negociis habeam, praesertim quia ego pauperrimus Archiepiscopus grauissima damna pro S. R. ecclesia sustinueram, vtpote a patria exclusus, omnibus fortunis spoliatus et mille vitae periculis inter feroces haereticos expositus; nec illi, quibus Sanct. V. mihi prouidere iusserat, quicquam in tertium annum contulerant, imo nec vnum obolum in annuis redditibus possideo, quod ego vtique inter grauia damna non aestimarem, nisi haec mea extrema inopia extrema damna atque impedimenta restituendae ecclesiae Aquilonari inferret. Verum ego mihi firmiter persuadeo, quod Sanctitas V. quemadmodum toto animo fertur in restitutionem Christianae fidei, ita me in eo pientissimo negocio sudantem liberaliter adiuuare dignetur. Diuina Maiestas Sanctitati vestrae illa, quae in his difficillimis temporibus vtiliora fuerint, inspiret eamque sanam et felicem diu conseruet; ex patriarchatu Venetorum M.D.XL, xx Octobris."

Qua quidem epistola accepta, Papa duobus Cardinalibus, Petro Bembo, Veneto, et Reginaldo Polo, Anglico, viris vtique omni fide dignis negocium dedit, vt confestim Archiepiscopum a Germanico itinere in vrbem Romam per literas et magnificas promissiones reuocarent. Literae Bembi huius tenoris erant.

"Frater Petrus, Cardinalis Bembus, reuerendo domino, tamquam fratri, domino Iohanni Archiepiscopo Vpsalensi — Reuerende domine, tamquam frater etc. Statim vt sese occasio obtulit de te rebusque tuis cum pontifice maximo agendi, eam sane quam libenter arripui, quoquam illum, qui ad Christianos homines iuuandos eosque praesertim, qui ob dignitatis amplitudinem morumque probitatem auxilio digni maxime sunt, satis est sua sponte propensus, vehementius incitarem. Vsus sum reuerendissimo domino, Cardinale de S. Cruce, intercessore, cuius magna est apud Sanctitatem suam et auctoritas et gratia, quique tui similium studiosissimus semper est habitus et tui est, aeque ac ego sum, amantissimus. Itaque et causae aequitate et praefati reuerendissimi officio ac testimonio motus Pontifex statuit, vt Romam quam primum venires, vbi et tu Christianae rei pro virili parte nauare operam illustrius poteris, et ipse, vt ex dignitate te sustentare valeas, commodius procurabit rationemque inibit, vt tibi viaticum ne desit. Qua quidem in ratione quid constiturus sit, certi adhuc nihil habeo neque ab eo cognoscendi facultatem me habiturum spero, antequam tabellarius ad vos proficiscatur, sed alteris meis literis certior omnino fies. Interea te in viam parabis, vt et pontifici ipsi maximo morem geras et compluribus huius apostolicae sedis antistitibus, qui te de facie cognoscere tecumque colloqui cupiunt, satisfacias. Venies quidem certe exspectatus gratusque omnibus, mihi vero inprimis exspectatissimus atque gratissimus. Vale. Die xx Nouembris M.D.XL."

Eiusdem Petri Bembi secundae literae.

"Reuerende domine tamquam frater. Pecuniam, vnde sumptus in iter faceres, puto tibi pontificis maximi nomine curatam iam esse, sic enim ipse decreuit ac censet, vt nulla interposita mora te statim in viam des. Nam antequam Roma abeat Anchonam atque inde Bononiam etiam petiturus, te huc venire vult, quo de te ex te ipso vberius cognoscat tibique praesens consulat deque habitatione, quaeque praeterea ad casus tuos sustentandos opus esse iudicabit, accommodet. Hanc autem profectionem suam, vt est hominum opinio, vltra dies quinquaginta non differet. Nunc partes quae tuae sint, videas, vt pontificis de te benemerentis voluntati obtemperes rebusque tuis prospicias et nobis, qui te amamus, satisfacias. Eas optime implebis, si quamprimum venies. Vale. Roma die XVIII Decembris 1540."

Literae vero Poli sic conscriptae erant.

"Reginaldus Cardinalis Polus, reuerendo in Christo patri, domino Iohanni, Archiepiscopo Vpsalensi, amico et tamquam fratri amantissimo. — Reuerende domine et frater in Christo carissime. Redditae sunt

Digitized by Google

mihi literae reueren. D. V. quas ad me scripsit, et vna cum illis alterae ad sanctissimum D. N. quas ad me attulit dominus Iohannes Fernandus de Carthagena, familiaris olim et medicus bonae memoriae reuerendissimi Cardinalis sanctae Crucis, qui post obitum patroni cum eas accepisset literas, rogauit me, vt fungerer eo officio pro reuerendo D. V. quo dicebat patronum suum, si viueret, libenter factürum fuisse, vt scilicet curarem literas sanctissimo D. N. scriptas eidem tradi et negocium, quod in literis est contuendum, apud sanctissimum D. N. procurare. Nihil quidem necesse fuit, me rogare in causa tam pia, praesertim pro reuerend. D. V. cuius merita talia in ecclesiam agnosco, vt, qui ecclesiae rebus fauent, eidem fauere et gratificari debeant. Itaque libenter hoc munus sumpsi et statim, ut opportunitatem sum nactus, cum sanctissimo Domino N. de negocio R. D. V. egi. Sed neque necesse fuit me pluribus cum eius Sanctitate agere, qui certe statim, vt coepi exponere necessitates R. D. V. vltro se obtulit benignissimeque in omnibus respondit, sic tamen vt non probaret discessum ex Italia hoc tempore, sed cum necessitatibus subuenisset, eo potius inclinabat, vt R. D. V. huc accerseret, de omnibus vero ad reuerendum nuncium mandata et literas daturum sua Sanctitas est pollicita. Ex quo, quoniam, vt spero, R. D. V. plenius omnia intelliget, hic plura non dicam, tantum hoc rogo R. D. V. si qua in re mea opera illi vtilis esse possit, vt ad meo suo iure et libere scribat. Polliceor enim me non secus, quam si mea essent, omnia, quae pertinent ad tuendam dignitatem R. D. V. pro honore Christi me curaturum. Sic enim vt faciam, R. D. V. in ecclesiam merita me cogunt, si pius eius filius esse velim. Vale Reuerende in Christo pater et frater carissime. Dat. Romae xxi Nouemb. 1540.

Quibus literis acceptis Archiepiscopus graui dolore affectus est, tum quia a molesta et diuturna aegritudine vix conualuerat, tum quia in difficillimo tempore et in principio mensis Ianuarii illi per maria et terras eundum erat; plerisque etiam Romam vocatis non satis feliciter talis vocatio successerat. Quocirca cum esset parere necesse, sese ad tam difficile iter accingebat, quamuis illud interim per magnos amicos et magnam eorum industriam deprecari ac impedire conabatur. Erant in portu Veneto non pauci nobiles viri, qui ei in tam difficili tempore nauigaturo ex profundo corde compatiebantur, dicentes: erat ne satis afflictus iste Archiepiscopus exilio, inopia, nuditate, mendicitate et omni genere calamitatis oppressus, nisi insuper cogendus esset tam aduerso tempore nauigare, in quo etiam ad mortem iuste damnatis parcendum esset; vnde Olaus eius frater astantibus canonicis nauim ingressus ait: cernite, sic viui possunt intrare sepulcra. Quae autem tunc in mari Adriatico nauigans perpeti cogebatur, vix per alios, quam per eos, qui horrida hieme nauigant, intelligi potest et maxime per eos, qui norunt, quam importuosum sit illud litus, quod a Veneciis usque Pesaurium praeternauigari solet. Sed omnium difficillimum iter erat, quo ad vrbem Romam ex Pesaurio eundum erat. In eo enim tantum inualuit corporis aegritudo, vt necesse fuerit ipsum in humeris suorum comitum saepius per viam supportari. Tandem anno Christi M.D.XLI die xxiii Ianuarii Romam perueniens, hospicium Solis ad gradus sancti Petri ingressus est, in quo eodem die sequenti duo antedicti D. Cardinales Bembus et Polus, missis nunciis, indicibili dolore fatigatum Archiepiscopum conati sunt consolari. Verum cum summus pontifex ab vrbe vnius diei itinere distans, scriptis D. Cardinalis sanctae Crucis Archiepiscopum aduolasse in vrbem comperisset, domino Episcopo, Duranti, suo secretario mox commisit, vt Archiepiscopum in hospitali de Saxia (prout ante aduentum eius ordinatum erat) collocaret simulque praeceptori eius loci committeret, vt talem hospitem domesticis expensis refoueret. Quo cum Archiepiscopus ductu cuiusdam Lazari, familiaris domini Durantis, peruenisset aliquotque camerulas inter saucios et aegrotos inuenisset, admirari cum suspiriis coepit, quomodo tale hospicium tam amplissimis papae promissis alias oblatis ex integro concordaret. Euolutis itaque paucis diebus pontifex eum in castellum S. Angeli vocatum verbis singularibus consolatus est, omnia promittens ei pro tanta constantia semper in obseruatione religionis ostensa sicque velle de eo disponere, vt nunquam poeniteret eum suae vocationi, in vrbem veniendo, paruisse. Quo audito aliquantulum respirare coepit, putans se secundum magnitudinem dolorum suorum optatam inuenturum consolationem et ita regressus in hospitale ad arduam pacienciam sese praeparabat, tempus enim quadragesimale tunc appropinquans hoc vnicum secreti doloris remedium requirebat. In cuius initio, medio et fine, quam tenuiter ei et paucis familiaribus suis prouisum est, Deo (qui laborem et dolorem considerat) relinquitur iudicandum. Deinde transactis tribus mensibus inter alia ita scripsit reuerendo domino Antonio de Salamancha, Episcopo Curcensi, regis Ferdinandi consiliario: quamuis ternis literis eisdemque vrgentissimis a sanctissimo D. N. ex Venetiis ad Romam vocatus fuerim, tamen toto trimestri hic exspectans, nullam inopiae meae consolationem hactenus inuenio, quocirca reueren. D. V. nequaquam putet se per liberalitatem pontificis releuandam siue eximendam fore, ne suis liberalissimis promissis satisfacere curet, donec ego rescripsero me illius fraterno auxilio et fauore minime indigere. Bene valeat R. D. V. Tandem pontifex considerata eius extrema necessitate, propter quam in capella inter praelatos comparere nequiuerat, ipso die Paschae (quae fuit xvii Aprilis) misit illi triginta scuta, totidemque sequenti die reuerendissimus D. Cardinalis Alexander Farnesius, eiusdem pontificis nepos. Sed hoc liberali dono ingentes expensas longo itinere praeterito tempore factas et debita, in quae (toties propter generalia concilia in Italia prorogata peregrinando) inciderat, ante omnia persoluere est coactus. Per idem tempus duo medicinae doctores Hispani dominum Archiepiscopum (veluti amici Iob) veteri familiaritate notum, vt victus et

Digitized by Google

hospicii condicionem eius perspicerent, visitarunt vixque incepto prandio, tantum intus et extra conceperunt horrorem, vt illico aerem infectum purgaturi, fenestras omnes aperiri iuberent; nec cibis intenti grossioribus, sed admirationi, quod tam eximii nominis et meriti praesul in ea patientia (nempe in camerula, vbi ara et mensa, lectus et cloaca coniuncta videbantur) subsistere posset. Haec tamen paucissima verba Archiepiscopo compatientes retulerunt: nisi acrius et frequentius necessitates vestras auribus eorum, qui vos iuuare tenentur, inculcaueritis, moriemini in sordibus istis. Prandio itaque vel potius planctu deducto, fideles medici non minus calamitati Archiepiscopi, quam honestati s. sedis apostolicae consulturi, plures reuerendissimos dominos Cardinales, vt aliter pio praesuli prouideretur, optabant veterisque Latii gloriae et liberalitatis vt memores essent, sollicite hortabantur, quomodo videlicet adhuc etnica superstitione durante ob Italiae ciuilitatem potentes principes et carissimi viri sese in eius societatem, omnibus fortunis abiectis, (suam libertatem vel calamitatem confidentes) adduxerunt, neque decere, vt optimus antistes, omnibus exutus fortunis, patria ob fidei defensionem expulsus et mille molestiis afflictus, vlterius in tam abiecta conditione periclitaretur aut prouerbio maleficorum dicentium ad minus in hospitali moremur ingemisceret se subiectum. Cumque haec et similia etiam ipse Archiepiscopus seorsum apud reuer. D. Cardinales diceret, praesertim coram Fregosio diceret, commota sunt in eo viscera pietatis, vt cum lacrymis diceret: vt Deus parcat sanctissimo D. N. Papae Paulo III, qui vnico verbo posset has iustissimas querelas vestras consolari; paululumque postea misit Archiepiscopo viginti quinque ducatos largos. Reliqui vero illustrissimi D. Cardinales, quid summus pontifex de afflicto Archiepiscopo liberalius disponeret, exspectabant, supplicantes eius Sanctitati per plures menses, vt idem Archiepiscopo commodius et alio modo, quam in hospitali, prouidere dignaretur, vbi magis magisque viribus destitutus grauiter languere incepit et hanc sequentem epistolam reueren. D. Marcello, Cardinali sanctae Crucis, scripsit.

"Reuerendissime domine, benefactor et consolator humanissime, duo sunt, quibus maxime affligitur animus meus, nec alicubi, quam apud sanctissimum D. N. per reueren. D. V. vllum auxilium circumspicere possum. Inprimis quidem me vehementissime angit, quod iam Romae toto trimestri commoratus, nullam prorsus rationem intellexi, ob quam oportuerit me ex Venetiis (vbi satis feliciter cum reueren. D. Patriarcha, H. Quirino, manebam) tam subito et sub intolerabili hieme huc aduolare etc. Deinde non minus discrucior ob maximas incommodidates huius hospitalis, in quo non solum circumstantis aeris contrarietatem, sed plurimas alias molestias, de quibus non satis honeste scribere possum, in dies magis ac magis sustinere cogor. Proinde reuerendissima atque humanissima D. V. per illam sanctissimam Christi crucem rogata dignetur quanto ocius efficere, quod Sanctitas pontificia aut me ab his curis sine mora liberet aut gratiosam licentiam ad Venecias redeundi concedat. Ego vbicunque fuero, semper ero deditissimum mancipium Sanctitatis eius et sanctae Romanae ecclesiae, pro qua tandem, vt mihi probabiliter persuadeo, martyrii gloriam assequar immortalem etc. Plura hic scribenda essent, nisi prudentissima D. V. paucioribus instrui possit, quae felicissime valeat, ex S. Spiritu, VII Iulii M.CCCCC.XLI."

Ad dominum Cardinalem Bembum.

"Reuerendissime domine, benefactor et consolator humanissime, nihil omnino dubito, quin reuerendissima D. V. me paterno et optimo respectu iussuque pontificis ex Veneciis in vrbem Romam suis humanissimis literis vocauerit, vt ipse sanctissimus D. N. mihi pro fide Christiana et sancta Romana ecclesia diu et grauiter afflicto ita prouideret, vt lacrymae meae hic abstergerentur et non augerentur, nunc autem hic in septimum mensem exspectans, nullam prorsus rationem audio, ob quam necesse fuerit me hominem aegrotum in tam difficillimis anni temporibus per maria et terras huc aduolare, nec quicquam spei ex praeteritis ad futura mihi polliceri possum etc. Praeterea tantum fastidii in hoc hospitali, tum ob corruptum aerem, tum ob alias graues molestias, de quibus verecundum est scribere, contraxeram, vt tolerabilius sit mihi aliquod desertum commigrare, quam hic diutius detineri. Quocirca reuerendissime domine rogo reuerendissimam D. V. per viscera Iesu Christi, dignetur apud Sanctitatem pontificiam quanto ocius efficere, quod aut meam conditionem tolerabiliorem honestioremque efficiat aut me ad Venetias, vnde veni, per gratiosam licenciam redire permittat, nec dubitet Sanctitas sua, quin, sicut ipsa habet mille modos, quibus facile possit mihi succurrere, ita ego (duce Deo) totidem vias exquirere contendam, vt eius paterna beneficia ad vtilitatem decoremque S. Rom. ecclesiae opportuno tempore conuertam. Plura hic scribere lacrimis prohibeor, quas si reuerendissima D. V. vna cum reuerendissimis D. meis Theatino et Carpensi, Morono ac Cardinali sanctae Crucis non absterserit, nihil omnino reliquum erit, quo gaudere possim me vnquam in hanc vrbem reuocatum rediisse. His felicissime viuat reuerendissima D. V. Romae ex hospitali S. Spiritus M.D.XLI, VII die Iulii."

Allatus est praeterea quasi eodem tempore quidam liber Louanii impressus clarissimi viri Damiani a Goes, equitis Lusitani de moribus Indorum, sanctissimo pontifici Paulo III inscriptus, in cuius fine fidele testimonium per modum appendicis erat annexum, quomodo propter fidem Christi tuendam ipse Archiepiscopus a patria trusus erat in exilium ad vrbem Prussiae, Gedanum (vbi praedictus Damianus eidem Archiepiscopo saepius de rebus clarissimis alias est locutus) et demum in Italiam, in ciuitatem Vicentinam, anno M.D.XXXVIII, vbi generale Concilium credebatur celebrandum. Hunc librum Archiepiscopus misit D. Cardinali s. Crucis cum hac exigua supplicatione annexa. Mitto reuerendissime D. V. librum de moribus

Digitized by Google

Indiae, sanctissimo D. N. inscriptum, quem alias promisi, et quia in eius calce nonnihil de honestis et piis laboribus meis annexum exsistat, dignetur eadem reuerendissima D. V. vel eo modo accepto vel alio efficaciore informare Sanctitatem pontificiam, vt meis grauissimis casibus citius efficaciusque consulat; et felicissime valeat reuerendissima D. V. vnicum omnium calamitatum mearum refugium et releuamen, ex hospitali S. Spiritus XIII Iulii. Cumque reuerendissimi D. Cardinales supradicti tam iustis et rationabilibus causis et petitionibus Archiepiscopi apud summum pontificem in aliquo prouentu procurando (vnde honestius sustentari posset) modum et occasionem non impetrassent, saltem ad mutationem loci, quae facilior erat, commiserationem dirigebant, idque beneficio D. Cardinalis sanctae Crucis in fine Iulii effectum est, vt domum S. Michaelis prope S. Spiritum sub monte sitam (quam Episcopus Castrensis protunc loco granarii conseruabat) sub pensione tamen ingrederetur, et ita locum meliori vento subiectum mutauit, sed sub cura durissimorum dispensatorum hospitalis vsque ad IIII inde annum, quo animam efflaret, patientissime perseuerauit. Dum autem Archiepiscopus primo die Augusti in sua angustia domum illam ingredi vellet, tanta aegritudine ob exhaustas vires in hospitali contracta constringebatur, vt necessarium illi esset humeris suorum familiarium inniti et illuc licet difficillime quasi serpendo commigrare seque in lectum doloris mittere, vt opem solius Dei imploraret. Permanens igitur Archiepiscopus in domo sancti Michaelis nuper quaesita, ex lecto aegritudinis suae sequentem epistolam scripsit reuerendissimo D. Cardinali sanctae Crucis, eo quod familiarius summo pontifici conuersabatur, et eo intercessore multi feliciter vtebantur.

"Reuerendissime domine, consolator obseruandissime, intelligo sanctissimum D. N. cito ex vrbe egressurum. Proinde instantissime rogo, quod eius pontificia Sanctitas per diligentem cooperationem reuerendissimae D. V. aliquid de mea humillimi exsulis sui consolatione ante suum discessum constituere dignetur. Habeo sex necessarios seruitores, qui contra futurae hiemis horrorem vestiri volunt et stipendium pro seruitio praeteritorum mensium postulant, suntque plurima per me graui aere comparanda, quae nequeo ab hospitali Sancti Spiritus exspectare. Inter cetera etiam rogo, quod reuerendissima D. V. apud R. D. Episcopum Castrensem efficiat, ne me ab hac domo (in qua aliquantulam requiem inueni) extrudi patiatur, quia censum pro ea exponendum non grauate persoluam. Haec sunt reuerendissime D. quae per summam et solitam meam fiduciam coram reuerendissima D. V. ante suum exitum ab vrbe necessario proponere cogor, quae si (vt firmiter spero) amplitudo V. bono effectui mancipauerit, non solum meae extremae necessitati, sed sempiternae sanctissimi D. N. honestati facillimo et optatissimo negocio consulet; et felicissime valeat reuerendissima D. V. ex sancto Michaele XVII Augusti M.D.XLI."

Sed neque hac epistola, omni anxietate plena, aliquam inuenit consolationem. Scripsit etiam reuerend. domino Episcopo, Duranti.

"Reuerendissime domine Episcope, benefactor humanissime, olim totus orbis Christianus cuilibet afflicto Christiano patria erat, nunc autem haec sola vrbs Roma mihi et aliis piis vnica patria esse videtur, idque ob sanctissimum pontificem Paulum III. in ea praesidentem persuasum habemus. Sed si eius Sanctitas sese hinc (quemadmodum publica fama est) mox receperit meque sine sua paterna consolatione desolatum reliquerit, valde dolebo, ipsam Romam, communem omnium gentium patriam, mihi soli et nequaquam male merito Archiepiscopo in exsilium commutatam esse. Proinde instanter, instantius et instantissime rogo reuerendissimam D. V. dignetur quanto ocius et efficacius ad id cooperari, ne pontificia Sanctitas meam humilitatem, quam tam benignis literis reuerendissimorum dominorum Cardinalium in hanc vrbem sub tam difficillimo hiemis tempore vocauerit, penitus desolari patiatur; felicissime valeat reuerendissima D. V. ex sancto Michaele XVIII mensis Augusti M.D.XLI."

Sed cum ad hanc epistolam nullum accepisset responsum, aliam scripsit reuerendissimo D. Cardinali Ipporegiensi, Legato Bononiensi, viro optimo et humanissimo, in hunc modum.

"Reuerendissime in Christo pater et domine ac benefactor humanissime, non ob aliquam ingratitudinem, quam semper odi, cessaueram per aliquot dies a scribendis literis amplitudini vestrae, cui me et omnia gratissimi filii officia, quae unquam praestare potero, debeo, sed quia anxio animo exspectaueram absolutionem piorum negociorum meorum, propter quae pontificia Sanctitas me ad se vocauit, cuius quidem vocationis rationem nullam hactenus intelligere potui. Proinde meas passiones silendas esse putaui, ne illud compassiuum et paternum cor reuerendissimae D. V. quocunque modo turbarem. Nunc autem omittere non possum, quin instanter rogem eandem D. V. reuerendissimam, vt sanctissimum Pontificem istuc diuertentem diligenter atque efficaciter per literas vel personale colloquium informare, rogare et monere dignetur, ne me diutius in tanta omnium rerum necessitate periclitari paciatur, sed mea in sanctam sedem apostolicam merita, quae vtique parua non sunt, magnamque meorum negociorum pietatem consideret idque erga me praestet, ne me perpetuo poeniteat tot annorum labores pro sancta Romana ecclesia (quae se omnibus gratissimam exhibere solet) sustinuisse. Verum ego mihi firmiter persuadeo, quod tandem optatum finem vel alleuamen habeat haec infelix conditio mea per prudentem et diligentem cooperationem D. Vestrae reuerendissimae, quam ego et meus frater Olaus diu et felicissime valere ex toto corde optamus. Citissime ex aedibus S. Michaelis prope Palatium reuerendissimae D. V. III Septembris M.D.XLI."

Digitized by Google

Deinde x Septembris ad eundem reuerendissimum Cardinalem Ipporegiensem literas in simili causa, sed breuiore petitione transmisit, rogans sese sanctissimo pontifici et aliis reuerendissimis D. Cardinalibus siue per literas siue personale colloquium indesinenter commendari, vt tandem (inquit) habeatur aliqua honestior ratio tenuissimae conditionis et extremae inopiae meae, ad quam ob Christianam pietatem et S. Rom. ecclesiae authoritatem (vt tota fere catholica ecclesia nouit) deueneram. Reliqua hic non addam, nisi vt sancta sedes apostolica ita meae consulat necessitati, quemadmodum suae honestati consultum esse velit. Felicissime valeat reuerendissima D. V. — Quomodo autem Archiepiscopus in omni angulo et momento sollicitus erat, vt aliquam consolationem pro se et religionis restitutione assequeretur parumque obtinuerit, etiam ex epistolis sequentibus ad reuerendissimos Patriarcham Venetum et Episcopum Veronensem diuisim datis declaratur.

"Reuerendissimo domino Hieronymo Quirino, patriarchae Venetorum. — Reuerendissime in Christo pater, propter varias multiplicesque animi mei sollicitudines, quas praeteritis mensibus passus fueram, et quia nihil hinc hactenus inueneram, quae D. vestram reuerend. in nostris communibus negociis, quae pro restituenda ecclesiae libertate meditamur, consolari posse video, potius nullas, quam inanes literas scribere, quamquam etiam praesentes nullius sint momenti, nec aliud per eas innuere volo, nisi quod meo solito more spinas et aculeos ac stigmata Domini mei Iesu Christi propter fidei Christianae restitutionem in corpore meo porto, quae vtique leuius ferrem, si in hac temporum malignitate quicquam consolationis post tot importunas sollicitudines hic exspectare possim. Est tamen Sanct. D. N. et reuerend. D. Cardinalium Senatus in me satis benigno animo meque liberabilibus promissis saepius consolantur. Sed, quid futurum sit, relinquo diuinae prouidentiae, cui reuerendiss. D. V. commendo, Romae XVII Septembris M.D.XLI."

"Reuerendissimo D. Iohanni Mattheo, Episcopo Veronensi. — Reuerendissime domine benefactor humanissime. Quamquam S. D. N. et reuerend. D. Cardinales me liberalibus et magnis promissis hactenus foue-rant, spemque habeo, vt eis aliquando satisfaciant, attamen nondum aliqua sufficiens ratio mihi ostensa est, ob quam oportuisset, me in tanta mea aegritudiue et sub horrida hieme felicem et sanctam carissimi patris mei domini Patriarchae Venetorum domum exire, in qua tam quiete et feliciter viuebam, vt nullibi melius et quietius. Proinde vti meminit D. V. reuerend. illam meam profectionem multis et iustis excusationibus deprecabar, formidans illum ominosum reditum meum in vrbem, magis ad augendas, quam abstergendas lacrimas meas, ab aduersis fatis procuratum. Sed benedico Deum coeli, qui non patitur mihi alias molestias inferri, quam eas, quas eius gratia facile valeam superare. Nec queror me aliquid aduersi sustinere, sed vehementer doleo illa sanctissima Christianae pietatis negocia (ob quae tam grauia passus sum) nullibi consilium vel auxilium inuenire; felicissime valeat reuerendissima D. V. Romae M.D.XLI, XVII Septembris."

Ad has suprascriptas epistolas rursus eidem Archiepiscopo rescripserunt reuerendissimi praedicti, Patriarcha et Veronensis, exhortantes eum omnia patienter ob amorem Iesu Christi sustinere, nec unquam aliter euenire posse, quam quod diuina bonitate ad vltimum optatam acciperet consolationem. Mense igitur Octobre iam inchoato, Archiepiscopus bona fiducia plenus plurimos reuerendissimos Cardinales accessit rogans, vt pontificiae Sanctitatis viscera per eorum intercessiones, vt sui misereri dignaretur, commouerent. Sed cum nihil impetrassent, vti prius, iusserunt eum bene sperare, et tandem in medio Octobris specialiter adiuit reuerendissimum D. Cardinalem Bembum desolationem et iustum lamentum suum in tantum exaggerans, vt diceret se, si praesensisset hanc futuram calamitatem Romae subeundam, libentius sub gladio in Riuoalto Venetiis mortem elegisset. Ad quod verbum cum lacrimis prolatum et auditum ita commouebatur piissimus Cardinalis, vt hortaretur Archiepiscopum adhuc paulum sustinere, donec amicis suis D. Cardinalibus super iustis querelis et precibus eius loqueretur persuaderetque talem hominem deseri non debere aut posse, nisi cum perpetua infamia apostolicae sedis, cuius Legatus alias ab Adriano VI. ad Aquilonaria regna in causa fidei emissus ac per Clementem VII in eadem legatione confirmatus esset et demum ad generale Concilium vt Archiepiscopus reuocatus.

Itaque in medio mense Nouembri M.D.XLI. propositionem faciente reuerendissimo D. Cardinali de Carpo, conclusum erat, vt Archiepiscopus pro sua sustentatione de Collegio reuerendissimorum D. Cardinalium singulo mense quindecim ducatos de Camera assequeretur, et ita nomiuatim reuerendissimus D. Cardinalis Theatinus, qui tunc Camerarius erat, singulorum consensum impetrauit. Sed ne summi pontificis liberalitas inopi Archiepiscopo deesset, iidem reuerendissimi Domini Cardinales Sanctitati eius, quid a Collegio Cardinalium dari decretum fuerat, significarunt, enixius et saepius supplicantes, vt saltem tantumdem eidem Archiepiscopo pontificia Sanctitas dare dignaretur, donec certiores vberioresque prouentus, prout bene meritus erat, consequeretur, quibus pontifex sic respondit: gratias agimus vobis, quod bono viro et bene merito succurrendum esse decreuistis; vos additis mihi calcar, vt me talem ei praestem, ne poeniteat ipsum ad nos in Romam rediisse. Hoc liberali prouisione animaequior Archiepiscopus factus, exitum pontificii promissi per aliquot septimanas et menses exspectabat. Interim vero dum prolixius traheretur hoc promissum suae Sanctitatis, iubente reuerendissimo D. Cardinali Theatino, sacri collegii camerario, a depositariis eiusdem collegii testimonium et mandatum domino Ioh. Franc. Bino, viro integerrimo, modo vt sequitur, afferente, XV ducatos de camera sub hac verborum forma Archiepiscopus leuare coepit:

Digitized by Google

"Iohannes Petrus (tituli) S. Clementis presbyter, Cardinalis, sacri reuerendissimorum dominorum S. R. E. Cardinalium collegii Camerarius. — Vobis D. Bindo de Altouitis et sociis pecuniarum dicti sacri collegii generalibus depositariis de voluntate eorundem reuerendissimorum D. meorum Cardinalium, qui mihi ita mandauerunt, per praesentes committimus et mandamus, vt de dictis pecuniis soluatis reuer. in Christo patri, D. Ioanni Magno Gotho, Archiepiscopo Vpsalensi, ducatos auri de camera quindecim, quos sic solutos in computis vestris admittemus. Dat. Romae in palatio apostolico die VI Decembris M.D.XLI. — Ita mandauerunt mihi omnes reuerendissimi domini mei. Iohannes Petrus Cardinalis S. Clementis Camerarius

Ioh. Franciscus Binus."

Quibus ducatis acceptis tam seruitoribus suis, diu mercedem exspectantibus, quam etiam Episcopo Castrensi, pro sua habitatione XII Scuta aurea requirenti, persoluit.

Hanc quoque liberalem et necessariam prouisionem eiusdem Archiepiscopi frater et successor Olaus Vpsalensis, siue Romae, siue in generalibus conciliis Tridenti et Bononiae celebratis permanens, hilari donatione ab eodem sacro Collegio consequutus est, prout inferius in vita eiusdem Olai ostendetur.

Inchoato deinde anno M.D.XLII, qualia beneficia a reuerendissimis D. Cardinalibus et quam magna promissa a summo Pontifice suscepisset, plurimis amicis hincinde per epistolas significauit, asserens se ea omnium rerum penuria tunc laborasse, vt nisi Reuer. Domini Cardinales auxilium eius indigentiis contulissent, infelicissimo cuiuis mendico sortem suam comparasset, maxime quia Pontificis promissa de dandis XV ducatis pro singulo mense ante terminum vnius anni et dimidii non adimplebatur, nec interim per se aliosque proceres pontificiae clementiae, vt opem ferret promissam, desiit supplicare. Immo non tantum ob priuatam suam penuriam, sed vt creditoribus suis (qui ei toties per Italiam ad generalia Concilia peregrinanti pecuniam, vnde viueret, mutuarunt) satisfacere posset, etiam quia multa ad diurnum victum comparanda erant, quae ab hospitali minime poterant impetrari. Processu tamen temporis dum proprias passiones ob praedictas aliasque causas per summam patientiam moderari contenderet, aliorum afflictiones admirabili constantia studuit consolari. Siquidem ad Episcopos, Abbates, Praelatos complures pias epistolas, immo volumina epistolarum dedit, vno quasi ordine et fine conclusas, vt constantissimi in hoc temporum malignitate pro fide Christi in omni persequutione permanerent. Inter ceteros tamen virum celebrem, Iohannem Cocleum nomine, amicum habebat, cuius insigni pietate ad fidei restaurationem in domino fruebatur, cui aliquot etiam epistolas scripsit et rursus ab eo scriptas accepit. Scripsit autem Archiepiscopus eidem Cocleo inter alia particulam subsequentem. — "Libellum tuum Theoderici, regis Gothorum, de libertate cleri, cum epistola adiuncta gratissimo animo susceperunt domini Cardinales Theatinus, Sadoletus, Bembus et sanctae Crucis, qui fatentur se et totam Romanam ecclesiam tibi plurimum debere ob tuam incomparabilem fidem, quam religioni Christianae in his periculosissimis temporibus nimium periclitanti subuenire contendis. Brundusinus vero Cardinalis, cum literas tuas legeret, animam agens tantum dixit: bonus Cocleus pro multis laboribus magnam mercedem a Deo potius, quam ab hominibus exspectabit. Ex vrbe M.D.XLII. XX Aprilis." — Videns igitur Archiepiscopus promissa pontificis in longum trahi prouisionemque diurni victus sui aegerrime ab inuitis officialibus sancti Spiritus dari, impetrato Romae quodam canonicatu in Polonia post obitum D. Felicis Narapinski in ecclesia Posnaniensi pro fratre et secretario suo, Magistro Olao, meditabatur eo se conferre, vt propinquiori loco positus valeret in patria sua omni interposita diligentia restituere religionem, literasque plures (gratia breuitatis hic omissas) vna cum iuribus et bullis de petenda possessione, licet inconsolabiliter et frustra, tam capitulo, quam Sebastiano, Episcopo Posnaniensi scripsit. Deinde Serenissimo Regi Poloniae, Sigismundo primo, sub hoc tenore.

"Serenissimo regi Poloniae, Sigismundo primo. — Serenissime princeps, clementissime domine rex, inter plurimas virtutes, quas diuina bonitas maiestati vestrae pro merenda aeterna felicitate concesserat, illam praecipuam existimo, qua maiestas vestra aduenis et peregrinis, praesertim pro fide Christi persequutionem passis, misericorditer affici consueuit. Quocirca nihil dubito, quin regia Maiestas V. eo benignissimo fauore me et mei exilii comites amodo prosequi dignetur, quo a pluribus retroactis annis in suo imperio exsulantem per se et per suos prosequutus fuerat meque in numero suorum ciuium semper habuerat putaueratque me in omni terra ciuilitatem iuste assequi debere, qui in numerum eorum diuina dispensatione conscriptus sum, quos aeterna veritas de ciuitate in ciuitatem persequutionem passuros praesignauit. Ea igitur optima et firmissima spe erga regiam maiestatem V. ductus, superioribus diebus canonicalem praebendam Posnaniensem hic Romae, per obitum Felicis Naropinski vacantem, pro Cancellario meo, Magistro Olao Magno Gotho, impetraui, quam quidem impetrationem regia maiestas V. eo facilius comprobare dignetur, quo considerauerit suae regiae dignitati et sempiterno honori non minus, quam nostrae necessitati, per eam approbationem consultum iri. Felicissime valeat regia celsitudo V. et me ad se a Christo Dei filio missum esse non dubitet, ex Roma die vt supra."

Quibus literis inspectis (attestante regio nuncio, sequenti anno Romam venienti) rex ipse clementissimus Episcopum praedictum hortans et orans, vt sacerdotium illud apostolica authoritate in vrbe legitime impetratum tam benemeritis de religione hominibus in ecclesia sua iustius permitteret, quam nepoti vel famulis alias et aliter prouidendis. Sed neque sic austerus rigor antistitis, vt misericordiam cum conseruis

Digitized by Google

suis faceret, inclinari valebat, quin immo literis ad procuratores Archiepiscopi (cui nunquam respondit) datis attestatus est, statuto regni, ne quis alienigena reciperetur, appositis poenis districtius prohiberi. Verum cum haec et similia aut duriora Archiepiscopus contra spem iuraque sua agi vidisset, iterato eidem Episcopo scribens fortioribusque causis eum instruens, nil solito modestius est expertus, quocirca regiae maiestati (quae nunquam calamitosorum hominum supplicationibus offendi potuit) hoc modo perscripsit.

"Reuerendissimo regi Poloniae, Sigismundo primo. — Serenissime princeps, clementissime D. rex, cum sacra regia Maiestas V. a pluribus annis ad eam memorabilem et piam sui nominis aestimationem in toto Christiano orbe peruenerit, vt ob singularem erga Deum et Dei ministros affectum indulgentissimus pater omnium Episcoporum passim et vbique appelletur, supplex ad genua eius prouolutus rogo, ne me (quem iam a viginti annis suis paternis literis et consolationibus ac pluries necessariis subsidiis releuauerit) ab illa sua eximia misericordia (quae omnibus hominibus parata est) secludi patiatur. Proposui enim superiore anno ad Poloniam ex Italia redire, vt Christiano ouili meae curae commisso propinquior factus melius efficaciusque consulere possem, atque ob id iuxta olim reuerendissimi et illustrissimi domini Iohannis, Episcopi Posnaniensis, alias Vilnensis, consilium quoddam sacerdotium Romae vacans mihi seu fratri meo a sanctissimo D. N. conferri procuraui, at nunc tam reuerendissimus Episcopus Sebastianus, quam venerabiles domini Canonici Posnanienses in eo negocio mecum tam seueriter agere videntur, vt optatum reditum in Poloniam, quam semper vt vnicam patriam amaueram et colueram, habere nequeam. Obtrudunt enim contra me, quod aduena sum et exsul ac peregrinus, quae omnia, quia conscia regia Maiestate V. propter Christi fidem diu sustinueram, magis mihi et secretario meo prodesse quam obesse deberent. Sed haec omnia sapientissimae Maiestati Vestrae moderanda relinquo, quae vna cum serenissima consorte et optimis liberis felicissime valeat. Ex sancto Michaele in Burgo Romano, M.D.XLIII in Octobri."

"Reuerendissimo D. Episcopo Plocensi. — Reuerendissime domine, amice et frater ac consolator humanissime, olim reuerendissimi domini Archiepiscopi et Episcopi regni Poloniae cum intelligerent me apud Prutenos in Gedano ob haereticorum persequutionem exsulare, datis ad me literis plurimum hortabantur, vt omnem curam adhiberem, ne illa amplissima regna Aquilonaria a catholicae ecclesiae vnitate et sedis apostolicae obedientia deficerent, pollicebanturque sese nunquam in tam pio negocio mihi defuturos, qua optima spe animatus impetraui apud Posnanienses quoddam sacerdotium, de quo pridem reuerendissimae D. V. satis scripseram. Sed quos mihi benignissimos consolatores ibidem sperabam, illos nimis rigidos aduersarios experior. Si enim vera sunt, quae ad me perferuntur, seuerius, quam scribere decet, mecum agunt. Dicitur enim mihi, quod, quicunque tale negocium pro me vel secretario meo procurare contenderit, nihil aliud quam vitae periculum et perpetuum exsilium aut carcerem omniumque fortunarum confiscationem assequatur; quae omnia quam dura essent, non solum reuerendissimae D. V. sed omnibus per Christianum orbem antistitibus considerandum relinquo. Quod autem exsul et aduena sum, id mihi pro fide Christi (vt testis est tota Christiana ecclesia) accidit. Quocirca instantissime rogo reuerend. D. V. vt se huic iusto et honesto negocio tam apud serenissimum D. nostrum regem quam apud reuerendissimum D. Episcopum Posnaniensem ita accommodare dignetur, vt posthac quemadmodum semper antea de summa Polonorum humanitate mihi collata gratias agere possim. His felicissime valeat reuerendissima D. V. et me amet celsitudinique regiae commendet et quamprimum mihi super his respondere dignetur. Ex sancto Michaele in Burgo Romano M.D.XLIII in Octobri."

Scripsit etiam reuerendissimo domino Archiepiscopo Gnesnensi eidemque Cracouiensi, domino Petro a Gamaratis, vt eius interuentione mitigaretur durum statutum capituli Posnaniensis duriorque seueritas Sebastiani, Episcopi Posnaniensis, ne Archiepiscopo Vpsalensi in assequutione petiti beneficii nocere posset, quod propter fidem Christi factus esset aduena ac peregrinus et exsul et maxime, quia ecclesia Polonica ad tam infelicem sortem nequaquam venerat, vt non posset vni Archiepiscopo cum paucis familiaribus pro religione sudanti de tali sacerdotio prouidere. Ad quam petitionem euolutis octo mensibus R. D. Martino Cromero regio secretario in itinere versus vrbem proficiscenti per literas post tergum missas ita nomine eiusdem Archiepiscopi Gnesnensis in scedula respondere praeceptum est.

"Reuerendissimo D. Archiepiscopo Vpsalensi itidem cupio commendari. Quod si sua paternitas ad conficiendum reliquum vitae suae tempus in regnum hoc venire malit, ego libenter suam paternitatem videbo et in omnibus adiuuabo libenter et, quantum potero, prouidebo." Haec responsio, licet humana et liberalis erat, tamen nimis tarde venit, nempe quarto mense post obitum eiusdem Archiepiscopi Vpsalensis fratri eius Olao Gotho tunc electo Vpsalensi per praedictum regium secretarium die XXIII mensis Iunii in scriptis exstitit nuntiata. Vnum tamen singulare Dei iudicium apparuit, quod eodem fere tempore, quo obiret praedictus inops Archiepiscopus Vpsalensis circa finem Martii, mortuus est et opulentus Episcopus, Sebastianus Posnaniensis, circa initium Maii eiusdem anni M.D.XLIIII.

Ex his igitur supradictis supplicationibus tocies hincinde apud ecclesiasticos et seculares proceres porrectis facile deprehenditur, quam exigua pietas in Deum ac caritas in proximum inueniebatur. Magna quippe sollicitudine et aequitate desolatus Archiepiscopus petiit, quod vltro ab omnibus (etiam ethnica superstitione viuentibus) humana compassione liberaliter fuisset offerendum. Cumque eo tempore celebrandi

Digitized by Google

generalis Concilii Tridentini instaret occasio, ita reuerendissimo D. Hieronimo Quirino, Patriarchae Veneto, scribere curauit.

Reuerendissimo D. Hieronimo Quirino, Patriarchae Veneto. — "Reuerendissime domine et consolator vnice, tandem post multas et grauissimas curas, quas post meam nunquam satis deploratam separationem a reuerendissima D. V. sustinueram, apparuit hesterna die lux diu desiderata, quae me in tenebris ambulantem non parua laeticia affecit. Nam Concilium generale Tridenti pro restituenda fide Christiana tot annis miserrime afflicta et conculcata publicatum fuit ad futuras kalendas Nouembres. Opus profecto dignum, opus sanctum, opus denique Deo et omnibus piis Christianis gratissimum, quod si iam tertio fine intento frustratum fuerit, nullo umquam alio remedio tam ingens ecclesiae vulnus curari posse videtur. Interea firmiter spero, quod occasione illius futuri Concilii hinc absoluar et feliciter restituar dulcissimae conuersationi reuerendissimae D. V. quae felicissime valeat et diuinam clementiam, vt meas grauissimas molestias releuare dignetur, exoret. Romae vltima Iunii M.D.XLII."

Paucis postea euolutis diebus incidit in febrem tercianam, quae vires eius adeo exhausit, vt paene multo tempore de eius vita desperaretur. Qua amaritudine visa, quidam reuerendus pater Castinedulus, ordinis sancti Dominici generalis procurator, Archiepiscopi sincerus amicus, maxima compassione ductus, certo loco et tempore prouolutus ad pedes summi pontificis Pauli (cuius gratiam magnam habere visus est) supplicauit, vt Sanctitas sua miserandae conditioni Archiepiscopi succurrere dignaretur, ad quem Pontifex ait: deficitne aliquid ei; et ita abscessit. Quo comperto responso Archiepiscopus ingemiscens respondit: numquidne multum ei deficit, qui patria priuatus, fortunis exutus, persequutionibus attritus, grauissimis doloribus subiectus multisque debitis ob accessum tot generalium Conciliorum inuolutus, curae alienae commissus aliisque mille afflictionibus angustiatus et tot magnificis promissis frustratus. Deus efficiat ["iamque dicitur, si quid ei deficit"!] vt qui hoc propter inexperientiam ignorare creditur aut callide dissimulat, saniore mente illustratus aliorum addiscat intueri et comportare calamitates etc. Scripsit postea reuerendissimo D. Cardinali Bembo (qui nunquam benefacere desiit) in hunc modum.

"Reuerendissime D. et pater ac consolator vnice. Quia compertissimum habeo reuerendissimam D. V. nihil minus de mea salute et feliciore conditione sollicitam esse, quam aliquis indulgentissimus pater erga suum carissimum vnigenitum etc. proinde nullas alias importunas preces iam coram ipsa facio, nisi, id quod apud sanctissimum D. N. pro me quotidie facit, faciat. Felicissime valeat reuerendissima D. V. et me suae paternae curae a Deo maximo commendatum credat, XXVIII Iulii ex Burgo M.DXLII."

Reuerendissimo Cardinali S. Crucis. — "Reuerendissime D. et consolator humanissime, proxime elapsis diebus significatum est mihi per procuratorem D. Archiepiscopi, iunioris Iulii sancti Seuerini (de cuius seueritate in fine anni M.D.XLIII aliqua dicentur), qui patronus est huius domus S. Michaelis, quam pecunia conductam inhabito, quod necessarium sit mihi ob propinquum ipsius patroni aduentum de alia mansione prouidere. Proinde rogo et obsecro reuerendissimam D. V. dignetur necessitatis meae memoriam ita apud S. D. N. agere, vt eius Sanctitas meae humillimae conditionis miserta quanto ocius efficiat, ne diutius dolium Diogenis versare compellar, quo facto sua Sanctitas non solum meae transitoriae vtilitati, sed suae sempiternae consulet dignitati. Felicissime valeat reuerendissima D. V. mihique sine mora gratiose respondere dignetur. Ex Burgo V Septembris."

Factum ergo est, vt Archiepiscopus in ea mansione sua (quia patronus VIII diebus vix erat in vrbe mansurus) locum illum retineret. Scripsit deinde D. Cardinali Carpensi, Anchonitano legato.

"Reuerendissime domine, hactenus post discessum reuerendissimae D. V. omnia mecum bene, laus Deo, acta sunt. Bene de me sentit et loquitur Sanctissimus D. N. idem faciunt reuerendissimi D. Cardinales, praesertim illi, quorum fauores reuerendissima D. V. mihi conciliauit, attamen adhuc efficaci intercessore apud ipsam pontificiam Sanctitatem indigeo, vt illud suae liberalitatis promissum scilicet XV ducatorum in mense post tantam exspectationem ad effectum deducat. Proinde reuerendissime domine atque vnice promotor, rogo et obsecro amplitudinem, immo illam eximiam pietatem vestram, dignetur tam pium et iustum officium suum pro mea feliciore fortuna inchoatum ad bonum effectum apud sanctissimum Pontificem perducere. Et felicissime valeat reuerendissima D. V. vnicum vacillantis conditionis meae praesidium, Romae M.D.XLII, XII Nouembris."

Quid autem ad hanc epistolam factum fuerat, Archiepiscopus ignorabat, eo quod in solita sua patientia semper mansit. Per idem tempus, quia graues decimae a quaestoribus summi Pontificis (propter causas tunc expressas) a sacris personis et locis passim exigebantur, hospitale sanctae Birgittae (quod principali monasterio Vastenensi prouinciae suae incorporatum est) Archiepiscopus seruare volens, vicario Pontificis reuerendissimo domino Philippo Archinto ita scripsit.

"Reuerendissime domine vicarie, benefactor humanissime, de domo siue pauperrimo hospitali S. Birgittae paratus sum in verbo veritatis et sacerdocii mei iurare, quod eius prouisor frater Holmstanus, deductis oneribus et expensis annuis pro se et vno famulo ac pro necessitate capellae et aliquot peregrinis a patria venientibus, vix reliquum habet par calceorum in pedibus estque fere omnibus prouentibus olim illi

Digitized by Google

loco collatis priuatus. Quocirca reuerendissima D. V. memor esse dignetur se pauperrimi et desolati loci causam agere et felicissime valeat. Ex Burgo xvii Nouembris M.D.XLII."

Cognita veritate per viuam inspectionem et examinationem, idem vicarius hospitali et rectori eius loci pepercit. Die deinde xxvi Nouembris illico sequenti in praesentia reuerendissimi D. Cardinalis Guidicioni loquutus est Archiepiscopus Vpsalensis reuerendo D. N. de Peruschis super quadam domo, quam Marius fiscalis Peruscus eius frater ab hospitali sanctae Birgittae praetenso quodam iure occupauerat. Respondit Episcopus mulierem quandam (cuius filii haeredes creduntur illius domus) semper molestissime ferre, quoties mentio refertur de restitutione undecunque sagacius augenda quam diminuenda, nec aliquid contra eam facere posse, et ita citissime se absoluens recessit. Tandem Archiepiscopus domino Cardinali ait. Haec domus palatio de Maximis (versus sanctum Pantaleonem) incorporata, parum felicem prosperitatem loco et generationi inhabitantium pariet, donec iusta recompensa fuerit cum hospitali pauperum S. Birgittae concordatum. Dominus enim faciet iudicium iniuriam patientibus causamque seuerius vlsiscetur oppressorum. Vergente autem anno M.D.XLII ad finem, ita scripsit reuerendo D. Iohanni Mattheo, Episcopo Veronensi.

"Reuerendissime D. et benefactor humanissime, quod ego rariores literas ad reuerendissimam D. V. post meum in vrbem Romam accessum dederam, id nequaquam ex aliqua ingratitudine prouenerat, nullum enim vicium aeque vt ipsam ingratitudinem abhorreo, sed vehementer cauere volueram, ne illum paternum et benignissimum affectum, quem reuerendissima D. V. erga me perinde, ac indulgentissimus pater, gerit, sollicitum de mea turbata conditione efficerem. Quamuis enim bene et optime de me sentit et loquitur sanctissimus D. N. tamen, quia tardior videtur in me consolando, experior id quod dici solet: spes diu dilata affligit animam. Parum est, quod peto, quippe vt suae liberalissimae promissioni ante annum ad intercessionem reuerendissimorum DD. Cardinalium de menstruo vel annuo prouentu factae satisfacere dignetur. Profecto nisi liberalitas reuerendissimorum DD. Cardinalium meam extremam inopiam et necessitatem releuasset, non satis felix fuisset ille meus in hunc locum aduentus. Est tamen nonnullorum DD. Cardinalium et mea spes, quod pontificia Sanctitas beneficii tarditatem magnitudine consolationis aliquando compenset. Pollicetur enim, quod me bene prouisum isthuc ad Concilium Tridentinum in futuro Ianuario emittat. Felicissime valeat reuerendissima D. V. et me, vt facit, amet, ex vrbe M.D.XLII in principio Decembris."

Papae Paulo III. — "Sanctissime pater, cum soleat Sanctitas V. beneficii tarditatem magnitudine liberalitatis compensare, supplico instantissime, vt ipsa tandem consideratis meis et longissimi temporis laboribus ac damnis non exiguis pro S. Rom. Ecclesia perpessis dignetur suae paternae promissioni satisfacere, qua saepe dixerat, se velle me ita consolatum reddere, vt maiorem consolationem ex ista S. sede apostolica optare non possem, nec dubitet Sanct. V. quin me consolando consolabitur sacerdotem fidelem, qui in tempore iracundiae fiet reconciliatio et animam suam in quouis genere persequutionum paratus sit tamquam pastor bonus dare pro ouibus suis. Felicissime valeat S. V. et bonum, quod Deus ei de me inspirauerit, pro sua paterna dignitate exsequatur, ex Sancto Michaele M.D.XLIII. xvi Febr."

Euolutis deinde aliquot hebdomadis, etsi Papa solito more supradictam supplicationem non attenderit, sed Archiepiscopo mandauerit, vt cum legatis versus generale Concilium Tridenti celebrandum accelleraret, prout etiam hoc facere promptissimus erat, tamen praevidens pontifex ob haereticorum pertinaciam vix aliquid ibidem attemptari multoque minus concludi posse, commissione literarum reuerendissimi D. Cardinalis S. Crucis ex Cesena vii Martii data praeceptum temperauit, ne frustra illuc pergendo Archiepiscopus vexaretur, sed Romae (donec aliter, quid per eum agendum foret, ordinaretur) adesset. Interea authoritate et auxilio reuerendissimi D. Cardinalis de Carpo apostolica legatione protunc iustissime fungentis domum quandam hospitali sanctae Birgittae viduae pertinentem, violentia quorundam nobilium occupatam, verae possessioni aequissimo iudicio restitui iudicauit, vbi alias numquam vel difficillime restituta fuisset. Quin imo nec solum hanc domum, sed totam vrbem confuso regimine fere in omnibus officiis turbatam cum omnium applausu mandatis vbique interpositis consolatus est.

Deinde visis tot difficultatibus generalis Concilii celebrandi toties repetiti et impediti tarditateque pontificii subsidii promissi, scripsit reuerendissimo D. Patriarchae Venetorum (saepius antea nominato), sese Roma relicta denuo ad eius sanctam et liberalem conuersationem reuerti velle, quatenus reliquos amaritudinis suae annos praeparatos Altissimo offerret, in extrema sua vocatione vnam cupiens saluare animam, quando desuper haud concessum videret multorum saluti consulere posse, hocque proposito per literas eius ad Venecias celerrime missas intellecto, reuerend. D. Cardinalis Bembus datis scriptis suis in vrbem omnino dissuasit Archiepiscopo, ne idem post tot casus et tantos labores ob honorem Dei et reuerentiam sedis apostolicae diu et constanter perpessos absque merita consolatione contenderet emigrare, sed optima quaeque remanendo sperare, promittens se plurimos reuerend. D. Cardinales ad quodlibet eius desiderium singularibus verbis inclinare velle; et ita promptissime requisiti fecerunt, praesertim reuerend. D. Cardinalis de Carpo, qui accedente apostolicae legationis authoritate nullum optimi principis officium, tam per se quam suos eum consolando, ne animum desponderet, efficere differebat.

Digitized by Google

Redeuntem insuper summum Pontificem Paulum III in vrbem plures reuerend. D. Cardinales eius Sanctitatem, quod praedicto Archiepiscopo promissam toties consolationem certi alicuius census seu victus (ne ita anxie viueret et in negociis fidei procurandis deficeret) prouidere dignaretur, exorarunt. Sed neque sic praeter solitam spem (qua nimium affligebatur) aliquid patienti Archiepiscopo fuerat elargitum. Per idem tempus (forsan relatione praedicti patris Castineduli, ordinis S. Dominici generalis procuratoris) cum R. P. Leander de Albertis nobilis Bononensis intellexisset, Archiepiscopum Johannem Magnum Gothum ob praemissas causas e Roma ad patriarcham Venetum, Hieronymum Quirinum (vt secum pacifice more pristino conuiueret) descendere velle, eum humanissimis literis vera caritate plenis, vt ad monasterium S. Dominici (vbi prius hilariter hospitio exceptus fuerat) denuo et confidenter magna patrum benevolentia refouendus accedere non dubitaret; ita enim unanimi reuerend. patrum et fratrum consensu ratum et gratum erat, vt pro fide catholica continue peregrinantem libenter assumere et fouere desiderarent. Ideoque eidem reuerendo patri Leandro, prout sequitur, respondebat.

"Reuerende pater et consolator amantissime. Quod me toties in causa sanctissimae religionis istuc proficiscentem indicibili benignitate, vt ad aedes vestras diuertere debeam, alacriter inuitatis, gratias refero sempiterna memoria dignas, imo peramplius semper agere conabor, quia ad memoriam reuoco, id quod numquam obliuisci potero, videlicet, quomodo reuerenda pat. v. vna cum ceteris reuerendis istius almi collegii vestri patribus ante sex annos me et coexsules meos ex hospitio nimis incommodo et saluti nostrae plurimum contrario extractos in domum vestram induxistis summaque beneuolentia et numquam obliuiscenda liberalitate fouistis et recreastis, imo a faucibus mortis iam tunc pereuntes reduxistis. Debeo igitur me et omnia mea non modo isti optimo conuentui, sed toti ordini v. a quo tam magnum et necessarium beneficium in mea extrema necessitate sum consequutus. Diuina quoque prouidentia factum esse non dubito, quod reuerendissimus dominus, Hieronymus Quirinus, Patriarcha Venetus, vestri ordinis alumnus me tam benigne et tanto tempore per summam liberalitatem fouerit et semper fouere paratus est. Ceterum quomodo postea hic Romae valueram, parum aliud scribere possum, nisi quod libenter glorier in infirmitatibus meis, in quibus ne penitus succumbam, peto pro me ad Deum orationes fieri ab ista sanctissima congregatione vestra, cui me et omnes omni pio ac sincero animo incessanter commendo."

Praeterea etsi plurimis animi doloribus et corporis molestiis satis altis gemitibus in quolibet honesto sanctoque desiderio suo adimplendo perturbaretur, tamen incessabili sollicitudine Germanicae atque Gallicae, imo et Aquilonaris, ecclesiae oppressis Episcopis et Praelatis plures literas omni confortatione plenas emisit, sincerissime cunctos exhortans praecipue religiosorum rectores, vt constantissimos sese in hoc temporum calamitosa temptatione quasi murum ponerent pro domo Dei et veritate orthodoxae fidei nostrae, promittens suam fidelem operam non grauatim interponendam, vbi aliquid pro eorum securitate decernerent ab hac sancta sede apostolica et humanissimis dominis Cardinalibus esse petendum. Quocirca haec et similia pio Archiepiscopo meditanti occurrunt quidem reuerendi patres, natione Hungari, professione monachi sancti Pauli, primi heremitae ob Turcicam rabiem et persequutionem e patria pulsi, rogantes Archiepiscopum Gothum, vt piis literis et precibus suis opera alicuius boni viri (honestis et necessariis interpositis mediis) apud reuerendissimum Patriarcham Quirinum et magnificum senatum Venetiarum aliquod monasterium, in quo non esset vel languesceret diuinus cultus, seu alium locum idoneum eorundem fratrum ordini, vbi permitteretur a timore inimicorum liberato intimius seruire deo, impetrare conaretur. Datis ergo literis ad praedictum reuerendissimum Patriarcham virum religiosissimum, illico consensum obtinuit, vt multiplicato cultu diuino ciuitas ipsa vberiorem a Deo consequeretur benedictionem, verum cum restaret assensus magnifici senatus Venetiarum, hanc sequentem epistolam in fauorem piissimi negocii praedictorum fratrum Sancti Pauli ad quendam amicum suum vita ac moribus integerrimum virum, illustrissimi Venetiarum Ducis et dominii secretarium, D. Johannem Baptistam Rhamusium, modo, quo sequitur, scripsit.

"Spectabilis domine Rhamusi, amice et frater carissime. Quemadmodum V. spectata pietas nihil libentius audit, quam ea, quae ad sempiternum Dei honorem et istius inclitae reipublicae Venetae decorem vtilitatemque conducunt, ita nunc ad ipsam affero negocium omni pietate et honestate plenum. Siquidem proxime elapsis diebus nonnulli religiosi et graues viri ordinis S. Pauli, primi heremitae ex Hungaria, in hanc vrbem Romam diuerterunt eo pio proposito ducti, vt quia non liceret eis libere in patria ob Turcicum horrorem domino Deo in suscepta religione seruire, vellent sibi extra eorum patriam aliquem aptum locum praesertim Mantuae, Ferrariae aut in alio loco inuenire. At ego et Deo dignus Episcopus Roszonensis, Paulus Zondinus et complures alii, qui sunt magnae pietatis, prudentiae et authoritatis viri, inspecta diligentius eorum intentione, persuasimus illis, vt primum omnium curarent talem locum apud Venetos impetrare, quem vtique multiplici ratione assequerentur, maxime quia Veneti ceteris mortalibus erga aduenas et peregrinos creduntur esse humaniores et nullis erga religiosos pietate secundi, nec imprudenter perpenderent se in colligendis tam sanctis et integerrimis viris totam Hungariam suae reipublicae obnoxiam deuotissimamque efficere. Itaque accepta hac persuasione rogabant me, vt tale eorum negocium alicui ex prudentioribus et benignioribus amicis meis apud Venetos diligenter commendarem. Quocirca cum nullius istorum ciuium pietas et prudentia mihi aeque comperta est, vt vestra, rogo humanissimam D. V. vt diligenter

Digitized by Google

circumspectis omnibus huius pii negocii partibus, dignetur et velit, prout maxime confido, cooperari, quod tam sanctum et honestum ac iustum desiderium pientissimorum hominum optatum sortiatur effectum, ne cogantur alibi de opportuno loco cogitare. Nec dubitet illustrissimum dominium Venetorum, quin tales hospites gratiose colligendo aeque suae ipsius reipublicae vtilitati ac Christianae pietati consulat. Ordo enim eorum vbique probatissimus et sanctissimus aestimatur, nec omnino vacuos sese ad vos conferent, imo, vt probabili coniectura ducor, complures illustres et magnarum fortunarum viri aut nunc aut postea eos comitabuntur, per quos Veneta respublica non paruam vtilitatem suo tempore consequetur. Reliqua huic pio negocio necessaria dicet frater Gregorius praesentium exhibitor, quem vestra humanitas vt memet ipsum excipere et promouere dignetur, quaeque felicissime cum optimae spei adolescente vnigenito Paulo Rhamusio viuat et valeat. Ex sancto Michaele in Burgo Romano M.D.XLIII."

Transacto demum eodem anno M.D.XLIII, eisdem anxietatibus oppressus, adhuc spe bona Pontificis Pauli promissa pro sua vberiore consolatione adimplenda annum XLIIII ingredientem exspectabat, vnde et eius Sanctitati ita scripsit.

"Beatissime pater et domine clementissime, quam grauibus angustiis et casibus toto trimestri proxime praeterito succubuerim, breuiter aperiam, vt sciat S. V. quomodo ex sua innata pietate meae conditioni consulat. October me in lectum febrilem coniecit ac tenuit. Similiter et Nouember in me totus seuerior erat, December autem omnium saevissimus, nedum me in corpore afflixit, sed et in animo vehementissime perturbauit, imo et vnicum meum ex sorore, muliere sanctissima, nepotem, eximiae probitatis et admirandi ingenii adolescentem, e viuis absumpsit, quo sepulto mox aderat patronus domus, quam dato censu inhabitaui, et subito, vt exirem, praecepit. Deus Sanctitatem V. ad multos et felices annos pro mea consolatione conseruare dignetur."

Patronus autem domus supradictae erat D. Julius Sartorius, Archiepiscopus sancti Seuerini, qui Romam veniens paucis diebus moraturus esset. Nulla tamen via, gratia vel pretio, instantissime per fratrem aegroti Archiepiscopi rogatus inclinari potuit, vt ipsum Archiepiscopum quotidie febrili lecto incubantem, imo agonizantem (pretio alterius domus pro ipso Archiepiscopo Iulio conducendae oblato) permitteret remanere. Vnde in vigilia Natalis Christi lacrimabili spectaculo per familiares suos portatus fuit in vicinius palacium reuerendissimi D. Cardinalis Hipporegiensis, reuerendissimo domino N. Lippomanno, Episcopo Veronensi locatum, qui gratiose concessit languenti Archiepiscopo ibidem aliquot septimanis commorari, prout etiam alteri dignissimo antistiti Johanni Petro Ferreto, praesuli Milensi, postea Lauellino, de tota catholica ecclesia ob multa et sanctissima volumina in augmentum religionis catholicae fidei vtiliter et docte edita valde benemerito manere permisit. Hic Johannes reuerendus antistes, vir mansuetissimus, Johanni Magno quasi ferrum magneti virtutis amore indissolubiliter adhesit maximamque consolationem debilissimo Archiepiscopo exhibere curabat, similiter et reuerendus pater Ordinarius, Romanae sapientiae insignis, Theologiae Magister, Johannes Jacobus, postea dignissimus Episcopus Interamnensis factus; affuit et illi excelsi animi vir reuerendus pater Cornelius, sacrarum literarum et omnis disciplinae professor egregius, Episcopus Bitontinus, qui semper eundem Archiepiscopum et fratrem eius Olaum singulariter amabat, aderat et eidem reuerendus D. Paulus Zondinus, Episcopus Rosonensis, vir Deo amabilis et piissime eruditus. Recedente deinde Archiepiscopo, domino Julio Sartorio, satis oneroso consolatore, illico reportatus est debilissimus Archiepiscopus Gothus in aedem solitam S. Michaelis pecunia sua conductam, vt ibi meliori quiete reperta et summi Pontificis tot annis exspectanda consolatione facilius speratae sanitati redderetur. Attamen ne sua continua calamitas sanctissimum Pontificem lateret, hanc sequentem epistolam (quae vltima fuit in vita eius) suae Sanctitati ita humillime per manus reuerendissimi D. Cardinalis Poli perscripsit.

"Sanctissime pater et domine clementissime. Iam agitur annus octauus, postquam praecepto Sanctitatis V. ad Concilium generale Mantuae anno domini M.D.XXXVII indictum in Italiam ex ultimis Sarmatarum partibus perueni, paratus omnes curas et labores sustinere, quos aliquis obsequentissimus filius pro sua matre sacrosancta Romana ecclesia sufferre debuisset quod eo liquidius relinquitur, quo nuper, duobus reuerendissimis D. Cardinalibus Bembo et Polo iussu Beatitudinis V. e Venetiis seriose me vocantibus, in hanc vrbem tam sponte parendo asperiori tempore anni per maria et terras pluries in humeris meorum familiarium ob vehementem aegritudinem portatus pervenerim, non curando, quomodo valerem, sed qualiter obedirem praeceptis Sanctitatis V. quae ab hoc exemplo pastoris aeterni dolorem et laborem considerare dignetur, vt iuxta amplissimum Sanctitatis V. promissum aliquando leuatis angustiis exsultare valeam me humanissime ab eiusdem Sanctitatis vestrae pia commiseratione fuisse et esse consolatum, quocirca humillime et instantissime supplico Sanctitati V. quod tandem dignetur de mea conditione aliquid liberalius et certius ordinare, vt illi, qui de mea et sanctae sedis apostolicae desolatione gloriantur, cognito Sanctitatis V. de me optimo animo et opere firmam fidem concipiant, quod mea diligentia et vestrae Sanctitatis assistentia tandem ille amplissimus populus aquilonaris Christianae et sanctae Romanae ecclesiae deuotior restituatur. Deus Sanctitatem vestram diu conseruet et meae consolationis auctorem et cooperatorem constituat efficacem; ex domo sancti Michaelis III die Martii M.D.XLIIII." — Cui epistolae per reuerendissimum dominum Cardinalem Polum Anglicum eidem Pontifici praesentatae, quia nil amplius, quam vt solito more bene speraret,

Digitized by Google

responsum fuit, ad aeternum pastorem, qui gregem non deserit, incessabili gemitu se conuertens, magis ac magis inualescente febrili aegritudine et gutturis ardore debilitari coepit fratremque suum Olauum Magnum sincerius et frequentius in virtute altissimi exhortari, ne ob praedictam desolationem suam aut multiplicem persequutionem in extrema saepius calamitate pariter secum xx annorum exsilio perpessam et amplius patiendam Christianae fidei causam et sanctae sedis apostolicae obedientiam destituendam promouere cessaret, futurum etenim pie crederet, ea regna totaliter nondum lapsa cooperatione miserentis Dei (qui non vult mortem peccatoris) perpetuo non manerent in erroribus tam impiis peritura, adiecitque, si Olauus earundem amplissimarum regionum restitutionem desereret, nullum superesse hominem, qui inuocata Dei ope hoc praestare curaret aut vellet.

Tandem iis et similibus monitis frequentius aliquot diebus sequentibus ardenti desiderio pro conformatione Christianae religionis adductis sanctisque ecclesiae sacramentis munitus die xxii mensis Martii anno salutis humanae M.D.XLIIII, aetatis vero LVII, die, quo natus est, inchoante ex hoc aerumnoso mundo migrauit ad Christum, quem in tota vita sua conatus est fideliter imitari. Cuius obitum cum reuerendissimi D. Cardinales ac alii plerique praelati percepissent, satis grauiter praesertim Theatinus, Carpensis, S. Crucis, Bembus, Guidicionus et Moronus ac Polus, quibus integritas eius et sancti mores ex frequenti conuersatione noti erant, doluerunt tantum defecisse virum, qui verbo et opere incessanter conatus est ecclesiae Dei prodesse et omni paci inseruire. Vnde a Pontifice (qui miratus est eum tam cito obiisse) praeceptum est praelatis domesticis palacii pontificii ac clero Sancti Petri et multis aliis, vt ex sancto Michaele in monte, vbi defunctus est, tumulandus portaretur in ecclesiam S. Petri atque prope vultum domini cooperatione integerrimi viri Johannis Petri, sanctissimi Papae Pauli III computistae, qui viuum Archiepiscopum saepissime consolatus est, honorifice deponeretur, cui et subsequens epitaphium erat annexum.

Johannes Magnus Gothus Archiepiscopus Vpsalensis in regno Sueciae, cuius pietatis innocentia, doctrinae splendor ac perspecta vitae sanctitas ab Adriano VI, Clemente VII et Paulo III, Romanis Pontificibus mirifice collaudata est, accersitus ex Aquilonari plaga ad Mantuanum, Vicentinum et Tridentinum Concilium, exsul a patrio solo, Gostaui regis seueritatem haereticorumque insidias pro Christo ac Catholica fide tutanda patienter annos xx perpessus, post descriptas Gothici ac Suetici regni et Vpsalensium praesulum omnimodas historias, curis immensis indefesso studio vir Dei grauatus, de religione benemeritus, in vrbe occumbens hic situs est.

Olaus Magnus Gothus fratri optimo moerens P. Vixit annis LVII, xi Kalendas Aprilis M.D.XLIIII.

II.

Incerti scriptoris Sueci Chronicon primorum in ecclesia Upsalensi Archiepiscoporum

ex veteri membrana Bibliothecæ Upsaliensis forma minori, initio XIV:i seculi, ut videtur, conscripta, ex qua etiam Chronologia N. XIX et Catalogus Regum N. XI in Tomo I desumti. Idem chronicon jam antea edidit Olaus Celsius senior, Upsaliae 1705.

Hec sunt nomina episcoporum, et archiepiscoporum Vpsalensis ecclesie.

Primus fuit Sverinius episcopus,

Secundus Nicolaus episcopus,

Tercius Sweno episcopus,

Quartus sanctus Henricus martyr passus et sepultus Finlandie. in ecclesia Ab[o]ensi,

Quintus Coppmannus, qui obiit pridie kalendas Maji. et sepultus aput Vpsaliam,

Archiepiscopi Vpsalenses — — —

Stephanus archiepiscopus qui obiit (anno domini M°C°LXXXV°) xv°. kalendas Augusti. et sepultus in Aluastrum,

Digitized by Google

Secundus Johannes archiepiscopus. qui occisus fuit. a. paganis in Almarnum. (anno domini M°C.LXXXVIII°) II° idus Iulii. et sepultus Vpsalie,

Tercius Petrus qui obiit. (anno domini M°C°XC° septimo) XIIII° kalendas Octobris et Vpsalie sepultus

Quartus Olauus archiepiscopus, qui obiit. III° idus Nouembris (anno domini M°CC°) et sepultus Vpsalie

Quintus Walerius archiepiscopus qui obiit, (anno domini M°CC°XIX°) VII° idus Apprilis. et sepultus Vpsalie — — —

Sextus archiepiscopus Olauus II. qui obiit (M°CC°XXXIIII°) XIIII° kalendas Apprilis et sepultus Vpsalie

Septimus Jarlerus archiepiscopus qui obiit. (M°CC°LV°) VIII° kalendas Septembris et sepultus aput Sigtoniam

Octauus Laurencius archiepiscopus qui obiit. (M°CC°LX°VII°) III° nonas Marcii. et sepultus Enicopie apud minores. quia de ordine eorum assumtus fuit,

Nonus Fulco archiepiscopus qui obiit (obiit anno domini. M°CC°LXXVII°) V° nonas Marcii, et sepultus Vpsalie, Iste bona ecclesie quam plurima fecit insuper de bonis patrimonialibus reliquid ecclesie curiam in Bæremi et Grenby

Decimus Iacobus archiepiscopus (mortuus est archiepiscopus Iacobus anno domini M°CC.LXXXI°) qui obiit VIII° kalendas Nouembris, qui eciam dedit ecclesie Vpsalensi curiam bonam in Skialby, [un]de [a]) constituit fieri perpetuam vicariam in ecclesia Vpsalensi,

Huic successit in archiepiscopum dominus Magnus electus consecratus, Cui petenti palleum. a. summo pontifice per procuratores suos. dominus Lundensis se obiecit, et pallei tradicionem fieri inpediuit, sic pendente lite in curia super palleo. mortuus est, anno domini. M°C°C°LXXX.IX° (kalendis Maii) hic dominus Magnus molendina in amne ciuitatis Vpsalensis construxit. hic eciam decanatus dignitatem. in ecclesia Vpsalensi instituit,

Huic successit frater Iohannes Vpsalensis, qui prius in ecclesia Aboensi episcopus factus, per postulacionem canonicam translatus fuit ad sedem Vpsalensem [b]), cuius eciam postulacio postmodum admissa per dominum Nicolaum papam. IIII. hic in via versus curiam constitutus. prò palleo optinendo apud Prouinum in Francia mortuus est anno domini M°CC°XCI° in octaua nativitatis beate virginis et ibidem sepultus fuit apud predicatores et postmodum reportatus ad Sictoniam. istius tempore habuit ecclesia curiam Bedherne. predia eciam que ecclesia habuit in Lyusabek et Nordhanmyri. permutata fuerunt et deducta in curiam Løsta —

Undecimus fuit Nicolaus Allonis oriundus Vpsalia. hic anno domini M°CC°XCV° pridie kalendas Augusti consecratus fuit apud Anagniam per dominum Tuskulanum episcopum kardinalem. palleum vero adeptus fuit statim post in die assumpcionis beate virginis in ecclesia cathedrali Anagnie. domino papa Bonefacio illic celebrante. hic tam irreprehensibiliter quam vtiliter rexit ecclesiam Vpsalensem. annis IX. cum dimidio. obiit autem anno domini M°CCC°V° II° nonas Februarii. et sepultus est Vpsalie — —

a) Literae »un« in mscr:to omissae sunt.

b) Sequuntur in mscr:to eadem manu scripta, sed postea oblita verba: »presidente Rome domino Nicolao papa IIII anno domini M°C°C°XC°.« Sequentia sunt adiecta alia, eiusdem fere temporis, manu, qua etiam numeri annorum, quos supra inclusimus, sunt appositi.

Digitized by Google

III.

Chronicon de Episcopis et Archiepiscopis ecclesiæ Upsalensis

ex registro Upsaliensi. Confer Diplomatarium Suecanum Tom. V. pag. 298 n. 3834.

Primus episcopus Vpsalensis fuit [a]) euerinus Secundus Nicolaus, Tercius Sueno Quartus sanctus Henricus martir qui fuit tempore beati Erici, Quintus episcopus Vpsalensis fuit Kopmannus.

Primus archiepiscopus Vpsalensis fuit dominus Stephanus monachus de Aluastrum qui obiit anno domini M°CLXXXV. xv kalendas Augusti, et sepultus Aluastrum, huic archiepiscopo contulit dominus papa librum ewangeliorum dictum carla knap et duas cruces ligneas paruas auro tectas in quibus conditum fuit lignum domini.

Secundus archiepiscopus Vpsalensis fuit dominus Iohannes qui anno domini M°C°LXXXVIII. pridie idus Iulii occisus est a paganis apud Almarnastæk et sepultus apud Vpsaliam.

Tercius archiepiscopus Vpsalensis fuit dominus Petrus qui obiit anno domini M°C.XC°.VII. XIIII° kalendas Octobris et sepultus apud Vpsaliam.

Quartus archiepiscopus Vpsalensis fuit dominus Olauus dictus Lambatunga qui obiit anno domini Millesimo CC°. III idus Nouembris et sepultus Vpsalie.

Quintus archiepiscopus Vpsalensis fuit dominus Valerius, qui obiit anno domini M°.CC.XIX° Septimo idus Aprilis et sepultus Vpsalie.

Sextus archiepiscopus Vpsalensis fuit dominus Olauus dictus Basatømir hic obiit anno domini M°.CC°.XXX°.IIII. XIIII° kalendas mensis Aprilis cuius corpus relictum est in Vpsalia antiqua facta sedis translacione ad nouam Vpsaliam omnium aliorum episcoporum. et archiepiscoporum corporibus translatis ibidem sepultorum [b]).

Septimus archiepiscopus Vpsalensis fuit dominus Iarlerius, qui obiit anno domini M°.CC°LV. VIII° kalendas Septembris qui sepultus est Sictonie, apud fratres predicatores huius tempore collegium canonicorum secularium institutum est in ecclesia Vpsalensi regnante domino Erico [c]) rege Sweorum primo nimirum fuit monachorum.

Octauus archiepiscopus Vpsalensis fuit dominus Laurencius ordinis fratrum minorum hic obiit anno domini M°.CC.LX.VII°. III° nonas mensis Marcii et sepultus Enecopie apud minores.

Nonus archiepiscopus Vpsalensis fuit dominus Fulco. filius domini Iohannis Angeli [d]) qui tempore Lugdunensis concilii per dominum Gregorium papam decimum factus fuit archiepiscopus Vpsalensis hic archidyaconus ecclesie existens. procurauit licenciam translacionis sedis ad nouam Vpsaliam et fecit eciam eandem. [e]) honores ecclesie in plurimis ampliauit. factus vero archiepiscopus. canonias octo in ecclesia fieri procurauit, nam prius tantum quatuor canonici fuerunt ipse vero duodenarium numerum perfecit de patrimonialibus suis. mansionem suam in Beremi et Grenby cum suis pertinenciis et attinenciis omnibus. apropriauit ecclesie Vpsalensi Obiit anno domini M°.CC°.LXX.VI°. [f]) quinto nonas Marcii et sepultus Vpsalie [g]).

a) Spatium, forsan pro litera initiali inscribenda, hic a scriptore relictum est. In praecedente chronico legitur: »Sverinius«.

b) Manu e fine XIV:i seculi additum: »hic fuit cognatus Erici regis tercii ut jnfra XCVII.« (Dipl. Suec. I. pag. 240). Eadem manu infra scriptae sunt annotationes de XVI° et XVII° archiepiscopis.

c) Eadem manu, ac in annot. superiore, supra verbum »Erico« est adscriptum »III°« et in margine »hic notandus est«.

d) »Senioris« recentiore manu superscriptum est.

e) Eadem manu XIV:i seculi additum in margine superiore: »Anno domini M°CCLXXIII° translatus est beatus Ericus de antiqua Vpsalia ad nouam ecclesiam metropolitanam presentibus dominis Waldemaro rege Fulcone archiepiscopo et aliis nobilibus.«

f) Legendum: MCCLXXVII°; sicut etiam legitur in praecedente Chronico atque in Chronologia n:o XIX SS. rer. Suec. Tom. I. Fulconem adhuc 27 Maji 1276 vixisse apparet ex Diplomat. Suec. I. p. 509.

g) Eadem manu recentiore: »hic fuit cognatus ducis Birgeri vt infra CXVII°.« Quod tamen folium registri nullam affert lucem.

Digitized by Google

Decimus archiepiscopus fuit dominus Iacobus Erlendson [h]) archiepiscopus Vpsalensis, hic instituit XIII:am canoniam Cui annectebat decimas pauperum prouenientes de prouincia Solendahundæri. hic de mansione sua dicta Skiælby fecit vicariam fieri perpetuam ad altare beati Nicolai et beate Katerine in ecclesia Vpsalensi, hic eciam de mansione Biscupcullum, cum ecclesia Cullum et decimis archiepiscopalibus atque decimis pauperum prouenientibus de parochia Cullum. ordinauit prebendam in ecclesia, in qua instituit sex paruulos pro seruicio chori. huius tempore habuit ecclesia curiam Mæthalby. hic obiit anno domini M°CC°LXXXI. VIII. kalendas Nouembris, et sepultus Vpsalie.

Post huius mortem die quinta natalis domini electus fuit in archiepiscopum dominus Iohannes Odholphi qui postmodum temporibus, Martini, pape quarti curia existente apud Vrbem veterem. [i]) eleccioni de se facte in manibus domini pape renunciauit, post huius renunciacionem, cum peruenit ad noticiam capituli dicta renunciacio, electus fuit in archiepiscopum dominus Magnus Booson qui per dominum Iohannem Lundensem archiepiscopum confirmatus fuit et consecratus, sed ante optentum palium obiit huius tempore habuit ecclesia insulam Arno, molendina constructa Vpsalie, et dignitas decanatus instituta in ecclesia Vpsalensi, obiit anno domini M°CC°LXXX° nono. XVII° kalendas Iulii [j]).

Post huius mortem postulatus fuit in archiepiscopum frater Iohannes dei gracia episcopus Aboensis, cuius postulacio per dominum Nicolaum papam. IIII. admissa fuit, qui postmodum pro inpetrando sibi palio versus curiam iter arripiens, apud. Prouinum, in Francia obiit, cuius tempore habuit ecclesia curiam Bædthærmir, Item habuit curiam Løstir per prediorum tamen permutacionem, videlicet per curiam Liusabiæk et Nordhanmyri cum ipsarum attinenciis omnibus necnon et insule dicte Hanaholm, anno eciam sue translacionis constructa fuit ecclesia lignea infra muros ecclesie noue et ibidem translate reliquie in die natiuitatis virginis gloriose. Tempore eciam suo permutata fuit curia Nes cum suis attinenciis ad tres marchas terre in Garni parochia Cullum, obiit anno domini M°CC°XC° primo in natiuitate [k]) beate virginis, cuius corpus relatum est Siktoniam et apud fratres ibidem sepultum.

Vndecimus archiepiscopus Vpsalensis fuit dominus Nicolaus Allonis oriundus Vpsalie factus per dominum Bonifacium papam octauum curia existente apud Anagniam, anno domini M°CC° nonagesimo. V. consecratus fuit per dominum Iohannem Tusculanum episcopum, astantibus consecracioni sue, domino Spirensi episcopo de Alamannia et domino Nigropontino de Grecia. In die beati Germani episcopi et confessoris, que est vltima dies mensis Julii, pallium adeptus in die assumpcionis virginis gloriose apud Anagniam in ecclesia episcopali sancti scilicet Magni martiris. Bonefacio papa illic celebrante. hic tam [l]) irreprehensibiliter quam vtiliter rexit ecclesiam. IX annis cum dimidio. obiit anno domini M°CCC°V. II. nonas Februarii et sepultus est Vpsalie.

Duodecimus archiepiscopus Vpsalensis fuit dominus N[icolaus] [m]) Albus postulatus. prius episcopus Arosiensis, qui ecclesiam vestibus sacris dotauit quam plurimum preciosis, instituit eciam singulis septimanis die illa qua in anno cadit festum beati Nicolai cantari ad altare eius in ecclesia Vpsalensi pro hoc deputans pensionem. censum vero beati Olaui Vpsaliam portari procurauit qui obiit anno domini M°CCC° (XIIII III° kalendas Iunii) [n]).

Tredecimus archiepiscopus Vpsalensis fuit dominus Olauus sapiens de Forsum tempore cuius habuit ecclesia Vpsalensis insulam Arxø curias Kidhlinge et Fyaby necnon alia quam plurima minuta predia, hic domos lapideas in Thunum et Arnø fecit excepta sacarstya, qui obiit anno domini M°CCC°XXX secundo tercio idus Marcii et est sollempniter sepultus Vpsalie.

Quartodecimus archiepiscopus Vpsalensis fuit frater Petrus Philippi, prius prior prouincialis ordinis predicatorum qui fecit sacarstiam lapideam in Arnø, et perpessus multas iniu-

h) Legendum: Israelsson. Vide: Benzelii Mon. Eccles., pag. 201.
i) Hodie: Orvieto.
j) De die eius supremo dissentiunt auctores. Praecedens Chronicon affert kalendas Maji, Chronologia autem in annotat. f) memorata XIII kalendas Maji. Diplomatarium nullam praebet lucem.
k) Praecedens Chronicon: »in octaua natiuitatis.«
l) Haec duo verba in mscr:to iterata sunt.
m) Supra lineam paullo recentiore manu est ascriptum: »Kætilli«.
n) Verba in parenthesi addita sunt manu e fine XIV:i seculi.

Digitized by Google

rias a minoribus obiit anno domini Millesimo CCC°XL primo dominica infra octauas beati Laurencii et sepultus est Sictonie apud predicatores o).

Quintusdecimus fuit dominus Hemmingus quandocunque prepositus Arosiensis, vir magne sciencie et sani consilii, qui Vpsalie in mannerio archiepiscopi fundauit et ex toto consummauit domum lapideam supra cellarium Item ..... obiit M°CCC°LI° ydus Maji p).

q) Sextusdecimus dominus Petrus de Faeringetunom episcopus Lincopensis postulatus et confirmatus et palliatus vir deuotus et modestus obiit anno domini. M°CCC°LXVI Luce ewanliste die dominica.

Decimus septimus dominus Birgerus Gregorii prius prepositus Vpsalensis vir magne liberalitatis et sani consilii vir in omni sciencia precipue theologie legum et canonum peritus qui dictauit historiam sancte Birgitte, que jncipit Birgitte matris inclite Item historiam sancti Botuidi martiris que jncipit Triumphantis milicie Electus anno domini M°CCC°LXVI in die sancti Leonardi confirmatus anno sequenti ab Vrbano V° papa in Viterbio X° kalendas Augusti et consecratus jn die sancti Jacobi apostoli videlicet VIII kalendas Augusti obiit autem anno domini M°CCC°LXXXIII° V° ydus Marcii.

r) Decimus octauus Archiepiscopus Vpsalensis fuit Dominus Henricus Canonicus Vpsalensis vir juris canonici peritus, hic emit quam plurima bona predialia pro mensa Archiepiscopali eius redditus augmentando, Obiit autem Anno domini M°CCCC°VIII°, XIIII kalendas Aprilis.

Decimus nonus fuit dominus Johannes Jerechini nacione Dacus, Et ad instancias domini Erici Regis absque eleccione Capituli promotus, Hic edificauit in Thunom domum lapideam unam et in Arnø tres, qui ad denunciacionem eiusdem Regis Ecclesia Vpsalensi propter crimina priuatus, Et postmodum ecclesiam Scalholtensem in Islandia assequtus, interfectus fuit miserabiliter ab Jslandensibus propriis dyocesanis, Qui anno Domini M°CDXX°II s) depositus fuit a sede sua Archiepiscopali suis demeritis exigentibus t) In Islandia fuit interfectus et dicitur coruscare miraculis.

Vicesimus fuit frater Johannes Haqwini ordinis sancte Birgitte Wazstenensis vir deuotus hic de mandato Apostolico mutato habitu ordinis portauit habitum Canonicorum regularium, ipse edificauit Vpsalie domum lapideam nouam, Et tandem morbo lepre confectus obiit quasi subito Anno domini M°CCCC°XXXI° u) V° ydus Februarii.

v) Vicesimus primus fuit Magister Olauus Laurencii natus in Trøgdh jn decretis Baccalaureus Parisiensis. magnus rethor in factis suis multum seriosus. in muneribus magnificus et strenuus vir et magni consilii, hic existens prepositus Vpsalensis rite et canonice nullo contradicente electus est in Archiepiscopum Vpsalensem eciam non accedente nec requisito consensu regis, Qui munus consecracionis in persona recepit Rome sub Eugenio papa V:to, perpessusque est innumeras tribulaciones exilia et viarum in mari discrimina per regem Ericum. qui noluit eum aliquomodo admittere ad Archiepiscopatum Licet monitus per papam et rogatus Et eo in remotis agente Rex E[ricus] intrusit contra voluntatem capituli et cleri primo quendam Arnoldum Episcopum Bergensem. qui intrusioni consenciens et effectualiter prosequens Arnø mortuus est in breui miserabiliter in excommunicacione vt Antiochus non potens sufferre proprium fetorem genitalium Quo mortuo et in Daciam deducto idem Rex intrusit quendam Torlacum Nacione Noricum eciam contra voluntatem Capituli. Interim idem Magister Olauus Archiepiscopus in Concilio Basiliensi de iniuria sua conquestus est et causam suam fecit committi et per Concilium iustificatus est, Nec minus per regem admissus est: Licet Concilium pro eo ad regem specialiter scripserit. Eumque vt archiepiscopum in sessioni-

o) Hic finitur annotatio primi auctoris registri Upsalensis et recentior manus excipit.
p) Quae de morte Hemmingi afferuntur, eadem vel paulo recentiore manu sunt in margine apposita.
q) Hinc recentiore manu.
r) Hinc alia manu.
s) Duae ultimae literae alia manu sunt additae.
t) Eadem manu, ac in annotat. superiore, apposita sunt, quae sequuntur de hoc archiepiscopo.
u) Legendum: MCDXXXII, ut legitur in Diar. Wadstenensi, quod probatur duabus literis indulgentiarum ab Joh. Haquini datis 27 April. et 2 Augusti 1431, quae adhuc in Arch. Regni asservantur. Cfr Spegels Skrifteliga bevis p. 32—44.
v) Hinc recentiore manu.

Digitized by Google

bus honorauerit et deputacionibus Eo tempore orta est guerra per quendam Engelbertum de Vallibus et terre principes contra eundem dominum E[ricum] propter iniusticiam suam Audito autem exercitu dictus Torlacus aufugit. Et paulopost Magister Olauus Archiepiscopus in ecclesiam suam Vpsalensem cum gloria et honore ac populi exultacione rediit et receptus ymmo Regi reconciliatus est. Qui obiit Anno domini 1438. VII kalendas Julii [x]). Sub eodem O[lauo] Archiepiscopo per Concilium Basiliense annate erant sublate et electi pro confirmacione ad suos archiepiscopos accesserunt in ecclesiarum releuamen iuxta iuris communis disposicionem.

Vicesimus 2:dus fuit Reuerendissimus pater et dominus Nicolaus Ragwaldi tunc Episcopus Wexionensis et post postulatus per Capitulum Vpsalense concorditer ad ecclesiam Vpsalensem. Qui erat in omnibus moribus maturus in clero et populo manswetissimus et pii cordis. Justus. mansuetus deuotus prudens munificus Hic impetrauit a regnicolis vt per permutacionem prediorum et bonorum ecclesie Almarastek cederet ad vsum ecclesie Vpsalensis pro fabricando castro vel curia ad voluntatem ipsius et suorum successorum, qui primus fundamentum posuit in competenti altitudine in expensis ecclesie. cleri. et mense Quam permutacionem tamquam rite factam. Reges Cristoferus et Karolus per suas litteras confirmarunt vna cum consiliariis regni Qui obiit Anno domini 1448. dominica Reminiscere que erat 17 dies ffebruarii.

Född i Stockholm. War en liten tid Biskop i Westerås. Om honom skrifs intet mer, än at han kom näst efter Biskop Bengt [l]).

XXX. Lydica Abelsson

Född i Nykiöping af ädel slächt. Han uträttade mycket godt och ibland annat utskref aflatsbref til monga församlingar, dermed han indrog en stor Summa penningar, hwarigenom han åstadkom, at Domkyrkian på Östra ändan förökat upbygdes en stor del i längden, hwartil icke allenast Konung Carl Knutson, utan och Herr Sten Sture den äldre, Riksens föreståndare, med dem Herr Biskopen stod mycket wäl, frikostigt hulpo. Han dödde i Westerås åhr 1487 och begrofs i den af sig tilökta kyrkian för höga altaret, der hans sten änn i dag ligger uppå hans graf.

XXXI. Olof Andersson

Föd i Säberby (nu kallat Soppnaby [m]) i Tuna sokn och Österdalarne af ringa slächt) för det han war Herr Sten Stures den äldres Canceller, befordrade han honom til Biskopsembetet i Westerås, derwid han war så olyckelig, at efter han hade aflat barn med en förnäm qwinsperson, den han wille fästa sig til hustru, blef han uti ett Concilio i Upsala af Clerceriet dömd ifrån sitt ämbete: gaf sig sedan in i Huseby klöster i Bergslagen, der han förblef til döde dagar.

XXXII. Olof

En annan af samma namn. Om honom skriwes intet mehr änn blotta namnet [n]).

XXXIII. Otto

En Adelsman Olof Swinhufwuds son wid Kopparberget föd, hwilkens förfäder warit inkomne ifrån Danmarck i Drottning Marigtas tid. Han war Konung Hans Christierns sons egit creatur, hwilken satte honom med list til Biskops ämbetet i Westerås. Det berättas

l) Difficile est certo determinare tempora horum episcopatuum. Nobis videtur, Pium II, Olauo mortuo, statim per provisionem ecclesiæ Arosiensi præfecisse Birgerum Magni (v. literas papæ an. 1462, d. 26 Jan. et 27 Febr., Celse, Bullarium, p. 199), capitulum autem elegisse Benedictum Canuti, qui tribus literis an. 1462, d. 24 Febr., in Rossvik, ubi adest permutationi præd. (L. Sparre, CopieBok p. 56 in Bibl. Ups.) et d. 25 Julii (De la Gardieska Archivet, II. p. 32) et 1463 sine die (orig. membr. in Archivo regni, quas Stiernman perperam ad an. 1461 retulit) vocatur episc. Arosiensis. Præterea Birgerus Magni solum appellatur præpositus Upsaliensis in literis judicialibus capitanei Holmiensis an. 1462 die S. Pauli (29 Junii), orig. membr. in Archivo regni.

m) Hodie Söpnarby, Kröningssvärd, Diplom. Dalecarlicum, regist. p. 60.

n) Adhuc an. 1501, d. 27 Jan. literas indulgentiarum promulgat. Diplom. Dalecarlicum, I. p. 175, ex originali. Jam d. 19 Mart. Otto est ep. Aros., Spegel, Skrifteliga bevis, p. 56. Præterea de duobus Olauis cfr. Reuterdahl, Svenska kyrkans hist. III. 2. p. 144. 45.

Digitized by Google

om denne Biskop, at han först lät utgå en ny messebok för sitt stift. 2: war en eller annan gång Sänninge bod til Danmarck å de Swenskas wägnar, men uträttade dermed litet eller intet. 3: Lät kostsamligen förbättra biskopsgården i Westerås wid Domkyrkian, och upbygde der ett stort stenhus wid gatona, der han öfwer porten lät inmura sitt skiöldamärcke uthuggit i sten. 4: Utgaf han monga aflats bref i stiftet, och dermed indrog en stor summa penningar, hölt mycket Hoffolk som Konungen sjelf: hölt monge onyttige folk i sit hof, reste aldrig mindre änn med 60 Hofmän starck någon hwart. Blef omsider inkastat i Stockholm i fängelse o), der han i stanck och orenlighet dödde 1522 först på åhret, sedan han i 20 åhr eller litet öfwer warit Biskop. Til Domkyrkian i Westerås och til kyrkian i Fernebo gaf han skiöna altaretaflor, medan han änn lefde.

XXXIV. Peder Jacobsson Sunnanväder

Föd i Wadstena, blef af Konung Gustaf Ericsson och Canikerna i Westerås utwald til Biskop p). Och efter han så förrädelig omgick, som bekant är, med DalJunckarns befordring, rymde han med sin medhollare Mäster Knut Domprobsten til Norige, tädan han sändes Konung Gustaf Ericsson tilhanda ifrån Ärckie Biskopen i Trundhem, och i Stockholm led stor begabbelse och försmädelse på alla gator, derifrån han sändes til Upsala och der steglades, och efter fyra dagars förlopp, sedan han steglad war, togs han af steglen neder och lades neder i jorden i Capellet wid Domkyrkian. Denna Päder Jacobsson war Herr Sten Stures den yngres Canceller förr än han blef Biskop i Westerås.

XXXV. Doctor Per Månson

Hade länge studerat här i Swerige: reste sedan utom lands undan Konung Christierns tyranni til Tyskland, Italien och Franckrike, och uppehölt sig länge i Rom; blef också der Föreståndare i Sanct Britas hospital i några åhr: betiente och Påfwen Leo den 10:de i monga stycken wid hans Cancellie med brefs utfärdande, ty han war en lärder man, hwarföre samme Påfwe blef förordsakad att befordra och confirmera honom til Biskop i Westerås, sedan han hade fått härifrån en ordentelig kallelse dertil. Och war denne biskop föd af en ädel och friboren slächt i Tillberga och Rybro q), hwilkens fader hett Måns Jönson, och war Höfwidsman på Westerås Slott, den der i sin höga ålder oskyldigt blef korsfäst af tyrannen Konung Christiern. Denne Biskop lade sig med de andre Biskopar i Swerige, såsom i synnerhet Hans Brask i Linkiöping, och Harald Månson i Skara och Ärckie Biskop Johannes Magnus i Upsala mycket häftigt emot Konung Gustaf Ericssons reformation i religionen, och presternes giftermål, samt andre nyttige saker, som Konung Gustaf Ericsson, och de där med honom höllo, wille framhafwa, så at der han icke hade blifvit döder, som skedde åhr 1534 hade han antingen most blifwa afsatter af sitt embete och heder, eller rymma af riket med de föreskrefna Biskopar och andra Prælater.

o) In mense Aprili an. 1522, v. Ekdahl, Christiern II:s Arkiv, I. p. 206.

p) De brevi ejus episcopatu cfr. Reuterdahl l. c. IV. 1. p. 166.

q) Lege: Rytro, hodie Ryttern, parœcia proxima Tilbergæ.

Digitized by Google

IX.

Chronicon vetus episcoporum Wexionensium,

Ex codice Laurentii Odonis, olim in Bibliotheca Upsal. asservato, sed jam initio XVIII:i seculi deperdito et nostro tempore demum in Bibliotheca regia Saxonensi reperto (vide Serapeum, ephemerides, ed. a Naumanno, T. XVI, an. 1855, pag. 302), unde liberali benevolentia nobis mutuo datus est. Hic codex in octavo, chartaceus, cum tegumento membranaceo habet 252 paginas, solum ad pag. 200 signatas (manu Örnhiälmii, qui ceterum propria manu fere totum codicem exscripsit in sua "Historia Sancta" nunc servata in Bibl. Ups.). Initio folium membranaceum est insutum, in quo scriptor inseruit titulos diversorum operum, quæ codex continet, quorum cuique Örnhiälmius addidit signum paginæ, in qua opus quodque incipit (usque in pag. 185). In priore parte primi folii tegumenti legitur vetusto stilo scriptum: H. VI. Legende aliquor[um]. In tergo habet signum A. 182. (indicans ordinem bibl. Dresdensis). Primo folio papyraceo pagina 1., superiore margine legitur "Liber laur[encii] odonis". — Hic Laurencius Odonis propter literarum studia Academiæ Pragensi an. 1372 adscriptus (Monumenta Hist. Universitatis Pragensis Tom. II. Prag 1834) jam an. 1377 tenuit canoniam Lincopensem (d. 10 Sept., orig. in Arch. regni; cfr Diar. Vadst. ad an. 1402) et obiit an. 1417 ut præpositus Lincopensis (SS. rer. Suec. I. 1. p. 115) — Pag. 47 (historia S. Sigfridi finitur in pag. 46) incipit hoc chronicon manu seculi XIV:i descriptum. Jam antea illud impressit reverend. Benzelius in editione sua Vastovii Vitis Aquiloniæ (pag. 77), ubi desumtum esse ait "ex codice mscr:to membranaceo biblioth. Ups. n. 105 ad calcem vitæ S. Sigfridi". Primo aspectu facile adducimur ad credendum, hunc (Benzelii) codicem eundem esse ac codicem Laur. Odonis, præsertim quod in utroque antecedit vita Sigfridi, sed editio Benzeliana ultra hæc verba: . . . "Anno ab incarnacione domini CIↃCCV" continuatur his verbis "Septimus Wexionensis episcopus Gregorius. Octauus Forkundus. Nonus Azerus", quod necessarie ostendit codices esse diversos. Hunc autem codicem reperire omni cura adhibita non potuimus; signum 105 spectat antiquum ordinem codicum in veteri bibliotheca, et in ipsius Benzelii catalogo autographo series codicum mscr:torum subsistit numero 81. Quod ætatem attinet ipsius auctoris, referendum certo est chronicon ad initium XIII:i seculi; hoc enim tempore subsistit chronicon, præterea continet narratio eas res, quae vix nisi a coævo fuissent annotatæ, demum continuatio in edit. Benzelii demonstrat veteri annotationi additamenta in fine seculi XIII:i ascripta esse.

Successit itaque sancto Sigfrido.

Primus in episcopatu. Asmundus episcopus [a]).

Tertius [b]) Siwardus episcopus.

Quartus [c]) Johannes episcopus. Postea translata est sedes potestate non iusticia ad Skarensem ecclesiam et [d]) deinde ad Lincopensem ecclesiam.

Primus episcopus Lincopensis ecclesie Herbrictus. Et quintus a nouella Christianitate jn regno Suecie.

Sextus Rikardus.

Septimus Gislo.

Octauus Colo. Jn tempore huius populus [e]) dolens de amisso pastore obtulerunt pecuniam regi Karolo vt sibi dignum pastorem jn salutem animarum suarum prouideret qui precibus eorum annuens monachum quendam ex Cystersiensi ordine cognatum suum Stenarum nomine virum vtique prouidum et honestum eis jn salutem animarum prefecit, Post sus-

a) Eundem esse, ac «Astmuder» in serie Scarensi (v. supra pag. 113. not k.) verisimile est. Communis diocesium origo propagavit communes traditiones.
b) Ed. Benz. habet: secundus.
c) — — — —: tertius.
d) Et: deest in ed. Benz.
e) Ed. Benz. addit: «Wærendensis», sicut etiam redactio nova impressa sub n. X.

Digitized by Google

ceptum namque [f]) cure pastoralis officium spiritu discordie interueniente eiectus a propria sede jn Daciam exulauit [g]) Qui [h]) susceptus satis benigne a bone memorie Absalone Lundensi archiepiscopo cum eo aliquamdiu conuersatus est Tandem vocante deo post multas aduersitates ad propriam sedem regressus jn pace vitam finivit [i])

Successit quoque ei in episcopatu vir bonus et humilis pius et modestus Johannes nomine filius Eringislonis [h]) cuius memoria jn benedictione [k]) cognatus Kanuti regis et b[eati] ducis Valdemari videlicet regis Danorum et filiorum eius ex parte matris. hic XII annis episcopatum Wærendie tenuerat quando gesta beati Sigfridi in scriptis sunt redacta [l]). Swercone rege filio Karoli nonum annum sui regni agente. Anno ab jncarnacione domini MCCVI:o [m]).

X.

CONTINUATIO CHRONICI EPISCOPORUM WEXIONENSIUM.

Ex autographo exscripto Örnhjälmii (in Diplomatario ejus Tom. I. p. 156, servato in Bibliotheca Academiæ reg. Antiquit. Holm.) cui hæc superscripsit verba: "Hunc sequentem Catalogum Episcoporum Wexionensium e veteri quodam Codice Legum patriæ MS:to descriptum Holmia Upsaliam mihi misit Cl. dn. Johannes Hadorphius per Ericum Wennæsium" d. 8 Xbris A:o 1677". Vestigia hujus codicis frustra consectati sumus. Forsan aliquot annis post an. 1677 ipse codex in manus Örnhjälmii incidit ejusque post mortem (an. 1695) cum plerisque ejus manuscriptis et libris fuit dispersus (sicut contigit libro Laurentii Odonis). Hoc quidem jam primo aspectu ex eo refutari videtur, quod dimidio seculo post illustr. Langebek in itinere suo Suecico an. 1754 dicitur ex eodem codice fecisse annotationem de tertiodecimo episc. Wexionensi (v. SS. rer. Danic. Tom. IV. pagg. 618 et 620, qui tomus ex mortui schedis editus est), sed fieri potuit, ut hoc ex apographo supradicto Örnhjälmii, non ex ipso codice exscripserit, nam iisdem paginis legitur, eum simul tunc fecisse excerptum ex codice Laurentii Odonis, sed hic codex jam Benzelii tempore, ineunte seculo XVIII:o erat deperditus, quare excerptum Langebekii necessarie haustum est ex Diplomatario Örnhjälmii, ubi ille hæc duo chronica n. IX et X., illud ex codice Laurentii Odonis, hoc ex codice legum patriæ exscripserit. Quæ quum ita sint, conjicere vellemus, quamquam pro certo affirmare non possumus, Langebekium etiam annotationem de tertiodecimo episcopo non ex ipso codice, sed ex Diplomatario Örnhjälmii eruisse.

[a]) Septimus episcopus Gregorius [b])
Octavus Foravidus [ɔ: Forcundus [c])]
Nonus Wexionensis Episcopus Acerus [d])

f) Ed. Benz. habet: qui post susceptum curæ.

g) Certum est, Stenarum ep. Wex. annis 1183 et 1191 in Dania versatum esse (SS. rer. Danic. V. pagg. 250, 252 et 377).

h) Ed. Benz. habet "et" pro "qui".

i) Intra annos 1191 et 1194 (cfr. Diplom. Suec. I. p. 124 et verba hic infra, successorem Stenari an. 1206 episcopatum duodecim annis tenuisse).

h) Ed. Benz.: Heringisl. Quæ nunc exstant diplomata hujus Johannis nullam faciunt mentionem, sed Örnhiälmius dicit se vidisse nomen eius in diplomate autographo regis Suercheri filii Caroli, quod retulisset in parte inedita hist. suæ ecclesiasticæ, (annotatio in Collect. Palmsköld. Bibl. Upsal. n. 302. p. 735).

k) Ed. Benz. addit: est.

l) Impressa in sectione priore Tomi II:i huius operis.

m) Ed. Benz.: anno incarnacionis domini CIↃCCV. De continuatione in hac edit. vide præfationem nostram ad n. IX.

a) Quæ ante Gregorium in hac continuatione chronici leguntur, in notam manifestas ob causas adduximus. Hujus sunt sententiæ: "Circa annos domini MXL regnavit Olavus Skotkonung in Svecia, qui dederat filiam suam Sancto Olavo regi Norvegiæ, qui passus est A:o domini M.XXVIII. 4. Kalend. Augusti, in uxorem, et ipsa baptizata cooperabatur, quod S. Sigfridus venit in Sveciam et fidem prædicavit et patrem suum prædicavit (ɔ: baptizavit), et hoc circa Ann. domini ML." (*cfr. SS. I. 1. p. 188. not. m.*) — "In Legenda v. S:ti Eskilli legitur, quod Sanctus Anscharius prædicavit in Svecia circa annos domini octingentos XLV. Fluxerunt inter S:m Anscharium et S. Sigfridum ducenti anni vel circiter etc. Qui tria cimiteria in Vesgocia consecravit, primum in Friggiraker, secundum in Girhem, tertium vero in Angirstadhom: quo facto in Werendiam rediit, et patria illa ad fidem conversa, vitam feliciter terminavit. Hujus quoque Sancti reliquiæ in Wexionensi ecclesia requiescunt" (*De S. Sigfrido exscripsit auctor chronicon episc. Scarens. v. supra pagg. 112, 113.*) — 2. "Successit itaque Sancto Sigfrido primus in Episcopatu Asmundus . . . . . anno ab Incarnacione domini M.CD.V." (*Hoc meliore ex fonte impressimus in præcedente n. IX.*)

b) Semel tantum nomen ejus offendimus sc. an. 1241 (Dipl. Suec. I. p. 296).

c) Ita recte scribitur nomen in Benzelii editione præcedentis chronici (v. præfationem ad n. IX et diploma an. 1257 (Dipl. Suec. I. p. 386).

d) Acerus titulo episcopali utitur jam an. 1261 (l. c. I. p. 405).

Digitized by Google

Decimus Boetius [e])
Undecimus Thomas [f])
Duodecimus frater Henricus [g])
Tridecimus Petrus, Siellendensis, qui translatus est ad Arosiensem Ecclesiam Juziæ [h])
Qvartus-decimus Hemmingus Laurentii nobilis [i])
Qvindecimus Eskillus Torstani [k])
Sedecimus Nicolaus Ragvaldi, postea postulatus in Archiepiscopum Upsalensem.

XVII. Laurentius Michaelis, natus Wexio [l]).

XVIII. Gudmundus Nicolai, de Øxestörp, Anno domini M.CCCC.LXX consecratus, qui fuit III. ArchiDiaconus Wexionensis et Canonicus Arosiensis.

XIX. Nicolaus Olavi [m]), Artium liberalium Magister de Genistorp, qui fuit II.dus Decanus Wexionensis.

XX. Ingemarus Petri de Wækilsengh [n]), qui per bullam et rescriptum Apostolicum nititur [o]) quinque contractas Øsbo, Wesbo, Synderbo, Østrahæradh oc Wæstrahæradh coram Regia Majestate et gratiosissimo Domino Archiepiscopo revocare.

Anno Domino M.CD.XXX erat Dominus Johannes Olavi plebanus in Bergundh [p]), et postea factus primus Archidiaconus in Ecclesia Wexionensi.
Secundus dominus Karolus Thoreri satis fidelis in suo officio.
Tertius dominus Gudmundus, qui postea factus fuit Episcopus.
Qvartus doctor Matthias, qui se transtulit ad Ecclesiam Upsalensem ad sui domicilium originis [q])
Qvintus Magister Sigmundus Vgla,
Sextus Dagerus Dageri de Gardzby [r]).

Primus Decanus Ecclesiæ Wexionensis, dominus Johannes Petri de Skatalöf [s])

II. Successit ei Magister Nicolaus, qui postea factus fuit episcopus Wexionensis.

III. Benedictus Vgla, qui constitutus est ArchiDiaconus.

IV. Eskillus de Wækilseng [t]).

E vita decessisse dicitur an. 1287 (SS. rer. Suec. I. 1. p. 26 et 87), sed jam an. 1281 propter flagitiosam vitam, quam coram aliis episcopis confiteri est coactus, et ægritudinem munus abrogavit, quare Papa Martinus IV eodem anno d. 15 Octobr. jubet A. Episcopum Ups. instituere electionem canonicam (v. P. A. Munch. Collectanea ex Archivo Vaticano, servata in Biblioth. Academiæ reg. Antiquitat. Holm.)

e) Boetius, cognomine Hætta in vita Brynolphi infra edenda. — Inter hunc et sequentem Thomam omittit scriptor duos episcopos, sc. Magnum et alterum Boetium. Magnus primo commemoratur an. 1294, d. 15. Aug. (Dipl. Suec. II. p. 178) et ultimo an. 1319, d. 8 Julii (l. c. III. p. 413). Boetii nomen comparet jam an. 1320, d. 29 Jan. (l. c. p. 449), ultimo nominatur an. 1343, d. 18 Novembr. (l. c. V. p. 225).

f) Thomam (filium Johannis de Malstad: Hildebrand, Svenska Sigiller ifrån Medeltiden, Series sec. n. 190), episc. Wexion. primo reperimus an. 1344, circa d. 29 Sept. (Dipl. Suec. V. p. 349), ultimo an. 1375, d. 10 April. (R. Arch. Perg. Bref, n. 1140).

g) Henricus Godechini electus Wexionensis commemoratur an. 1376, d. 17 Septembr. (l. c. n. 1219), accepit confirmationem apostolicam a Gregorio XI. an. 1377, d. 11 Martii (Munch Collect. v. not. d.), obiit an. 1281, d. 15 Novembr. (R. Arch. Perg. Bref, n. 1681).

h) Capitulum quidem Wexionense elegerat Henricum Caroli canonicum Upsal. (postea A. Episc. Ups. an. 1383—1408), sed Curia Romana per provisionem instituerat Petrum quendam (l. c. n. 1764). Si verum est, hunc Petrum fuisse translatum ad Arusiam Jutiæ (quod silentio prætermittunt annales et historici Danici) idem est, ac Petrus Johannis (dictus Lodehatt) qui anno 1386 accepit illum episcopatum et an. 1395 postulatus est in episc. Roeskildensem (Danske Magazin, III. p. 354 et IV. p. 293).

i) Quando fuerit electus est incertum. Ante an. 1389, d. 3 Aug. (R. Arch. Perg. Bref, n. 2413) eum invenire non potuimus.

k) Eskillus vocatur E. in Anebodhum (quæ est ecclesia in territo Albo), quum an. 1409 in episcopum consecraretur per ep. Scarens. (v. SS. I. 1. p. 31).

l) Adhuc an. 1465, d. 1 Dec. viventium numero adscribitur (Diar. Vadst. SS. I. 1. p. 188).

m) Consecratus est an. 1476, d. 10 Nov. (Kalend. Troll. in SS. rer. Suec. I. 1. p. 235).

n) Ecclesia in territ. Konga.

o) Ex hoc annotationem coævam esse elucet, et Örnhjälmii manu ad I. Petri in margine est annotatum: Manu recentiori. De ipsa lite cfr. Celse, Bullar. Alex VI. 11; Leo X. 3, 6, 7.

p) Eccl. in territ. Kinnevall.

q) Sine dubio idem de quo in serie decanorum Registri Upsaliensis legitur: "Huic [Erico Olai, Professori et celebri historico] successit dominus Matthias natus in Trøgdh utriusque iuris doctor Qui obiit anno MC[D]XCI XV die decembris". (Dipl. Suec. V. p. 310 cfr. 317). Lapidis sepulchralis inscriptio tamen dicitur indicasse an. MCDXCV, XVI die Decembr. (Peringsköld Monum Ullerak. p. 216).

r) Eccl. in territ. Norrvidinge.

s) Eccl. in territ. Albo.

t) Hic sequuntur duæ annotationes ab ipso chronico plane sejunctæ, quas ideo in notam rejecimus:

"Anno Domini M.C.XLIV. venit claustrum Novevallis
. . . . . M.C.LX Rex Ericus Upsaliæ est passus, qui regnavit Christianis.

Digitized by Google

XI.

Chronicon episcoporum Finlandensium.

Ex manuscripto chartaceo, manu prioris partis seculi XVI:i, ut videtur, scripto, quod exstat in collectione Palmsköldiana, Biblioth. Upsal., n:o 312 ("Åbo och Åland"), p. 369; in eodem volumine p. 347 insertum est descriptum autographon Palmsköldii hujus chronici. Duo complectitur folia in forma quarta minori, quorum in primis quinque paginis hoc chronicon una eademque manu ab initio usque ad calcem est perductum. Jam antea illud edidit celeberr. Porthan sub titulo: "Fragmentum Chronici episcoporum Finlandensium" in dissertatione sua: Sylloge Monument. ad ill. Hist. Fennicam pertin., pars I, Aboæ 1802. Obscuris lectionibus passim occurrentibus (cfr. episc. Folquinum, Thomam etc.) manifestum fit, scriptorem secutum esse vetustius manuscriptum, quod interdum non potuerit interpretari. Collatis hoc et Juustenii chronico episc. Finland. (edid. Porthan in 56 dissertat. Aboens. an. 1784—1800) plane apparet, illud maximam partem nihil aliud esse, quam retractationem veteris chronici, haud raro iisdem verbis factam, qvare chronicon Juustenii, qui præterea inter scriptores medii ævi vix potest numerari, hic inserere supervacaneum duximus, præsertim quum undique perfecta uberrimisque annotationibus ornata editio Porthanii nuper iterum typis sit exarata (H. G. Porthan. Opera selecta, I, II. Helsingfors 1859—1862), ad quam lectores, si qua de re accuratiorem notitiam exoptaverint, relegamus et ex qua (sc. recentiori editione) ipsi, ubi necessarium visum sit, hausimus, quamquam hic, sicut alias, solum qvid novi invenerimus vel qvid textus explicandi causa non potuerimus silentio præterire, annotavimus.

Pontiffices isti Finlandenses meruere Ecclesias regere sufulti doctrina [a]) Christi

Henricus

Anglicus Anno domini millesimo centesimo quadragesimo octauo Vpsalie quartus Episcopus prefficitur. Anno MCL:o cum sancto Erico Finlandiam venit in estate et statim yeme sequente Kiwlo [b]) martirizatur miraculis coruscando Nowsis [c]) sepelitur Ad Abo transfertur.

Rodulff

Vestgotus a Curonibus captiuatur et ibi ab eisdem occiditur Anno Domini [d])

Folquinus [e])

Suecus huius acta nulla reperiuntur propter primam depellaciam [ɔ: depopulationem] per Ruthenos stictam [ɔ: factam] obiit Anno domini

Thomas

Anglicus de ordine fratrum predicatorum Visby resedit tum [f]) propter Anglicos illuc se transtulit tum [g]) Meonum [ɔ: Curonum] et Ruthenorum furorem ibi obiit Anno domini MCCXLVIII:o [h]) et in summo choro aput eosdem [i]) sepelitur.

a) Porthan vult legere "dogmate"; Palmsköld autem "doctrina", quod nobis illegibili manuscripto propius esse videtur.
b) "Killilo" quoque fortasse legi potest, non autem "Eillilo", ut dicit Porthan. De Kiulo, parœcia in territ. Satagunda, cfr. Porthan, p. 108 et SS. rer. Suec. II. 1. p. 334.
c) Parœcia in præfectura Aboensi.
d) 1178 indicat Juusten, qua ex fonte ignoramus.
e) Sub hoc vel sequente episcopo papa Innocent. III re.i Sueciæ concessit lit. dat. an. 1216, d. 4 April. (orig. in Arch. Swerinensi; v. Styffe, Skand. under Unionstiden p. 307) ut res ecclesiast. Finlandiæ constituturus unam vel duas erigeret dioceses.
f) Porthan: "tamen".
g) Porthan omisit hoc verbum, quod una cum superiore mendosa lectione "tamen" maximam ei comparavit difficultatem.
h) Ita quoque in ann. Sigtun. et in SS. rer Suec. I. 1. p. 86.
i) Aut Anglicos aut prædicatores, nisi conjicere licet, fraternitatem prædicatorum Wisbyensium ab Anglia originem ducere. Conventus tantum accreverat, ut Innocentius IV, papa, an. 1243 eum posset adhortari, ut Cruciferis Livoniæ succurreret (Dipl. Suec. I. p. 297).

Digitized by Google

Bero [k])

Vestgotus est alienauit tributum Finonum ad manus regis cuius erat consangineus et cancellarius obiit Anno domini et in Ränthämäky sepelitur.

Raguald

Ostgotus hic primo maskot [l]) instituit obiit Anno domini MCCLXVI:o et in Ränthemäki sepelitur.

Katillus

Vestgotus hic primo instituit collegium canonicorum in Ränthämäki, Anno domini MCCLXVI:o [m]), In Ränthemäki sepelitur, ibi plerique episcopi sunt sepulti.

Joha[nnes] [n])

Prior Sicktunensis [o]) ad Abo postulatur postea in Archiepiscopum Wpsalensem subleuatur [p]).

Mag[nus]

Primus Finno ex Mertiala in Rusko [q]) natus hic ecclesiam cathedralem de Ränthemäki ad Abo transtulit, Anno MCCC:o et ibi primum sepelitur, qui obiit Anno — —

Raguald

Alandensis hic Kwsto [r]) erigi fecit Anno MCCCVII:o [s]) huius tempore Birgerus rex tres [t]) fratres suos duces interemit. Ecclesia Aboensis a Ruthenis spoliatur feria 2:a Penthecostes Anno [u]).

Benedictus

Swecus ordinarium predicatorem [v]) instituit, huic ortus Ṣancte Birgitte nocte natiuitatis sue reuelatur [x]), obiit Anno MCCCXLVIII:o [y]) in summo choro ad latus beati Hemingi sepelitur.

Hemingh

Swecus diocesis Wpsalensis et de parochia Bälingh diuinitus eligitur [z]), in Stocholm consecratur, prepositurum Abo fundauit scrinium Sancti Henrici procurauit, Reuelaciones sancte Birgitte ad papam detulit [a]), et coram eo sermonem fecit pro laude eius cui familiarissimus fuit obiit Anno MCCCLXVII:o [b]) in summo choro sepelitur.

k) B. episc. de Fynlandia subscripsit et sigillavit literas dat. an. 1252, d. 13 Febr., Dipl. Suecan. I. p. 361.

l) Pro matskott i. e. tributum annuum cibarium ab incolis datum episcopo et curatis (Porthan, p. 143).

m) 1276 legendum jam Porthan suspicabatur, motus narratione Juustenii, hoc factum esse consensu regis Magni et in præsentia Fulconis A.Episc. Ups. Quæ si vera est, necessarie legendum an. 1276, quia Laurentius, Fulconis antecessor, obiit 1267 (v. supra p. 98). Præterea Fulco mortuus est an. 1277 (v. supra p. 99, not. f.) non 1276, qua re difficultates a Porthano observatæ (p. 149, not. 3) amoventur.

n) Observandum est, quod supra (p. 100) negleximus monere, verisimile esse, hunc Johannem (non autem, ut hactenus existimavimus, archidiac. Joh. Odolphi) fuisse, qui mortuo Jacobo Jsraelis A.Ep. Ups. an. 1281 primo electus est A. Episcopus, quamquam mox renunciavit dignitatem (v. Hildebrand, Svenska Sigiller ifrån Medeltiden, ser. 2, n. 35). Haud parvi quoque momenti est, vetus Chron. episc. Ups. (supra p. 98) silentio hanc rem præterire, quæ primum cum nomine Joh. Odolphi inserta est in continuatione (p. 100), forsan ex ann. Sigtun. (in sect. priore).

o) Adhuc an. 1286, d. 23 April. vocatur prior Sictun. (Dipl. Suec. II. p. 6), jam in Sept. eodem anno episc. Aboens. (l. c. p. 12).

p) Johannes elect. Upsal. primo in diplomatis commemoratur d. 29 Jan. an. 1290, consecratus vocatur eod. an. d. 28 Nov. (l. c. pagg. 89 et 99). De obitu ejus v. supra p. 98.

q) Eccl. in vicinitate urbis Aboæ septentrionem versus.

r) Curia episcopalis ibidem versus meridiem.

s) Vix annus referri potest ad curiæ ædificationem; quomodo enim potuit R. episcopus esse jam an. 1307, quum A. Episc. Ups. an. 1309, d. 28 Maj (Dipl. Suec. II. p. 575) indicit diem objectionibus super electione Ragvaldi proferendis? Quare assentimur Porthano, legendum 1317, quo anno duces captivati sunt.

t) Pro "duos".

u) 1318, v. Munch, Det Norske folks Hist. II. Hovedafd. I. p. 69, not 1. Ultima vice nomen Ragvaldi nobis occurrit an. 1320, d. 7 Nov. (Dipl. Suec. III. p. 482).

v) Ut semper esset, qui coram populo diebus dominicis in ecclesia concionaretur. Porthan p. 192, 193 vult "prædicatorum" et ordinarium putat scriptum pro "priorem".

x) Vastovius hactenus perturbavit scriptores, hanc revelationem tribuens Hemmingo. In processu autem S. Birgittæ exstat testificatio Petri Olaui, prior. Alvastr. se ex Hemmingo audivisse, Benedictum ipsi (sc. Hemm.) totam revelationem narravisse.

y) Lege: 1338, d. 24 Oct. (Dipl. Suec. IV. pag. 638)

z) Jam d. 15 Nov. 1338, (l. c. in annot. super.)

a) Sine dubio scriptor false interpretatus est verba in revelat. extravag. c. 51 et 113 (cfr. Porthan, p. 240 not. 45).

b) Falsum esse annum jam demonstravit Porthan p. 292, not. 4,

Digitized by Google

Henricus

Cardinalis Aboensis, redeundo de Rhomana curia moritur in summo choro ad sinistrum latus iuxta sanctum Hemingum sepelitur, Anno MCCCLXVIII:o [c]).

Joha[nnes]

Suecus Parisius [d]) diu rexit [e]) sepulchrum Sancti Henrici Nousis decorauit obiit Anno domini MCCCLXX:o [f]) ad dexteram sancti Hemingi sepelitur.

Jo[hannes]

Vestfal [g]) Aboensis prebendam Sancte Katherine fundauit huius tempore Raseborgh per Boo Joansson construitur [h]) eius tempore Sancta Birgitta obiit Anno MCCCLXXII:o [i]) hic obiit in Nytykarthono [j]) Anno domini MCCCLXXXIIII et in choro Sancte Katherine sepelitur.

Bero

Balk Sema [k]) ortus MCCCLXXV:to [l]) Rome consecratur, archidiachonatum instituit huius tempore missa auroræ per reginam Margaretam cum parochia Pijke fundatur, sub pulpito in summo choro sepelitur [m]).

Magnus

Virmå natus ex patre Olauo Tauast Magister Pragensis [n]), Erici regis cancellarius XL annis Episcopus vixit et ecclesie bene prefuit prebendam corporis Christi et monasterium Nådhendaal fundauit, Abo in choro corporis Christi sepelitur, Anno MCDLII:o IX die mensis Marcii, hic domum lapideam episcopalem et aliam pro residencia prebendati corporis Christi construi fecit, hic horas de sancta Cruce per suam diocesim legi mandauit, Archidijaconatum per suum Capitulum meliorauit annulatum [o]) et quasi de nouo fundauit, hic 4 chorales in summo choro de nouo instituit. Hic fraternitatem trium regum et clericorum [p]) instituit Hic cultum Dei in ecclesia Aboensi magnifice ampliauit. Sepulchrum domini et terram sanctam non absque magnis storgis (!) adiit multa clenodia preciosa pro ecclesia acquisiuit, huius tempore rex Ericus e regno excluditur, hic re et nomine magnus, in consilio acutus vitam castissimam et multum solitariam duxit, eius mortem tota deflet Finlandia, Qui anno ætatis sue nonagesimo 5:o apud Vallem graciæ in bona senectute extinctus est.

Olaff

Magni nepos predecessoris sui vir doctus X annis rexit, et multa bona fecit, hic rector Parisiensis uniuersitatis fuerat [q]) et lector Ethicorum, Obiit Abo anno MCDLX die beati Mathiæ [r]) Apostoli et in choro corporis Christi sub lapide eneo ad sinistrum latus domini Magni sepelitur.

citatis duobus literis Urbani V. an. 1366, d. 22 Oct. Henrico successori inscriptis. Nos quidem addere possumus duas Urbani bullas datas eod. an., unam, ipsam confirmationem Henrici electionis d. 5 Oct., alteram datam sequenti die, qua Johanni Petri, canon. Aboensi et Arosiensi, præposituram post Henricum vacantem condonat. (Munch, Collect., v. supra p. 131, not. d.). Si dies emortualis, 21 Maj, apud Juusten. vera est, necesse est Hemmingum obiisse an. 1366, quia adhuc præcedente an. d. 29 Maj subscripserit literas (De la Gard. Arch. III. p. 69).

c) Confirmatur et literis successoris Johannis d. 28 Oct. (l. c. p. 70) et bulla Urbani V, eod. an. d. 8 Nov., qua electionem Johannis post Henricum, qui in partibus illis diem clauserit extremum, confirmat (Munch, Collect., v. not. b.).

d) Pro: Parisiis.

e) Apud Bulæum, Hist. Univers. Paris., Tom. IV. Parisiis, 1668, p. 967 legitur: «Joannes Petri, canonicus Aboensis, canonicus ecclesiæ de Sunda in Regno Sueciæ in Rectorem fuit electus die 23 Juni an. 1366.«

f) Confirmatio Urbani V electionis successoris (Johannis Westfal, præpositi Aboens.) data est an. 1370, d. 31 Aug. (Munch, Collect., v. not. b.).

g) Sic mscr:tum, quamquam Porthan impressit Westfalus.

h) Vide Styffe, Skandinavien under Unionstiden. p. 316.

i) Corrigemus infra in vita Birgittæ.

j) Verba: «Anno MCCCLXXII° — — Nytykarthano«, sunt omissa in ed. Porthani. Nytykarthano, Fennice pro Niitugård, est villula trium milliarium spatio ab urbe Aboensi. Porth. p. 332.

k) Lege: Vemo. De hac parœcia et ibi habitante gente Balk atque prædio Balkis cfr. Porthan, p. 335, not. 1.

l) Mendum scriptoris pro MCCCLXXXV:to, v. Porthan, p. 331.

m) Juusten dicit: obiit an. dni. 1412, circa ferias apostol. Petri et Pauli (i. e. d. 29 Junii).

n) An 1396 factus est Baccalaureus et an. 1398 Magister. Vide Monumenta. Hist. Univers. Prag. Tom. I. Pragæ 1830, pagg. 310 et 330.

o) De hac reddituum diminutione vide Porthan, p. 408, not. 28.

p) «Chorum« conjicit Porthan, p. 427, not. 65.

q) Apud Bulæum (cit. supra not. e), Tom. V. p. 921 legitur in nomenclatura Rectorum: «Olauus Magni Angl. Nat. 15 Dec. 1432« et infra «Olauus Magnus Angl. Nat. 16 Nov. 1435«.

r) I. e. 24 Febr. quod confirmat epitaphium impr. in Rhyzelii Episcoposc. Sv. Got. p. 337. Juusten perperam habet: d. Matthæi apost. (d. 21 Sept.)

Digitized by Google

Koort Bijdz [s])

Ex patre famoso milite domino Henrico Biidz quondam Capitaneo Aboensi Magistro Lipzensi [t]) præpositus Aboensis per viam scrutinii concorditer electus denis [u]) apud minores sub papa Pio secundo consecratur. Hic conuentum Vallis gratiæ consummauit, religiosos sub perpetua clausura includendo, Sub eo capella Omnium sanctorum in Ecclesia Aboensi de nouo erigitur et ipse memoratam capellam et vndecim altaria in ipsa ecclesia vno et eodem die dedicauit, Ita quod ante illum diem altare corporis Christi per totam diocesim vnicum et solum confectum [v]) habebatur, hic horas gloriosissime virginis Marie in predicta capella perpetuis temporibus decantandas instituit et pro earundem sustentatione ecclesiam parochialem Nummis cum singulis redditibus et obuentionibus Episcopalibus et curati memorate capelle inperpetuum incorporauit, Infirmaria clericorum per eum fundatur, hic duos de nouo instituit in summo choro chorales, Sub eo etiam totum cimiterium ecclesie cathedralis instauratur, et quamplurime ecclesie lapideæ per totam diocesim eriguntur, hic etiam ob diuini cultus augmentum et animarum periculum euitandum quamplurimas de nouo instituit ecclesias [ɔ: ecclesiarum] curatos, huius tempore castrum Olaffzborg [x]) in Jokas propter Ruthenorum furorem erigitur et oppidum Wiburgense [y]).

XII.

Legenda S. Helenæ Schedviensis.

E codice Laurentii Odonis et eadem manu XIV:i seculi scripta, qua Chronicon n. IX ex eodem libro sumtum. Etiam in codicibus Bibl. Ups. n. 3, 21, 23 et 63 exstat, quos tamen noster et vetustate et melioribus lectionibus superat. Ex illis n. 21 et 23 antea edita est a Forssenio, præside E. Frondin, in dissertatione Acad., De Schedvia, West.Got. urbe, pars II, Ups. 1736, in 4:o. Haud leviter a nostra, maxime in orthographia, discrepat editio Forssenii, sed graviores solum hic annotavimus variantes lectiones. Item Hymnos, Responsoria etc. ut nullius historici momenti penitus exclusimus, præsertim quum reperiuntur apud Forssenium. Brynolfum Algoti, episc. Scarensem, hujus legendæ (nisi forte solius hymni) esse auctorem narratur in vita ejus infra edenda.

Postquam hyems infidelitatis transiit, ymber persequcionis abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra. Inter quos beata Helena uelut nardus odorifera prodiit, fama bonorum operum redolens et igne diuini amoris fragrans. Hec uelut stella splendida et matutina in principio nouelle fidei exorta est, exemplo radians, signis choruscans, quorum plurima per negligenciam suppressa, ingratitudinis proles obliuio sub silencio sepeliuit, que stili non fuerunt officio signata. Verum ne sacrorum actuum ejus exempla sub modii (!) [a]) silencio diucius occultentur, aliqua de vita eius inclita et obitu glorioso, necnon et virtutum prodigiis, quibus diuina largiente clemencia claruit, humili stilo perstringimus, quatinus in laudem dei audiencium animi excitentur. Hec de nobilibus parentibus [b]) edita, ut Susanna quondam in

s) »Kiidz« videtur esse scriptum.
t) Pro: Magister Lipsensis l. e. Magistro Lipsensi. An. 1438, d. 20 Febr. adscriptus fuit univers. Lips. (ex matriculo annotavit C. G. Styffe).
u) Pro: Senis, hodie Siena, ut etiam habet Juusten.
v) Etiam »consecratum «(sic Porthan) legi potest.
x) Ubi hodie oppidum, Nyslott, situm est. Cfr. Porthan. p. 526.
y) Addendum »muro cingitur« ut habet Juusten.
a) Ed. Fors.: modio silencii.
b) Filiam fuisse Guttormi ducis (Jarl), Vastovius primus divulgavit, quamquam antiqui et annales et historici id ignorant. Qvare sine dubio hic confudit nostram sanctam cum Helena, filia Guttormi, qui ducatum sexto decennio seculi XII:i obtinebat et cujus filia nupta erat 1) cum Esberno Snare, 2) cum

Digitized by Google

lege et justificacionibus domini erudita est. Cum autem annorum nubilium attigisset habitudinem secundum morem terre viro traditur, quem ut Sara vxor Tobie cum timore dei suscipere consensit. Contulit ei deus fecunditatem Lye, set Rachel decorem, et venustatem, ut ipsa species corporis symulachrum esset mentis. Ipsa uelut Hester omnium oculis graciosa, generis sui nobilitatem morum honestate decorauit.

Tandem cum mortuo marito ad iterandum thalamum etas et opes eam [c]) vocarent, elegit magis spiritualibus nupciis deo copulari, quam carnalibus nupciis subici, que a letitia semper [c]) incipiunt et ad finem cum luctu tendunt. Igitur soluta a vinculo maritali laboriosam uiduitatis aream terens, Judith in se sanctam mulierem representauit, instar cuius ieiuniis et oracionibus domino seruiebat. Ostium suum ut sancti Job viatori patuit, et de uelleribus ouium suarum calefactus est pauper. Insuper dilexit decorem domus dei et zelus domus dei sic ei jnerat, quod magnam partem ecclesie Skødwe [d]), ubi nunc corpus eius sacrum requiescit de impendiis propriis fabricauit. Sane et in [e]) uilla, que vocatur Gøtene [f]) tale uidit sompnium presagium futurorum. Videbatur ei, quod ecclesia illius loci simul cum ipsa existente in ea ad Skødwe transuolaret. Cuius sompnii diuina reuelacione hanc dixit esse interpretacionem, quod Gøtene moritura set Skødwe foret sepelienda, sicut rei postmodum probauit euentus. Ceterum cum porticus illa que est jnter turrim et ecclesiam Skødwe fabricaretur, quibusdam sciscitantibus, ad quid intersticium illud fieret, ita respondit, Dabit uobis deus aliquem sanctum, cuius corpus et reliquie poterunt hic decenter collocari. Quod de se tamquam de alio dixisse perpenditur, quia in eodem loco post passionem suam eius venerabile corpus situm est. Ex quibus manifeste dinoscitur, eam cum Debbora et Oldan, eciam prophecie spiritu claruisse.

Set hostis antiqus considerans oracula sanctorum construi, prophana [g]) et delubra subuerti lucosque succidi jn quibus dudum insana infidelium multitudo sacrificiis sacrilegis insudabat, cultui divino, quem per eam augeri vidit, inuidit. Quamobrem lucernam in domo dei tam clare lucentem, per iniquorum manus extinguere moliebatur. Accidit igitur, ut quidam nobilis filiam beate Helene matrimonio sibi copulatam nimis exosam habens, frequenter uerbis et verberibus lacesceret. Serui autem de familia contumelias domine sue iniuste illatas moleste ferentes, tetenderunt eidem domino insidias et eum occiderunt. Propinqui igitur occisi pro nichilo duxerunt mittere manus ultrices in seruos illos, et admissum crimen [h]) domine famule dei inpingentes, ipsam consciam et machinatricem fusi sanguinis fuisse dixerunt. Extunc facti sunt ei hostes inexorabiles, et tribulaciones multas et malas ab eis perpessa est. Set quia plerumque hii, quos iam perfectos estimant homines, jn oculis summi opificis aliquid imperfectionis habent; sic sepe et nos imperiti [i]) homines, necdum perfecte sculpta sigilla conspicimus, et iam quasi perfecta laudamus, que adhuc artifex considerat et iam [k]) limat, laudari iam [k]) audit, et tamen ea tundere meliorando non desinit. Ideo dominus famulam suam tunsionibus persequcionum [l]) perfectiorem fecit. Cepit namque inde cottidianis incrementis in amorem sui conditoris succrescere, et ad gaudium et pacem celestis patrie anhelare.

Verum quia tucius est urse seuienti raptis catulis occurrere, quam viro confidenti jn stulticia sua, vt igitur locum daret ire, misit deus in mentem suam, uisumque est ei bonum

rege Valdemaro II, (v. Strinnholm, Sv. Folkets Hist. IV. p. 133, 294 et 295; V. p. 256 et 257, not. 526). Si nostra Helena vere sit canonizata an. 1164 (v.legendam), ipso Guttormo natu majorem fuisse est necesse; et, si conjecturam proferre nobis quoque liceret, potius existimaremus, nostram esse Helenam conjugem Ingonis senioris, regis Sueorum (de qua v. Strinnholm l. c. III. p. 52, not. 128 et Dipl. Suec. I. p. 126).

c) Desideratur in ed. Forssenii.

d) Hodie Sköfde (Lat. Schedvia), villula forensis West.Gotiæ, cujus ecclesiæ nomen sanctæ in medio ævo erat impositum.

e) Ed. Forssenii habet "ex" pro "et in".

f) Ecclesia in territ. Kinne; Ed Forssenii ubique reddit "Gøteue", quæ eccl. sita est in territ. Wilska.

g) Ed. Forssenii: phana.

h) Desideratur in ed. Forssenii.

i) Pro "et nos imperiti" habet Forssenius "imperfecti".

k) Desideratur in ed. Forssenii.

l) Ed. Forssenii addit: et pressuris tribulacionem.

Digitized by Google

pergere et uisitare loca sanctorum. Laborem igitur non abhorruit, set feminee cogitacioni masculinum animum inserens ad uidendum sepulchrum et locum passionis domini, ut quondam gloriosa Constantini mater Helena, Iherosolimam peciit, causam suam divino commendans examini. Peragrata igitur regione illa et pluribus aliis locis, ubi sanctorum reliquie jn veneracione habebantur, cum in domino confidens et nullius occursum expauescens, ad propria reuersa fuisset, hostes eius in malicia pertinaces et indurati captabant in animam iuste, sanguini innocenti insidiantes. Ipsa autem bonitatis et pacis filia, innocencie alumpna sciens quod paciencia opus perfectum haberet, benefecit hiis, qui oderunt eam, et orauit [m]) pro persequentibus et calumpniantibus se, certissima de hoc, quod persequtores sui sibi coronam fabricarent in celis. Porro cum legittime certasset, placuit domino agonistam suam [n]) strenuam de carcere carnis educere, et ut gloriosius eam coronaret, iniquorum gladiis, martyrio, quod eatenus aput nos rarum fuit, occumbere permisit. Quadam enim die, dum pro indulgenciis iret ad consecracionem ecclesie de Gøtene, quidam de adversariis suis funesti in eam insilierunt, et diris in eam impressis wlneribus, saciato ense iuste sanguine, uelut ouem innocentem spiritu superna petente ipsam dimiserunt occisam. Occubuit autem kalendis Augusti de bello migrans ad pacem, que exsuperat omnem sensum.

Fracto alabastro sacrati corporis sui, uis vnguenti fragrauit. Nam post mortem eius, in multiplicandis miraculis diuina potencia per eius merita non destitit. Siquidem die passionis sue post solis occubitum, transeunte quodam ceco per uiam, dum appropinquaret loco passionis eius, puer qui direxit gressus eius uidit lumen quasi candele ardentis in frutice. Cumque ad iussum ceci diligencius inuestigaret vnde fulgor ille procederet, jnvenit in dumo digitum beate Helene abscisum cum anulo, quem portauerat de terra sancta. Quem prefatus cecus tangens, cum manum sanguine eius respersam ad oculos suos reduxisset, illico detersa caligine uetusta lumen recepit. Ceterum cum transferentes corpus suum pausandi gracia jn via ad horam substitissent, statim ibi nouus fons ebulliit, qui usque in hodiernum diem vocatur fons beate Helene. Insuper cum corpus eius sacrum allatum Skødwe super magnam petram in cymiterio lotum fuisset, eadem petra in duas partes scissa est, et illa pars supra quam sanguis stillauerat de uulneribus eius fluens erigebatur, alia vero super quam non stillauerat sanguis jn terra iacebat. Quod diuinitus ad honorem martyris factum fuisse perpenditur, ne ultra sanguis eius humanis pedibus calcaretur. In hoc divina potencia insinuare voluit, quam magna fuit fides mulieris huius in vita sua. Quod siquidem miraculum fides meretur fieri, ut dominus testatur in ewangelio dicens, Si habueris fidem ut granum synapis dicetis monti huic, transi hinc, et transit. Item lapis ita erectus stetit ibi multis annis, et plura ibidem fiebant miracula, dum locus ille in veneracione debita habebatur.

Quidam eciam a natiuitate mutus, cum ad sepulchrum martyris in oracionibus et lacrimis perseuerasset, datum est ei diuinitus expedite loqucionis officium, et uetus silencium absoluit nouum verbum. Preterea quidam surdus tante surditatis sustinebat incomoda, quod nichil auditu perciperet, nisi quis super eius auribus inclamaret; Invocata igitur ab eo martyre, clamosis uocibus aures prebuit, et auditum surdis auribus restaurauit. Ceterum quidam leprosus ad sepulchrum martyris allatus, cum lacrimis diucius perseuerasset, meritis eius integre mundatus est. Quidam eciam claudus inuocata ope martyris, extensis neruis, erectis tibiis, confortatisque pedibus hylaris et gaudens ad propria repedauit. Ad diuine eciam laudis accidit preconium, quod quidam lathomus ecclesie beate Helene, dum hostibus extractis gladiis inermis et innocens cederetur, implorata ope martyris wlnerari non potuit, set solis uestibus lesis, quedam uestigia ictuum, instar fili coccinei in cute apparuerunt, ac si illorum ensium acies penitus esset retusa. Cumque idem hostes viderunt se nichil cedendo proficere, diuertentes ab eo, quendam alium mox eis obuium cum eisdem gladiis occiderunt. Reuertentes igitur ad predictum lathomum tali cecitate percussi sunt, quod ipsum licet in eadem domo esset videre non potuerunt. In quo antiquum miraculum precibus Helysei prophete quondam factum diuinitus renouatum est. Set quia deus sanctam suam signis tam evidenti-

m) Ed. Forssenii pro "et orauit" habet "exorauit".

n) Ed. Forssenii: piam.

Digitized by Google

bus mirificare dignatus est, procurante felicis recordacionis domino Stephano archiepiscopo Vpsalensi, dominus Alexander tercius ipsam sanctorum cathalogo censuit ascribendam o). Omnia autem miracula, que usque in presentem diem per eius merita facta sunt ad presens enarrare non possumus. Hec autem breuiter annotata sunt ad astruccionem sanctitatis p) et edificacionem fidelium, ad laudem quoque et gloriam eius, qui facit mirabilia magna solus, cui sit honor et imperium per infinita secula seculorum. Amen.

XIII.

VITA S. BRYNOLPHI EPISC. SCARENSIS
CUM PROCESSU EIUS CANONIZATIONIS.

Secundum editionem in fine medii ævi impressam, quæ anno loco et nomine typographi caret, sed verisimiliter Lubecæ ultimo decennio seculi XV:i canonizationis episcopi adjuvandæ causa est exarata; v. "De S:ta Katharina" annotationes in 4:to, Holmiæ 1869 per Q. E. D. (G. E. Klemming). Duo in Suecia restant cognita exemplaria, unum integrum in Biblioth. Rålambiana nunc servata in curia Sundby (Uplandiæ), alterum tribus ultimis foliis privatum in Bibl. Upsal. Tertium nisi forte quartum exstitisse exemplar, verisimile est his Örnhjälmii verbis in præfatione ad Historiam Sanctam MSCR:tam in Bibl. Ups.: "Ejus editionis duo ad me pervenerunt impressa exemplaria, unum Regii Collegii Antiquitatum, in quo trigesimum qvartum et tria sequentia folia prorsus aberant, alterum Illustrissimi Regiæ Majestatis Drotzeti Comitis Magni Gabrielis De la Gardii, ex quo quæ in priori deerant supplevimus". Neque a Vastovio neque Benzelio hoc opus visum aut commemoratum est. Manuscripti cujusdam mentionem impresso exemplari antiquioris nusquam vidimus factam, ex quo verisimile fit, illa canonizationis acta in capitulo Scarensi fuisse condita, usque dum, reiterata quæstione canonizationis Brynolphi, typis sint vulgata. Quod ætatem operis ejusque auctorem attinet, statim apparet nihil aliud esse ac publicas attestationes per notarios publicos vel scribas compositas in processu canonizationis facta Scaris an. 1417. Literas huius negotii adjuvandi causa e Suecia emanatas hic paullum perstringere volumus, quia hactenus vix sunt cognitæ. Exstant in veteri exscripto seculi XV:i (in Bibl. Ups.), quod quatuor continet folia rescissa ex majori codice, ut demonstrant signa numerorum paginis imposita. In nonnullis deficiunt ultimæ lineæ, quas aliunde supplevit alia manus (Messenii ni fallimur). Hæ literæ sunt — 1) Supplicatio Johannis A.Episc. Ups., Andreæ Strengn., Petri Aros. et Eskilli Wexion. pro canonizatione Brynolphi, Nicolai episc. Lincopensis et Ingridis monialis Skenning. data Wadstenis an. 1414, die 20 Martii. — 2) Supplicatio Petri A.Ep. Lund. et Eskilli A.E. Nidros. pro eadem re, data Vadstenis, an. 1414, d. 21 Martii. — 3) Attestatio Nicolai Isaac, notarii publici, clerici Lundensis, Ericum regem Sueciæ fecisse Stenonem abbatem Munkalivensem procuratorem suum in curia Romana pro impetranda supradictorum canonizatione, data an. 1414, d. 28 April, in castro Calmarnensi, præsentibus Petro A.Ep. Lund., Johanne Andreæ, præpos. Otton., Secretario, Nafnone Johannis, canon. Roskild., thesaurario, Johanne Duuen, magistro curiæ, Lund. dioc. et Benedicto Pogwisch, Sleswic. dioc., militibus et consiliariis. — 4) Literæ regis Erici ad papam in eodem negotio datæ in castro Calmarn. an. 1414, d. 1 April. — Præterea alibi exstant literæ Johannis A.Ep. Ups., Kanuti Lincop., Brynolphi Scar., Nafnonis Aros., Magni Aboens. et Eskilli Wexion. Concilio Constantiensi inscriptæ, quibus communicant se inquisitionem vitæ et miraculorum Brynolphi Jacobo Osloensi, Magno et Eskillo supradictis commisisse, dat. an. 1417, d. 1 Martii (impressæ in additam. Diarii Wadsten. (editionis Benzelii) p. 200).

1. Incipit Vita beati Brynolphi condam Episcopi Scarensis in regno Svecie una cum miraculis et attestationibus pro eiusdem Canonizatione factis.

o) Anno 1164 dicunt annales in SS. rer. Suer. I. 1. p. 51 et 61. p) Desideratur apud Forssenium.

Digitized by Google

Sacrosancte et generali Constantiensi Sinodo Vel sanctissimo in christo patri ac domino suo gratiosissimo, domino diuina prouidentia sancte Romane ac vniversalis ecclesie summo pontifici, eiusque reuerendissimorum in christo patrum et dominorum eorundem sacro collegio, vestri humiles et deuoti Jacobus Asloensis, Magnus Aboensis et Eskillus Wexionenis dei et apostolice sedis gratia ecclesiarum episcopi, Ac ad infrascripta ab eadem vestra sancta synodo commissarii specialiter deputati, obedientiam et reuerentiam debitam in mandatis aut deuota pedum oscula beatorum. Litteras sacrosancti vestri Constantiensis concilii vera bulla plumbea, vt prima facie apparuit, cum cordula canapis, more Romane curie bullatas, articulos et interrogatoria infrascriptos et infrascripta in se continentes, Non rasas, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vicio et suspitione carentes, Per manus venerabilis et religiosi viri domini Stenonis, Abbatis monasterii in Memkaliwe a) Bergensis, ordinis sancti Benedicti, procuratoris in hoc sacro canonizationis negotio per serenissimum principem et dominum nostrum gratiosissimum, dominum Ericum Swecie, Dacie et Norwegie necnon Gothorum Slauorumque regem illustrem ac Pomera- 2.
nie ducem magnificum specialiter constituti, prout de suo mandato vt prima facie apparuit coram nobis ibidem producto et perlecto per legitima constitit documenta b), Nos sub Anno domini millesimo quadringentesimo decimo septimo, Indictionis decima, Die decima Mensis Aprilis in loco capitulari ecclesie Scarensis cum ea qua decuit reuerentia noueritis recepisse: Hinc est, quod nos attente considerantes quod in tanta re cum abundantiori cautela et maiori maturitate consultius sit agendum et maturius procedendum iuxta directam in hac parte subtraditam nobis formam Honorabilibus et discretis viris necnon laudabilis fame et quantum humano constare potest iudicio conuersationis honeste dominis Petro Holmstani, Laurentio Finwidi et Henikino Rawaldi, clericis Lyncopensis dyocesis, necnon Johanni Skwitte clerico Hyldesemensis dyocesis Notariis publicis et personis autenticis scribisque nostris, facta primum nichilominus nobis fide de ipsorum sufficienti tabellionatus officio, receptoque ab eis et eorum singulis per nos fidelitatis iuramento, vt est moris, prefatas litteras una cum eisdem articulis et interrogatoriis tradidimus registrandas, mandantes eis nichilominus, vt tam ipsas litteras commissorias, quam omnia alia et singula que vigore earundem litterarum coram nobis conscribenda occurrerent in actis eorum publicis et huiusmodi tam pii et sancti, tam maturi et ardui, negocii registro scriberent, et cum exacta diligentia registrarent, et prout expediens foret in publicam formam redigerent, seu per eorum alterum redigi facerent, vt est moris, Ac iuxta dictarum litterarum nobis vt premittitur directarum continentiam et tenorem. Tenores vero earundem litterarum, articulorum et interrogatoriorum predictorum suo ordine de verbo ad verbum sequuntur, et sunt tales: 3.

c) Sacrosancta et generalis Sinodus Constanciensis, venerabilibus fratribus Asloensi, Aboensi et Wexionensi Episcopis, Salutem et dei omnipotentis benedictionem. Felix prorsus et ineffabilis sanctorum gloria, potestas inauferibilis, immarcessibilis d) pulcritudo et beatitudo perhennis, non delebitur memoria eorum de libro vite, sed apud omnes generationes nomen eorum perseuerabit in gloria, reuerebitur et celebrabitur omne per euum. Unde licet militans in terris ecclesia triumphantem in celestibus ecclesiam filiali et deuoto veneretur affectu, virtutes sanctorum, laudes e) et premia quantum sinit humana fragilitas dignissimis commendat et attollat preconiorum titulis et cum deuotissimis precibus et ritu solenni vota, oblationes et sacrificia laudis offerat ad decus et venerationem ciuium supernorum, nichil tamen per nostras laudes, vel per sacrificia aut oblationes illis accrescit noue perfectionis aut glorie, nec eorum plena et perfecta felicitas nostris operibus vel obsequioso famulatu minui potest vel augeri, cum per se sufficiens et immutabilis sit status eorum omnique bonorum aggregatione perfectus: sed misericors et miserator dominus per merita et intercessiones Sanctorum quos celebri deuotione veneramur f) in terris sua mirabili et clementissima dignatione nostrum imperfectum supplere prouidit, vt, quod operibus nostris non valemus, eorum suffragantibus meritis assequamur. Quia enim g) crebrescentibus miraculorum virtutibus nobis per successus temporum varie fiant dispensatione diuina reuelationes sanctorum, vt in celebri memoria cum summa veneratione perpetuis temporibus habeantur a nobis, non ad eorum, sed nostram profecto cedit vtilitatem et salutem, vt i) dum gesta preclara et virtutes eorum recolimus patrocinia sentiamus, vt preterea dum k) refriguerit caritas multorum et superabundauerit malicia, minusque digni fuerimus deum precibus alloqui et in conspectu eius comparere, sanctos habebimus l) mediatores propicios, quorum meritis placari valeat altissimus et desideratam nobis sue propiciationis abundantiam tot multiplicatis intercessoribus dignissimis largiri dignetur. Qua- 4.
propter ad imitationem et exemplar sanctorum patrum, qui pro salute degentium adhuc in terris digne venerationi et legittime canonizationi sanctorum dudum summis et deuotissimis studiis operam dedisse leguntur, Nos qui pro vnione sancte matris ecclesie procurandis [ɔ: procuranda] promovendisque omnibus, que

a) Lege: Munkalif.
b) Vide præfationem nostram.
c) Hæ Concilii literæ etiam sunt editæ in opere: Concilia ex editione J. M. Mansi, Tom. XXVII, Venetiis 1784, p. 871. Haud paullum discrepant editiones, sed quia textus in utraque videtur vitiose redditus, non nisi graviores variantes lectiones necessarium duximus annotare.
d) Ed. Mansi: insuperabilis, incomparibilis,
e) Ed. Mansi: virtutesque sanctorum, ejus laudes ....
f) Ed. Mansi: adoramus.
g) Ed. Mansi: quod cum.
h) Ed. Mansi: dispositionis divinæ.
i) Ed. Mansi: et.
k) Ed. Mansi: utcumque tenta.
l) Ed. Mansi: habemus.

Digitized by Google

prosperitatem religionis christiane et communem omnium mortalium vtilitatem et salutem concernere possent et augere, speciali vt credimus prouidentia dei et in suo nomine congregati sumus in vnum, omnipotenti deo gratissimum et toti ecclesie saluberrimum esse censemus, vt inter cetera, que pro communi salute fidelium excogitare et quantum nobis datur exalto promouere conamur, illis eciam vigilanter intendamus religiosissimis operibus, quibus legittime canonizationes [m]) sanctorum, vt ipsi sint in omni cognitione et veneratione solenni, deuotionem plebis augere, beniuolentiam et gratiam promereri sanctorum et per ipsos diuinam clementiam nobis mercari possimus, et hiis presertim diebus necessitatis et tribulationis ecclesie, quibus proh dolor! deus omnia sub peccato conclusisse et totus orbis in maligno positus esse videtur, omnisque caro, nec iam caro, sed omnis anima corrupisse viam suam, intentionem suam et operationem, vt cum ad manifestandum populis gloriam sanctorum suorum ad [ɔ: ac] dignitatem sublimem antiqua prodigiorum suorum signa et virtutes miraculorum innouaverit altissimus, corda simul et mentes innouet fidelium, mundet ab omni peccati contagione, et virtutum gratiarumque donis adornet, nec deinceps patiatur ecclesiam proprio et martirum sanguine consecratam beatorumque confessorum et virginum edificatam meritis, tantis scismatum et errorum periculis subiacere et tot vbique fedari spurcicijs et abominationibus viciorum. Cur [n]) igitur pro parte carissimi ecclesie filii Erici, Swecie, Dacie et Norwegie regis illustris, ac venerabilium fratrum Upsa-
5. lensis, Lundensis et Nidrosiensis archiepiscoporum, nec non suffraganeorum episcoporum prouincie Upsalensis, ac quorundam capitulorum et conventuum, ecclesiarum et monasteriorum, necnon procerum et nobilium ac communitatum quarundam civitatum regni Swecie, iuxta seriem quarundam literarum per regem et archiepiscopos, Episcopos, Capitula, conuentus, nobiles, communitates huiusmodi Baldassaro, tunc Johanni pape vicesimo tercio, ante eius depositionem a papatu suis exigentibus demeritis per nos rite factam, super hoc specialiter directarum [o]) coram nobis post depositionem eandem, cum ipse litere dicto Baldassaro, dum adhuc preesset Papatui, non fuissent presentate, sit expositum, quod celebris et recolende memorie Nicolaus Lincopensis, Brynolphus Scarensis, episcopi, ac Ingeridis monialis monasterii monialium Skeningensis, ordinis sancti Augustini, sub cura et secundum instituta fratrum predicatorum viuentium Lyncopensis dyocesis, dum in hujus erumnose peregrinationis exilio mortali vita potirentur, non humanis fauoribus obsequi sed puro corde sinceraque mente diuinis oculis complacere studuerunt et per austeritatem iugis penitentie corporum artus [p]) suo spiritui seruire cogentes lubrice carnis contempserunt illecebras, declinauerunt a voluptatibus, pudicicie coniuncti sunt et spreta fugaci fallacique gloria mundi per deuote orationis exercicium et laudabilia virtutum opera supremo iudici deo famulatum impendere ac sibi ipsis et aliis ad eterne vite merita proficere conati sunt indefesse verbis pariter et exemplis, non quesierunt opibus, sed spiritualibus gratiis et bonis moribus abundare, quibus re et conuersatione se pios, prudentes, humiles, sobrios et castos, erga deum summa veneratione deuotos, erga vero pauperes et loca pia caritate non ficta largifluos, constantes in fide, sacra spe plenos et aliis virtutibus claros esse probauerunt, propter quod mirabilis deus
6. in sanctis et faciens mirabilia magna solus per gloriosa eorundem Nicolai, Brynolphi et Ingeridis merita, tam ipsis in humanis agentibus, quam eciam post eorum felicem transitum ab hac luce in variis locis Swecie diuersisque temporibus plura miracula dignatus fuerat operari, honorans illos in terris quos ut pie creditur coronauit in excelsis. Quamobrem pro parte regis et aliorum sic exponentium predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, vt aliquibus ex sancte Romane Ecclesie cardinalibus et aliis prelatis in hoc sacro generali Constantiensi Concilio existentibus, quod se de vita et meritis prefatorum Nicolai, Brynolphi et Ingeridis ac huiusmodi miraculis informarent, et ea que per huiusmodi reperirent informationem nobis referre curarent, vt deinde sufficientibus et exquisitis meritis ad hoc suffragantibus ipsi Nicolaus, Brynolphus et Ingeridis aliorum sanctorum catalogo adscribi et aggregari possent conuenienter [q]) dignaremur. Nos ad eorundem regis et aliorum exponentium et supplicantium deuotam instantiam dilectissimis ecclesie filiis, Petro tituli S. Crisogoni alias dicto Cameracensi, presbitero, et Oddoni sancti Georgii ad Velumaureum [r]) dyacono, eiusdem Romane Ecclesie cardinalibus, ac venerabili Fratri Jacobo, Episcopo Nandensi [s]) necnon dilectis ecclesie filiis Johanni de Gersona, Cancellario ecclesie Parisiensis, Lamberto de Gelria, Petro de Pulcha [t]) Wilhelmo Clinth [u]), et Johanni Blotwelle [v]), in sacra theologia Professoribus, in dicto concilio presentibus, viue vocis oraculo commisimus, vt literis autenticis necnon libellis et instrumentis publicis per regem et alios exponentes predictos super hoc destinatis per eos visis et examinatis, super hiis omnibus se diligenter informarent et ea que per eandem informationem reperirent, nobis fideliter referre curarent. Qui quidem commissarii, procuratoribus regis et aliorum exponentium prefatorum negocium huiusmodi persequentibus, eisdem litteris, libellis et instrumentis publicis per eos diligenter visis et examinatis, nobisque [x])

m) Ed. Mansi: legitima canonizatione.
n) Ed. Mansi: cum.
o) Cfr. præfationem nostram.
p) Ed. Mansi: corpus arctius.
q) Ed. Mansi melius: committere.
r) Hodie Velabrum in urbe Roma.
s) Ed. Mansi: Laudensi. Laude, hodie Lodi, sita est in superiore Italia.
t) "Petrus de Pulka, Doct. in Theologia, Univers. Vienn." l. c. Tom. XXVIII. p. 634.
u) Ed. Mansi: Khuit l. Klin.
v) Ed. Mansi: Boltwell.
x) Forsan legendum: nobis, quod.

Digitized by Google

per ea que exinde reppererant apparebat de vita et meritis necnon de fama et deuotione populi et miraculis huiusmodi, tam in vita, quam post mortem eorundem Nicolai, Brynolphi et Ingeridis, que ipse deus ad ipsorum preces, vt credebatur, operatus fuerat et indies operabatur, seriosius retulerunt. Nos igitur attendentes, quod de fama premissorum et deuotione populi, nec non de vita et meritis dictorum Nicolai, Brynolphi et Ingeridis ac miraculis supradictis per huiusmodi informationem receptam plene liquere non potest, ac eciam considerantes, quod ecclesie militanti difficillimum redditur agnoscere spiritum glorificandum y) in ecclesia triumphanti, et quod propterea expediens videtur in talibus ea grauitate procedi, qua ipsa non decipiatur ecclesia militans et virtutum mater iusticia non ledatur, sed in re tanta cum abundantiori cautela et maiori maturitate procedatur. Quapropter, cum pro parte regis et aliorum exponentium prefatorum nobis cum omni instantia ac debita reuerentia fuerit supplicatum, vt cum ipsis premissa probandi incumbat necessitas et testes ad presens in humanis agentes, per quorum depositiones probationes ipse vt sufficienter z) fieri posse sperantur, seu eorum aliqui, si, quid a) absit, hujusmodi negocii executionem nimium contingat protelari, interim de medio possint summoueri, in negocio ipso absque more dispendio ad vlteriora procedere dignaremur: Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestre, de qua b) in hiis et in aliis gerimus in domino fiduciam specialem, per nostra scripta committimus et mandamus, quatinus ad loca, in quibus prefati Nicolaus, Brynolphus et Ingeridis fuerint dum in mundanis agerent conuersati, et in illa vbi eorum corpora requiescunt personaliter accedentes, de fama premissorum ac deuotione populi vitaque et meritis antedictis ac miraculorum huiusmodi crebrescentia veritateque et eorum circumstantiis vniversis, iuxta datam a deo vobis prudentiam, a testibus omni, quantum humana sinit fragilitas, exceptione majoribus, exacte c), diligenter, fideliter, prudenter, secundum articulos et interrogatoria, que sub bulla nostra vobis mittimus interclusa, inquiratis propensius d) veritatem, super quibus omnibus et singulis premissis vestras conscientias oneramus, testesque huiusmodi qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere, non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape octaui ac de vna et duabus dietis in concilio generali, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscunque, seu si aliquibus conueniter e) vel diuisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel vltra certa loca ad judicium euocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Quidquid autem per inquisitionem huiusmodi inueneritis in premissis, nobis aut futuro summo Pontifici per vestras patentes litteras eorum seriem continentes manibus plurim[or]um tabellionum bone fame conscriptas vestrisque sigillis munitas quantocius intimare fideliter curetis; vt huiusmodi vestra intimatione instructi, vel idem summus Pontifex instructus in premissis consultius procedere valeamus, vel futurus pontifex valeat antedictus ad dei et sanctorum eius gloriam, edificationem ecclesie et animorum salutem. Datum Constancie V:o kalendas Maji Anno a natiuitate domini millesimo quadringentesimo sexto decimo, Apostolica sede vacante. 7. 8.

Ego Nicolaus Episcopus Spoletanus presidens Ytalice nationis. Ego Bertrandus Episcopus sancti Flori f), presidens Gallicane Nationis.

Jo[hannes] Langhe. B. de Perusio. 9.

In fine vero dictarum litterarum scripta erant de alterius manu et litteris superiori littere ipsarum litterarum penitus et omnino dissimili et diuersa hec verba, videlicet:

In negotio canonizationis beati Brynolphi quondam Episcopi Scarensis procuratores et promotores predicti dant, faciunt et exhibent positiones et articulos infrascriptos.

In primis ponunt et probare intendunt, quod beatus Brynolphus, olim Episcopus Scarensis ex nobilibus et deo deuotis parentibus traxit originem, qui inter cetera eorum merita ex bonis suis ad honorem dei ecclesiarum redditus augere sollicite studuerunt ac ecclesiam vnam dictam Ryde g) in dyocesi Scarensi de nouo fundarunt, et ipsam de bonis sibi a deo collatis dotarunt.

Item quod ipse sanctus Brynolphus, deuotorum parentum suorum vestigiis inherens, de virtute in virtutem a iuventute semper crescens et procedens, nunc orationibus deuote intentus fuit, nunc frequenti vacauit studio quod Parisius XVIII annis, vel quasi, continuo compleuit.

Item quod factus Canonicus Scarensis et postmodum Decanus Lyncopensis h) vite sanctitate, morum honestate et laudabili conuersatione preclarus exstitit, et tandem in episcopum ecclesie Scarensis concorditer electus est, ipsi Scarensi ecclesie triginta octo annis fructuose presidebat, regiminis eius onus suis impositum humeris more boni sanctique pastoris laudabiliter gerens et exercens.

y) Ed. Mansi: clarificantem.
z) Verba "ut sufficienter" sunt omissa apud Mansum.
a) Ed. Mansi: quod.
b) Ed. Mansi: fraternitatibus vestris, de quibus.
c) Ed. Mansi: exceptionibus majoribus exactis.
d) Ed. Mansi: perpensius.
e) Ed Mansi: communiter.
f) Villa in Arvernia (Auvergne), prov. Franciæ.
g) Eccl. in territorio Barne.
h) Vide Dipl. Suec. I. p. 529 et 531.

Digitized by Google

10. Item quod de bonis ex dictis suis parentibus legittime adquisitis quinque prebendas canonicales in dicta ecclesia Scarensi de nouo fundauit et erexit ipsas pro totidem personis ydoneis in easdem instituendis competentibus fructibus redditibus et prouentibus largitione perpetua dotauit ad honorem dei et augmentum diuini cultus.

Item quod hiis qui suo statui necessaria videbantur dumtaxat contentus, cetera que ad eum tam successione parentum vel alias legittime peruenerunt in vsus pios singulari studio conuertebat; adeo eciam quod mensam episcopalem Scarensem necnon quamplures dicte ecclesie prebendas exiles in multo meliorauit et perpetuis redditibus augmentauit.

Item quod Saluti cleri sibi subiecti et populi deuote et studiose intentus, vt bonum pastorem decet, ipsos preceptis, exhortationibus, monitis et exemplis diuino officio sollicitos reddidit, et totam ecclesiam Scarensem laudabilibus ordinationibus et statutis, quibus adhuc optime regitur, reformauit.

Item quod beatus Brynolphus, arma hostis antiqui ocia videlicet et voluptates euitare cupiens, tempora sua laudabiliter distinxerit, nunc orationibus et contemplationibus deuote vacando, nunc cantum et historias de Spinea corona precipue ob laudem et reuerentiam cuiusdam spine de corona domini, sibi per regem Norwegie sincera caritate directe i), ac eciam de beata virgine, de sancto Eskillo martire et de sancta Helena martire compilando, nunc dyocesin suam visitando, officium predicationis personaliter exercendo, nunc necessitatibus pauperum et peregrinorum et familie sue misericorditer prouidendo, et nunc edificia ecclesie sue reparando.

Item quod beatus Brynolphus mirabilis pacientie fuit. Cum enim tempore infantie sue fuisset intoxicatus, vermesque ex eo tempore in stomacho ad tempora vite sue semper passus exstitit, et licet huiusmodi
11. vermes ipsum continue corrodebant et grauiter torquebant, has penas patientissime sustinuit, estimans eas sibi nutu diuino impositas ad ipsius correctionem et vtilitatem.

Item quod adeo fuit feruens caritate, quod nutricem suam ipsum in puericia intoxicantem, sororemque suam simili intoxicationis genere perimentem, nedum parentibus suis reconciliari precum instantia obtinuit, Verum eciam idem factus episcopus, eidem quam diu vixit de honestis victu et amictu prouidit.

Item quod in eo tanta fuerunt humilitatis et pietatis insignia, quod cum aliquotiens diuites, potentes, proximos et amicos suos ad suum prandium solemniter inuitasset, se ab ipsis subtrahens, cum pauperibus in altera domo reclusit et ad eosdem fercula apportari fecit, cum eisdem in domino exultando.

Item quod adeo fuit frequens in ieiuniis, quod ieiunabat omni sexta feria et pluribus aliis diebus per totum annum in pane et aqua et fecit sibi cibaria nichilominus more solito preparari, ne videretur a circumsedentibus ieiunare, et quantum potuit suum ieiunium, ad laudem humanam vitandam, occultauit.

Item corpus suum frequenter castigauit, nedum vigiliis, ieiuniis et orationibus studiisque et vestium asperitate, verumeciam corpus, brachia et crura cordulis nodosis de asperis pilis animalium factis circumcinxit, quibus eciam continuo vsque ad finem vite sue vsus fuit.

Item quod jura, bona, libertates et immunitates sue Scarensis ecclesie adeo diligenter et constanter manu tenuit et defendit iestitie mediante, quod nec terroribus principum, nec nimis ei insidiantium concussus, a defensionibus eorum cessauit, verum eciam passus exstitit maximas persecutiones.

Item quod immensa dei bonitas, volens ostendere personam dicti sancti Brynolphi sibi caram et di-
12. lectam, diuersa miracula eciam in vita ejusdem operata fuit. Unde cum semel ieiunare in pane et aqua forte supra vires corporis disponeret jussissetque sibi aquam de puteo fratrum minorum Scarensium deferri, allatam reperit in sapore fore optimum vinum, et cum de nuncii huiusmodi incurialitate dubitasset, iterato alium nuncium ad eundem puteum destinauit, vt sibi denuo aquam ferret, que reportata ad eum optimi vini saporem habebat prout prius. Tercia autem vice, cum alium nuncium sibi fideliorem iterum pro aqua misisset, nuntius idem eciam optimum vinum reportauit, idemque sanctus Brynolphus pietati diuine referens debitas gratiarum actiones sensit premissa erga eum diuinitus fore facta miraculose, et de eodem cum dei timore potauit.

Item cum cuidam nobili ad prandium cum beato Brynolpho venienti idem episcopus Brynolphus iussit, vt carnes comederet cum eodem dispensans, qui de auctoritate dispensationis diffidens, huiusmodi iussioni non paruit, et sumpto prandio per campum equitans et cadauer equi mortui quod a canibus laniabatur videns, ab equo descendit, et qui cum sancto episcopo carnibus vesci iussus noluerat, cum immundissimis canibus sordidissimi cadaueris carnes auidis morsibus insaniens deuorabat, quod famuli eius intuentes, non sine magno labore dementem dominum suum ad eundem sanctum episcopum reduxerunt. Ipse vero episcopus illum ab inobedientia et diffidentia supradictis absoluens pristine restituit sanitati.

Item cum quidam officialis beati Brynolpi ab inimicis letaliter vulneratus, sine confessione et sacra-
13. mentis aliis obiisset, prefatus sanctus Brynolphus in spiritu cognoscens ipsum in peccatis decessisse ad funus mortui accessit et super eo ad terram prostratus, misericordiam dei cum lacrimis et orationibus deuotissime

i) Cfr. Annal. Island. ad an. 1274 et 1304.

Digitized by Google

implorauit, et in Christi nomine mortuum vocauit, ipsumque tangens precepit ei vt surgeret. Mortuus autem ille mox surgens et ad pedes sancti Episcopi humiliter procidens, confessionem de peccatis suis dicto sancto Brynolpho fecit. Qua peracta et ab eodem episcopo absolutione suscepta, ad feretrum vnde surrexerat rediens et in locum suum pristinum se reponens, animam suam de perditionis periculo domino commendabat.

Item quod cum quidam miles, Tornerus Cryda k) nuncupatus, Avunculus beati Brynolphi, propter excessus suos ab eodem episcopo excommunicatus, occasione huiusmodi excommunicationis in eum iuste late familiaribus dicti episcopi Brynolphi multas violentias et damna fecisset, et tandem armata manu et hostili adeo eos quod fugere non valerent inuasisset, idem familiares vim vi repellendo eundem militem interfecerunt et amaricati de iniuria eis illata, ipsum membratim dilaniauerunt. Quod audiens predictus beatus Brynolphus ac cupiens animam ipsius interfecti a peccato mortali improuise decedentis saluam fieri, ad funus eiusdem accessit, et membra collecta ad claustrum Warnheim portari fecit, vbi solus intrans ecclesiam, per suas orationes a deo impetrauit, vt defunctus ille surgeret. Qui surgens procidit ante pedes dicti episcopi, peccata sua ipsi confessus fuit factaque confessione et absolutione ab ipso beato Brynolpho recepta, se ad feretrum reposuit a perditionis eterne periculo, vt pie creditur, liberatus.

Item quod beatus Brynolphus super quodam iuuene ceco, ad eius presentiam pro eleemosina reci- 14.
pienda deducto, misericordia motus dixit, Dolendum est quod tam iuuenis cecitate sit percussus, quem ducens ad cameram suam, ipsi suis orationibus clarum visum impetrauit.

Item quod plurima de virtutum et meritorum insigniis memorabilia qui l) predictus Brynolphus in vita sua celebris rutilabat, illius temporis homines insipidi et insulsi gratia sibi data vti non curantes, sed magis ad vanitates declinantes, propter sui incuriam et negligentiam scripture ad futurorum memoriam tradere reprehensibiliter obmiserunt, que licet publica erant et notoria et ad claram deuenerunt notitiam posterorum, guerrarum tamen inquietudo a quinquaginta annis et amplius, mentes hominum in partibus illis continuo perturbans inquisitionem fieri debitam super premissis non permisit.

Item quod anno domini MCCCXVII. die sancte Dorothee virginis, id est sexta Februarii, idem beatus Brynolphus deposita sarcina mortalitatis, operibus bonis plenus, in domino obdormiuit.

Consequenter sequuntur miracula pauca de multis quibus post mortem claruit beatus Brynolphus.

Primo, quod anno domini MCDIIII. de mense Augusti, die assumptionis beate virginis, quo modernus episcopus Scarensis primam suam missam episcopalem solemniter celebrauit in ecclesia Scarensi, quedam Cristina per triennium ceca in eadem ecclesia ante ymaginem crucifixi pro sui visus illuminatione deuote orans, tandem leui sopore obdormiuit et in somnis monita fuit, vt ad locum sepulcri beati Brynolphi accederet et ibidem recuperationem sui visus impetraret, ad quem locum cum perrexisset et auxilium sancti Brynolphi deuotius implorasset, copiosa populi vtriusque sexus multitudine tunc presente, pristinum lumen oculorum subito recuperauit.

Item quod anno domini MCDX. Gunnarus de parochia Medalby m) Scarensis diocesis per sex septi- 15.
manas continuo insensatus, adductus ad sepulcrum beati Brynolphi eius meritis subito pristine redditur sanitati.

Item quod eodem anno quidam Haquinus Oddonis Scarensis diocesis per unum annum et dimidium continuo adeo furiosus existens, quod nitebatur sepius diuersis ingeniis sibi vitam auferre, per quendam suum cognatum pro eo ad sepulcrum beati Brynolphi voto emisso de offerendo ad sepulcrum predictum medium talentum cere, ad sex dies ante mortem eius sane mentis factus est et cepit ecclesiastica sacramenta.

Item quod anno eodem quedam Margareta, Scarensis dyocesis tumorem lingue vehementer passa fuit adeo, vt infra tres dies ipsam ad os suum recipere nequit, nec loqui nec comedere potuit. Voto facto pro ea de visitando sepulcrum beati Brynolphi per maritum eiusdem mulieris emisso, subito sanata est.

Item quod anno domini MCDXII. quedam virgo, filia cuiusdam Turgilli in Torbiornetorp, Scarensis dyocesis adeo furiosa, quod per campos et deuia siluarum, quasi indomita bestia discurreret, ad sepulcrum beati Brynolphi per parentes suos ducta et inuocata ope ipsius subito sanabatur.

Item quod eodem anno quedam virgo, Gyrid nomine, Scarensis dyocesis per plures annos a dyabolo grauiter obsessa, et licet pro eius sanitate ad aliorum sanctorum loca votum emanauerat, nullum tamen consecuta fuit remedium, tandem per notos suos ad sepulcrum beati Brynolphi adducta, subito liberata est.

k) Thyrnerus filius Johannis, Margaretam uxorem habens, consanguineus vocatur a Brynolpho an. 1311 (Dipl. Suec. III. p. 33; cfr. p. 77). Si idem sit, ac Thyrnerus legifer Wermalandiæ, an. 1291 commemoratus (l. c. II. p. 106), dijudicare non possumus, sicut etiam ignoramus, quid appelatio Cryda (semel Tryda scriptum) significet.

l) Forsan pro: quibus

m) Hodie Mellby, cujus nominis duæ exstant paroeciæ, una in territ. Bjärke, altera in territ. Kålland; de posteriore, ecclesiæ Råda annexa, hic agi, apparet ex testificatione Johannis Berthori, curati de Råda, de hac re (v. infra).

Digitized by Google

Item quod anno domini MCDXIII. de mense Januarii, filius Johannis Skitta de Ballatorp n), Scarensis dyocesis adeo enormiter contractus quod pedes natibus adhererent, voto facto pro eo per parentes suos de visitando sepulcrum beati Brynolphi, subito conualuit.

16. Item quod eodem anno, filius cuiusdam nobilis, Aruidi Benedicti, parochie Husaby, Scarensis dyoecsis contractos habens pedes, facta pro eo peregrinatione per parentes suos ad sepulcrum beati Brynolphi, ipsius meritis subito sanatus est.

Item quod eodem anno puella quedam, filia Ingewaldi in Jarnsyslo o), Scarensis diocesis, quatuor annorum, vel quasi, etatem habens per duos annos continuos adeo egrotans fuit, quod per totum illud tempus nec se a terra leuare, nec sursum respicere potuit, ad sepulcrum beati Brynolphi portata per parentes suos, post somnum unius hore, vel quasi, quod eam ibidem arripuit, sana surrexit sine humano subsidio hilariter gradiendo et discurrendo.

Item quod anno eodem quidam Andreas, faber ferrarius parochie Horn, Scarensis dyocesis graui lepre macula percussus, voto facto de visitando sepulcrum beati Brynolphi statim mundatus est.

Item quod quidam Gerikinus Ruslingh, civis Scarensis, jura, libertates, redditus et prouentus ecclesie et cleri Scarensis diminuere intendens, in grauem cecidit infirmitatem: Tandem totaliter cecus factus, qui de sua peruersa intentione penitens ac vouens cum offertorio suo visitare velle sepulcrum beati Brynolphi subito sanatus est.

Item quod quedam Cristina in Scaridh, Scarensis dyocesis post grauem egritudinem per tres dies continuos muta et insensata facta fuit, que in somnis per quandam virginem pulcherrimam monita, ad sepulcrum beati Brynolphi votum vouit et subito sanata est.

Item quod eodem anno quidam de parochia Lidzio, Scarensis dyocesis, nauigantes de Watzsteno per quandam magnam aquam, dictam Wether, tumescentibus aquarum vndis, et nauem grauiter ad loca periculosa impellentibus, ac per hoc sibi imminere videntes mortis periculum, inuocauerunt auxilium beati Brynolphi et subito tempestas sedata est, ipsique deducti ad portum voluntatis sunt.

17. Item quod quidam infans, filius Helgonis in Halsatorp p), Scarensis dyocesis, quatuor annorum etatem habens, illusione dyaboli et visione eius mutus et adeo membris contractus, quod manus eius pectori inseparabiliter adherebant, eo per parentes ad sepulcrum beati Brynolphi portato, subito sanatus est.

Item quod quedam puella, filia Gudmundi Krok de Frelunda q), Scarensis dyocesis quatuor annorum etatem habens, dexteram tibiam per vnum annum continuum aridam habens, per parentes suos ad sepulcrum beati Brynolphi portata, multis presentibus, subito sanata est.

Item quod quidam Johannes pictor, Scarensis dyocesis, per tres menses pedes et tibias adeo lesas habens, quod ipsos ad terram minime applicare potuit, voto facto de visitando sepulcrum beati Brynolphi subito sanatus est.

Item quidam Johannes Kusk, longo tempore mutus, voto pro eo facto ad beatum Brynolphum subito sanatus est, et negligens votum complere in eandem incidit infirmitatem. Sed postmodum de huiusmodi negligentia poenitens et iterum ad beati Brynolphi votum intra se faciens, subito sanabatur.

Item quod anno domini MCDXII. Eyarus, mercator domini Scarensis Episcopi cum multis aliis pre maris nimia tempestate de vita penitus desperantes, voto facto ad sepulcrum beati Brynolphi subito siluit tempestas, et ipsi a maris periculo liberabantur.

Item quod anno domini MCDXIIII. Anbernus de Dottherbo r), Scarensis dyocesis surdus, monetur in somnis visitare sepulcrum beati Brynolphi qua visione animatus, votum emisit et subito sanitatem recepit.

Item quod anno domini MCCC[C]XIII. infantulus cuiusdam Ostani Petri, Scarensis dyocesis anni et
18. dimidii, per vnum continuum annum arida habens crura et penitus incurabilia, perlatus per parentes suos ad sepulcrum beati Brynolphi peccatis ipsorum obstantibus nullum sensit remedium, ipsis vero, facta prius de concilio cuiusdam Canonici Scarensis diligenti de peccatis ipsorum confessione, cum infantulo predicto ad sepulcrum dicti beati Brynolphi iterato redeuntibus integram recepit subito sanitatem.

Item quod eodem anno dominus Lambertus Canonicus Scarensis grauem capitis dolorem et surditatis incommodum patiens, aquam in qua lota fuerunt ossa beati Brynolphi auribus suis instillari obtinuit, et sanitatem integram subito recepit.

Item quod eodem anno quidam infantulus cuiusdam Sigridis in Gotene s), Scarensis dyocesis dexterum pedem aridum et ad instar linee vestis pendulum per tres dies habens, voto pro eo ad sepulcrum beati Brynolphi per parentes eius emisso, subito integram recepit sanitatem.

Item quod eodem anno quedam Sigridis de parochia Settwn t) Scarensis dyocesis grauissimam a planta-

n) Sine dubio curia Båltorp in paroecia Broddetorp.
o) Hodie Jersyssla, villula in vicinitate urbis Scarensis.
p) Hodie Halsarp, prædium in paroecia Kinneved (territ. Frökind).
q) Hodie Frölunda. Duæ ecclesiæ hujus nominis exstant, in territoriis Kind et Askim.
r) Pag. 98 (veteris edit.), Dotthormbo. Forsan prædium Doterbo in paroecia Lundby (territ. Walla).
s) Vide supra p. 136, not. f.
t) Hodie Sätuna, desolata ecclesia in territ. Gudhem.

Digitized by Google

pedum vsque ad umbelicum tumefactionem per XII. septimanas patiens, voto facto de visitando sepulcrum beati Brynolphi subito sanata est.

Item quod eodem anno quidam puer, Tyrgillus nomine, Scarensis dyocesis post grauem infirmitatem per octo dies mutus factus, voto facto pro eo ad beatum Brynolphum per parentes eius emisso, subito sanatus est.

Item quod anno eodem quedam Margareta, parochie Brismene u) Scarensis dyocesis infirmitate nimia adeo grauata quod partum mortuum quinque mensibus ante debitum pariendi tempus edidit, voto pro eis ad sepulcrum beati Brynolphi per obstetrices emisso, mulier conualuit, et partus reuixit baptismumque suscepit.

Interrogatoria infrascripta dantur et exhibentur super omnibus et singulis positionibus, articulis et miraculis suprascriptis, secundum que testes in partibus producendi diligenter interrogari debeant et examinari.

Inprimis interrogetur quilibet testium, vnde sit oriundus, et apud quem vel quos sit conuersatus, 19.
cuius sit etatis, et an sit clericus vel laicus, et quantum habeat in bonis, et an sit conditionis libere vel seruilis.

Item an prece, precio, odio, timore vel amore ea dicit que deponit, et si sperat se ex sua deposicione aliquod commodum vel vtilitatem reportare aut damnum, incommodum vel indignationem se incurrere in casu quo super ipsis articulis non deponeret.

Item an per partem ipsum producentem sit informatus vel instructus qualiter deponere debeat, et an auisate vel simpliciter, et an deliberate vel indeliberate deponit.

Item si testis dixerit se de contentis in articulis nichil scire, super eisdem amplius non interrogetur. Si autem dixerit contenta in articulis vera fore, interrogetur vlterius diligenter de causa dicti sui, videlicet an ea vidit vel audiuit que deponit.

Item si dixerit se vidisse ea que deponit, interrogetur quibus videlicet anno, mense, die, hora, loco et loci loco, quibus presentibus vidit illa que deponit.

Item si testis dixerit se audiuisse illa que deponit, interrogetur vlterius, videlicet an auditu vero et proprio, vel auditu dici et auditus a quo vel a quibus hec audiuit, vel a senibus, vel iuuenibus, clericis vel laycis, personis grauibus vel leuibus, et quibus presentibus. Quibus etiam anno, mense, septimana, die, hora, loco et loci loco prout supra. B. de Perusio.

Cetera suppleat discretio ipsos testes examinantis, super quibus conscientia ipsius oneretur.

Post quarum quidem literarum presentationem, receptionem et traditionem nobis et per nos vt pre- 20.
mittitur factas nobis in ecclesia Scarensi, hora tercia vel quasi pro tribunali sedentibus, constituti in iudicio coram nobis et notariis publicis seu scribis nostris supra et infra scriptis, Reuerendus in Christo frater noster, dominus Brynolphus, dei et apostolice sedis gratia Episcopus Scarensis nec non honorabiles et circumspecti viri dominus prepositus et plerique eiusdem ecclesie Scarensis Canonici principaliter et pro se ipsis citra tamen reuocationem procuratorum suorum per eos hactinus constitutorum omnibus melioribus modo, iure, causa et forma, quibus melius et efficacius potuerunt et debuerunt, fecerunt, constituerunt, curauerunt et solenniter ordinauerunt seruos [ɔ: suos] veros, certos, legittimos et indubitatos procuratores, actores, factores, negotiorum suorum gestores et nuncios speciales et generales, ita tamen quod generalitas specialitati non deroget, nec e contra, honorabiles et discretos viros, dominos Elawm Sneonis [ɔ: Suenonis] magistrum in artibus et Michaelem Gwimonis v) dicte ecclesie Scarensis Canonicos, ibidem presentes et onus procuratoris huiusmodi in se sponte suscipientes, et eorum quemlibet in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, sed quod vnus eorum inceperit alter prosequi valeat, mediare et finire, ad prosequendum et pertractandum et promouendum tam sanctum et pium huiusmodi canonizationis beati Brynolphi quondam episcopi Scarensis negotium et specialiter ad producendum et sollicitandum ac produci et sollicitari faciendum quoscunque testes ad suprascriptos articulos probandum et de iis effectualiter inquirendum quomodo libet necessarios coram nobis cum potestate substituendi etc. et cum reuelatione et ratihabitione et aliis clausulis necessariis et opportunis vt in forma: Ad quorum quidem procuratorum seu sollicitatorum et promotorum, videlicet prelibati serenissimi domini nostri regis dictorumque episcoporum et
capituli Scarensis humiles et deuotas instantias, citationem testium et aliorum ibidem contentorum fieri de- 21.
creuimus sub hac forma:

Nos Jacobus Asloensis Magnus Aboensis et Eskillus Wexionensis, dei et apostolice sedis gratia ecclesiarum Episcopi ac Commissarii seu delegati ad infrascripta a sacrosancto Constantiensi Concilio specialiter deputati, tenore presentium citamus peremptorie Reuerendum in Cristo fratrem nostrum dominum Brinolphum eadem gratia Episcopum, necnon Prepositum, Decanum et Capitulum ecclesie Scarensis omnesque alios et

u) Brismene, eccl. in territ. Frökind.

v) Gimmonis in sequenti, forsan pro "Gummonis".

Digitized by Google

singulos testes vtriusque sexus in presenti canonizationis seu inquisitionis, pro [c: pio] negotio super articulis beati Brynolphi sancte et venerande memorie quondam episcopi Scarensis in bulla dicti Constantiensis concilii nobis directa interclusis, ac ad eosdem articulos et eorum singulos probandum nominandos et singulariter producendos, cuiuscunque status, gradus aut ordinis, conditionis seu preeminentie existant et quacunque prefulgeant dignitate, quatenus cras hora terciarum vel quasi et consequenter durante toto mense Aprili nunc currente et deinceps, quoadusque huiusmodi inquisitionis negotium nobis, vt premittitur, commissum decisum erit et coram nobis in ciuitate Scarensi fine debito fuerit terminatum, dum nos in prelibata ecclesia Scarensi, aut in domo habitacionis nostre, seu alibi in eadem ciuitate Scarensi pro tribunali sedere contigerit, compareant in iudicio legittime coram nobis ad dicendum et perhibendum testimonium veritati quam sciuerunt vel audiuerunt in negotio canonizationis memorato et articulis suprascriptis iuxta traditam seu di-
22. rectam a prelibata Constantiensi Concilio nobis formam insinuantes et vigore presentium intimantes eisdem citatis publice et expresse, quod si se gratia vel fauore, timore vel odio a perhibendo huiusmodi pro [o: pio] et fauoroso testimonio forsan subtraxerint, extunc non immerito grauiter contra eos per censuram ecclesiasticam, prout iustum fuerit et equitas persuaserit, eorum exigente contumacia procedemus, volentes insuper circa tam ardua negotia mature procedere sicut decet; Omnes et singulos si qui sint vel fuerint, qui se dicte canonizationi seu tam pio et sancto inquisitionis negocio supra dicto aut testibus prelibatis opponere vel quomodolibet contradicere voluerint, et alios quorum interest vel qui sua putauerint interesse, tenore presentium, primo, secundo, tercio et peremptorie, auctoritate supradicta qua fungimur, in hac parte citamus, requirimus et monemus, quatenus in termino seu terminis ac locis et horis prelibatis, vbi et quando nos pro tribunali sedere contingeret, vt prefertur, compareant in iudicio legittime coram nobis, ad videndum et audiendum iura recipi et admitti testes supra citatos, necnon ad dicendum et excipiendum et opponendum contra eos vel eorum alterum, si quid dicere, excipere vel opponere voluerint verbo vel in scriptis, alioquin in causa seu negotio huiusmodi ad vlteriora prout iustum fuerit procedetur, dictorum, citatorum, requisitorum et monitorum absentia seu contumacia non obstante. Hanc autem nostram citationem in valuis Cathedralis ecclesie Scarensis affigi et publicari mandamus ad instar edictorum publicorum que olim in albo pretorum scribebantur, ut cunctis eam intuentibus fieret manifesta et ne dicti citati de premissis ignorantiam aliquam pretendere valeant seu etiam allegare. In quorum omnium et singulorum fidem
23. et testimonium premissorum, presentes litteras fieri fecimus, nostrorumque sigillorum iussimus impressione muniri. Datum Scaris, anno a natiuitate domini millesimo quadringentesimo decimo septimo, indictione decima, die solis, decima octaua mensis Aprilis.

Adueniente autem termino prelibato in suprascripta nostra citatione prefixo, die videlicet Lune, XII. supradicti mensis Aprilis, constituti coram nobis prefatis commissariis Scaris in ecclesia cathedrali mane quasi hora causarum pro tribunali sedentibus, dominus Steno, Abbas, pro parte domini nostri Erici Regis illustris, ac Elawus Sueonis et Michaël Gimmonis, Canonici, procuratores et solliciti promotores predicti nonnullos testes infrascriptos, personas vtique graues ad testificandum ydoneas et maturas vtriusque sexus et omni quantum humana sinit fragilitas exceptione maiores, vt ex earum facierum inspectione verisimiliter apparuit, produxerunt, supplicando nobis cum instanciis debitis, vt in contumaciam dictorum citatorum non contra dicentium, nec contradicere seu opponere volentium, neque coram nobis comparere curantium ad vlteriorem executionem iuxta traditam in hac parte seu directam ab eadem sancta Synodo nobis formam sine more dispendio procedere dignaremur. Nos itaque tamquam obedientie filii eiusdem vestre sancte Synodi humiles et deuoti zelatores, mandatum huiusmodi nobis per vos ut premittitur factum volentes ea diligentia qua tenemur prosequi, reuerenter testes prefatos de et super vita, fama, deuotione populi, necnon me-
ritis et miraculis dicti honorabilis patris Brynolphi quondam Scarensis episcopi, ac miraculorum eius cre-
24. brescentia veritateque ac earum circumstantiis vniversis exacte, diligenter et fideliter ac, prout nobis ex alto desuper ministratum fuerat, prudenter iuxta et secundum articulos et interrogatoria suprascriptos et suprascripta et alias vt est iuris et moris per nosmet ipsos et non per alios curauimus recipere et receptos et admissos examinare, et alias iuxta nobis in hac parte tradita diligentiam quam potuimus attente studuimus exhibere, teste domino et conscientiis nostris per modum et formam infrascriptos fecimus annotari.

In primis igitur nonnullos testes laycos, tamquam affecturos [o: affuturos] extra ciuitatem Scarensem in eadem tamen dyocesi habitantes, qui commode ad plures dies in eadem Scarensi ciuitate ex certis et legittimis causis nobis expositis exspectare non poterant, et deinde, vt omnis a Clero in hoc negotio tolleretur suspicio, clericos et laycos ciuitatis et dyocesis earundem super articulis et miraculis vitam dicti venerabilis patris Brynolphi concernentibus, postremo vero super articulis post eius mortem principales testes, quos viuos inuenimus, et alios, quos reperire potuimus, sicut premittitur admisimus, recepto prius ab eis et eorum singulis de veritate dicenda et calumpnia vitanda corporali iuramento. Et demum per nos commissarios supra et infra scriptos eis ac eorum singulis et singulariter singulis, laycis videlicet in vulgari, clericis autem in Latino sermone quolibet dictorum articulorum seorsum exposito ac de verbo ad verbum lecto et perlecto et per eos vt asseruerunt sufficienter intellecto, prout potuimus processimus.

Digitized by Google

At primo super primo dictorum articulorum articulo, qui incipit: In primis ponunt et probare intendunt, quod beatus Brynolphus olim episcopus Scarensis etc.. Primus testis, vir magne nobilitatis et maturitatis dominus Gostawus Magni, miles strenuus, Cancellarius w) regni Swecie ac Legifer Vesgocie, etatis quinquaginta annorum, vt dixit et etiam ex sue faciei inspectione verisimiliter apparebat, requisitus, in- 25.
terrogatus et diligenter examinatus respondit et suo primo medio iuramento affirmauit omnia et singula in huiusmodi articulo contenta fore vera. Interrogatus igitur et diligenter examinatus idem testis loquens de causa scientie sui dicti, quomodo vel qualiter sit premissa per eum deposita, ita prout deponit esse respondit, et virtute sui prestiti iuramenti asseruit, quod ea veraciter audiuit a domino Nicolao, quondam episcopo Scarensi, cui per quatuor annos continue seruiuit, cum ipse dominus deponens erat etatis quatuordecim annorum, superaddens satis notabiliter se ab eodem domino Nicolao Episcopo pluries veraciter audiuisse, dum ipse cum nobilibus et personis grauibus in mensa sedebat, quod dum quidem nobilis miles, dominus Canutus Folckonis x), qui erat consanguineus dicti beati Brinolphi, de quo in ipso articulo fecit [ɔ: fit] mentio, pretextu eiusdem consanguinitatis apud sepulchrum eiusdem beati Brynolphi in Ecclesia Scarensi sibi sepulturam elegisset et ibidem mortuus allatus esset, apparuit cuidam domino Johanni dicto Smella, tunc sacriste dicte Scarensis ecclesie in visione quidam in vestibus albissimis multum seriose dicens et iniungens sibi: Surge, inquit, velociter et accipe ossa episcopi Brynolphi, et non permittas ea iacere circa ossa illius lutosi porci, qui secum sepeliendus est. Surgens igitur, vt asseruit, idem dominus Sacrista et mane facto diligenter collegit ossa ipsius beati Brynolphi eaque ad partem ipsius sepulchri reposuit inserata. Et ad hoc probandum retulit se idem dominus deponens ad modernos dominos Scarensem Episcopum et Capitulum, per quos eadem ossa sic erant reperta inserta, dum eleuauerunt et lauerunt ac alibi, vbi eis visum fuit, posuerunt, 26.
cuius etiam rei veritatem nos Commissarii postea audiuimus et diligenter inquisiuimus a dictis dominis Episcopo et Capitulo, eaque sic vt premittitur fuisse et esse et veraciter contigisse, eorum medio iuramento didicimus et scimus. Interrogatus et diligenter requisitus dictus testis loquens, quibus, anno, mense, septimana, die, hora, loco et loci loco, respondit et dixit suo quo supra medio iuramento, quod ea centies et vltra audiuit, tam a dicto domino Nicolao episcopo Scarensi quam aliis grauibus et notabilibus viris ac maioribus regni Swecie, sed de distinctis temporibus vel certis aliis personis dixit se ad presens non recordari.

Item super secundo dictorum articulorum articulo qui sic incipit: Item quod ipse episcopus Brynolphus deuotorum parentum suorum vestigiis inherens etc.. Idem testis loquens interrogatus et examinatus secundum interrogata respondit suo medio quo supra prefato iuramento contenta in eodem articulo fuisse et esse vera, causam sue scientie assignans prout immediate supra, quod omnia illa audiuit contenta dici a dicto domino Nicolao, quondam Scarensi episcopo. Dixit etiam, quod multociens audiuit eundem dominum episcopum Nicolaum cum quodam domino Dagero, tunc Archidiacono Scarensi, viro vtique magne maturitatis et reputacionis, adeo quod olim erat cancellarius Domine Blance, quondam regine Swetie, multa bona et laude digna de eodem beato Brynolpho Scarensi episcopo conferre, inter que dixit se audiuisse, quod idem beatus Brynolphus de Parisius y) rediit, postquam per nouem annos ibidem studuisset, et veniens in castrum Bagahwss, quod situm est in confinibus regnorum Swetie et Norwegie, inuenit ibi dominum regem Swetie, qui sibi denuo de necessariis pro studio optime prouidit eumque Parisius redire iussit. Interroga- 27.
tus de tempore et de loco, respondit, quod in diuersis locis et temporibus.

Item super tercio dictorum articulorum articulo, qui sic incipit: Item quod factus episcopus z) Scarensis Canonicus et postmodum Decanus Lincopensis etc.. Idem testis loquens interrogatus et examinatus secundum interrogata, respondit z) iuxta istum titulum data et formata, suo medio iuramento quo supra respondit se nescire, an fuerit Canonicus vel Decanus, sed quod electus et Episcopus Scarensis fuerat veraciter affirmabat, et alia in huiusmodi articulo contenta verisimiliter credebat, causam sciencie sui dicti et credulitatis dicens, quod sic a suis senioribus et inter senes et [a] personis grauibus et inter graues multoties audiuisset, de loco et tempore respondit vt immediate supra.

Item super quarto articulo, qui sic incipit: Item quod de bonis ex dictis suis parentibus legitime adquisitis, quinque prebendas Canonicales etc.. Dictus testis loquens interrogatus et diligenter examinatus dixit, se de hoc tantum scire, quod quidquid de hereditate parentum et alias iusto titulo habere potuit, hoc totum ad augmentum diuini cultus deputauit, Causam sue scientie et de tempore et de loco dicens prout immediate supra.

Item super quinto articulo, qui incipit: Quod hiis que suo statui necessaria videbantur duntaxat contentus etc. Respondit prout ad proxime precedentem.

w) Lege: Consiliarius. Titulus Cancell. regni Sveciæ nondum erat usurpatus, neque hoc munere quisquam, nisi clericus, illo tempore fungebatur. Hic Gustavus erat pater episcopi Scarensis, Benedicti (v. supra, p. 119, not. m).

x) Parentes ejus erant Folke Algotson, frater episcopi Brynolphi, et Ingrid Svantapolksdotter. Ipse in matrimonio habuit Margaretam, filiam Thorkilli Kanuti, marescalci et gubernatoris regni (v. Strinnholm, Sv. Folk. Hist. V. p. 199 et 257).

y) Ita ubique legitur in veteri editione, quocunque in casu occurrit urbis nomen.

z) Negligentia scriptoris insertum.

Digitized by Google

Item super sexto dictorum articulorum articulo, qui sic incipit: Item quod saluti cleri sibi subiecti et populi deuote et studiose intentus etc.. Idem testis loquens interrogatus, vt supra respondit, omnia contenta in eo fore vera, allegans pro causa scientie dicti sui ipsam experientiam, rerum magistram, que est in ecclesia Scarensi, et dicens, quod specialia Statuta in dyocesi sua Scarensi fecit, clericis et laycis ibidem
28. certam legem constituens iuxta et secundum cuius ordinem tota communitas erga clerum et ecclesiam et e conuerso, videlicet in funeralibus, introductionibus mulierum post partum et decimis et aliis consimilibus debite dirigatur. Et de hoc dixit esse communem vocem et famam ac publicum, notorium et omnibus in dicta Scarensi dyocesi manifestum.

Item super septimo dictorum articulorum articulo, qui sic incipit: Item quod beatus Brynolphus arma hostis antiqui, ocia videlicet et voluptates etc.. Idem testis loquens interrogatus et examinatus diligenter respondit suo medio quo supra prestito iuramento, credendo in eo contenta fore vera, quantum ad historias, sed quantum ad alia ibidem expressa, dixit simpliciter fore vera; et pro causa scientie sui dicti occultatam [ɔ: oculatam] fidem inducens prout a senioribus et inter seniores acceperat et audiuerat, et dixit hoc in domibus episcopalibus episcopi Scarensis et earum edificiis per picturas et speciales structuras argumentis euidentissimis apparere. Et de hoc est communis vox et fama, adeo quod hoc in Scarensi dyocesi reliquitur per se notum.

Item super octauo dictorum articulorum articulo, qui sic incipit: Item quod sanctus Brynolphus mirabilis patientie fuit etc.. Idem testis loquens interrogatus et diligenter examinatus respondit suo medio iuramento, contenta in ipso articulo fore vera, et sic ea audiuisse dici a supradicto domino Nicolao, quondam episcopo Scarensi et aliis senioribus clericis grauibus et honestis, qui cum dicto domino episcopo Nicolao conuersabantur, et specialiter a domino Ostano quondam de Frosbergom a) curato Scarensis dyocesis qui sexagenarius erat et vltra, et domino Jacobo, quondam curato in Odensaker eiusdem dyocesis eo quod vicini tunc erant dicti domini Nicolai episcopi et frequenter secum conuersabantur, et ideo eos de hiis et similibus inter se tractare audiuit, adiiciens, quod et ipsi, prout asseruit, adiecerunt, quod ipse beatus Brynolphus spreto remedio medicorum, diuine dispositioni in huiusmodi infirmitate se commisit similiter di-
29. rigendum. Interrogatus de tempore et loco, respondit se non recordari, quia in diuersis.

Item super nono dictorum articulorum articulo, qui incipit: Item quod adeo fuit feruens caritate, quod nutrici etc.. Interrogatus respondit se nichil inde scire.

Item super decimo articulo, qui incipit: Item quod in eo tanta fuerunt humilitatis et pietatis insignia etc.. Interrogatus vt supra respondit se credere, nullam tamen credulitatis causam assignans.

Item super vndecimo articulo, qui incipit: Ideo quod adeo frequens fuit in ieiuniis etc.. Idem testis loquens interrogatus et diligenter examinatus, suo quo supra medio iuramento respondit, veraciter sic ea audiuisse dici, referens se ad eos quos supra in octauo articulo nominauit, et similiter respondit de tempore et loco prout supra in eodem octauo articulo respondebat.

Item super duodecimo articulo, qui incipit: Item quod corpus suum frequenter castigauit nedum vigiliis etc.. Idem testis loquens interrogatus vt supra, respondit se non scire de cordulis nodosis, sed quod ciliciis vtebatur, dixit se veraciter audiuisse, prout supra in dicto articulo octauo.

Item super terci[o]decimo articulo, qui sic incipit: Item quod iura, bona, libertates et immunitates sue Scarensis Ecclesie etc. Dictus testis loquens interrogatus vt supra, respondit suo quo supra medio iuramento, contenta in ipso articulo fore vera, causamque scientie sui dicti ádiecit, quod dictus beatus Brynolphus pretextu defensionis huiusmodi quasi exilio relegatus in monasterio Alwastri ordinis Cisterciensis, Lincopensis dyocesis, per aliqua tempora moram duxit, qui tandem a deo confortatus et in se recollectus ad ecclesiam suam Scarensem rediit, vbi nutu dei Regi Swecie, qui eum alias exulem fecerat, reconciliatus est, referens se et dicta sua ad octauum articulum prout supra.

30. Item communiter interrogatus super quarto decimo articulo, qui incipit: Item quod immensa dei bonitas etc.. Idem testis respondit et dixit, se hoc veraciter audiuisse a centum et vltra notabilibus personis, tam in curia domini Nicolai, quondam Scarensis Episcopi prelibati, quam eciam in curia dominorum Regum et Reginarum Swecie, et est, sicut asseruit, de predictis publica vox et fama in regno Swecie.

Item super quintodecimo articulo, qui incipit: Item cum cuidam nobili ad prandium etc.. Interrogatus vt supra, respondit, se nichil inde recordari.

Item super sextodecimo articulo, qui incipit: Item quod quidam officialis beati Brynolphi etc.. Idem testis loquens interrogatus, respondit et dixit, contenta in ipso articulo fore vera, se ad auditum dici referens, vt supra in articulo quartodecimo. Requisitus de tempore et de loco, respondit, quod a iuuenibus et senioribus a iuuentute sua hoc audiuerat, addens, prout pro certo audiuerat, quod ipse beatus Brynolphus solus ad campanarium ecclesie Scarensis veniens, peciit ab eo claues ecclesie, et hoc ideo, sicut asseruit, quod nemo ad eum interim ingressum haberet.

a) Frösberga, hodie Fredsberg in territ. Wadsbo.

Digitized by Google

Item super decimo septimo dictorum articulorum articulo, qui incipit: Item cum quidam miles Tornerus Tryda b) etc.. Idem testis interrogatus, respondit et dixit, contenta in eo fore vera, referens se ad communem vocem et famam et alias, prout immediate supra.

Item super decimooctauo articulo, qui incipit: Item quod beatus Brynolphus super quodam iuuene etc. Interrogatus dixit se nichil inde scire.

Item super decimonono articulo, qui incipit: Item quod plurima de virtutum et meritorum etc.. Interrogatus respondit prout immediate supra.

Item super vicesimo articulo, qui sic incipit: Item quod anno domini MCCCXVII. etc.. Interrogatus respondit prout immediate supra.

Item super generalibus interrogatoriis idem testis loquens interrogatus vt convenit et examinatus, et primo, si ea, que superius dixit, prece, precio, amore, fauore, gratia, odio, timore vel rancore alicuius per- 31.
sone deposuit, et si sperat se de sua depositione aliquod commodum vel vtilitatem reportare, aut damnum, incommodum vel indignationem se incurrere in casu quo super ipsis articulis non deponeret, respondit et dixit suo quo supra medio iuramento, quod non.

Item interrogatus et diligenter examinatus idem testis loquens, si per partem ipsum producentem vel aliam submissam personam sit doctus, informatus vel instructus qualiter deponere debeat, et an auisate vel simpliciter, et an deliberate vel indeliberate deponeret, respondit idem testis loquens, suo medio quo supra prestito iuramento, et dixit, quod non.

Item interrogatus et diligenter requisitus super fama et aliis, respondit, quod ne dum per totum regnum Swecie, verum etiam in partibus vicinis circumquaque de ipsius gloriosis miraculis est magna deuotio populi ac publica vox et fama.

Et tandem fuit c) isti testi loquenti iniunctum per nos commissarios prelibatos, quod dicta sua seu depositiones huiusmodi nemini reuelaret, donec et quousque attestationes seu depositiones huiusmodi fuerint publicate, in virtute per eum prestiti iuramenti.

Anno et mense supra dictis, die vero Martis XIII. secundus testis Nicolaus Guttormi, militaris, et ex vtroque parente nobilis, capitaneus ex parte domini nostri regis super maiori parte communitatis in ciuitate et dyocesi Scarensi existentis d), etatis annorum LX. vel quasi, prout asseruit et etiam ex sue faciei inspectione veresimiliter apparebat, per supra dictos procurantes productus, iuratus, et super primo dictorum articulorum qui incipit: In *primis* ponunt et probare intendunt quod beatus Brynolphus.. per nos 32.
Commissarios prelibatos interrogatus et diligenter requisitus et examinatus, respondit idem testis loquens, suo primo medio iuramento et dixit, omnia de nobilitate contenta in ipso articulo fore vera, reddens causam sciencie sui dicti de quadam preciosa grangia dicta Fielakra e), quam idem venerabilis pater dominus Brynolphus ad augmentum mense episcopalis episcopi Scarensis contulit et de suo patrimonio libere et ab omni tributo seu onere regio penitus exempto assignauit perpetuis temporibus possidendam; et de hoc etiam esse dixit communem vocem et famam, quo[d]que pro tali et vt talis communiter ab omnibus fuit et est tentus, nominatus, habitus et reputatus, sed de ecclesia per eiusdem domini Brynolphi parentes edificata dixit se nescire.

Item super secundo articulo qui incipit: Item quod ipse episcopus Brynolphus deuotorum parentum etc.. Interrogatus respondit testis idem loquens, suo medio quo supra prestito iuramento, et dixit contenta in dicto articulo esse vera, reddens causam sciencie dicti sui prout a domino Jacobo Symonis et Johanne Hwit cujusdem f) Canonicis Scarensibus, quorum quilibet erat etatis, vt asseruit, quasi LXXX. annorum, et ab aliis clericis et laycis dixit se in diuersis locis et per tempus et per diuersa tempora, videlicet ante XXX. annos circiter elapsos veraciter audiuisse, et cum dominus Algotus, miles strenuus et magnificus, pater dicti domini Brynolphi Capitaneus esset totius Vesgotie, quodam sterilitatis anno g), fame totam terram Vesgotie, que est in Scarensi dyocesi, pervrgente, congregauit multitudinem pauperum dicta fame oppressorum et aliorum famelicorum in grandi classe nauium, et veniens in insulam Torsori h) dicte Scarensis dyocesis, vbi idem filius suus dominus Brinolphus, tunc episcopus Scarensis, residentiam habe- 33.
bat, dixit ei, quasi ipsum paternaliter reprehendendo: cur hic quasi latitans vitam ducis, et per multis [ɔ: permittis] istos pauperes fame perire; non sic, inquit, valet, sed ex quo abundantiores habes redditus alignis [ɔ: siliginis] et anone, capias tibi partem istorum pauperum et famelicorum et

b) Alias scriptum Cryda, cfr. supra p. 143 not. k.
c) Hic, sicut in sequenti, ubi eadem enuntiatio occurrit, vetus editio habet "sint" pro "fuit".
d) Nic. Guttormi, dictus Diekn, erat capitaneus castri Axevall cum terra attinenti ab an. 1405 usque ad mortem an. 1430.
e) Hodie Fjellåker in paroecia Broddetorp. Grangia est ædificium, in quo grana reponuntur.
f) Lege: condam.
g) Anno 1291, quo tamen tempore Algotus non diutius erat legifer (Dipl. Suec. II. p. 97), incidit "caristia" et magna mortalitas (l. c. n. 1051 et annales in SS. rer. Suec. I. 1. p. 62; cfr. Eric. Olai, l. c. II. 1. p. 70).
h) Hodie Thorsö insula in lacu Vänern.

Digitized by Google

partem si placet michi dimittas, et quos noluisti nascere residendo apud ecclesiam tuam, pascas hic in insula ista. Filius autem misericors et multum gauisus et super aflictos gestans pia viscera pium patrem hoc a sancti spiritus infusione accepisse intelligens donoque, gratias non mediocriter egit, et tam pio ac salubri paterno affectui filiatione gratuita in omnibus quantum potuit condescendit.

Item super tercio dictorum articulorum articulo, qui sic incipit: Item quod factus canonicus Scarensis et postmodum decanus Lincopensis etc.. Interrogatus idem testis loquens respondit, suo quo medio iuramento, et dixit se contenta in ipso articulo veraciter audiuisse, referens se ad communem vocem et publicam famam.

Item super quarto articulo, qui sic incipit: Item quod de bonis ex dictis suis parentibus etc.. Interrogatus respondit prout immediate supra et dixit, quod hoc audiuit a multis veridicis pluries et iteratis vicibus ante XXX vel XL annos, et specialiter a canonicis Scarensibus illius temporis, quorum hodie, vt asseruit, nullus viuit.

Item super quinto articulo, qui incipit: Item quod iis que suo statui necessaria videbantur dumtaxat contentus etc.. Interrogatus idem testis, respondit, quod contenta in ipso articulo sunt vera, causam sciencie dicti sui reddens pro ut immediate supra in primo et secundo articulo.

Item super VI. articulo, qui sic incipit: Item quod saluti cleri sibi subiecte et populi etc.. Interro-
34. gatus idem testis respondit et dixit vera esse contenta in ipso articulo, reddens rationem dicti sui, quod ipse deponens haberet in scriptis in registro suo Statuta per ipsum dominum Brinolphum edita, quibus i) layci erga clericos regantur et e conuerso quomodo clerici erga laycos in spiritualibus dirigantur, et specialiter quo ad decimas, funeralia et huiusmodi clericis et ecclesiasticis exhibendas, et hoc dixit esse publicum, notorium et manifestum, quod ipse dominus Brinolphus huiusmodi Statuta condiderat et instituerat: et de hoc, prout asseruit, est publica vox et fama.

Item super septimo articulo, qui incipit: Item quod beatus Brynolphus arma hostis antiqui, ocia videlicet etc.. Interrogatus, suo quo supra medio iuramento, respondit, quod firmiter credit vt in articulo continetur, rationem sue credulitatis assignans de auditu dici, quod Rex Francie contulit Regi Swecie k) tunc temporis vnam spinam de corona spinea domini nostri saluatoris, Rex autem Swecie contulit eam dicto beato Brynolpho tunc episcopo Scarensi, qui ex eius veneratione et deuotione plurimum allectus, fecit nouam historiam de eadem corona spinea domini, referens se ad ecclesiam Scarensem, eo quod omni anno ibidem in venerationem dicte spinee corone domini eadem hystoria canitur secundum institutionem ipsius beati Brynolphi et de hoc dixit esse publicam vocem et famam. De edificiis vero retulit se idem testis ad dictam ecclesiam Scarensem et ad maneria Episcopi Scarensis videlicet Husabij, Sekelstada l), Nekkia m) et Bikstetra n) ac alias eius grangias episcopales in quibus omnibus et singulis apparet eiusdem domini beati Brynolphi superexcellens structura; et de hoc, prout dixit, est publica vox et fama.

Item super octauo articulo, qui incipit: Quod sanctus Brynolphus mirabilis patientie fuit etc.. In-
35. terrogatus et diligenter examinatus dixit, ea sic a suis senioribus, prout supra in quarto articulo sue depositionis se veraciter audiuisse, et quod rane co[a]xabant in stomacho eiusdem beati Brynolphi et sonitum earum expresse de eiusdem stomacho, dum viueret, emittebant.

Item super nono articulo, qui incipit: Item adeo fuit f[e]ruens caritate etc.. Interrogatus idem testis dixit se nichil inde scire.

Item super decimo articulo, qui incipit: Item quod in eo tanta fuerunt humilitatis et pietatis insignia etc.. Interrogatus dixit contenta iu eo esse vera, reddens causam scientie dicti sui prout immediate supra in tercio et quarto articulis.

Item super vndecimo articulo, qui incipit: Item quod adeo frequens fuit in ieiuniis etc.. Interrogatus respondit prout supra ad proximum immediate.

Item super duodecimo articulo, qui incipit: Item quod corpus suum frequenter castigauit etc.. Interrogatus idem testis respondit suo quo supra medio iuramento, dicens prout supra in quarto sue attestationis articulo, se veraciter audiuisse, quod cilicio semper ad nudam carnem vtebatur vsque dum vixit, sed de aliis cordulis nodosis dixit se nescire.

Item super tredecimo articulo, qui incipit: Item quod iura, bona, libertates etc.. Interrogatus et diligenter examinatus, respondit idem testis loquens, suo quo supra medio iuramento, se pluries a dictis senioribus suis pro vero audiuisse dici, quod rex Swecie voluit eum occidisse, quia pro iustitia viriliter dimicauit, Interrogatus de tempore et de loco respondit, quod in diuersis, quia ante XXX. annos et deinceps hoc audiuit.

Item super quartodecimo articulo, qui incipit: Item quod immensa dei pietas etc.. Interrogatus vt supra respondit, contenta in ipso articulo fore vera, dicens quod primo et secundo misit ministros suos pro

i) Impressa sunt in Dipl. Suec. I. p. 575 et in codice Legum Vest. Got. ed. Schlyter p. 70.
k) Perperam pro: Norvegie; v. supra p. 142, not. i.
l) Pro: Sekkistada, hodie Säckstad in territ. Vadsbo.
m) Mendum pro: Lekkiö, notum castrum apud lacum Vänern.
n) Pro hoc et Giorseta (p. 47 in veteri edit.) legendum: Biergsetra hodie Björsäter, villa in confiniis territ. Vadsbo et Kinne (vide Dipl. Svec. II. p. 68 et 571).

Digitized by Google

aqua huiusmodi aufferenda, et tercio dapiferum suum tanquam sibi magis specialem et fidelem, referens se ad communem vocem et famam et alias prout immediate supra in quarto articulo. 36.

Item super quintodecimo articulo qui incipit: Item cum cuidam nobili ad prandium etc.. Interrogatus respondit, se non audiuisse, neque scire.

Item super decimo sexto articulo qui incipit: Item quod cum quidam officialis etc.. Interrogatus dixit prout supra ad immediate proximum.

Item super decimoseptimo articulo, qui incipit: Item quod cum quidam miles Tornerus Cryda etc.. Interrogatus et diligenter examinatus, respondit idem testis loquens, suo medio quo supra iuramento, et dixit, contenta in dicto articulo fore vera, causam scientie sue reddens ex auditu dici, quod funus eiusdem Torneri militis tunc locatum erat illa nocte in parochiali ecclesia Scadarik o) ipsius monasterii in Varnhem, Scarensis dyocesis, et mane facto, immediate post huiusmodi per ipsum peractum miraculum, inquisiuit idem beatus Brynolphus a ministris suis, qui suam [o: quisnam] esset vel fuisset ille curiosus inuestigator, qui ad fenestram ascendere et illa nocte introspicere presumebat, comminando sibi indignationem et licentiam, nisi id quod viderat tamquam thesaurum diligentissime abscondendum quo ad viueret nulli penitus viuentium reuelaret, quem cum reperisset, a se licentiauit et a seruicio suo dimisit; eo quod contra mandatum domini sui tanta facere attemptasset, referens se prout supra ad quartum sue depositionis articulum.

Item super XVIII. et XIX. ac XX. dictorum articulorum articulis, interrogatus et diligenter requisitus, idem testis dixit se nichil inde scire.

Item super generalibus interrogatoriis idem testis interrogatus respondit per omnia sicut primus testis.

Item quod idem testis finaliter interrogatus et diligenter per nos requisitus, si de fama et crebrescentia miraculorum et deuotione populi quidquam sibi constaret, respondit suo quo supra medio iuramento quod sic, quia multa bona per communem famam et deuotionem populi ab eo dici audiuerat a grauibus et 37.
notabilibus personis diuersis locis et temporibus et presertim ex uno satis notabili miraculo, causam sue scientie reddens, videlicet quod cum dominus Boecius dictus Hetta p), tunc episcopus Vexionensis, refocillacionis gratia seu alia de causa dictum venerabilem patrem dominum Brynolphum episcopum Scarensem visitasset et ipsum in manerio suo episcopali Lekkia vulgariter nuncupato personaliter reperisset, idem dominus Brynolphus inter alia peciit ab eodem domino Boecio Vexionensi, quod sibi gradarium suum dimitteret pro precio competenti; quo simpliciter negante, instabat iterum venerabilis pater Brynolphus Scarensis provt antea fecerat, quod dictum gradarium sibi modo et conditione premissis dimitteret, alioquin ipsum gradarium idem dominus Vexionensis secum ad propriam dyocesin minime reportaret. Ipso autem Vexionensi hoc pro nichilo et ridiculo reputante, iam cum eiusdem diei hora vespertina quasi nocti vicina subintrasset, dictus gradarius in stabulo locatus per caudam prurientem obicere quo officiatum erat hostium q) stabuli faciliter et casualiter amouit, et inde exiens venit in campum, cui mox lupi aderant vociferantes et varios ac magnos ululatus emittentes, quibus quidem ululatibus per dictos dominos Episcopos auditis et perceptis, dixit dominus Brynolphus Scarensis prefatus prelibato domino Vexionensi: Ecce frater et Domine mi, isti cantant vigilias pro anima equi tui. Cum autem ad inquirendum veritatem super hoc famulos emisissent, ipsum equum sive gradarium a lupis prostratum et mortuum, prout idem dominus Scarensis dicto domino Vexionensi, quasi spiritu prophetico predixerat, inuenerunt. Interrogatus autem dictus testis de tempore et loco, respondit se non recordari, quia diuersis et a multis clericis et laycis hoc audiuit ante multos annos, et addidit, quod ideo personas sibi hoc dicentes seu eorum nomina non curabat menti tenere, quia non putabat tunc temporis se de huiusmodi auditis talem vnquam debuisse siue debere, qualem iam fecerat, reddere rationem.

Seq[u]untur deposiciones tercii testis super eodem. 38.

Eodem die et mense quibus supra, Arwidus Johannis r), militaris, et ex vtroque parente nobilis, laycus, Scarensis dyocesis, XLI. annos etatis habens, prout dixit, et etiam ex prima sue faciei inspectione verisimiliter apparebat, super primo dictorum articulorum articulo, qui incipit: In primis ponunt et probare intendunt, quod beatus Brynolphus olim episcopus Scarensis ex nobilibus etc.. Citatus per dictos procuratores, productus, iuratus et interrogatus et diligenter examinatus, respondit idem testis loquens, suo primo medio iuramento et dixit, omnia in ipso articulo contenta fore vera, superaddens, quod parentes eiusdem venerabilis patris beati nobilissimi et christiani eo tempore dum vixerunt dictam ecclesiam Ryda, ad dei honorem et gloriam ac exaltationem fidei christiane, de bonis propriis fundauerunt, et in alia pietatis opera eadem bona propria iuxta eis a deo datam prudentiam conuerterunt, causam scientie sui dicti reddens, quod sic a patre suo carnali Johanne Benedicti septuagenario et vltra, et similiter ab aliis nobilibus et notabilibus

o) Desolata ecclesia in paroecia Varnhem, cujus nomen vicus Skarke adhuc retinet.
p) Vide supra p. 131, not. e.
q) Perversus textus sic restituendus videtur: "Obicem, quo obseratum erat ostium".
r) Qua ex gente nescimus. Uxor eius appellatur Ingegerdis, socer Petrus nobilis, pater Johannes Benedicti (v. pagg. 38, 40 et 41 in veteri edit.)

Digitized by Google

viris et personis, cum quibus per tempus et per tempora a iuuentute sua in diuersis locis conuersatus veraciter audiuerat dici, et pro tali et vt talis ab eis et inter nobiles et notabiliores totius regni Swecie communiter fuit et est tentus, dictus, habitus, nominatus et reputatus; et de hoc fuit et est, prout dixit, communis vox et fama.

Item super secundo articulo, qui incipit: Item quod ipse episcopus Brynolphus deuotorum parentum suorum etc.. Interrogatus prout supra respondit idem testis loquens, suo medio quo supra prestito iuramento, et dixit contenta in ipso articulo fore vera, et in commune prouerbium esse versum inter nobiliores regni, dum aliqua sinistra mentio de aliis episcopis coram eis fuit facta: sic, inquiunt, non fecit ille bonus
39. episcopus Brynolphus Scarensis, qui talia et tanta bona fecit, causam scientie sue reddens prout supra immediate.

Item super tercio articulo, qui incipit: Quod factus episcopus Scarensis etc.. Interrogatus idem testis respondit prout supra immediate.

Item super quarto articulo, qui incipit: Item quod de bonis ex dictis suis parentibus legittime acquisitis etc.. Interrogatus et diligenter examinatus respondit idem testis loquens, suo quo supra medio iuramento, et dixit, contenta in ipso articulo esse vera, et se hoc pluries audiuisse, tam ab episcopis et prelatis, quam aliis canonicis et clericis ecclesie Scarensis et specialiter a patre suo prefato, qui hoc audiuit a quodam cognato suo domino Johanne dicto Gamla condam Canonico Scarensi et tunc curato in Gielstadha Scarensis dyocesis viro magne grauitatis, vt dixit, et prouecte etatis.

Item super quinto articulo, qui incipit: Item quod hiis que statui suo necessaria videbantur etc.. Interrogatus respondit et dixit prout ad proximum supra.

Item super sexto articulo, qui incipit: Item quod saluti cleri sibi subiecti etc.. Interrogatus respondit vt supra.

Item super septimo articulo, qui incipit: Item quod beatus Brynolphus arma hostis antiqui etc.. Interrogatus vt supra dixit, se de huiusmodi hystoriis nichil scire, eo quod purus laycus esset, sed de edificiis respondit et dixit verum esse et se ea aliis excellentiora vidisse, et quod de hoc est per totam Scarensem dyocesim et alibi publica vox et fama.

Item super octauo articulo, qui incipit: Item quod sanctus Brynolphus mirabilis patientie fuit etc.. Interrogatus respondit idem testis et dixit se nil scire de contentis in ipso articulo.

Item super nono articulo, qui incipit: Item quod adeo fuit f[e]ruens etc.. Interrogatus dixit prout ad proximum supra.

40. Item super articulo decimo, qui incipit: Item quod in eo tanta fuerunt humilitatis etc.. Interrogatus respondit prout supra dixit ad quartum articulum sue depositionis.

Item super vndecimo articulo, qui incipit: Item quod adeo frequens fuit in ieiuniis etc.. Interrogatus respondit et dixit, se credere propter eius sanctam famam.

Item super duodecimo articulo, qui incipit: Item quod corpus suum frequenter castigauit etc.. Interrogatus dixit, se tantum de hoc scire, quod ipse venerabilis pater Brynolphus cilicio ad modum rethis vtebatur frequenter ad nudum corpus, referens se et reddens causam scientie sui dicti prout supra in quarto sue depositionis articulo.

Item super tredecimo articulo, qui incipit: Item quod iura, bona, libertates etc.. Interrogatus respondit et dixit prout supra in quarto sue depositionis articulo.

Item super decimo quarto articulo, qui incipit: Item quod immensa dei bonitas etc.. Interrogatus et diligenter examinatus respondit idem testis loquens, suo quo supra medio iuramento, et dixit contenta in ipso articulo fore vera, referens se prout supra in predicto quarto articulo, dicens se etiam a patre uxoris sue Petro audire nobili et multum circumspecto viro septuagenario, adhuc viuente, et aliis quampluribus centies et vltra veraciter audiuisse, et quod de hoc fuit et est communis et publica vox et fama.

Item super XV. articulo qui incipit: Item cum cuidam nobili ad prandium etc.. Interrogatus respondit et dixit, eum fuisse militem et nomen eius non recordari, licet pluries audiuerat ipsum militem proprio suo nomine nominari, et ob hoc dixit fuisse et esse versum in prouerbium inter nobiles et magnates: caueas ne tibi contingat, sicut contigit illi militi, qui nolens et non curans mandatis beati Brynolphi obtemperare, carnes equinas factus insaniens commedebat, causam scientie sue referens, quod hoc a dictis suo et sue vxoris parentibus veraciter et aliis multis audiuisset.

41. Item super XVI. articulo qui incipit: Item quod cum quidam officialis domini Brynolphi etc.. Interrogatus respondit contenta in dicto articulo fore vera, et dixit, quod hoc contigit in ecclesia Scarensi, causam scientie dicti sui reddens prout supra in dicto quarto articulo.

Item super XVII. articulo qui incipit: Item quod cum quidam miles Tornerus Cryda etc.. Interrogatus respondit prout supra immediate, sed istud dixit in monasterio Varnhem, Cisterciensis Ordinis, Scarensis dyocesis, contigisse.

Digitized by Google

Item super XVIII. articulo qui incipit: Item quod beatus Brynolphus super quodam iuuene ceco etc.. Interrogatus dixit, se nil inde scire.

Item super decimonono articulo qui incipit: Item quod plurima de virtutum et meritorum etc.. Interrogatus idem testis dixit, se ea in parte credere et in parte per experientiam scire, de qua quidem experientia communis omnium incolarum huius regni et alibi publica vox et fama videlicet de guerris.

Item super vicesimo dictorum articulorum articulo, qui incipit: Item quod anno domini MCCCXVII. etc.. Interrogatus respondit, se nichil inde scire. Item super generalibus interrogatoriis supra scriptis, idem testis interrogatus et diligenter examinatus, cum predictis duobus testibus per omnia concordauit.

Item idem testis finaliter interrogatus et diligenter per nos requisitus, si de fama huius venerabilis patris Brynolphi aut miraculorum crebrescentia et deuotione populi quicquam sibi constaret, respondit, suo quo supra medio iuramento, quod sic, et quod erga eum haberet specialem deuotionem. Interrogatus de causa, dixit, quod ipse beatus Brynolphus vxorem suam Ingegerdem post partum quasi periclitantem, adeo quod vix in ea appareret alitus seu anelitus, releuasset, et statim voto per ipsum testem deponentem pro dicta sua vxore facto ad eundem venerabilem patrem Brynolphum subito conualuit.. Dixit etiam, quod 42.
per se ad hoc opem et operam dedit, eaque sic fieri vidit et audiuit. Interrogatus de loco et de tempore, respondit quod in domo habitationis sue anno domini MCXVI [ɔ: MCDVI] circa festum beati Michaelis: De fama autem eius dixit, quod eius fama dicitur communiter, tenetur, habetur, nominatur et reputatur celebris tanquam sancti, et tandem fuit isti testi iniunctum vt supra.

Sequuntur attestationes quarti testis super eodem.

Eodem die [et] mense, quartus testis laycus Johannes Laurentii, consul ciuitatis Scarensis quinquagenarius, prout dixit et etiam ex sue faciei inspectione verisimiliter apparebat, super primo dictorum articulorum articulo, qui incipit: In primis ponunt et probare intendunt, quod beatus Brynolphus etc.. Citatus, productus, iuratus et interrogatus et diligenter examinatus, respondit, suo primo medio iuramento et dixit, contenta in ipso articulo fore vera, causam scientie sui dicti reddens, quia ea sic pro vero audiuit a domino Benone, tunc Canonico Scarensi et postea episcopo Arosiensi s) et a fratre S[ig]wardo, conuentuali fratrum minorum Scarensium viro grandeuo, per tempus et tempora, quibus cum ipsis in ciuitate Scarensi conuersabatur, ante XX. annos et postea a multis aliis notabilibus personis dixit se hoc pluries audiuisse.

Item super secundo articulo, qui incipit: Item quod ipse episcopus Brynolphus deuotorum parentum etc.. Interrogatus idem testis dixit prout supra immediate.

Item super tercio articulo qui incipit: Item factus canonicus Scarensis, Interrogatus vt supra, dixit contenta in eo esse vera, et se hoc audiuisse pro vero a domino Esgero sexagenario condam canonico Scarensi.

Item super IIII. articulo qui incipit: Item quod de bonis ex dictis suis parentibus etc.. Interroga- 43.
tus vt supra dixit, contenta in eo articulo fore vera, quia sic ab antiquis clericis, tam in ciuitate Scarensi, quam extra olim audiuerat, quasi per tempora vite sue, et maxime ab eo tempore quo ad annos discretionis peruenit, dicens etiam, quod de hoc est communis fama et vox clericorum et laycorum.

Item super quinto articulo qui incipit: Item quod hiis que suo statui necessaria etc.. Idem testis interrogatus, respondit et dixit vt in proximo precedenti.

Item super sexto articulo qui incipit: Item quod saluti cleri sibi subiecti etc.. Interrogatus respondit et dixit prout supra immediate.

Item super septimo articulo qui incipit: Item quod beatus Brynolphus arma hostis antiqui etc.. Interrogatus vt supra respondit et dixit vt supra immediate.

Item super octauo articulo, qui incipit: Item quod sanctus Brynolphus mirabilis patientie fuit etc.. Interrogatus vt supra respondit et dixit vt supra immediate.

Item super nono articulo qui incipit: Item quod adeo f[e]ruens fuit etc.. Interrogatus dixit, se nil scire de contentis in ipso articulo.

Item super decimo articulo qui incipit: Item quod in eo tanta fuerunt humilitatis etc.. Interrogatus respondit et dixit prout supra immediate.

Item super XI. articulo qui incipit: Item quod adeo frequens fuit etc.. Interrogatus dixit se nil scire de contentis in ipso articulo.

Item super XII. articulo qui incipit: Item quod corpus suum frequenter castigauit etc.. Interrogatus dixit vt supra immediate.

Item super XIII. articulo qui incipit: Item quod iura, bona, libertates etc.. Interrogatus respondit et dixit prout supra immediate t) depositione [ɔ: — is] articulo.

s) Vide supra p. 125.

t) Hic aliquid est prætermissum, forsan: "in præcedenti".

Digitized by Google

44. Item super XIV. articulo qui incipit: Item quod immensa dei bonitas etc.. Interrogatus et diligenter examinatus idem testis loquens respondit suo quo supra medio iuramento, et dixit, contenta in ipso articulo fore vera, causam scientie dicti sui reddens, quia hoc pro vero dici olim audiuit a fratre Swardo supra in primo depositionis sue articulo descripto, qui quidem frater Swardus dixit hoc pro certo audiuisse a fratre Nicolao Krok, qui quasi centenarius erat, quem etiam credidit longe antea vixisse vt [ɔ: et] veraciter [s]ciuisse dum hoc miraculum primo contigit eidem venerabili patri domino Brynolpho, quia ipse frater Nicolaus hoc miraculum in vigilia assumptionis beate Marie virginis dixit veraciter contigisse.

Item super XV. articulo qui incipit: Item cum cuidam nobili ad prandium etc.. Interrogatus dixit se nil inde scire.

Item super XVI. articulo qui incipit: Item quod cum quidam officialis etc.. Interrogatus respondit et dixit, se de contentis in dicto articulo nil scire.

Super XVII. articulo qui incipit: Item quod cum quidam miles Tornerus etc.. Interrogatus respondit et dixit prout immediate supra in tercio articulo; super aliis sequentibus dictorum articulorum articulis vsque ad vicesimum inclusiue, idem testis loquens seorsum et singilatim interrogatus et diligenter examinatus, respondit et dixit se de contentis in dictis articulis nichil scire.

Item super generalibus interrogatoriis supra scriptis sibi singilatim et wlgariter expositis, idem testis loquens interrogatus et diligenter examinatus, respondit, suo quo supra medio iuramento, et dixit, quod non, quia nulla alia de causa neque intentione predicta deposuit, vt dixit, nisi ad laudem et gloriam dei et ob deuotionem dicti beati Brynolphi et vt perhiberet, prout sciret, testimonium veritati. Item, idem testis interrogatus de populi deuotione et fama eiusdem venerabilis patris Brynolphi et miraculorum eius crebrescentia, respondit suo quo supra iuramento et dixit, quod tota terra in dyocesi Scarensi et aliunde confluit ad sepulcrum eius, reddens causam scientie sui dicti, quia diuersa fiunt ibi miracula, que sic vidit
45. et audiuit ab ibidem sanatis, tamen propter imprudentiam et ingratitudinem sanatorum non scribuntur neque manifestantur, docens et inducens hoc per miraculum quod contigit cuidam Tornero Skyta, armigero [u]), Scarensis dyocesis, qui cum exiret domum habitacionis dicti deponentis in crastino octauorum beatorum Apostolorum Petri et Pauli, anni immediate precedentis sanus et incolumis, et veniens in Skredelwnda [v]), parochie Herlwnda Scarensis dyocesis in ipsa nocte immediate sequenti factus est paraclitus in dextero latere, adeo quod nec transire vel ambulare, nec se de loco mouere poterat, neque loqui; et hoc intelligens dictus Tornerus, fecit se super equum suum reponi et veniens cum difficultate in domum dicti deponentis, (altera die immediate precedenti exierat), se de equo deponi fecit. Et cum per se loqui non posset nec valeret, coclear suum argenteum de pera sua arripiens, manu qua ipsum coclear tenebat versus Scarensem ecclesiam indicabat. Quod intelligens dictus deponens, ipse dictum paraclitum, et quidam sibi associatus, ad sepulcrum domini Brynolphi adduxerunt, qui quidem paraclitus mente vouens et corde eidem beato Brynolpho episcopo pro sui curatione vnam vaccam aut eius valorem, ipso tamen cocleari argenteo ibidem prius oblato, subito sanitati integre restitutus est. Sed immediate sequenti die plenam loquelam recepit, et tunc die sanationis incontinenti de sepulchro sine alio humano adminiculo rediit in domum suam, gratias deo referens et dicto venerabili patri Brynolpho cuiusdam [ɔ: condam] episcopo Scarensi, et nihilominus idem testis sic deponens ad tollendum omne dubietatis obstaculum, predictum miraculum per testes sufficientes coram nobis citatos, productos, iuratos et per nos interrogatos et diligenter examinatos, videlicet dominos Michaelem Gwimonis [ɔ: Gummonis] et Elawm Snenonis [ɔ: Suenonis] Canonicos Scarenses ac honestam matronam Margaritam relictam Ingemari cuiusdam ciuis Scarensis, qui de veritate dicti miraculi, eorum medio iuramento, cum dicto deponente per omnia concordant. Et tandem fuit isti testi iniunctum prout supra.

46. Sequitur [ɔ: -untur] depositiones reuerendi fratris nostri domini Brinolphi, moderni Episcopi Scarensis, super eodem.

Die, mense, loco, quibus supra, reuerendus in Christo frater noster, dominus Brinolphus episcopus Scarensis etatis sexaginta sex annorum vt dixit et etiam ex sue faciei inspectione verisimiliter apparebat, testis productus et iuratus et super primo dictorum articulorum articulo, qui incipit: In primis ponunt et probare intendunt, quod beatus Brynolphus olim episcopus Scarensis ex nobilibus etc.. Interrogatus et per nos diligenter examinatus, respondit idem testis loquens, suo primo medio iuramento, et dixit, contenta in dicto articulo fore vera, reddens causam scientie sui dicti, quia contenta in dicto articulo pro vero dici audiuit et ea pro vero didicit ex relati[oni]bus nobilium et notabilium personarum regni Swetie tempore sue iuuentutis, addens, quod pater dicti beati Brynolphi, dominus Algotus, miles magnificus vocabatur et legifer Vesgotie erat, dum in humanis egit, et de hoc dixit esse communem vocem et publicam famam.

Super secundo dictorum articulorum articulo, qui incipit: Item quod ipse Episcopus Brynolphus etc.. Interrogatus vt supra, respondit et dixit prout supra immediate.

u) Törner Skytte, prolocutor territorii Vilske, occurrit in literis an. 1383 et 1413 (orig. in Archivo regni).

v) Vicus Skrelunda adhuc exstat in eadem parochia.

Digitized by Google

Super tercio articulo, qui incipit: Item quod factus Episcopus x) Canonicus Scarensis etc.. Interrogatus et diligenter examinatus respondit, medio quo supra prestito iuramento, et dixit, contenta in ipso articulo esse vera, causam scientie sui dicti reddens, quia ex forma decreti sue electionis hoc didicit, quam inter alias formas dudum conscriptas dixit se inuenisse, et vbi vidit quia [ɔ: quod] tot erant anni a tempore sue electionis et ad electionem immeriti ipsius Episcopi successoris.

Super quarto articulo, qui incipit: Item quod de bonis ex dictis suis parentibus etc.. Interrogatus et diligenter examinatus idem testis loquens respondit, suo quo supra medio iuramento, et dixit, se tan- 47.
tum de contentis in hoc articulo scire, quod quinque prebendas de nouo fundauit, partim de episcopalibus iuribus et eius decimis, partim de prepositi Scarensis redditibus, qui videbantur sibi superhabundare, et defectum suppleuit in eis de bonis suis patrimonialibus, causam scientie sue assignans, quia quelibet illarum quinque prebendarum habet adhuc certum onus per ipsum specialiter annexum, videlicet anniuersarium pro se et parentibus suis, annis singulis singulariter exsoluendum.

Super quinto articulo, qui incipit: Item quod hiis que suo statui videbantur necessaria etc.. Interrogatus idem testis loquens respondit, quo supra suo medio iuramento, et dixit, contenta in ipso articulo fore vera, rationem reddens dicti sui de curia, seu grangia episcopali Fielakra, cum decem colonis et vltra per ipsum venerabilem patrem Brynolphum predecessorem dicti domini deponentis olim de bonis sui patrimonii mense Scarensis episcopi, qui pro tempore fuerit, applicata, et de aliis grangiis seu maneriis episcopalibus, in quibus residebat et in melius reformabat, Quod autem de nouo edificabat videlicet Sekkiestada, Biorsetra, Hwsabij, Lekkallwena y) et Biscopstorp z), insuper bona in Honetorp a), que vltra mille marcarum Swetie monete valorem extendunt, propriis emit facultatibus, et dicte mense episcopali episcopi Scarensis applicauit, et retulit se idem testis ad litteras in dictis bonis repertas, sanas, vt dixit, et omni suspicione carentes, desuper confectas et sigillis autenticis sigillatas, quas quidem litteras se idem testis habere dixit in fideli custodia reseruatas.

Super sexto articulo, qui incipit: Item quod saluti cleri sibi subiecti etc.. Interrogatus et diligenter examinatus idem testis loquens respondit, suo quo supra medio iuramento, et dixit, contenta in dicto ar- 48.
ticulo esse vera, causam scientie dicti sui reddens, quod fecit Statuta de officio chori Ecclesie Scarensis, secundum qui [ɔ: que] regitur et dirigitur, et ob hoc vt [ɔ: etiam] dicitur vulgariter Notula Brynolphi Quam quidem notulam ibidem coram nobis in quodam antiquo libro pergameni ipsius ecclesie Scarensis conscriptam produxit et oculata fide monstrauit. Dixit etiam idem testis loquens, quod in parochialibus seu ruralibus ecclesiis fecit statuta, qualiter curati se in suis officiis regant, et qualiter idem curati se erga parochianos suos modo et ordine debitis gerant. Fecit etiam statuta prime [ɔ: prouincie] videlicet Vesgotie, quibus layci erga clerum et e conuerso recto ordine dirigantur. In super fecit, vt idem testis loquens dixit, certum statutum super bonis decedentium clericorum Scarensis dyocesis, qualiter modo congruo diuidantur, referens se idem testis, super omnibus et singulis per eum in hoc articulo depositis, ad communem vocem et publicam famam, et quod contenta in ipso articulo sunt in clero et aliis Scarensis dyocesis publica, notoria et manifesta.

Super septimo articulo qui incipit: Item quod beatus Brinolphus arma hostis antiqui etc.. Interrogatus et diligenter examinatus idem testis loquens, suo quo supra medio iuramento, respondit et dixit, contenta in ipso articulo esse vera, referens se ad communem vocem et famam, et nihilominus, vt dixit, ad tollendum dubium, ne quidam crederent huiusmodi historiam Parisius factam, produxit coram nobis commissariis ambas hystorias de spinea corona domini, tam illam que Parisius facta dicitur, quam istam de qua in dicto articulo fit mentio. Et consequenter alias hystorias ibidem produxit et in medium produci fecit in ipso sexto dictorum articulorum articulo nominatas, ostendens oculata fide, semper eundem dictandi modum in omnibus huiusmodi hystoriis observatum, eo quod ipse venerabilis predecessor suus dominus Brynolphus in responsoriis semper vsus ricino [ɔ: ritmo] trimembri, et loco quarti membri, quod versus dici- 49.
tur, semper vt dixit solitus est ponere vnum metrum predicto trimembri ricino [ɔ: ritmo] in terminatione conforme. Et hoc ad oculum de iuravit [ɔ: demonstrauit] per singulas dictas hystorias transcurrendo, et sic fuisse et esse, prout supra deposuit, nosmet ipsi vidimus et audiuimus.

Super octauo articulo qui incipit: Item quod sanctus Brinolphus mirabilis patientie fuit etc.. Interrogatus et diligenter examinatus idem testis loquens dixit, quod credit contenta in dicto articulo esse vera, causam sue eredulitatis reddens, quia sic audiuit ab auia sua Estride, ante quadraginta annos, et semper postea a multis, et diuersis locis et temporibus, de quorum certis nominibus dixit non recordari, referens se nichilominus super contentis in dicto articulo ad communem vocem et famam.

Super nono articulo qui incipit: Item quod adeo fuit f[e]ruens etc.. Interrogatus et dili-

x) Lapsu irrepsit hoc vocabulum.
y) "Lekkallwena" sine dubio exstitit per contractionem duorum nominum, non vero "Lekkö, Kelwena", ut putat Lagerbring, sed potius "Lekkö, Liwena", ambo prædia episcopalia.
z) Forsan prædium Bestorp in paroecia Medelplana. Typographus Lubec. hic male impressit: Gistorpstorp, sicut etiam Giorseta paullo supra.
a) Hodie Höjentorp in paroecia Varnhem.

Digitized by Google

genter examinatus idem testis loquens respondit suo quo supra medio iuramento, et dixit se credere contenta in dicto articulo fore vera, causam sue credulitatis et scientie reddens, quia contenta in dicto articulo etiam a dicta sua auia prouecte etatis et probate vite pro vero didicerat, et etiam audiuerat multis retroactis temporibus tali modo, quod dictus beatus Brynolphus pro nutrice sua circa matrem suam humiliter intercessit, cui mater inquit: karissime fili, libenter volo sibi (!) indulgere quod ipsa sororem tuam intoxicauit, sed non libenter neque de facili dimittam sibi quod te simili intoxicatione perimere voluit, Que tandem dilecti filii precibus condescendens, dicte nutrici offensam huiusmodi indulsit. Interrogatus autem idem
50. testis loquens cuius etatis vel conditionis dicta Esdridis auia sua fuerat, dixit quod LXX. annorum etatis erat et vltra, et de nobili prosapia oriunda. Et vltra hoc dixit idem testis, quod postea contenta in hoc articulo immediate precedenti audiuerat a multis nobilibus et plebeis, diuitibus et pauperibus, diuersis locis et temporibus, Et de hoc dixit esse communem vocem et famam.

Super decimo articulo qui incipit: Item quod in eo tanta fuerunt humilitatis et pietatis insignia etc.. Interrogatus idem testis respondit et dixit, contenta in ipso articulo esse vera, referens se ad famam publicam et communem vocem.

Super vndecimo articulo qui incipit: Item quod adeo frequens fuit etc.. Interrogatus idem testis loquens dixit vt supra immediate.

Item super duodecimo articulo qui incipit: Item quod corpus suum frequenter castigauit etc.. Interrogatus et diligenter examinatus idem testis loquens, suo quo supra medio iuramento, respondit et dixit, contenta in dicto articulo fore vera, reddens causam scientie ex auditu dici, quia cum quidam cognatus beati Brinolphi dominus Tornerus miles, infra in decimo septimo articulo descriptus, suborta causa', famulos eiusdem beati Brynolphi diffidasset, et hec ad noticiam domini Brynolphi episcopi peruenisset, firmiter inter alia verba tale dedisse[t] responsum, vel ei simile in effectu: vim vi repellere licet. Demum cum vna dierum ad mensam sederet, quasi prandio iam peracto, venerunt quidam familiares sui, quibus ad mensam locatis, cum carnes iteratis vicibus manducare iussisset, nec vellent, curiosius sciscitatus est ab eis causam cur contra mandatum suum carnibus vti nollent. Tandem per eum percepto, quod miles prelibatus per eos esset interfectus, non mediocriter doluit, et nihilominus eis precepit, vt alimenta eis apposita in timore do-
51. mini manducarent. Ex tunc autem, vt dixit, quasi in signum penitentie super priori responso, ad nudam carnem semper cilicio vtebatur, et alias in artiori abstinentia domino seruiebat. Interrogatus idem testis loquens a quo per eum sic deposita audiuit dici, respondit, quod ea a dicta auia sua Estride et a domino Nicolao, cuiusdam [ɔ: condam] episcopo Scarensi predecessore suo pluries pro vero dici audiuit, sed de tempore vel loco dixit se non recordari distincte, quia diuersis et longe retroactis temporibus hoc audiuit.

Super tredecimo articulo qui incipit: Item, quod iura, bona, libertates etc.. Interrogatus et diligenter examinatus idem testis loquens respondit, suo quo supra medio iuramento, contenta in dicto articulo esse vera, reddens causam scientie ex auditu dici, quia cum idem venerabilis pater dominus Brynolphus ex nobilibus et potentioribus tocius regni Swecie esset oriundus et genitus, sibique vndecim essent fratres, milites strenui et potentes, Rex Magnus, dictus Laduslaas, qui iam Stokholmis, Upsalensis dyocesis dicitur choruscare miraculis, nescitur qua occasione recepta b), dictorum fratrum septem decollari fecit c). Quo per dictum beatum Brynolphum comperto, timens fortassis simili occasione et tanto presertim quia iura et libertates ecclesie solebat defendere a prefato domino rege, seu aliis assissinis d) verisimiliter supplantari, cedere ad tempus tanto furori consultius estimabat. Veniens proinde in Alwastrum, monasterii [ɔ: —um] Cisterciensis ordinis Lincopensis dyocesis postquam ibidem aliquamdiu pausam traxisset, melius recollectus ad sedem suam redire disposuit, iter arripiens per Vasten[as], vbi nunc situm est monasterium Sanctarum Marie et Birgitte, ordinis sancti Augustini, sancti Saluatoris nuncupati, Lincopensis dyocesis, et per-
52. cepto ibidem, quod a dicti Regis familiaribus letatnr (!) insequeretur, ventusque sibi contrarius reluctaretur, quo mediante stagnum, dictum Vether, satis latum et longum transfretari necesse haberet, videnque

b) Vix potuit bonus episcopus ignorare, quod plerisque annalibus notum fuerit, iram regis contra gentem Algotianam inde exortam, quod Fulco filius Algoti Brynulfi, legiferi Vestgotorum, an. 1288 vi abstulisset Ingridem filiam potentis Svantepolk Kanuti, quæ esset desponsata marescalco regis Daniæ, Davidi Torstani. Vide Eric. Olai (SS. rer. Suec. III. l. p. 68) et Annal. Sigtun. (in sect. priore). Annales quidem in SS. I. l. p. 63 et in Handl. rör. Skandin. Hist. XVII. p. 9 indicant an. 1287, sed eidem quoque anno ascribunt bellum Gutlandicum, quod meliores annales ad. an. 1288 referant.

c) Sine dubio hic rem ultra fidem examplificavit episcopus ad augendam gentis gloriam. Nam diplomata et annales solum septem nominant fratres, ex quibus unus tantum, Carolus, an 1290 fuerit decollatus (v. Eric. Olai et SS. rer. Suec. I. l. p. 26). Ceteri filii Algoti legiferi et uxoris eius, Margaretæ filiæ Petri (de qua v. Dipl. Suec. I. 468 et 573) erant Magnus, in bello Norvegico an. 1309 occisus (Handl. rör. Skand. Hist. XVII. p. 9 et Chron. Rhythm. vetus, ed. Klemming, vers. 3,074) — Röricus in Norvegia ante an. 1302 mortuus (Er. Olai et Dipl. Suec. II. p. 692), socer legiferorum Vestrogotiæ et Vermalandiæ, Kanuti Magnusson et Nicolai Björnsson, (l. c. III. p. 486). — Bryniulfus episcopus noster. — Fulco supra not. b. et p. 147, not. x memoratus — Petrus cancellarius regis Magni, quem in Norvegia exulem rex eius Ericus bis in Angliam pro legato misit (Munch, det Norske Folks Hist. IV. 2. p. 185 et 198—200). — Benedictus, sine dubio idem ac B. legifer Vestgotorum an. 1294—1305 commemoratus (Dipl. Suec. II. p. 181, 451 et pluribus locis).

d) Pro: assassinis; Gallice, assassins (sicarii).

Digitized by Google

se cum suis in tantis periculis constitutum, votum fecit beate Helene, speciali patrone Vesgotorum, quod si ab huiusmodi periculis euaderet, in dei et eius honorem specialem hystoriam compilaret, et subito prospero ductus vento venit ad ecclesiam dicte sancte Helene martiris in Skiodwe sue dyocesis, in vigilia assumptionis beate virginis e), et festum ipsius assumptionis cum debita solennitate et veneratione reuerenter peregit. Rex autem prefatus, cum tunc esset in castro suo Axewal personaliter constitutus, hoc percepto, venit ad eundem dominum Brynolphum quasi iam in virum alium melius reformatus, veniam ab eo humiliter postulans de offensis. Et ex tunc confederati, se mutuo in domino summopere diligebant. Dictus itaque testis, ad faciendum nobis plenam fidem de hystoria predicta, eam in medium produxit et occultata [ɔ: oculata] fide demonstrauit cuilibet intuenti. Que quidem hystoria sic incipit: Salue decus patrie, mater deo grata, ad laudem Vesgotie celitus donata f). Interrogatus a quibus hoc audiuerat, respondit prout immediate supra in articulo precedenti.

Item super decimoquarto articulo qui incipit: Item quod immensa dei bonitas volens ostendere etc.. Interrogatus vt supra dixit, contenta in eo fore vera, referens se ad communem vocem et publicam famam, et nichilominus maiorem reddens causam sue scientie dixit, se contenta in ipso articulo a seniori domino Nicolao, cuiusdam [ɔ: condam] Episcopo Scarensi et aliis eiusdem ecclesie tunc prelatis, et specialiter a domino Dagero cuiusdam [ɔ: condam] Archidyacono Scarensi per [ɔ: pro] veritate pluries audiuisse.

Item super quindecimo articulo qui incipit: Item cum cuidam nobili ad prandium etc.. Interrogatus vt supra idem testis loquens dixit, contenta in ipso articulo esse vera, reddens causam scientie sui dicti, quia contenta in ipso articulo a reuerendo fratre suo domino Canuto, episcopo Lincopensi se dixit veraciter audiuisse, qui quidem dominus Lincopensis dixit, se hec a patre suo domino Boecio Boecii g), cuiusdam [ɔ: condam] milite magnifico et conciliario Regni Swecie. Interrogatus de tempore et de loco dixit, quod o[p]pido Arbogensi, Arosiensis et Strengensis dyocesis tempore prouincialis concilii ibidem per eos alias celebrati h). 53.

Item super decimosexto articulo qui incipit: Item quod cum quidam officialis beati Brynolphi etc.. Interrogatus dixit, quod credit contenta in ipso articulo fore vera, super causam credulitatis sue referens ad nonnullas sorores in supradicto Monasterio Vastenensi a quibus se dixit huiusmodi contenta veraciter audiuisse.

Item super decimoseptimo articulo qui incipit: Item quod quidam miles Tornerus Cryda etc.. Interrogatus et diligenter examinatus idem testis loquens dixit, contenta in hoc articulo esse vera, et ea pro veritate audiuisse a tempore iuuentutis sue: postquam ad annos discretionis peruenit, pluries et iterum a nobilibus et aliis audiuisse, et quod de contentis huiusmodi est publica vox et fama.

Item super decimo octauo articulo qui incipit: Item quod beatus Brinolphus super quodam iuuene ceco etc.. Interrogatus vt supra dixit, se hoc pro vero didicisse et audiuisse ab auunculo suo, domino Olauo Olaui, curato in Swndh i), Scarensis dyocesis qui erat septuaginta annorum etatis et vltra, ante plures annos, et postea a multis aliis quorum nomina aut in quibus locis dixit se non recordari.

Item super XIX articulo qui incipit: Item quod plurima de virtutum et meritorum etc.. Interrogatus et diligenter examinatus idem testis loquens respondit, suo quo supra medio iuramento, et dixit, contenta in ipso articulo fore vera, causam reddens scientie dicti sui, quia idem testis cum esset in minoribus constitutus ad informandum auum suum de et super fama et vita laudabili huius venerabilis patris Brynolphi predecessoris sui, quendam dominum curatum Nicolaum, videlicet in Torestorp k) Scarensis dyocesis tunc etatis quasi annorum octoginta personaliter visitauit. Qui quidem dominus Nicolaus inter multa alia dixit eidem testi contenta in isto articulo fuisse et esse vera, reddens ei causam scientie sui dicti, quia dictus dominus Nicolaus dictum dominum Brynolphum vidit et cum eo multoties est conuersatus et ab eodem domino Brynolpho decanus ordinatus. Interrogatus de tempore et de loco dixit, quod ante XXXVI. annos apud dictam ecclesiam Torestorp. 54.

Item super vicesimo dictorum articulorum articulo qui incipit: Item quod anno domini millesimo tricentesimo decimoseptimo etc.. Interrogatus et diligenter examinatus, idem testis loquens dixit, contenta in dicto articulo esse vera, et ad reddendum causam scientie dicti (!) sui dicti produxit kalendarium sue Scarensis ecclesie in medio coram nobis, in quo continebantur tempora obitus diuersorum episcoporum et aliorum prelatorum Scarensium inter quos quidem obitus in dicto Marti[ro]logio seu kalendario, videlicet in

e) Id est d. 14 Aug. Observandum tamen est, Brynolphum adhuc d. 11. Sept. an. 1288 Holmiæ consignasse literas ab ipso rege editas et primum mense Decembri literas dedisse, quibus promittit, se fratribus auxilium non daturum (Dipl. Suec. II. p. 60, 63, 66 et 67).

f) Hymnus sic incipiens in omnibus codicibus in præfatione ad n. XII enumeratis exstat.

g) De illustri gente "Natt och Dag"; Boecius avunculus erat famosi dapiferi Boecii Johannis infra (not. t) memorati.

h) Anno 1412, in Septembri.

i) Hodie Sunne in Vermalandia, que tunc Scarensis diocesis erat.

k) Hodie Thorstorp in territ. Mark.

Digitized by Google

ıoco vbi scribitur, Septimo ydus Februarii l), in antiqua scriptura ipsius libri omnino dissimili et diuersa, videlicet hec verba: Obitus venerabilis domini Brynolphi Scarensis Episcopi Anno domini MCCCXVII.

55. Item super generalibus interrogatoriis supra scriptis interrogatus et per nos diligenter examinatus, idem testis loquens respondit et dixit per omnia prout supra in depositione primi testis. Item singulariter interrogatus et diligenter requisitus de fama, deuotione populi et aliis, idem testis loquens dixit se vestris sacrosanctis auribus de interrogatis huiusmodi iam dudum per suas patentes litteras intimasse: et tandem fuit isti testi loquenti iniunctum prout supra.

Sequitur depositio venerabilis viri domini Torkilli, prepositi Scarensis m) testis sexti.

Die Mercurii, mensis Aprilis predicti, in loco quo supra, venerabilis et circumspectus vir dominus Torkillus prepositus Scarensis etatis annorum quinquaginta, vt dixit, et etiam ex sue faciei inspectione verisimiliter apparuit, testis productus, iuratus, et super primo dictorum articulorum articulo, qui incipit: In primis ponunt et probare intendunt quod beatus Brinolphus etc.. per nos Commissarios prelibatos interrogatus et diligenter requisitus et examinatus respondit idem testis loquens, suo medio iuramento, et dixit, contenta in dicto articulo fore vera, reddens scientie sue causam quia pater eiusdem domini Brynolphi dominus Algotus, miles et legifer Vesgotie nominabatur, dicebatur, habebatur et reputabatur; et de ecclesia interrogatus dixit, quod de contentis in ipso articulo est communis opinio et assertio parochianorum et tutorum eiusdem ecclesie et aliorum circumuicinorum, et quod de eis est communis vox et fama.

Super secundo articulo qui incipit: Item quod ipse Episcopus Brynolphus etc.. Interrogatus vt supra idem testis loquens respondit se veritatem illius articuli pluries audiuisse a domino Nicolao cuiusdam
56. [ɔ: condam] Episcopo Scarensi et domino Dagero, quondam Archidyacono ecclesie Scarensis et aliis multis notabilibus viris et personis in diuersis locis.

Super tercio articulo qui incipit: Item quod factus canonicus Scarensis etc.. Interrogatus dixit, contenta in eo fore vera, referens se ad plures autenticas litteras in ecclesia Scarensi repertas, quas manibus tenuerat, viderat et legerat, tempora sui regiminis laudabiliter distinguentes.

Item super decimoquarto [ɔ: quarto] articulo qui incipit: Item quod de bonis ex dictis suis parentibus legittime acquisitis etc.. Interrogatus idem testis loquens dixit, contenta in dicto articulo esse vera, quia ea audiuit a senioribus suis et specialiter a domino Jacobo quondam Canonico Scarensi, ita quod in parte fundauit eas de propriis, et in parte de redditibus mense episcopalis et ipsius prepositi Scarensis, et super hoc dixit se scire, habere et manutenere certas litteras autenticas in se fundationem et ordinationem huiusmodi plenius continentes. Interrogatus de etate dicti sui domini Jacobi, respondit, quod credit eum fuisse presbiterum ordinatum, antequam ipse testis deponens sit natus, quia sic cum dicto domino Jacobo alias computauit.

Super quinto articulo qui incipit: Item quod hiis que suo statui necessaria etc.. Interrogatus dixit, contenta in ipso articulo esse vera, et quod ea pro veri[tate] audiuit a domino Brynolpho Episcopo Scarensi et Berone Knap, ecclesie Scarensis Canonico.

Super sexto articulo qui incipit: Item quod saluti cleri sibi subiecti etc.. Interrogatus dixit, contenta in eo esse vera, et quod ea pro veritate audiuit a supradicto domino Jacobo, qui dixit se hoc audi-
57. uisse a domino Johanne Smella, quondam sacrista ecclesie Scarensis, causam sui dicti reddens, quia in ciuitate Scarensi per duos annos continuos idem testis deponens cum domino Jacobo morabatur, quibus eum audiuit hec et alia in mensa sua dicere et narrare pro veritate.

Super septimo articulo qui incipit: Item quod beatus Brynolphus arma hostis etc.. Interrogatus idem testis loquens dixit, contenta in eo esse vera, referens se ad libros ecclesie Scarensis, in quibus huiusmodi hystorie taliter intitulate lucide continentur, et de hoc dixit fuisse et esse communem vocem et famam publice, notorie et manifeste.

Super octauo articulo qui incipit: Item quod sanctus Brynolphus mirabilis patientie fuit etc.. Interrogatus respondit vt supra dixit ad sextum articulum.

Super nono articulo qui incipit: Item quod adeo fuit feruens etc.. Interrogatus dixit, quod credit contenta in dicto articulo esse vera, causam sue credulitatis assignans, quia contenta ipsa a senioribus capituli Scarensis primo audiuit, et postea a retroactis quatuor annis etiam dixit se pluries audiuisse ex dictis plurium notabilium personarum.

Super decimo articulo qui incipit: Item quod in eo tanta fuerunt humilitatis etc.. Interrogatus dixit prout supra immediate.

Item super XI. articulo qui incipit: Item quod adeo frequens fuit in ieiuniis etc.. Interrogatus dixit, se tantum de contentis in dicto articulo pro vero audiuisse, quod libenter ieiunabat, sed vtrum singulis sextis feriis, dixit sibi non constare.

l) I. c. die 7 Febr. Sed dies 6 Febr., ut legitur supra p. 14 et infra p. 70 (veteris editionis) præferendus videtur, quia tunc dies anniversarius Brynolphi celebrabatur.

m) Sine dubio idem ac dominus Torkillus, cui versio Suecana huius vitæ Brynolphi tribuitur.

Digitized by Google

Item super XII. articulo qui incipit: Item quod corpus suum frequenter castigauit etc.. Interrogatus dixit prout supra immediate ad X. articulum.

Item super tredecimo articulo qui incipit: Item quod iura, bona et libertates etc.. Interrogatus di- 58.
xit prout supra in sexto sue depositionis articulo.

Super decimoquarto articulo qui incipit: Item quod immensa dei bonitas etc.. Interrogatus idem testis loquens dixit, contenta in ipso articulo fore vera, causam scientie reddens, quia contenta in ipso articulo audiuit pro vero dici a fratre S[ig]wardo, quondam conuentuali fratrum minorum Scarensium et quod de fonte ipsorum fratrum minorum propter sui claritatem aqua illa fuisset allata, et de hoc tam in eodem monasterio quam ciuitate et dyocesi Scarensi est communis opinio et publica vox et fama.

Item super quindecimo articulo qui incipit: Item cum cuidam nobili ad prandium etc.. Interrogatus dixit, contenta in dicto articulo esse vera, causam scientie reddens, quia sic a domino Kanuto, Episcopo Lincopensi, Arbogis in Sacrist[i]a parochialis ecclesie audiuit dici, qui hoc manifeste ibi dixit in capitulo prouinciali, coram dominis et patribus congregatis addens, quod hoc audiuit a patre suo domino Boetio milite n), et quod auus suus o) fuisset minister dicti beati Brynolphi et continuus commensalis ad plures annos.

Super decimosexto articulo qui incipit: Item quod cum quidam officialis etc.. Interrogatus dixit prout supra in nono sue depositionis articulo.

Super decimoseptimo articulo qui incipit: Item quod cum quidam miles Tornerus etc.. Interrogatus dixit contenta ibidem esse vera, causam reddens scientie sui dicti, quia sic ea pro veri[tate] et vt vera audiuerat a domino Ingeldo canonico Scarensi.

Super decimooctauo articulo qui incipit: Item quod beatus Brynolphus super quodam iuuene ceco etc.. Interrogatus dixit prout supra in nono sue depositionis articulo.

p) Interrogatus idem testis loquens dixit, se tantum de hoc scire prout ex concapitularibus suis au- 59.
diuerat et contenta in ipso articulo pro veris reputat et ipsa credit esse vera, causam sue reputationis et credulitatis dicens, quia cum modernus dominus Brynolphus Scarensis Episcopus primam missam suam episcopalem in Scarensi celebraret ecclesia, eadem ceca, de qua infra in vicesimoprimo articulo latius continetur, meritis et virtute beati Brynolphi illuminata est, post cuius illuminationem de mandato eiusdem domini Episcopi moderni super vita et miraculis colligendis facta est maior diligentia, que quidem miracula ex post creuerunt et augebantur in dies et adhuc crescere non desinunt nec augeri prout pater dixit cuilibet intuenti. Interrogatus idem testis de tempore, respondit se non habere menti, quia tunc temporis erat in studio Erfordensi q).

Super vicesimo articulo qui incipit: Item quod anno domini millesimo tricentesimo quadragesimo secundo [ɔ: decimo septimo] etc.. Interrogatus dixit se hoc verum scire et vidisse ex inspectione kalendarii ecclesie Scarensis.

Item super generalibus interrogatoriis interrogatus idem testis loquens dixit prout et quem ad modum supra in depositione primi testis per omnia continetur. Et tandem fuit isti testi iniunctum prout supra.

Seq[u]untur attestationes domini decani Scarensis.

Eodem die Mercurii nobilis et circumspectus vir dominus Karulus Oddonis r), Decanus Scarensis, etatis quadraginta quatuor annorum productus, iúratus et super primo dictorum articulorum articulo qui incipit: In primis ponunt et probare intendunt etc.. Interrogatus et diligenter per nos requisitus et examinatus idem testis loquens, respondit suo primo medio iuramento et dixit, contenta in dicto articulo 60.
fore vera, referens se ad communem vocem et famam.

Super secundo articulo interrogatus dixit prout supra immediate.

Super tercio articulo similiter interrogatus dixit provt supra immediate.

Super quarto articulo qui incipit: Item quod de bonis ex dictis suis parentibus etc.. Interrogatus idem testis loquens respondit, contenta in dicto articulo fore vera, quia omnes quinque prebendas primo de propriis fundauit et postea de redditibus ecclesie augmentauit. Interrogatus de causa scientie retulit se ad communem famam.

Super quinto articulo qui incipit: Item quod hiis que suo statui necessaria etc.. Interrogatus dixit, contenta in ipso articulo esse vera, quia grangiam bonam dictam Fielakra de bonis patrimonialibus mense

n) Cfr. supra p. 157, not. g. et h.

o) Avus paternus episc. Kanuti erat Boetius Nicolai, miles, consiliarius et legifer Ostrogotiæ, maritus Ceciliæ, filiæ Kanuti Johannis legiferi Ostrogotiæ et dapiferi de gente "Blå" appellata.

p) Hic prætermissa sunt verba: "Item super XIX. articulo, qui incipit: Item quod plurima de virtutum et meritorum etc.."

q) In matricula Universitatis Erfordensis legitur ad an. 1405 Dominus Thorkillus Tostonis prepositus Scarensis in regno Swecie.

r) De gente, nomine prædii Winsatorp in Vestro-Gotia appellata; cfr. eius sigillum in "Riks-Arch. Perg. bref, II. n. 2849".

Digitized by Google

episcopi Scarensis contulit perpetuis temporibus possidendam. Interrogatus de causa scientie dixit, de hoc fuit et est communis vox et fama.

Super sexto articulo qui incipit: Item quod stulti [ɔ: saluti] cleri sibi subiecti etc.. Interrogatus dixit, contenta in dicto articulo esse vera, referens se ad communem famam.

Super septimo articulo dixit prout supra immediate.

Super octauo articulo qui incipit: Item quod sanctus Brynolphus Episcopus mirabilis patientie fuit etc.. Interrogatus et diligenter examinatus idem testis loquens respondit et dixit, contenta in ipso articulo
61. esse vera, quia, sicut a senioribus suis audiuerat, pro fame sacianda illorum fermium [ɔ: vermium] frequenter vsus fuit pane [h]ordeaceo, dum dicti fermes [ɔ: vermes] eum ceperint primere et torquere.

Super nono articulo interrogatus dixit se nil scire.

Super decimo articulo qui incipit: Item quod in eo tanta fuerunt humilitatis etc.. Interrogatus dixit prout supra in primo sue depositionis articulo.

Super vndecimo articulo qui incipit: Item quod adeo frequens fuit in ieiuniis etc.. Interrogatus idem testis loquens dixit, contenta in dicto articulo fore vera, causam scientie reddens, quia sic a domino Brynolpho, quondam Curato in Vingh s), Scarensis dyocesis, viro mature etatis, videlicet septuaginta annorum. Interrogatus de tempore et loco respondit, se non recordari, quia a multis aliis nobilibus viris et notabilibus personis postea audiuerat, super hoc referens se ad communem famam.

Super duodecimo articulo qui incipit: Item quod corpus suum frequenter castigauit etc.. Interrogatus dixit, contenta in dicto articulo esse vera, quia sic audiuit a domino Heinrico, curato in Torestorp, qui octogenarius erat ante XX. annos proxime preteritos.

Super tredecimo articulo qui incipit: Item quod iura, bona, libertates etc.. Interrogatus dixit prout supra in primo sue depositionis articulo, mentionem nihilominus faciens de persecutione domini regis qui pro tempore erat, et quod pro bono ecclesie et propter deum hec sustinuit.

Super decimo quarto articulo qui incipit: Item quod immensa dei bonitas etc.. Interrogatus dixit prout supra in primo articulo.

62. Super XV. articulo qui incipit: Item cum cuidam nobili ad prandium etc.. Interrogatus dixit contenta in ipso articulo fore vera, quia hoc dixit se audiuisse pro vero olim in curia domini Johannis Boëtii t) qui in regno Swetie, dum in humanis ageret, maior erat post regem, qui etiam semper consueuit se dapiferum regni Swetie scribere et nominare, et sic ab omnibus ipsum cognoscentibus nominabatur, et postea ab aliis personis notabilibus hoc dixit se pluries audiuisse.

Item super XVI. articulo qui incipit: Item quod cum quidam officialis beati Brynolphi etc.. Interrogatus dixit vt supra in primo sue depositionis articulo, addens, quod illud miraculum contigit in ciuitate Scarensi.

Super XVII. articulo qui incipit: Item quod cum quidam miles Tornerus etc.. Interrogatus respondit et dixit vt prout (!) supra immediate in XV. articulo.

Super XVIII. articulo interrogatus dixit vt supra in primo sue depositionis articulo.

Super XIX. articulo qui incipit: Item quod plurima de virtutum etc.. Interrogatus dixit, contenta in eodem articulo fore vera, probans hoc per quotidianam experientiam et dicens, quod miserie huius regni nondum finem receperunt.

Super XX. articulo qui incipit: Item quod anno domini MCCCXVII. etc.. Interrogatus dixit contenta in ipso articulo fore vera, quia sic inuenit scriptum in Breuiario suo, qui [ɔ: quod] sicut idem deponens dixit, scriptus [ɔ: -um] erat antequam ipse natus erat, et similiter dixit se inuenisse scriptum in quadam Cronica.

Item super generalibus interrogatoriis supra scriptis idem testis interrogatus et per nos diligenter examinatus respondit per omnia sicut primus testis, et tandem fuit isti testi iniunctum etc.. prout supra.

63. Depositio domini Beronis Knap Canonici Scarensis.

Eodem die Mercurii honorabilis vir dominus Bero Knap, Canonicus Scarensis etatis L annorum et vltra, prout dixit, et ex sue faciei inspectione verisimiliter apparebat, productus, iuratus et super primo dictorum articulorum articulo qui incipit: In primis ponunt et probare intendunt, quod beatus Brynolphus etc.. Interrogatus et per nos diligenter examinatus idem testis loquens respondit suo primo medio iuramento et dixit, contenta in ipso articulo fore vera, causam reddens scientie sui dicti, quia per tempus et tempora quibus ipse testis moratus fuit cum domino Nicolao cuiusdam [ɔ: condam] Episcopo Scarensi videlicet per XII. annos continuos audiuit contenta huiusmodi inter alia ab eo pro veritate dici, et hoc etiam postea audiuit ab aliis quam pluribus (ɔ: plurimis) clericis et laicis, diuersis tamen locis et temporibus, addens, quod dictus dominus Nicolaus Episcopus erat LX. annorum et vltra, cum premissa contenta ab eo audiuit.

Super secundo articulo idem testis interrogatus, suo quo supra medio iuramento, [respondit] et dixit prout supra immediate.

s) Vide supra p. 114, not. q.

t) Lege: Boecii Johannis (cfr. supra, not. f).

Digitized by Google

Super tercio articulo qui incipit: Item quod factus Canonicus Scarensis etc.. Interrogatus idem testis loquens dixit, contenta in dicto articulo esse vera, quia sic a domino Ingemaro, quondam Canonico Scarensi et curato ecclesie Skndwe [ɔ: Sködwe], Scarensis dyocesis, viro magne maturitatis et deuotionis, qui ante XXX annos proxime preteritos erat sexagenarius et vltra, et alias a dicto domino Nicolao Episcopo dixit se veraciter didicisse et ab eis audiuisse.

Super quarto articulo qui incipit: Item quod de bonis ex dictis suis parentibus etc.. Interrogatus idem testis loquens dixit suo quo supra medio iuramento, contenta in dicto articulo fore vera, causam scientie reddens, quia pauce prebende fuerunt prius in ecclesia Scarensi, sed ipse beatus Brinolphus hoc con- 64.
siderans, partim recipiens de propriis, partim de prepositura Scarensi et partim de mensa episcopali, eisdem prebendis per eum, vt premittitur, fundatis prout singulis expedire nouerat applicauit, et dixit, se hoc a dicto domino Nicolao Episcopo Scarensi et a domino Dagero cuiusdam [ɔ: condam] Archidyacono Scarensi quasi octogenario veraciter audiuisse, et de hoc, vt dixit, est publica vox et fama.

Super quinto articulo qui incipit: Item quod hiis que suo statui necessaria etc.. Interrogatus dixit, contenta in ipso articulo esse vera, causam reddens scientie sui dicti de grangia Episcopi Fielakra cum coloniis adiacentibus, quam mense Episcopi Scarensis applicabat, vt [ɔ: et] dixit se hoc de dicto domino Nicolao Episcopo sepius audiuisse.

Super sexto articulo qui incipit: Item quod saluti cleri sibi subiecti etc.. Interrogatus dixit prout immediate supra in primo articulo.

Super VII. articulo qui incipit: Item quod beatus Brinolphus arma hostis etc.. Interrogatus dixit prout immediate supra in tercio articulo.

Super VIII. articulo qui incipit: Item quod sanctus Brinolphus mirabilis pacientie etc.. Interrogatus dixit prout supra immediate.

Super IX. articulo qui incipit: Item quod adeo fuit feruens caritate etc.. Interrogatus dixit prout supra immediate.

Super X. articulo qui incipit: Item quod in eo tanta fuerunt humilitatis etc.. Interrogatus dixit prout immediate supra in primo articulo.

Super XI. articulo qui incipit: Item quod adeo frequens fuit in ieiuniis etc.. Interrogatus dixit prout immediate supra in tercio articulo. 65.

Super XII. articulo qui incipit: Item quod corpus suum frequenter castigauit etc.. Interrogatus dixit se nil inde scire.

Super XIII. articulo qui incipit: Item quod iura, bona, libertates etc.. Interrogatus dixit prout immediate supra in primo articulo.

Super XIIII. articulo qui incipit: Item quod immensa dei bonitas etc.. Interrogatus dixit prout immediate supra.

Super XV. articulo qui incipit: Item cum cuidam nobili ad prandium etc.. Interrogatus dixit prout supra immediate.

Super XVI. articulo qui incipit: Item quod cum quidam officialis etc.. Interrogatus dixit prout supra immediate, addens, quod hoc contigit Scaris in ecclesia cathedrali et pu[e]ro curiosius exploranti precepit attente, ne cuiquam quod audiuerat intimaret.

Super XVII. articulo qui incipit: Item quod cum quidam miles Tornerus etc.. Interrogatus dixit, se scire contenta in ipso articulo per communem vocem et famam fuisse et esse vera.

Super XVIII. articulo qui incipit: Item quod beatus Brinolphus super quodam iuuene etc.. Interrogatus dixit se nil inde scire.

Super XIX. articulo qui incipit: Item quod plurima de virtutum et meritorum etc.. Interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, quia rerum experientia sic ostendit et ea probat.

Super XX. articulo qui incipit: Anno domini MCCCXVII. etc.. Interrogatus dixit sic continere [ɔ: -i] in Kalendario Ecclesie Scarensis.

Item super generalibus interrogatoriis supra scriptis suo ordine interrogatus et diligenter examinatus respondit idem testis loquens, suo quo supra medio iuramento, et dixit per omnia sicut primus testis. Et tandem fuit isti testi iniunctum prout supra.

Sequuntur Attestationes honorabilis viri domini Swenonis Johannis, Canonici Scarensis, septimi testis. 66.

Eodem die et mense, honorabilis vir dominus Sweno Johannis, Canonicus Scarensis, quinquaginta annos etatis habens, vt dixit, productus, iuratus et super primo dictorum articulorum articulo qui incipit: In primis ponunt et probare intendunt etc.. Interrogatus et per nos diligenter examinatus idem testis loquens respondit, contenta in dicto articulo fore vera, causam scientie assignans, quia progenies eius olim vocabatur et hodie apud omnes nobiliores et potentiores regni Swecie vocatur Folkunga Slekt, quod adhuc

Digitized by Google

vt dixit, hodie apparet in domino Algoto Magni, Barone potenti, qui in tercio gradu consanguinitatis ab eodem patre beati Brinolphi descenderat u). Interrogatus de ecclesia Ryda, respondit, quod cum vna dierum pro reconciliando cimiterio ibidem per dominum Scarensem missus esset, audiuit ibi a tutoribus eiusdem ecclesie et aliis parochianis, contenta in ipso articulo esse vera. Interrogatus de tempore dixit, quod de anno domini MCDI. circa festum beati Michaelis.

Super secundo articulo qui incipit: Item quod ipse Episcopus Brynolphus deuotorum parentum etc.. Interrogatus et diligenter examinatus idem testis loquens [respondit], suo quo supra medio iuramento, et dixit, se de contentis in dicto articulo tantum scire, quod ipse beatus Brynolphus primo erat in studio Parisiensi IX. annis, et inde veniens [ɔ: -tem] in castrum Bagahws, v) Asloensis dyocesis dominus Rex qui pro tempore erat, prouiso de expensis congruis ad alios IX. annos ipsum remisit ad studium Parisiense predictum. Interrogatus de causa scientie, dixit se hoc audiuisse a Scolastico suo domino Johanne Hwite, cuiusdam [ɔ: condam] Canonico Scarensi, qui LXXX. annorum erat dum egit in humanis.

67. Super tercio articulo qui incipit: Item quod factus Canonicus Scarensis etc.. Interrogatus dixit contenta in ipso articulo fore vera et ea dixit se pro veritate audiuisse a fratre Swardo w) de ordine fratrum minorum, cum semel de Scaris versus Vestens [ɔ: Vadstenas] simul peregre ambularent, qui quidem frater tunc octogenarius erat Dictus erunt testis vt dixit Dyaconus x). Sed quod tam diu rexit ecclesiam Scarensem hoc dixit se a domino Olauo, quondam curato in Bagaswndh, y) septuagenario, dum penes eum in sua mensa resedit, ante multos annos veraciter audiuisse.

Super quarto articulo qui incipit: Item quod de bonis ex dictis suis parentibus etc.. Interrogatus idem testis loquens dixit, quod in parte fundauit eas de propriis, in parte de decimis episcopalibus, et in parte de decimis prepositi, et quod sic scit et audiuit a quampluribus fidedignis viris et suis senioribus, addens, que [ɔ: -od] veritatem contentorum in dicto articulo probat rei euidentia in multis locis.

Super quinto articulo qui incipit: Item quod hiis que suo statui necessaria videbantur etc.. Interrogatus dixit, contenta in dicto articulo per rei euidentiam et experientiam fore vera; et quod de eis est communis vox et fama.

Super VI. articulo qui incipit: Item quod saluti cleri sibi subiecti etc.. Interrogatus dixit pro ut supra immediate.

Super VII. articulo qui incipit: Item quod beatus Brynolphus arma hostis antiqui etc.. Interrogatus dixit, quod de edificiis et hystoriis est oculata et vera fides cuilibet intuenti, quodque de contentis in dicto articulo est communis vox et fama publice, notorie, et manifeste.

Super VIII. articulo qui incipit: Item quod sanctus Brynolphus mirabilis pacientie fuit etc.. In-
68. terrogatus dixit, contenta in ipso articulo fore vera, quia sic a iuuentute sua se dixit veraciter didicisse et a quam pluribus suis senioribus diuersis locis et temporibus audiuisse.

Super IX. articulo qui incipit: Item quod adeo fuit feruens etc.. Interrogatus dixit, contenta in dicto articulo esse vera, quia sic ante multos annos a quodam Nicolao, viro annoso et circumspecto, qui quondam erat prouisor curie episcopalis in Sakilstade, z) tempore domini Nicolai, quondam episcopi Scarensis, se dixit pro vero audiuisse.

Super X. articulo: Item quod in eo tanta fuerunt humilitatis etc.. Interrogatus dixit contenta in dicto articulo esse vera per communem vocem et famam.

Super XI. articulo qui incipit: Item quod adeo frequens fuit in ieiuniis etc.. Interrogatus dixit vt supra immediate, addens, quod vbicumque idem testis inter bonos et graues amicos ad prandium vocari solebat, frequenter audiuit vulgariter dici de contentis in dicto articulo: sic et sic solebat facere pater noster Brynolphus dum agebat in humanis.

Super XII. articulo qui incipit: Item quod corpus suum frequenter castigauit etc.. Interrogatus respondit idem testis loquens et dixit quod de cordulis non audiuerat, sed quod ciliciis utebatur, hoc audiuit a domino Dagero quondam Archidyacono Scarensi tunc octogenario et vltra, qui, vt dixit, mortuus est ante viginti annos.

Super XIII. articulo qui incipit: Item quod iura, bona, libertates etc.. Interrogatus idem testis dixit, contenta in dicto articulo fore vera et quod ad [ɔ: ob] indignationem domini regis pro tempore existentis aliquamdiu cessit, allegans causam scientie sui dicti fuisse et esse de hoc communem vocem et publicam famam.

u) Algot Magnusson Sture (de gente, quæ in armis fert tres nymphæas), patrem habuit Magnum Anundsson Sture, militem et consiliarium, qui vocatur gener a fratribus Haquino milite et Magno canonico, filiis cuiusdam Algoti Magnusson (R.-Arch.Perg.bref, n. 461). Quia Haquinus Algotsson gerit caput gryphi in sigillo sicut Kanutus Folkason (vide supra p. 147, not x), verisimile est Algotum et Kanutum fuisse patrueles natos ex fratribus Magno et Fulcone, filiis Algoti legiferi (de quibus vide supra p. 156, not b. et c.). Series igitur genealogica fit: Algot legifer — Magnus Algotsson — Algot Magnusson — [Katerina, secundum Bure et Stiernman] Algotsdotter — Algot Magnusson Sture.

v) Hodie Bohus apud "Götaälf" in præfectura Gotoburgensi.

w) Rectius "Sigwardo" infra in pagg. 69 et 77.

x) Corruptus textus, forsan pro: Dictus erat, ut testis dixit, Dyaconus.

y) Postea Bogesund, hodie oppidum Ulricehamn. Olauus curat. in B. comparet an. 1385 in R.-Arch. Perg. bref, n. 2160.

z) Vide supra p. 150, not. l.

Digitized by Google

Super XIIII. articulo qui incipit: Item quod immensa dei bonitas etc.. Interrogatus dixit contenta in dicto articulo fore vera, quia sic audiuit dici pro vero a dicto fratre Sigwardo, ita quod aqua illa ferebatur in puteo fratrum minorum Scarensium. Interrogatus de tempore et de loco, in quibus contenta dici audiuit, dixit, quod in domo dicti domini Jacobi, quondam Canonici Scarensis ante plures annos. 69.

Super XV. articulo qui incipit: Item cum cuidam nobili ad prandium etc.. Interrogatus idem testis loquens dixit, contenta in dicto articulo esse vera, causam reddens scientie sui dicti, quia sic audiuit pro veritate dici a domino Canuto Episcopo Lincopensi in ciuitate Wastenensi in domo habitationis eiusdem domini Lincopensis eo tempore, quo fiebant ibidem exequie sororis sue quondam vxoris domini Algoti militis a) et hoc in estuario suo, cunctis ibidem ad mensam audientibus. Qui quidem dominus Lincopensis tunc etiam dixit, quod auus suus b) fuerat minister dicti domini Brynolphi et sibi longo tempore, dum in iuuenili etate constitutus erat, seruierat; a quo quidem auo pater noster eiusdem domini Lincopensis quondam miles inclitus dicta contenta audiens, retulit ea eidem domino Lincopensi.

Super XVI. articulo qui incipit: Item quod cum quidam officialis beati Brynolphi etc.. Interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, dicens hoc communiter audiuisse per famam publicam notoriam et manifestam, addens etiam, quod istud miraculum factum est Scaris in festo natiuitatis beate virginis, vel circa.

Super XVII. articulo qui incipit: Item quod cum quidam miles Tornerus etc.. Interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, seque ea pro veritate et vt vera audiuisse per tempus et tempora quibus vixerat a tempore iuuentutis.

Super XVIII. articulo qui incipit: Item quod sanctus Brynolphus super quodam iuuene etc.. Interrogatus dixit prout supra immediate. 70.

Super XIX. articulo qui incipit: Item quod plurima de virtutum et meritorum etc.. Interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, causam scientie reddens, quia pluries a dicto domino Jacobo audiuit dici, quod longe post obitum dicti beati Brynolphi plerique clerici de Scarensi dyocesi mortui sunt, adeo quod vix in tota ipsa dyocesi XXXIIII presbiteri remanerent, vbi alias fuerant, vt dixit, vltra quingentos, c) et propter nouellum clerum ipsis clericis succedentem et eius imperitiam seu negligentiam fuisse, et esse verum, prout in ipso articulo continetur.

Super XX. articulo qui incipit: Item quod anno domini MCCCXLVII [ɔ: MCCCXVII] etc.. Interrogatus dixit, quod iam in die sancte Dorothee proxime preterita fuerunt precise centum anni quod obiit idem beatus Brynolphus, referens se ad calendarium Ecclesie Scarensis.

Item super generalibus interrogatoriis suprascriptis idem testis loquens, suo quo supra medio iuramento, dixit singulariter ad singula, quod non.

Item finaliter interrogatus idem testis loquens de fama et deuotione populi et miraculorum crebrescentia dixit, quod sic, referens se ad rei euidentiam et quotidianam experientiam; et tandem fuit isti iniunctum etc.. prout supra.

Attestationes octaui testis super eodem.

Dic Jouis XXV. mensis Aprilis predicti in domo habitationis nostre testis octauus, honorabilis et discretus vir dominus Lambertus Benechini, Canonicus Scarensis ac in ipsa ciuitate Scarensi oriundus, sexagenarius, vt dixit, et etiam ex sue faciei inspectione verisimiliter apparebat, coram nobis ibidem in iudicio pro tribunali sedentibus productus, iuratus et super primo dictorum articulorum articulo qui incipit: In primis ponunt et probare intendunt quod beatus Brynolphus etc.. Interrogatus et per nos diligenter examinatus idem testis loquens respondit, suo primo medio iuramento, et dixit, contenta in dicto articulo fore vera, reddens causam scientie sui dicti, quia sic audiuit a domino Ragwaldo d) Karuli, quondam preposito Scarensi, septuagenario et vltra, per tempus et tempora, quibus eius erat continuus commensalis, videlicet ad et ante plures annos, qui quidem prepositus retulit se hoc audiuisse a domino Karulo, primo Decano Scarensi qui alias rexit castra et totam patriam terre Vesgocie nomine Regis, e) et ab eo audiuit, quod non erat nobilior progenies in toto regno Swecie quam ipsius beati Brynolphi, quodque ecclesiam in ipso articulo contentam parentes eius edificassent, et postea hoc audiuit communiter sic a multis aliis, de quibus dixit se non recordari. 71.

Super secundo articulo qui incipit: Item quod ipse Episcopus Brynolphus etc.. Interrogatus idem testis loquens, suo quo supra medio iuramento, dixit contenta in ipso articulo esse vera, quia sic audiuit a quodam domino Sigwido, quondam curato in Diuina f) Scarensi dyocesi, qui erat octogenarius, et obiit

a) Nomen eius erat Martha, filia Boecii Boecii militis (vide p. 157 not. g). Post mortem primi mariti, militis Teutonici, Christoferi Michieldorp, nupta fuit Algoto Magnusson. (R.-Arch. Perg. bref, n. 801 et 1618). Obiit an. 1414, d. 29 Julii; v. SS. rer. Suec. I. 1. p. 134.

b) Vide supra p. 159, not. o.

c) Certe hoc ex fonte hausit Messenius diu suspectam narrationem de vastatione pestis in Vestrogotia an. 1350. Vide: Scondia Ill. Tom. III. p. 14.

d) Vetus editio habet: "Pagvaldi," sicut paullo infra "Pegis" pro "Regis."

e) De illo silent diplomata. Carolus, canonicus Lincopensis et Scarensis, consiliarius regis, commemoratur an. 1322 in Dipl. Suec. III. p. 551. Si idem sit, ac Carolus decanus Scarensis ann. 1355—66 (in R.-Arch.Perg.bref, n. 227—691) dijudicare non possumus.

f) Aut legendum: "Livina," hodie Levene in territ. Vilske, aut "Dimmu," hodie Dimbo in territ. Vartofta.

Digitized by Google

ante XXXVI. annos proxime retroactos, qui etiam inter multa alia retulit eidem testi loquenti, quod vidit et optime nouit eundem beatum Brynolphum talem fuisse et esse qualis in ipso articulo describitur.

Super tercio articulo qui incipit: Item quod factus Canonicus Scarensis etc.. Interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, eaque pro veritate et vt vera ab infancia audiuisse, quodque de ipsis est publica vox et fama.

Super quarto articulo: Item quod de bonis ex dictis suis parentibus etc.. Interrogatus dixit contenta in dicto articulo fore vera, quia sic audiuit a domino Benone Korp, tunc Canonico et yconomo Scarensis
72. ecclesie et postea Episcopo Arosiensi, per tempus et tempora, quibus idem testis loquens eius fuerat continuus commensalis.

Super quinto articulo qui incipit: Item quod hiis que suo statui necessaria etc.. Interrogatus dixit, contenta in ipso articulo fore vera, quia sic audiuit a dicto domino Benone et aliis senioribus et canonicis Scarensibus diuersis locis et temporibus.

Super VI. articulo qui incipit: Item quod saluti cleri sibi subiecti etc.. Interrogatus dixit prout supra immediate.

Super VII. articulo qui incipit: Item quod beatus Brynolphus arma hostis antiqui etc.. Interrogatus idem testis loquens dixit, quod de veritate contentorum in ipso articulo est publica vox et fama ac notorium et manifestum per clerum totius regni. Et de edificiis specialiter dixit, quod ipse beatus Brynolphus semper picturam pulchram in suis edificiis procurauit fieri, prout oculata fide dixit apparere cuilibet intuenti [ɔ:-eri] volenti.

Super VIII. articulo qui incipit: Item quod sanctus Brynolphus mirabilis pacientie fuit etc.. Interrogatus dixit, quod de veritate illius articuli est communis vox et fama, et ideo credit contenta in eo esse vera.

Super IX. articulo qui incipit: Item quod adeo fuit feruens caritate etc.. Interrogatus dixit se inde nihil scire.

Super X. articulo qui incipit: Item quod in eo tanta fuerunt humilitatis etc.. Interrogatus dixit prout supra immediate.

Super XI. articulo qui incipit: Item quod adeo frequens fuit in ieiuniis etc.. Interrogatus dixit prout immediate supra in tercio et octauo sue attestationis articulis.

Super XII. articulo qui incipit: Item quod corpus suum frequenter castigauit etc.. Interrogatus dixit prout supra immediate.

Super XIII. articulo qui incipit: Item quod iura, bona, libertates etc.. Interrogatus dixit, contenta
73. in dicto articulo fore vera, quia sic audiuit a domino Georgio Snakenborg, g) qui alias impetrauerat preposituram Arosiensem, viro magne nobilitatis et maturitatis et scientie, qui eidem testi loquenti sic retulit, quod cum quadam die dum (!) Rex beatum Brynolphum Episcopum in sua Scarensi ecclesia pontificale officium celebrantem comperuisset et animo occidendi eundem Episcopum Brynolphum de manerio suo Giortale h) prope Scaras eandem ciuitatem intrasset, idem beatus Brynolphus hoc audito, indutus pontificalibus ad circumstantes ait: talibus armis armatum occidat me Rex, si placet; et regi appropinquanti ad ecclesiam exiuit obuiam cum baculo pontificali, quem cum vidisset Rex sibi in tanta mansuetudine obuiantem, ad genua sua procidens, veniam de offensis ab eo humiliter postulauit, et hoc non alia causa factum fuisse dixit, nisi quia si [ɔ: se] murum pro domo dei opposuit et eius iura viriliter defendebat.

Super XIIII. articulo qui incipit: Item quod immensa dei bonitas etc.. Interrogatus dixit prout immediate supra in XI. sue attestationis articulo.

Super XV. articulo qui incipit: Item quod cum cuidam nobili ad prandium etc.. Interrogatus dixit, contenta in ipso articulo fore vera, quia sic audiuit a domino Laurentio, quondam Canonico Scarensi et rectore chori Scarensis, septuagenario, qui retulit se alias seruiuisse cuidam militi, videlicet domino Anundo Stwre, auo domini Algoti Magni, Baronis potentis, i) et ab eo veraciter audiuisse, de loco vel de tempore dixit se non recordari.

Super XVI. articulo qui incipit: Item quod cum quidam officialis etc.. Interrogatus dixit se nil inde scire.

Super XVII. articulo qui incipit: Item quod cum quidam miles Tornerus etc.. Interrogatus dixit, contenta in dicto articulo esse vera, referens se ad auditum dici, prout supra in primo sue attestationis articulo.

Super XVIII. articulo interrogatus, dixit se nil inde scire.

74. Super XIX. articulo qui incipit: Item quod plurima de virtutum et meritorum etc.. Interrogatus dixit, quod plerique presbiteri qui nouerunt et viderunt dictum beatum Brynolphum ac eius laudabiles

g) Forsan frater notabilium militum Teutonicorum Gerhardi et Henrici Snakenborg. Vide Riks-Arch. Perg. Br. n. 1918.

h) Lege: Götala, curia regalis prope Scaras.

i) Cfr. supra p. 162, not. u. Anundus Sture miles et consiliarius regni Sueciæ usque in annum 1361 vitam duxit. Vide Riks-Arch. Perg. Br. n. 520.

Digitized by Google

conditiones et virtutes sciuerunt, in magna mortalitate mortui sunt, que quidem mortalitas erat anno domini MCCCL. et quasi totum mundum girabat; k) de genere autem dixit esse communem experientiam, et ideo dixit contenta in dicto articulo esse vera.

Super XX. articulo qui incipit: Item quod anno domini MCCCXVII. etc.. Interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, referens se ad antiquas scripturas ecclesie Scarensis, in quibus plures obitus Episcoporum Scarensium continentur.

Item super interrogatoriis generalibus suprascriptis idem testis loquens interrogatus et per nos diligenter examinatus respondit suo medio quo supra prestito iuramento, et dixit singulariter ad singula, quod non.

Item finaliter interrogatus idem testis loquens de fama, deuotione populi et crebrescentia dixit, quod sic: et tandem fuit isti testi loquenti iniunctum etc.. prout supra.

Attestationes noni testis super eodem.

Eodem die et mense, venerabilis et religiosus vir, frater Hermannus Nicolai, Gardianus conuentus minorum Scarensium etatis XLVIII. annorum vt dixit, productus, iuratus et super primo dictorum articulorum articulo qui incipit: In primis ponunt et probare intendunt, quod beatus Brynolphus etc.. Interrogatus et per nos diligenter examinatus respondit, suo primo medio iuramento, et dixit, contenta in dicto articulo fore vera, quia sic per tempus et tempora, quibus a iuuentute sua in conuentu suo Scarensi enutritus fuerat, a suis senioribus dici audiuerat, et de eis fuit et est publica vox et fama.

Super secundo articulo qui incipit: Item quod ipse Episcopus Brynolphus etc.. Interrogatus et di- 75.
ligenter examinatus respondit, suo quo supra medio iuramento, et dixit prout supra immediate, addens quod de deuotione et aliis virtutibus eius multa bona audiuerat a patribus sui ordinis.

Super tercio articulo qui incipit: Item quod factus Canonicus Scarensis. Interrogatus dixit prout immediate supra in primo articulo.

Super quarto articulo qui incipit: Item quod de bonis ex dictis suis parentibus etc.. Interrogatus dixit prout supra immediate.

Super quinto articulo qui incipit: Item quod his que suo statui necessaria etc.. Interrogatus dixit, contenta in dicto articulo esse vera, eaque pro veritate et vt vera audiuisse a domino Johanne Hwite, quondam Canonico Scarensi viro octogenario, viro magnorum meritorum in ciuitate Scarensi, ante multos annos.

Super VI. articulo qui incipit: Item quod saluti cleri sibi subiecti etc.. Interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, et quod de eis est publica vox et fama, addens, se vidisse et legisse notulam Ecclesie Scarensis qua regitur in suis officiis peragendum [ɔ: -dis]. Dixit etiam quod eadem notula intitulatur notula beati Brynolphi quondam Episcopi Scarensis et pro tali et vt talis communiter dicitur, habetur, nominatur, tenetur, vocatur et reputatur: et quod ita fuit et est verum, publicum, notorium et manifestum.

Super VII. articulo qui incipit: Item quod beatus Brynolphus arma hostis antiqui etc.. Interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, quia sic audiuerat a fratre Johanne Helgwis [ɔ: Helgonis], quondam Gardiano eiusdem Conuentus minorum Scarensium predecessore suo septuagenario, et a dicto 76.
domino Johanne Hwite quondam Canonico Scarensi supradicto, qui dictus dominus Johannes, prout idem testis loquens ab eo pluries vidit et audiuit, frequenter solebat in suis sermonibus populum exhortari et ad beati Brynolphi deuotionem inducere, dicens in vulgari: Petatis humiliter deum, vt ipse dignetur manifestare nobiscum misericordiam suam per eius merita gloriosa, quia veraciter credo ipsum esse sanctificandum et canonizandum, et iam in celis glorificatum. Dixit etiam idem testis loquens, quod ea de causa et ob reuerentiam ipsius spine, quam alias contulit Rex Swecie eidem sancto Brynolpho, celebratur festum terre de spinea corona in ecclesia et dyocesi Scarensi per dictum beatum Brynolphum, vt communiter ab omnibus dicitur et creditur, institutum. Dixitque fratres sui conuentus singulis annis eandem hystoriam, per ipsum beatum Brynolphum compositam, eodem die legere et cantare, quo in ecclesia Scarensi legitur et cantatur.

Super VIII. articulo qui incipit: Item quod sanctus Brynolphus mirabilis pacientie fuit etc.. Interrogatus dixit prout immediate supra in primo articulo, addens, quod a Canonicis antiquis in ecclesia Scarensi multoties audiuerat, quod ranas coaxantes in stomacho habuit.

Super IX. X. et vndecimo dictorum articulorum articulis seorsum et singillatim interrogatus dixit se nihil inde scire.

Super XII. articulo qui incipit: Item quod corpus suum frequenter castigauit etc.. Interrogatus dixit vt immediate supra in primo articulo.

k) I. e. circumibat.

Digitized by Google

Super XIII. articulo qui incipit: Item quod iura, bona, libertates etc.. Interrogatus dixit, contenta in dicto articulo esse vera, quia sic audiuit dici a domino Asmundo, quondam Canonico Scarensi, septuagenario et vltra, viro magne litterature et scientie, qui frequenter solebat dicere: heu nobis! heu! quia nemo est qui se opponat murum pro domo domini, sicut fecit beatus pater noster Brynolphus.

77. Item super XIIII. articulo qui incipit: Item quod immensa dei bonitas etc.. Interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, quia sic ea audiuit dici pro veritate et vt verum a fratre Sigwardo, quondam conventuali suo, octogenario et a dicto fratre Johanne Helgonis, qui dixerunt se hoc audiuisse veraciter a suis patribus, videlicet fratre Katillo, octogenario, viro magne maturitatis et abstinentie et scientie, et fratre Johanne Krok, quasi centenario, ita quod idem beatus pater Brynolphus in vigilia assumptionis beate Marie virginis primo misit suum ministrum cum cipho [ɔ: scypho] pro aqua afferenda ad fontem ipsorum fratrum minorum Scarensium, eo quod clara sit aqua et frigida, optimi saporis in eodem fonte, et post reditum pueri idem venerabilis pater Brynolphus credens se aquam gustaturum, gustauit vinum, et tacite rem considerans, secundum fideliorem nuncium cum alio vase ad eundem locum emisit, quo redeunte similiter vinum optimum compar[u]it, et similiter tercio; cum eodem modo aquam in vinum mutatam diuino nutu intellexisset, idem reuerendus pater sanctus Brynolphus coram omnibus commensalibus suis, gratias agens deo et beatissime matri eius, dixit hec verba vel eis in effectu similia: Ex quo deus omnipotens nobiscum suam magnam misericordiam fecit, quod hodie vtique vinum bibere debeamus, bibamus ergo et gustemus ex eo omnes ad eorum gloriam et honorem; et primo de primo cipho gustans, eum aliis gustandum edidit et sic consequenter de secundo cipho et tercio, prout suo ordine ferebantur. Interrogatus de tempore et de loco dixit, quod in conuentu suo Scarensi et in ipsa ciuitate Scarensi pluries et iteratis vicibus hoc audiuerat a patribus et dominis prelibatis per tempus et tempora quibus cum eis ab infantia sua fuerat conuersatus.

Item super XV. articulo qui incipit: Item cum cuidam nobili ad prandium etc.. Interrogatus dixit prout immediate supra in primo articulo.

78. Super XVI. articulo qui incipit: Item quod cum quidam officialis etc.. Interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, quia sicut [ɔ: sic] ea a dicto domino Johanne Hwite pro veritate et vt vera pluries audiuit dici et postea a multis aliis de quibus non recordatur.

Super XVII. articulo qui incipit: Item quod cum quidam miles Tornerus etc.. Interrogatus dixit vt supra immediate.

Super XVIII. articulo qui incipit: Item quod beatus Brynolphus super quodam iuuene ceco etc.. Interrogatus dixit se nihil inde scire.

Super XIX. articulo qui incipit: Item quod plurima de virtutum et meritorum etc.. Interrogatus dixit vt immediate supra in primo articulo.

Super XX. articulo qui incipit: Item quod anno domini MCCCXVII. etc.. Interrogatus dixit, quod credit contenta in dicto articulo fore vera, quia audiuit a dominis canonicis et clericis ecclesie Scarensis in diuersis locis et temporibus.

Item super generalibus interrogatoriis suprascriptis idem testis loquens interrogatus et per nos diligenter examinatus, suo quo supra medio iuramento ad singulariter singula respondit et dixit quod non. Et tandem fuit isti testi loquenti per nos Commissarios iniunctum etc.. prout supra.

Attestationes decimi testis.

Eodem die predicti mensis Aprilis honorabilis et discretus vir dominus Johannes Berthori, Curatus Ecclesie Rade, [l]) Scarensis dyocesis, etatis annorum quinquaginta, vt dixit et etiam ex sue faciei inspectione verisimiliter apparebat, testis iuratus et ad infrascriptos articulos productus, et primo super septimo dictorum
79. articulorum articulo qui incipit: Item quod beatus Brinolphus arma hostis antiqui etc.. Interrogatus et per nos Commissarios supra et infra scriptos diligenter examinatus, idem testis loquens respondit, suo primo medio iuramento et dixit, contenta in dicto articulo fore vera, reddens causam scientie sui dicti, quia sic ea audiuit pro veritate et vt vera dici a dominis Jacobo, quondam Canonico Scarensi, Magno in Maluum [m]) et Anberno in Blippbergon, [n]) quondam curatis Scarensis dyocesis quorum quilibet erat LXX. annorum et vltra, videlicet tali modo, quod dominus Haquinus senior, tunc Rex Norwegie contulit vnam spinam prelibato patri beato Brynolpho et propterea composuit illam hystoriam de corona spinea domini et solenne responsorium instituit de eadem; et hoc audiuit in diuersis locis et temporibus ab eisdem in domibus habitationis eorum, ante multos annos.

Item super VIII. et IX. dictorum articulorum articulis, qui incipiunt: Item quod sanctus Brynolphus mirabilis pacientie fuit etc.. Item quod adeo fuit feruens caritate etc.. seorsum et singillatim interrogatus et diligenter examinatus idem testis loquens respondit, suo quo supra medio iuramento, et dixit

l) Hodie Råda in territ. Kålland. Cfr. supra p. 143, not. m.
m) Lege Malmum. Magnus curatus in Malmum (territ. Wiste) comparet an. 1395. (Riks-Arch. Perg. Br. n. 2781).
n) Lege Blissbergum, hodie Blidsberg in territ. Redväg.

Digitized by Google

prout immediate supra, referens se ad dictos dominos Jacobum, Magnum et Lubernum [ɔ: Anbernum], qui sibi dixerunt quod hoc contigit in curia patris beati Brynolphi Heschalla o) vulgariter nominata, parochie Skalmo, p) prope ciuitatem Scarensem ad distantiam vnius miliaris alamanici, quia nutrix more illius patrie pulmentum decoxit et venenum scutelle paruulorum in dictis articulis contentorum commiscens, eos manducare permisit, unde altero eorundem paruulorum mortuo, beatus Brynolphus superstes quoad vixit, occasione intoxicationis huiusmodi grauiter torquebatur.

Item super XVII. articulo qui incipit: Item quod cum quidam miles Tornerus Cryda etc.. Interrogatus idem testis loquens respondit, suo quo supra medio iuramento, et dixit contenta in dicto articulo 80.
fore vera, causam scientie reddens de auditu dici vt supra immediate, et addens, quod cum beatus pater Brynolphus inquireret de curioso illo famulo qui eius facta sciscitatus fuerat et mandatum transgredi presumebat, nec minime [ɔ: inuenire] poterat, cepit palpare pedes singulorum puerorum suorum secum in cubiculo dormientium, et reperiens pedes vnius aliorum pedibus frigidiores, ipsum transgressorem sui mandati deprehendit et conuicit: cui hoc confesso iniunxit sub pena corporali lepre, ne cuiquam, quoad iuuaret [ɔ: viueret] ipse dominus Episcopus Brynolphus, illud miraculum, quod sic per eum fieri viderat, reuelaret, et ex post eum a suo seruicio licentiatum abire fecit. Dictus autem familiaris iniunctum sibi secretum paruipendens, eo reuelato, morbo lepre grauiter est percussus. Et hoc idem testis loquens dixit, se pro vero et vt verum audiuisse a quodam presbitero satis annoso, qui dixit se ab eodem leproso in confessione et alias pluries audiuisse. Interrogatus de loco et tempore dixit, quod in Smaalandia, Lincopensis dyocesis, ante multos annos, dum scolaris erat, hoc audiuit.

Item super generalibus interrogatoriis suo ordine seorsum et singillatim idem testis loquens interrogatus et diligenter per nos examinatus, respondit suo quo supra medio iuramento et dixit quod non: et tandem fuit isti testi loquenti iniunctum etc.. prout supra.

Consequenter sequuntur miracula pauca de multis, quibus post mortem claruit beatus Brynolphus.

Die Mercurii quarta [decima] predicti mensis Aprilis super XXI dictorum articulorum articulo qui 81.
incipit: Primo quod anno domini MCDIIII° in mense Augusti etc.. venerabilis et circumspectus vir dominus Karulus Oddonis, Decanus Ecclesie Scarensis etatis XLIIII. annorum, q) vt dixit, testis productus iuratus, interrogatus et per nos diligenter examinatus respondit, suo medio iuramento, et dixit, contenta in dicto articulo fore vera, causam reddens scientie sui dicti, quia eodem die et mense in ipso articulo expressis ea sic fieri vidit et audiuit, addens quod eadem mulier illuminata dixit hec verba vel eis in effectu similia: Gratias ago Deo meo et beato Brynolpho, quod iam bene video, ex quo longo tempore fui ceca, nec solem videre potui in multis annis. Hoc autem facta et dicta fuisse dixit idem testis loquens coram summo altari ecclesie Scarensis post finem Misse domini Brynolphi episcopi Scarensis moderni, qui quidem dominus Scarensis extunc mandauit certis clericis eiusdem Scarensis ecclesie, vt miracula, si et quando venirent, cum debita diligentia conscriberent et notarent.

Item super eodem articulo honorabilis vir dominus Petrus Tolweri, Canonicus Scarensis et Cancellarius prelibati domini Episcopi Scarensis etatis XL. annorum r) testis productus iuratus et interrogatus vt supra dixit contenta in dicto articulo fore vera, quia sic ea fieri vidit et audiuit, et ad clamorem populi in ecclesia Scarensi tumultuantis ob stuporem miraculi innouati vna cum aliis accurrit ad sepulchrum beati Brynolphi vbi dicta mulier visum recepit, et ex post factus curatus ecclesie Slota s) Scarensis dyocesis contenta in ipso articulo audiuit pro veritate et vt vera ab eadem muliere in confessione, quia ea inter alia, que sibi confitebatur, eidem testi loquenti dixit in conscientia sua fore vera, et hoc proprio motu fecit, 82.
nec per eum inducta, sub anno domini MCDV. in quadragesima. Dixit etiam iste testis loquens, quod mulier illa principalis modo defuncta est.

Die Martis XIII. predicti mensis Aprilis super XXII. articulo qui incipit: Item quod anno domini MCDX. Gunnarus de Medelby etc.. honorabilis vir dominus Johannes Bertori, Curatus in Raade supradicte etatis t) productus, iuratus et interrogatus et diligenter examinatus, medio suo iuramento dixit, contenta in dicto articulo fore vera, causam scientie reddens, quia idem testis loquens primo pro eodem Gunnaro principali, eo quod parochianus eius esset et est, votum fecit ad sacrosanctum corpus et sanguinem Christi in Wilsnak u) terminum presignans octo dierum; sed cum nec infra mensem conualescere potuit, votum fecit pro eodem principali sancto Brynolpho, eodem teste loquente tunc apud ecclesiam suam Raade, cum

o) Hodie Hästhalla.
p) Lege Skalmö l. Skalmöya, hodie Skallmeja in territ. Skåning.
q) Cfr. supra p. 159, not. r. Si verus sit numerus annorum, jam adolescens septendecim annorum obtinuit canonicatum Scarensem (Riks-Arch.Perg.Br. n. 2491).
r) Inter alumnos facultati juridicæ universitatis Pragensis an. 1386 adscriptos reperitur "Petrus Tolweri de Suecia pauper," v. Monumenta univ. Prag. Tom. II, Pragæ, 1834.
s) Lege: Slöta, paroecia in territ. Wartofta.
t) V. supra p. 166.
u) Locus in confiniis Brandenb. et Megalopol. Cfr. supra Tom. I. 2. p. 131, not. a.

Digitized by Google

huiusmodi votum emitteret, existente, hora vesperarum vel quasi in vigilia Pentecostes, dictoque infirmo in domo sue habitationis in loco sue egritudinis decumbente et huiusmodi emissionem voti penitus ignorante. Mane autem facto, cum idem testis loquens dictum infirmum principalem visitasset, reperit eum melius habentem, cum autem ad sepulchrum dicti patris Brinolphi pro voto huiusmodi reddendo venisset, subito perfecte conualuit.

Item super eodem articulo prouidus vir Gunnarus de Madelby [ɔ: Medalby] principalis et in dicto articulo principaliter nominatus, etatis L. annorum et vltra, vt dixit, laycus Scarensis dyocesis, testis productus, iuratus, interrogatus et per nos diligenter examinatus respondit, suo medio iuramento, et dixit prout supra immediate, addens quod scit et perfecte credit se meritis beati Brynolphi fuisse et esse ab huiusmodi dementia liberatum.

83. Item super eodem articulo prouidus vir Boecius Asgoti campanarius ecclesie Scarensis, testis productus, iuratus et interrogatus dixit prout supra immediate, addens quod pluries visitauit eum in infirmitate huiusmodi, quia idem testis loquens nepos eiusdem Gunnari est, et vidit eum amentem, et postquam conualuit, fecit sibi ymaginem de cera, quam eidem beato Brynolpho, pro recuperata sanitate obtulit, ipseque principalis rem gestam pluries tunc et deinceps eidem testi loquenti retulit, gratias agens deo et beato Brynolpho Scarensi.

Die Mercurii quarta [decima] predicti mensis Aprilis super XXIII. dictorum articulorum articulo qui incipit: Item quod eodem anno, quidam Haquinus Oddonis etc.. honorabilis vir, dominus Alexander Benonis, Curatus ecclesie Odh,[v] Scarensis dyocesis, etatis vt dixit XXX. annorum, testis productus, iuratus et interrogatus dixit contenta in dicto articulo fore vera, causam scientie reddens, quia eum vidit et sciuit eum infirmum continue per biennium, et ipsum in eadem infirmitate sua oleo sancto vnxisse ac votum pro eo vna cum ipsius Haquini principalis filio fecisse de anno domini MCDX. prima die mensis Februarii.

Item super eodem articulo prouidus vir Oddo, filius eiusdem Haquini principalis in dicto articulo principaliter nominati, laycus Scarensis dyocesis etatis XXX. annorum, testis productus iuratus et interrogatus dixit contenta in ipso articulo esse ver , causam reddens scientie sui dicti, quia sic ea fieri sciuit, vidit et audiuit Et cum idem pater suus esset tam amens factus, quod omnes timeret et per debilem fantasiam videretur sibi, quod omnes volebant eum rapere, impedire et captiuare, nunciauit idem testis loquens prefato domino Alexandro supra testi proximo coadueniente [ɔ: quo adueniente] et votum beato Brynolpho pro eodem infirmo faciente, plenam sanitatem recepit.

84. Eodem die super XXIIII. dictorum articulorum articulo qui incipit: Item quod anno eodem quedam Margareta, Scarensis dyocesis etc.. honorabilis et discretus vir dominus Ingieldus, Canonicus ecclesie Scarensis etatis L. annorum, vt dixit, testis productus, iuratus et interrogatus et diligenter examinatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, causam reddens scientie sue quia sic ea fieri vidit et audiuit ac votum pro ea fecit, eo quod esset soror vxoris fratris sui, presentibus ibidem XX. personis discretis et honestis vtriusque sexus, de anno domini MCDIX. in fine mensis Octobris vel quasi, apud ecclesiam Vertherlosa,[x] Scarensis dyocesis, in stuba[y] minori ipsius Margarete pacientis, principaliter in dicto articulo nominate.

Item super eodem articulo prouidus vir Ostanus Petri, filius eiusdem Margarete principalis prefate, alias in Vetherlosa, nunc autem in Rabech,[z] parochie Medeluplanda, etatis XXX. annorum vt dixit, testis productus iuratus et interrogatus, suo medio iuramento, dixit, contenta in dicto articulo fore vera, quia linguam suam vidit adeo tumefactam, quod extra os eiusdem matris sue tenebatur ad tres dies, quasi globus ad quantitatem pugni et panis magni, adiiciens, quod hoc miraculum sanitatis contigit die qua celebrabantur nuptie eiusdem testis loquentis in domo matris eius prelibate de anno et mense quibus supra immediate, et preterea multi presentes aderant, vt dixit, qui viderunt linguam suam, statim voto facto subito relaxari.

Item super eodem articulo honesta matrona Gunnor in Jersysla[a] prope ciuitatem Scarensem L. annos habens etatis, vt dixit, testis producta, iurata et interrogata dixit prout supra immediate, addens, quod per plures noctes custodiam eiusdem pacientis tenuit, quia apud omnes eam inspicientes putabatur mortua pre doloris sui vehementia et magnitudine lingue sue.

85. Die Martis XIII. predicti mensis Aprilis super XXV. dictorum articulorum articulo qui incipit: Item quod anno domini MCDXII. quedam virgo, filia cuiusdam Turgilli etc.. Prouidus vir, Gunnarus Nicolai de Restwabergh,[b] parochie Marka, Scarensis dyocesis, maritus eiusdem puelle principalis et principaliter in dicto articulo nominate, Gunnor nomine, etatis XXX. annorum vt dixit, productus, iuratus et

v) In territ. Gäsene.
x) Pro Wæterlösa, hodie Wättlösa in territ. Kinne.
y) Teutonice scriptum pro "stufva" vel "stuga;" Latine, camera.
z) Hodie Råbäck, prædium in par. Mellplana, territ. Kinne.

a) V. supra p. 144, not. o.
b) Forsan scriptum fuit Westra Rebergh, sed transpositione litterarum sub prelo corruptum. Hodie exstat Redberga, prædium magnum in par. Marka, territ. Wilske.

Digitized by Google

interrogatus, suo medio iuramento dixit, contenta in dicto articulo fore vera, causam reddens scientie sui dicti, quia ipsa Gunnor vxor sua laborauit in amentia per lucida interualla vltra annum et ante carnalem inter eos copulam subsecutam, quodque eam idem testis loquens, cum certis sibi associatis viris die nuptiarum recepit eam de campo et reduxit eam in domum domini Torkilli prepositi Scarensis, eo quod coloni sui essent.

Item super eodem articulo venerabilis et circumspectus vir dominus Torkillus prepositus Scarensis testis productus, iuratus et interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, quia sic ea fieri vidit et audiuit. Vidit namque eam sanam ad mensam suam locari, eamque super eandem mensam subito salire et ad campos euadere. Vidit etiam eam per ipsum sponsum et patrem suos in eandem domum ipsius testis loquentis ligatam reduci. Vidit eam ad sepulchrum beati Brynolphi adduci debilem et dementem, et inde sanam et incolumem reduci, ac ab eodem teste loquente sibi alimenta ministrari petentem.

Die Veneris XVI. mensis Aprilis primus testis supradictus dominus Bero Knap, Canonicus Scarensis, productus, iuratus et super XXVI. articulo qui incipit: Item quod in eodem anno quedam virgo Gyridh nomine etc.. Interrogatus et per nos diligenter examinatus idem testis loquens respondit, suo prestito iuramento, contenta in dicto articulo fore vera, reddens causam scientie sui dicti, quia eandem Gyridem 86.
talem fuisse vidit, qualis in ipso articulo describitur et dicitur, et voto completo, subito conualuisse et in toto liberatam fuisse, ipsumque miraculum de mandato domini ordinarii veraciter conscripsisse. Interrogatus de tempore et loco dixit, quod in domo habitationis ipsius testis loquentis et cathedrali ecclesia Scarensi prope sepulchrum sancti Brynolphi de anno domini MCDXII. circa festum beati Petri ad vincula.

Item super eodem XXVI. articulo dominus Laurencius Gostaui, Prebendatus ecclesie Scarensis, etatis XXXVI. annorum vt dixit, productus, iuratus et interrogatus, secundus testis loquens dixit prout supra immediate, addens, quod eam vidit pluries diuersis modis a demonio vexari et ab ipsis vexationibus vidit eam etiam meritis, vt firmiter creditur, dicti beati Brynolphi liberari et subito sanari.

Item super eodem articulo venerabilis et religiosus vir dominus Steno, Abbas Monasterii in Munkal[i]we ordinis sancti Benedicti, Bergensis dyocesis, et honorabiles domini Elaws Swenonis, Canonicus Scarensis et Laurencius Finwidi Clericus Lincopensis dyocesis, Notarius publicus supra et infra scriptus, seorsum et singillatim producti, iurati, interrogati et per nos diligenter examinati responderunt, eorum ac cuiuslibet eorum medio prestito iuramento, quod eam pluries viderunt dementem et a demonio vexari, quia interdum viderunt eam in toto membro rigidam et extensam, interdum quasi manibus et brachiis contractam, interdum lapides et ligna projicientem, interdum spumantem et mirabiliter loquentem. Dixerunt etiam se eam vidisse in monasterio et ciuitate Wastenensi et alias bene sanatam et deo deuotam, et eam audiuisse deo et beato Brynolpho Scarensi per [ɔ: pro] recuperata sanitate gratias referentem, et hoc in diuersis locis et temporibus videlicet Scaris et Wastenis.

Die Jouis XV. mensis eiusdem primus testis, honorabilis vir dominus Johannes Magni, Prebendatus 87.
ecclesie Scarensis etatis XXX. annorum vt dixit, productus, iuratus et super XXVII. dictorum articulorum articulo qui incipit: Item quod in anno domini MCDXIII°. de mense Januarii filius Johannis etc.. Interrogatus et per nos diligenter examinatus, respondit suo medio iuramento, contenta in dicto articulo fore vera, causam reddens scientie sue, quia cum quadam die, tempore indulgentiarum a domino Johanne papa XXIII. olim in sua obedientia nuncupato alias concessarum, Scaris de ambone publice predicasset, venientes ad eum pater et mater eiusdem pueri sic contracti, humiliter petebant, quod coram omnibus ibidem auscultantibus, ipsum puerum meritis beati Brynolphi sanatum pronunciaret, quod et se fecisse dixit publice et expresse.

Item super eodem articulo secundus testis dominus Arwidus Arneri, sacristanus Scarensis XXXVI. annorum vt dixit, productus, iuratus et interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, causam reddens scientie sui dicti, quia heri ea pro veris et vt vera a matre dicti pueri in domo habitationis eiusdem matris audiuerat, eo quod ibi per dominum Episcopum Scarensem missus fuerat pro parentibus eiusdem pueri citandum [ɔ: -is], ipso patre prelibati pueri in remotis agente, matre vero post partum in proximo laborante. Audiuit etiam idem testis loquens contentorum in dicto articulo veritatem circa dictam matrem a quadam annosa muliere et honesta, que sibi eadem contenta fuisse et esse vera retulit eaque se vidisse et audiuisse dixit.

Eodem die et mense super XXVIII. dictorum articulorum articulo qui incipit: Item quod eodem anno filius cuiusdam nobilis Arwidi etc.. primus testis, nobilis et honesta matrona Benedicta, eiusdem Arwidi Benedicti relicta, mater pueri in ipso articulo descripti, etatis XL. annorum vt dixit, producta, iurata et interrogata dixit, contenta in dicto articulo fore vera, causam scientie sue reddens, quia cum die dominico ante festum natiuitatis beate virginis eiusdem anni in ipso articulo expressi, ecclesiam suam parochi- 88.
alem pro missa audienda visitare parata esset, dixit quasi merens et condolens eidem filio suo Brynolpho etatis trium annorum, sicut in articulo dicitur, pedibus contracto et tibiis tunc vltra tres septimanas dixit:

Digitized by Google

O! deus celi et tu beate Brynolphe, aut istum filium meum de medio tollas, ne ipsum tam defectuosum et miserum videam, vel ei celerem tribuas sanitatem. Et vouens eidem beato Brynolpho, quod quacunque hora sanus fieret suis meritis, ipsius sepulchrum sine omni dilatione cum eodem puero peregre visitaret: voto autem huiusmodi facto, dictam ecclesiam parochialem visitauit, et inde domum rediens cum patre eiusdem pueri, puerum ipsum sanum factum eis obuium inuenerunt, et tam ipsi parentes quam ipse puer gratias deo et beato Brinolpho pro tantis meritis retulerunt.

Item super eodem articulo secundus testis, prouidus vir et bone fame, Nicolaus Olaui, ciuis Scarensis, laicus quinquagenarius, vt dixit, productus, iuratus et interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, quia cum Cirurgicus esset tunc dicimus [ɔ: vicinus] domui parentum ipsius pueri, pluries vidit puerum talem fuisse qualis in ipso articulo describitur; et quia considerabat quod suis arte vel ingenio sibi prodesse non potuit, de causa sui se intromittere noluit. Dixit etiam se a matre eiusdem pueri audiuisse, quod ipsa pro eo votum beato Brynolpho se fecisse dixit, et quod eodem die quo sanabatur ipsum puerum sanum vidit, ibique in domo parentum eius bibit et comedit, concordans in locis et temporibus cum teste supra immediate.

Item super eodem articulo honesta matrona Cristina, Sigmundi quondam ciuis Scarensis relicta, quasi octogenaria, prout dixit, mater dicti Nicolai testis [supra] immediate multum famosa et in arte Cirurgica satis trita, producta, iurata et interrogata dixit prout supra immediate, excepto, quod non vidit eum eodem die quo sanatus est, sed ex post pluries eum sanum vidit; et quod scit et credit eum meritis beati Brynolphi vere sanatum, prout in ipso articulo continetur.

89. Die Sabbati XXIIII. predicti mensis Aprilis super XXIX. articulo qui incipit: Item quod eodem anno puella quedam, filia Ingewaldi etc.. prouidus vir Johannes Karuli, ciuis Scarensis laicus etatis XXX. annorum vt dixit, testis productus, iuratus et interrogatus, dixit contenta in dicto articulo fore vera, quia sic ea fieri vidit et audiuit, ac parentes dicte puelle vna cum ipsa puella sue sanationis tempore hospicio recepit viditque puellam talem qualis in ipso articulo fuisse et esse describitur. Vidit etiam ipsam cum de sepulchro sana rediit, et vna et eadem die vidit eam infirmam et sanam factam, prout ibidem dicitur. De tempore dixit se non recordari.

Item super eodem articulo honesta matrona Sigridis Vikmanni, vxor dicti Johannis Karuli testis supra immediate, etatis XXX. annorum vt dixit, testis producta, iurata et interrogata respondit suo medio iuramento et dixit prout supra immediate; sed interrogata de tempore dixit, quod contingit iam transactis quatuor annis proxime preteritis, inter festum pasce et pentecostes die Jouis XV. mensis predicti.

Die Jouis XV. mensis predicti super XXX. dictorum articulorum articulo qui incipit: Item quod in anno eodem quidam Andreas, fabri [ɔ: faber] ferrarius etc.. honorabilis vir dominus Andreas Johannis, Curatus ecclesie Horn, Scarensis dyocesis quasi quinquagenarius, vt dixit, productus et interrogatus idem testis loquens dixit, contenta in dicto articulo fore vera, causam scientie sue reddens, quia ipsum talem fuisse, qualis in ipso articulo describitur, vidit, ipsumque ad votum beati Brynolphi faciendum induxit, et votum pro eo fecit: sciuitque eum leprosum et vidit per duos annos continuos et altero pede quasi destitutum, ac duobus baculis continue innitentem. Interrogatus de tempore et de loco, respondit idem testis loquens et dixit, quod circa festum Pentecostes de anno domini MCDXIII.

90. Item super eodem articulo religiosus vir frater Ericus Swenonis, ordinis fratrum predicatorum conuentualis Scarensis quinquagenarius et vltra, vt dixit, productus, iuratus et interrogatus ac diligenter examinatus dixit vt supra immediate, excepto, quod votum pro eo non emisit: addens etiam quod ipse Andreas principalis et in dicto articulo principaliter nominatus, pronunc in regno Dacie moram ducit et ideo vocatus venire non potest ad presens.

Item super eodem articulo venerabilis vir dominus Karulus Vddonis c) iuratus et interrogatus dixit prout supra immediate.

Eodem die et mense super XXXI. dictorum articulorum articulo qui incipit: Item quod quidam Gerichinus Rifflingh, ciuis Scarensis etc.. discretus vir Johannes Grytestopere, proconsul Scarensis, etatis quinquaginta annorum vel quasi, vt dixit, productus, iuratus et interrogatus et diligenter examinatus, idem testis loquens dixit suo medio iuramento contenta in dicto articulo fore vera, causam scientie reddens quia sic ea fuisse vidit et audiuit ac voto emisso interfuit; quodque idem cecus dum sepulchrum beati Brynolphi votum complendo visitauit, duos oculos argenteos causa recuperandi visus obtulit et cum cecus visitasset ecclesiam et dictum sepulchrum beati Brynolphi, videns et gaudens sine ductore inde in domum suam rediit, et postea viuens longo tempore claro visu, quem sic meritis beati Brynolphi vt prefertur recuperauit, quoad vixit vsus est.

Item super eodem articulo discretus vir, Andreas Olaui, proconsul Scarensis ciuitatis LXX. annorum, vt dixit, productus, iuratus et interrogatus et diligenter examinatus dixit prout supra immediate.

c) V. supra p. 159 et 166.

Digitized by Google

Item super eodem articulo honesta matrona Cristina, relicta Gerichini Rifflingh principalis et principaliter in dicto articulo nominati, etatis XL. annorum vt dixit, producta, iurata et diligenter interrogata dixit, contenta in dicto articulo fore vera, causam reddens scientie sui dicti, quia per tempus et tempora, quibus cum eodem ceco marito suo conuersata est, videlicet per tres annos continuos, sciuit et vidit eum 91.
omnino cecum et nihil videntem: et tandem ipse maritus suus monitus est in somnis, quod duos oculos de argento fabricatos offerret et visum reciperet: que quidem testis loquens, vt dixit, statim die sequenti duxit ipsum cecum ad sepulchrum beati Brynolphi et ibi eo relicto, ad aurifabrum diuertens, fieri fecit cito oculos prelibatos, quibus allatis et pro eodem ceco oblatis, subito visum recepit et clare videns cum dicta teste loquente domum rediit clareque vidit quoad vixit. Interrogata de tempore dixit, quod anno MCDVII°. in ebdomada penosa.

Die Saturni XVII. eiusdem mensis Aprilis super XXXVII°. dictorum articulorum articulo qui incipit: Item quod quedam Cristina in Ekardh d) etc.. honorabilis vir dominus Johannes Magni, Prebendatus ecclesie Scarensis etatis annorum XXX. vt dixit, productus iuratus et per nos diligenter examinatus et interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, quia ea pro veritate et vt vera ab eadem Cristina principali et in dicto articulo principaliter nominata audiuit; ipsaque petente ea scribi et signari fecit in ecclesia Scarensi ipsumque miraculum, prout supra ab eadem principali expositum fuerat, scriptori pronunciauit, nil addito vel minuto, quod sensum mutat aut variat seu viciat intellectum. De anno vel die dixit se pro certo non recordari.

Item super eodem articulo honorabilis vir dominus Sweno Johannis Canonicus Scarensis et prouisor hospitalis Scarensis, etatis L. annorum vt dixit, productus, iuratus et interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera eaque pro veritate et vt vera audiuisse et ea in notam recepisse, causam reddens sui dicti quia semel per dominum Scarensem missus pro miraculis beati Brynolphi colligendum [ɔ: -is] venit ad ecclesiam Dalsetorp, Scarensis dyocesis, ibique super contentis in dicto articulo autoritate ordinaria sibi 92.
commissa a Swenone Grakker et Toriro Borridh, parochianis ibidem, iuramentum recepit, qui iurati per omnia deposuerunt coram eo sic fuisse et esse, prout in dicto articulo dicitur, dicens se ignorasse, quod predicta Cristina principalis alias Scaris in persona propria reuelasset: et hoc dixit factum fuisse de anno domini MCDXIIII. ipso die apostolorum Petri et Pauli.

Die Jouis XXII. predicti mensis Aprilis super XXXIII. dictorum articulorum articulo qui incipit: Item quod eodem anno quedam de parochia Lidsio etc.. venerabilis et religiosus vir dominus Steno, Abbas monasterii in Mwnkaliwe, ordinis sancti Benedicti, Bergensis, productus, iuratus et per nos diligenter examinatus, interrogatus dixit, contenta in ipso articulo fore vera, eaque pro veritate et vt vera audiuit a venerabili et circumspecto viro domino Siggone, e) Archidyacono Scarensi qui eis taliter saluatis eadem die super eodem stagno nauigans obuiauit et ab eis hoc sciscitatus est et veniens in monasterium Wastenense dicto domino testi loquenti hoc retulit. Et demum idem testis loquens, veniens in ciuitatem Scarensem tanquam pius sollicitator presentis negocii, paucis interactis diebus, audiuit etiam eadem contenta in dicto articulo a princip[al]ibus in eodem articulo contentis, fuisse et esse vera et tunc publica, notoria et manifesta, de anno domini MCDXIIII. circa festum corporis Cristi.

Item super eodem articulo prouidus vir Benedictus Scalla prouisor domus sancti Spiritus Scarensis quasi sexagenarius, vt dixit, productus, iuratus et interrogatus suo medio iuramento dixit, contenta in dicto articulo fore vera, quia interfuit, vidit et votum fecit; in qua quidem naui erant, vt dixit, LXV. persone vtriusque sexus, et omnes votum huiusmodi per eos factum compleuerunt. Anno quo supra immediate in crastino corporis Cristi.

Die Mercurii XIIII. mensis eiusdem Aprilis super XXXIIII. dictorum articulorum articulo qui in- 93.
cipit: Item quod quidam infans filius Helgonis etc.. prouidus vir, Helgo Gunnari, laycus, in Halsetorp, f) parochie Kindowe [ɔ: Kindewe] Scarensis dyocesis, etatis L. annorum vt dixit, testis productus, iuratus et interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, quia ipse testis loquens, pater eiusdem infantis, de quo in dicto articulo continetur epus. g) Videns eum aliter non posse sanari, votum pro eodem filio suo fecit et perfecit; et cum eundem filium super sepulchrum beati Brynolphi locasset, subito sanum eum reperit et recepit. De anno domini MCDXIII. die natiuitatis beate virginis.

Item super eodem articulo honorabilis vir dominus Olauus Haluardi, Curatus ecclesie Kindewe, Scarensis dyocesis etatis XLV. annorum vt dixit, testis productus, iuratus et interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, quia sic ea fieri vidit et audiuit. Interrogatus de tempore dixit, quod anno suo supra immediate, et quod circa festum Assumptionis incurrit dictam infinitatem [ɔ: infirmitatem], sed ab ea dictus infans in proximo festo natiuitatis eiusdem beate virginis recepit sanitatem.

d) Sine dubio idem ac prædium Ekgården in par. Hassellösa in territ. Skåning. Mendo typographico supra p. 144 legitur Scaridh.

e) Frater erat Karoli Vddson supra p. 159, not. r. memorati et Brynolpho episcopo brevi post successit; v. supra p. 119, not. d.

f) Hodie Halsarp in par. Kinneved, territ. Frökind.

g) Nonne legendum "superius."

Digitized by Google

Item super eodem articulo prouidus vir, Laurencius Benedicti, tributarius domini nostri regis, de villa et de ecclesia Kindewe Scarensis dyocesis quinquagenarius, vt dixit, testis productus, iuratus et interrogatus et diligenter examinatus dixit prout supra immediate, addens, quod supradicti testes votum fecerunt et idem testis loquens ex consilio domini Laurentii quondam curati in Hwa[l]stada Scarensis dyocesis, qui eos ad id faciendum induxit.

94. Die Veneris XVI. mensis eiusdem super XXXV° articulo qui incipit: Item quod quidam Johannes pictor etc.. prouidus vir Johannes Aurifaber, ciuis Scarensis etatis L. annorum vt dixit, testis productus, iuratus et interrogatus et diligenter examinatus, suo medio iuramento, dixit, contenta in dicto articulo fore vera, narrans multa de inflatione et contractione tibiarum eiusdem Johannis pictoris et causam scientie reddens, quia dictus Johannes principalis, in dicto articulo principaliter nominatus, in domo habitationis eiusdem testis loquentis per tres septimanas a feria pasce in loco suo egritudinis decumbebat, et tandem versus Ludosiam, Scarensis dyocesis, vbi domicilium tenuit, in quodam feretro equino se transferri faciens ibique vltra festum sancti Johannis Baptiste proximum quasi totus contractus remanens, votum fecit beato Brynolpho et subito perfecte conualuit, qui rediens ad eundem testem loquentem die Assumptionis beate virginis proxima, sub anno domini MCDX. in ciuitate Scarensi rem gestam sibi retulit et votum compleuit.

Item super eodem articulo prouidus vir, Lucas Cristi[er]ni, ciuis Scarensis laycus, etatis XXXII. annorum vt dixit, testis productus, iuratus et interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, causam reddens scientie sui dicti, quia idem testis loquens eidem Johanni principali tunc seruiuit cum infirmari cepit apud dominum Petrum, curatum in Hærene,[h] Scarensis dyocesis circa medium quadragesime, et veniens Scarens. [ɔ: Scaras] in pascali ebdomada grauiter cepit infirmari, prout supra in depositione prima, cum qua in ceteris suis dictis idem testis loquens per omnia concordauit.

95. Eodem die et mense, super XXXVI. dictorum articulorum articulo qui incipit: Item quod quedam puella, filia Gudmundi Krok etc.. honorabilis et discretus vir dominus Bero Knap, Canonicus Scarensis supra[i] descriptus, testis productus, iuratus et interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, quia sic ea fieri vidit et audiuit, et ipsum miraculum dum fieri vidit conscripsit et in notam recepit, nil addito vel minuto quod sensum mutet aut variat intellectum; et hec facta fuisse dixit in ecclesia Scarensi multis presentibus et auscultantibus, de quorum nominibus dixit se non recordari.

Item super eodem articulo prouidus vir Goecius [ɔ: Boecius], custos Cathedralis ecclesie Scarensis, laycus etatis L. annorum vt dixit, testis productus, iuratus et interrogatus dixit, contenta in ipso articulo fore vera, quia parentibus puelle in dicto articulo principaliter nominate ostendit sepulchrum beati Brynolphi eosque in agendum [ɔ: -do] et voto complendo direxit, viditque eandem puellam talem fuisse qualis in dicto articulo describitur, eamque post modicum interuallum super eodem sepulchro locatam, sanitatem subito recepisse; de tempore autem dixit se non recordari.

Die Solis XVIII. eiusdem mensis Aprilis super XXXVII. dictorum articulorum articulo qui incipit: Item quidam Johannes Kwsk [etc.. ipse], laycus, Scarensis dyocesis principalis et principaliter in eodem articulo nominatus, etatis XL. [ɔ: LX.] annorum vt dixit, testis productus, iuratus, interrogatus et diligenter examinatus respondit, suo medio iuramento, et dixit, contenta in ipso articulo esse vera, et ita veraciter sibi testi loquenti contigisse et per eum facta fuisse, prout in eodem articulo continetur, quia statim cum votum beato Brynolpho fecisset corde, cum ore non potuit, vsui lingue perfecte et subito restitutus est et
96. ab omni infirmitate conualuit, addens quod die vltima mensis May de anno domini MCDXIII. primo conualuit, sed differens huiusmodi voti completionem, circa festum beati Michaelis eiusdem anni pristinam infirmitatem grauius incurrit, a qua per votum prelibatum subito, vt premittitur, est sanatus.

Item super eodem articulo honorabilis vir dominus Johannes, Curatus ecclesie Floby, Scarensis dyocesis etatis LX. annorum vt dixit, testis productus, iuratus et diligenter examinatus, interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, causam scientie sui dicti reddens, quia cum dictus Johannes Kwsk parochianus suus esset et est ipsum initum [ɔ: mutum] grauiter pati vidit et primo pro eo se dixit votum fecisse, ipsumque ad huiusmodi faciendum induxisse, quodque idem patiens, cum loqui non valuit, complosis et eleuatis manibus, votum pro ipso sic factum ratum habuit et postea conualuit, et consequenter de recidiuatione et voti dilatione prefatis dixit idem testis loquens sic vidisse et ab eodem infirmo iterum sanato veraciter audiuisse, prout in dicto articulo continetur. Die mense et anno quibus supra immediate.

Item super eodem articulo prouidus vir Gislo, filius eiusdem Johannis principalis, laycus, etatis XXXVIII. annorum, vt dixit, testis productus, iuratus et diligenter examinatus, interrogatus dixit, contenta in ipso articulo fore vera, quia sic ea fieri vidit et audiuit loco et temporibus supradictis, eo quod per tempus et tempora quibus dictus pater suus modo premisso patiebatur continue secum moram traxit.

Die Veneris XVI. mensis Aprilis predicti super XXXVIII. dictorum articulorum articulo qui incipit: Item quod anno domini MCDXII. Oriarius[k] mercator etc.. honorabilis vir, dominus Turgillus Tinggeri(!),

h) Duæ ecclesiæ nomine Härened hodie exstant, una in territ. Kulling, altera in territ. Kinnefjerding.

i) V. supra p. 160 et sequ.

k) Recte scribitur supra p. 144: Eyarus.

Digitized by Google

curatus ecclesie Alinxaas, Scarensis dyocesis, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, quia sic a dicto Oriario principali et principaliter in dicto articulo nominato et a Johanne Hoghakost, ciue Wismariensi, Radzeborgensis dyocesis pro miraculo [audiuit] quia pro 97.
miraculo sibi retulerunt, gratias agentes deo et beato Brynolpho. Interrogatus de loco et tempore dixit, quod in oppido Ludosiensi, Scarensis dyocesis, de anno domini in ipso articulo contento, presentibus ibidem et auscultantibus quasi XL. personis vtriusque sexus in domo habitationis Johannis Pistoris, ciuis Ludosiensis.

Item super eodem articulo honorabilis vir, dominus Arwidus Arneri, Sacristanus Scarensis, testis productus, iuratus et interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, eaque pro veritate et vt vera audiuisse a dicto Oriario, in ipso articulo principaliter nominato, et ab eius manibus oblationem, quam occasione contentorum in ipso articulo vouit, recepisse in ecclesia Scarensi anno quo supra immediate.

Die Solis XVIII. mensis predicti super articulo XXXIX. qui incipit: Item quod anno domini MCDXIII. Anbernus de Dotthormboo [l]) etc.. prouidus vir idem Anbernus, principalis in dicto nominatus principaliter articulo, etatis L. annorum, vt dixit, testis productus, iuratus, interrogatus et diligenter examinatus respondit et dixit, contenta in dicto articulo fore vera, sibique prout in dicto articulo dicitur, veraciter contigisse, quia cum idem testis loquens omnino surdus factus esset per tres dies continuos ab octaua sancti Johannis Baptiste anno in ipso articulo expresso, vidit in somnis mulierem splendidam sibi dicentem: si surditatem quam pateris euitare volueris, fac votum viro sancto. Cum autem euigilans hesitaret, qui suam [ɔ: quisnam] esset ille sanctus, per cuius merita sanitatem recepturus esset, subito menti eius tanquam sagitta insiliit, vt beato Brynolpho Scarensi votum emitteret, quo facto subito dixit se fuisse [et] esse sanatum et auditui debito restitutum.

Item super eodem articulo prouidus vir Sigwidus Benonis in Dotherboo, laycus, Scarensis dyocesis, 98.
etatis L. annorum, vt dixit, testis productus iuratus et per nos diligenter examinatus, interrogatus, dixit contenta in ipso articulo fore vera, quia ea pro veritate et vt vera fieri vidit et audiuit ab eodem Anberno principali et in eodem articulo principaliter nominato, eodem die quo sanatus est, causam reddens quia secum in eadem domo per tempus et tempora, quibus hec, quotidie morabatur et hodie commoratur.

Item super eodem prouidus vir Ericus Johannis de Lundby, [l]) etatis XXX. annorum vt dixit, laycus, Scarensis dyocesis, testis productus, iuratus et interrogatus dixit, contenta in ipso articulo esse vera, eaque pro veritate et vt vera ab eodem principali audiuisse, et statim, postquam idem principalis restitutus est auditui, sese aduenisse et presentem fuisse et eum sanatum vidisse et surdum omnino presciuisse, quodque presens erat, dum ipse principalis vxorem propriam pro toto [ɔ: voto] huiusmodi complendo in ciuitate Scarensi emitteret, eo quod amicus suus carissimus et consanguineus esset, sed propter hoc non dixit se deposuisse neque deponere suo medio iuramento.

Die Martis XIII. predicti mensis Aprilis super XL. dictorum articulorum articulo qui incipit: Item quod anno domini MCDXIII. infantulus cuiusdam Odstani [m]) etc.. prouidus vir Odstanus, pater eiusdem infantuli in dicto articulo principaliter nominati, laycus, Scarensis dyocesis, testis productus, iuratus et interrogatus dixit, contenta in dicto articulo fore vera, causam reddens et ipsum articulum magis specificans, eo quod ipse filius suus in dicto articulo principaliter nominatus erat omnino aridus et contractus a festo beati Michaelis vsque ad Pentecostes et vltra, nec per se pedes, tibias aut crura mouere poterat. Et propterea veniens idem testis loquens in ciuitatem Scarensem cum eodem puero sic contracto hora prima- 99.
rum vel quasi ad(!) votum pro eo fecit beato Brynolpho et ante horam vesperarum eiusdem diei puer ad sepulchrum eiusdem beati Brynolphi sanatus est in ipsa dominica, que fuit infra ascensionem domini anni in ipso articulo expressi.

Item super eodem articulo honorabilis et discretus vir dominus Ingieldus, Canonicus Scarensis, testis iuratus et interrogatus et diligenter examinatus dixit, suo medio iuramento, prout supra immediate, excepto quod factum erat per errorem scriptoris aut simplicitatem aut impericiam relatoris, qui tantum temporis posuit in ipso articulo de tempore patientis, quia per tempora supra immediate dumtaxat expressa idem testis loquens cum eodem priori teste vniformiter concordarunt [ɔ: -uit], causam sue reddens scientie quia idem testis loquens dictum puerum infirmum pluries palpasse et manibus attrectasse eumque vidisse aridum et contractum et omnino inhabilem ad vsum gradiendi vel se de loco mouendi, quia eius crura et tibie pendebant viribus vacua, tanquam duo fila. Dixit etiam se ipsis parentibus pueri consuluisse, quod de peccatis suis contererentur et confiterentur. Qua confessione peracta, et voto facto et completo, cum mater dixisset eidem puero sic contracto, quasi ludendo seu affabiliter eum alloquendo, in hec videlicet verba, vel eis in effectu similia: Surge, inquit, et gradere vir beati Brynolphi, et statim eum supra pedes ipsisque verbis dictis stare cepit [ɔ: isse] et eodem die ambulare.

Item super eodem honorabilis vir dominus Sweno Olaui, perpetuus vicarius in ecclesia Madeluplandha, [n]) etatis XXXVI. annorum vel circa, vt dixit, testis productus, iuratus et interrogatus et diligenter

l) Vide supra p. 144, not. r.
m) Suetice: Östen.
n) Lege: Medaluplanda. Vide p. 168, not. z.

Digitized by Google

100. examinatus suo medio iuramento dixit, contenta in dicto articulo fore vera, ipsumque testem loquentem de veritate dicti articuli cum dictis duobus testibus immediate supra descriptis, per omnia inuenimus concordare.

Die Jouis XV. predicti mensis Aprilis super XLI°. dictorum articulorum articulo qui incipit: Item quod eodem anno dominus Lambertus, Canonicus Scarensis etc.. honorabilis et discretus vir dominus Lambertus Canonicus Scarensis principalis et in ipso articulo principaliter nominatus, testis productus, iuratus et interrogatus ac diligenter examinatus suo medio iuramento respondit et dixit, contenta in dicto articulo fore vera, sibique testi loquenti sic prout in dicto articulo continetur, veraciter contigisse, causam reddens scientie sui dicti, quia eandem surditatem, de qua in dicto articulo fit mentio, idem testis loquens passus est continue per annum cum dimidio in dextra aure, et deinde anno sequenti passus est in ambabus suis auribus, a festo videlicet Pentecostes vsque ad tempus exhumationis ossium venerabilis patris Brynolphi pie memorie, que facta est circa festum sancte Margarete immediate sequens o). Eo vero tempore cum abluebantur predicta ossa eiusdem beati Brynolphi, sumens idem testis loquens de eadem ablutionis aqua, auribus suis instillauit quasi hora meridiei, et cum nocte sequenti euigilasset audiuit gallos circumquaque cantare in ipsa ciuitate Scarensi et ex tunc perfecte conualuit, credens hoc infallabiliter fuisse et esse factum dicti venerabilis patris Brynolphi meritis gloriosis. Interrogatus de anno respondit quod ante tres annos proxime retroactos ipso die beate Margarete predicte.

Item super eodem articulo reuerendus in Christo pater dominus Brynolphus modernus Episcopus Scarensis nec non venerabiles viri, domini Turgillus prepositus, Barulus [ɔ: Carulus] Oddonis, Decanus, ac Bero Knap, Magister Elaws Swenonis, ecclesie Scarensis Canonici et plures de ipso Scarensi Capitulo testes seorsum et singillatim producti, iurati et diligenter per nos examinati et interrogati eorum et cuiuslibet
101. eorum medio iuramento responderunt et dixerunt, contenta in dicto articulo fore vera, rationem reddentes, quia nichil secum in capitulo tractare potuerunt nisi prius sibi inscriptis negotio presentato.

Die Jouis XXII. predicti mensis Aprilis super XLII. dictorum articulorum articulo qui incipit: Item quod eodem anno quidam infantulus cuiusdam Sigridis in Gothena p) etc.. honorabilis et discretus vir dominus Bero Knap, Canonicus Scarensis, testis productus, iuratus et interrogatus dixit contenta in dicto articulo fore vera, eaque pro veritate et vt vera ad relationem eiusdem Sigridis in ipso articulo nominate de mandato domini Ordinarii conscripsisse et originale miraculum a quo huiusmodi contenta in ipso articulo transsumpta sunt in notam ab eadem Sigride veraciter recepisse, nil addito vel minuto quod sensum mutat aut variat intellectum. De anno domini MCDXIIII. statim post festum Pentecostes.

Item super eodem honorabilis et discretus vir, dominus Andreas Toriri Canonicus Scarensis, testis productus etc.. suo medio iuramento dixit contenta in dicto articulo fore vera, causam reddens scientie sui dicti quia presens erat dum ipsum miraculum in ecclesia conscribebatur et ab eadem Sigride pronunciabatur, eaque sic fieri vidit et audiuit anno et die immediate supradictis.

Die Lune XII. predicti mensis Aprilis super XLIII. dictorum articulorum articulo qui incipit: Item quod eodem anno quedam Sigridis de parochia Settwna etc.. honesta matrona Sigridis principalis in dicto articulo principaliter nominata, vxor Petri sartoris de Boleem, q) alias in Settwnom, Scarensis dyocesis, testis producta, iurata et interrogata ac per nos diligenter examinata suo medio iuramento dixit, contenta in dicto articulo fore vera, causam scientie sui dicti reddens, quia audiens, quod quidam frater Mathias de ordine minorum ad ecclesiam suam parochialem Settuna apud quam eadem testis loquens quotidie morabatur venisset, cepit intra se cogitare: Si confessa sibi fueris, ipse tibi de vtili consilio prouidebit. Et tandem
102. rependo et baculis innitendo ad dictum fratrem Mathiam veniens, sibi confessa est, et ab eodem consilio recepto, quod votum faceret beato Brynolpho et eo facto, subito conualuit, sub anno domini MCDXI., Dominica proxima post festum sancti Olaui Regis et Martiris, hoc est die antepenultima mensis Julii.

Item super eodem articulo prouidus vir supradictus Petrus Sartor, maritus dicte Sigridis principalis, laycus, etatis quinquaginta annorum, vt dixit, Scarensis dyocesis, testis productus iuratus et diligenter examinatus ac interrogatus respondit suo medio iuramento et dixit, contenta in dicto articulo fore vera, quia sic ea fieri vidit et audiuit, votumque pro eadem vxore sua beato Brynolpho fecit et perfecit, anno die et mense quibus supra immediate.

Item super eodem prouidus vir Johannes Torstani in Boleem, Scarensis dyocesis, laycus, etatis XXX. annorum vt dixit testis productus etc. respondit suo medio iuramento et dixit, contenta in dicto articulo fore vera et sic ea fieri vidit et audiuit, addens, quod vidit dictam Sigridem principalem tumescentem vsque ad mamillas et nimis inflatam; et voto facto predicto, vidit eam subito sanatam, anno die et mense quibus immediate supra.

o) Qua re confirmatur, quod supra pag. 119 narratur de episc. Brynolpho II°.

p) Vide supra p. 136, not. f.

q) Hodie Bolum in territ. Walla, quæ ecclesia una cum eccl. Sätuna annexa fuit paroeciæ Broddetorp. Alia ecclesia Boleem in territ. Kinne plane est desolata ac paroeciæ Fullösa adjuncta.

Digitized by Google

Die Martis XX. predicti mensis Aprilis super penultimo dictorum articulorum articulo qui incipit: Item quod eodem anno quidam puer Turgillus etc.. honorabilis vir dominus Haquinus Andree, Curatus ecclesie Hwalstada, Scarensis dyocesis, etatis XXX. annorum, vt dixit, testis productus, iuratus et interrogatus respondit suo medio iuramento et dixit, contenta in dicto articulo fore vera, quia ea pro veritate et vt vera audiuit ab illis qui dictum Turgillum principalem viderunt talem, qualis in dicto articulo describitur, et ab illis quibus ipse patiens alias seruiuit et ab eorum vicinis, quodque de huiusmodi contentis in 103.
dicto articulo est publica vox et fama inter omnes suos parochianos; interrogatus de eorum nominibus dixit se nescire nomina singulorum, quia nouerit [ɔ: nouiter] eandem parochiam obtinuit.

Item super eodem articulo die quinto Jouis XXII. mensis Aprilis predicti prouidus vir Thomas Sigeri de Tokatorp, parochie Hwalstada, Scarensis dyocesis, laycus, etatis XL. annorum vt dixit, testis productus etc.. suo medio iuramento dixit, contenta in dicto articulo fore vera, quia ipsum Turgillum in huiusmodi infirmitate fouit, et pro eo votum beato Brynolpho fecit, eo quod ipse patiens eidem testi loquenti tunc seruiuit, cum in eandem infirmitatem incidit, videlicet ipso die Pentecostes et continuauit vsque ad dominicam Trinitatis ita quod loqui non potuit, voto autem per eundem testem loquentem pro eo, vt premittitur, facto, subito conualuit et surrexit.

Die Jouis XXII predicti mensis Aprilis super vltimo dictorum articulorum articulo qui incipit: Item quod anno eodem quedam Margareta etc.. honorabilis et discretus vir dominus Beno [ɔ: Bero] Knap, Canonicus Scarensis testis productus, iuratus et interrogatus respondit suo medio iuramento et dixit, contenta in dicto articulo fore vera, quia ea pro veritate et vt vera ab eadem Margareta se audiuisse ac de mandato domini Ordinarii ipsum miraculum fideliter conscripsisse firmiter asseruit, nil addito vel minuto quod sensum mutet aut variet intellectum, sub anno domini MCDXIIII. die Assumptionis beate virginis.

Item super eodem honorabilis vir dominus Arwidus, Sacrista ecclesie Scarensis testis productus etc.. dixit prout supra immediate, excepto quod non conscripsit ipsum miraculum sed quia [ɔ: quod] interim presens fuit sicque fieri vidit et audiuit. Dicti autem testes omnes et singuli seorsum et singillatim super generalibus interrogatoriis suprascriptis interrogati et diligenter examinati dixerunt quod non. 104.

Deinde eadem die Jouis XXII. predicti mensis Aprilis post productionem et examinationem testium predictorum, venerunt procuratores prelibati procuratorio nomine quo supra petentes eorundem testium attestationes publicari, vt est moris, nec non citari omnes et singulos, quorum interest aut intererit seu qui sua putauerunt interesse, ad dicendum et opponendum contra dictas attestationes, si quid dicere vel opponere voluerint verbo vel in scriptis ad aliquem certum peremptorium terminum competentem: Nos igitur commissarii prelibati, perpendentes huiusmodi petitionem fore iustam et consonam rationi, et pro tribunali sedentes, citationem infrascripti tenoris fieri decreuimus, ipsis procuratoribus eundem terminum ad actum similem nihilominus assignando. Tenor vero dicte citationis talis est.

Uniuersis et singulis Christi fidelibus et presertim illi vel illis quos infrascriptum tangit negotium, vel sua interesse credentibus, seu qui sua putauerunt interesse, omnibusque aliis et singulis quorum interest aut intererit seu interesse poterit quandolibet in futurum, Jacobus Asloensis, Magnus Aboensis et Eskillus Vexionensis dei et apostolice sedis gratia ecclesiarum Episcopi, commissarii ad infrascripta a sacrosancta Constanciensi sinodo specialiter deputati, similem [ɔ: salutem] in filio virginis gloriose. Pridem cum nos debita reuerentia receptis et perlectis litteris sacrosancte et generalis Constanciensis sinodi prelibate de et super canonizatione et inquisitione dominorum Nicolai Lincopensis et Brynolphi Scarensis quondam Episcoporum necnon Ingeridis quondam monialis Skeningensis, celebris et recolende memorie, negocio nobis ab eadem sacrosancta Sinodo specialiter credito et commisso et demum earundem litterarum vigore habitis et seruatis nonnullis actibus iudicialibus in ciuitate Scarensi, coram nobis et quam pluribus tam de eadem ciui- 105.
tate Scarensi quam extra testibus productis, iuratis, receptis et examinatis, et depositionibus testium super vita et miraculis eiusdem Brynolphi Scarensis pie memorie productis, iuridice coram in nostri et nostrorum presentia constituti Procuratores et procuratorio nomine, necnon sollicitatores et promotores dictarum Canonizationum seu inquisitionum negotii prelibati de quo ad presens agitur cum instantia et reuerentia debitis petierunt, attestationes et dicta testium ac totum processum in huiusmodi Canonizatione [ɔ: -is] seu inquisitione [ɔ: -is] negotio habitum coram nobis cum protestatione debita publicari, sibique ac omnibus et singulis Christi fidelibus petentibus ac ipsarum habere volentibus copiam decreui [ɔ: decerni] et cum termino ad opponendum quicquid predicti citati vel alii opponere voluerint verbo vel in scriptis: Nos vero attendentes predictorum Procuratorum petitionem fore iustam et consonam rationi et volentes nihilominus circa tam ardua negocia, que vtique per nos per dei gratiam stare nolumus nec intendimus, quin potius debite et mature procedere sicut decet, vos vel illos, omnes et singulos supradictos tenore presentis, primo, secundo et tercio, peremptorie, auctoritate prefate Sinodi sacrosancte, qua fungimur in hac parte, citamus, requirimus et monemus, quatinus die XXV. mensis Aprilis presentis, hora terciarum vel quasi, in hac Scarensi ecclesia audituri prefatorum attestationum et depositionum testiumque et totius processus publicationem, et copiam ipsorum vobis et aliis quorum interest decernendum [ɔ: -am], si eam habere volueritis seu voluerint, reputari(!) studeatis

Digitized by Google

et studeant comparere, si quid etiam volueritis seu voluerint contradictos attestationes et processus opponere,
106. vel vt premittitur excipere, verbo vel in scriptis opponant vel excipiant legittime coram nobis: alioquin ad vlteriora procedemus vestrorum et ipsorum absentia seu contumacia non obstantes [ɔ: -te]: Hanc autem nostram citationem in valuis huius Cathedralis Ecclesie Scarensis affigi et publicari mandauimus ad instar edictorum publicorum que olim in Albo Pretorum scribebantur, vt cunctis eam intuentibus fieret manifesta, et ne dicti citati de premissis ignorantiam aliquam pretendere valeant seu etiam allegare. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum, presentes litteras fieri fecimus, nostrorumque sigillorum iussimus impressione muniri. Datum Scaris anno domini MCDXVII., Indictione decima, die Jouis, vicesima secunda mensis Aprilis.

Die vero Solis XXV. mensis Aprilis nobis Commissariis prelibatis in ecclesia Scarensi pro tribunali sedentibus, comparuerunt dicti Procuratorio nomine quo supra in iudicio legittime coram nobis et supra citatorum non comparentium nec contra dictas attestationes quidquam verbo vel in scriptis dicere vel excipere curancium contumacia[m] accusarunt, ipsosque petierunt per nos Commissarios prelibatos contumaces reputari et in ipsorum contumaciam attestationes suprascriptas et alia inde secuta cum protestatione debita publicari Et tunc nos commissarii prelibati prefatos citatos non comparentes nec huiusmodi diei termino satisfacere curantes, licet diucius et vsque ad horam debitam expectatos, reputauimus quoad actum et terminum huiusmodi exigente iusticia merito contumaces, et in eorum contumaciam predictas attestationes et alia in dicta citatione contenta fecimus et mandauimus publicari, nemine reclamante, et pro publicatis habere voluimus, mandatis Notariis et Scribis nostris supra et infrascriptos [ɔ: -is], vt predictorum copiam dictis procuratoribus et quibuscunque aliis eam petentibus et habere volentibus traderent, petentium quidem sumptibus et expensis.

107. Demum die Mercurii XXVIII. predicti mensis Aprilis apud monasterium sanctarum Marie et Birgitte in Wasteno, ordinis sancti Augustini, sancti Saluatoris nuncupati, Lincopensis dyocesis, nobis Commissariis personaliter constitutis, ad instancias dictorum procuratorum et sollicitatorum, citatis prius per nos citandum [ɔ: -is] ad nonnullos actus iuxta interrogatoria suprascripta, quamuis non super articulis prelibatis, super vita tamen et sanctitate dicti venerabilis patris Brynolphi, quondam Scarensis Episcopi et eius meritis nos processisse noueritis in hunc modum:

Eadem die hora sextarum vel quasi in loquutorio fratrum dicti Monasterii in Wastenis intra cancellos, venerabiles et religiosi ac deo deuoti fratres, dominus Ericus Johannis Prior,[r] totusque conuentus ibidem Monasterii eiusdem coram nobis Commissariis prelibatis extra eosdem cancellos pro tribunali sedentibus personaliter constituti, ac generaliter in verbo veritatis et sacerdotii interrogati et requisiti de et super fama, vita et sanctitate venerabilis patris domini Brynolphi quondam Scarensis Episcopi prelibati, vt si et in quantum eis aut eorum alteri de huiusmodi fama et sanctitate constaret, semotis odio, timore vel amore, prece vel precio et quacumque alia subtractionis causa, nobis fideliter referre curarent. Ad quam quidem requefacta [ɔ: requisitionem] seu interrogationem et sicvt premittitur per nos factam, dictus dominus prior et statim in continenti affirmari [ɔ: afferri] mandans quendam librum celestium reuelationum beate Birgitte, alias Brigide, quondam fundatricis et spiritualis patrone eiusdem Monasterii in Wastenis, dum in humanis ageret, diuinitus factarum, in pergameno et littera ytalica conscriptum, quatuor tenacula argentea deaurata et zonis cericeis [ɔ: sericeis] auro contextis affixa et ad modum manuum formata haben-
108. tem, a cuius quidem libri vtroque latere super balneo cerico [ɔ: baltheo serico] ab extra inter solem et lunam deauratos et stellas argenteas hinc inde insertas perpendiculariter, vt prima facie apparuit, continebantur hec verba: liber celestis reuelationum dei. Cuius etiam prologus in octauo folio, a principio numerando sic incipit: Stupor et mirabilia audita sunt in terra nostra etc.. Finis autem eiusdem libri in rubro talis est: Explicit vltimus liber celestium reuelationum Christi ad sponsam beatam Birgittam: Et aperiens idem dominus prior eundem librum, capitulum vltimum secundi libri, infrascripti tenoris, digito demonstrans, nobis ad inspiciendum, legendum et examinandum tradidit et produxit, dicens, hoc capitulum vltimum de ipso venerabili patre Brynolpho, quondam Episcopo Scarensi, pie memorie debere intelligi et exponi, et de nullo alio sancto, saltem ab eo loco vbi dicitur: hic sanctus cum temporaliter vixit etcetera vsque ad finem, excepto illo Redaro de quo ibidem fit mentio. Et hoc idem affirmabant omnes et singuli fratres conuentus eiusdem monasterii, ibidem presentes et auscultantes, dicentes, se hoc firmissime credere et super hoc audere mori, eo quod sic veraciter a patribus et senioribus eorum dici audiuerant et sic audita communiter predicauerant in ambone. Vnde ad corroborandum huiusmodi dictum suum prelibati fratres prior et conuentus quendam alium librum papireum priori libro omnino dissimilem et difformem duo tenacula dumtaxat habentem, qui liber attestationum beate Birgitte alias Brigide vulgariter nuncupatur,[s] in

r) "De Ölandia." Intravit monasterium an. 1389, factus est confessor 1401, resignavit 1423, obiit 1447 (Diar. Vadsten.).

s) Idem, ac "Acta et processus canonizationis Birgittæ," ex quo infra post vitam Birgittæ excerpta dabimus.

Digitized by Google

medium produxerunt, ostendentes sanctitatem eiusdem venerabilis patris Brynolphi ex depositionibus seu attestationibus domini Petri, quondam prioris de Alwastro, t) Cisterciensis ordinis Lincopensis dyocesis, in XXXIII. sue depositionis articulo, circa cuius medium versus finem sic contineri vidimus, legimus et inde 109. de verbo ad verbum copiari et presentibus inseri fecimus in hac forma. u)

"Sed causa exempli iste testis dixit, se velle hic aliqua declarare, quoniam dixit iste testis loquens quod ipse presens fuit in Regno Swecie et audiuit a domina Birgitta, qualiter tunc habuit infrascriptam reuelationem de quodam Episcopo, qui vocatus fuit dominus Brynolphus, qui fuerat Episcopus Scarensis. Accidit enim quod in die purificationis domina Birgitta esset in ecclesia Scarensi, tunc sensit odorem suauissimum insolitum. Admirans igitur de hoc, rapta fuit statim in spiritu et videbat tunc beatam virginem Mariam et cum ea quendam virum mire pulchritudinis, indutum pontificalibus ornamentis. Tunc vero ait virgo Maria ad eam: Scias filia, quod iste Episcopus honorauit me in vita sua et honorem opere confirmauit. Cuius vita quam acceptabilis fuit deo, demonstrat odor quem sensisti; nunc autem, licet anima eius est in conspectu dei, tamen corpus eius iacet hic in terra sine honore, et sic ista margarita mihi dilecta locata est inter porcos."

Tenor vero dicti vltimi capituli secundi libri Reuelationum predictarum in rubro et in nigro sequitur et est talis.

"Deprecatio matris ad filium pro sponsa et pro alio sancto et de acceptatione deprecationis matris a Christo et de certitudine vere vel false sanctitatis hominis in hac vita.

Mater loquebatur filio dicens Da fili mi noue sponse tue, vt corpus tuum dignissimum radicetur in corde eius, vt ipsa mutetur in te tuaque delectatione repleatur. Deinde ait: hic sanctus cum temporaliter vixit, fuit in fide sancta sicut mons stabilis, quem non fregit aduersitas, nulla retraxit delectatio; fuit et 110. flexibilis ad voluntatem tuam sicut aer mobilis, quocunque eum impetus spiritus tui traxit. Fuit insuper in caritate tua ardens quasi ignis calefaciens frigidos et consumens iniquos. Nunc autem anima eius tecum est in gloria, vas autem instrumenti eius depressum est et in humiliori loco iacet quam decet. Ideo fili mi da corpori eius altiorem eleuationem, honora illud quod te pro modulo suo honorauit, eleua illud quod te labore suo quo potuit eleuauit. Respondit filius: Benedicta sis tu que nihil relinquis intactum quod ad amicos pertinet: non decet, mater, vt vides, quod lupus [ɔ: -is] detur cibus optimus, non conuenit, vt saphirus membra conseruans sana et corroborans infirma ponatur in luto. Non etiam decet vt cecis accendatur lumen; iste quippe homo, sicut in fide fuit stabilis et in caritate feruentissimus, sic et in continentia optime fuit ad voluntatem meam dispositus. Propterea sapuit mihi sicut cibus optimus optime decoctus in bona patientia et tribulatione, dulcis denique et bonus in bona voluntate et affectu, melior in conatu et virili progressu, optimus et dulcissimus in laudabili consummatione. Propterea non decet, vt ante lupos talis exaltetur cibus, quorum cupiditates nesci[un]t satietatem, quorum delectatio refugit herbas virtutis et sitit carnes putridas, quorum vox et astucia ouibus est nocua. Fuit etiam quasi saphirus in an[n]ulo per fame et vite claritatem, per quam ostendit se esse ecclesie sue sponsum, domini sui amicum, fidei sancte conseruatorem et mundi contemptorem. Propterea, mater carissima, non decet, vt tante bonitatis amator tamquam mundus sponsus tangatur a tam immundis, tanteque humilitatis amicus ab amatoribus mundi contingatur. Fuit etiam tercio tamquam lumen positum super candelabrum per omnem mandatorum meorum executionem, per bone vite doctrinam. Per hanc muni[i]t stantes ne caderent, per hanc eleuauit cadentes, per hanc etiam futuros post se ad me excitauit. Hoc lumen indigne [ɔ: -i] videre sunt obcecati amore 111. suo, hoc lumen discernere nesciunt qui habent albuginem v) superbie, hoc lumen attractare non valent scabiosi manibus, quia hoc lumen cupidis et suam voluntatem amantibus est nimis odiosum. Ideo, prius quam eleuetur, iustum est, vt illi qui immundi sunt purgentur, et qui ceci sunt illuminentur. Illum vero hominem quem homines terre dicunt sanctum, tria ostendunt eum non esse sanctum, primo quia ante mortem non imitabatur vitam sanctorum, secundo quia hilarem voluntatem non habuit patiendi martirium pro deo, tercio quia non habuit caritatem ardentem et discretam sicut sancti. Tria quoque sunt propter que quis videtur a populo sanctus: primum est mendacium fallentium et placare volentium, secundum facilitas credulitatis insipientium, tercium est cupiditas prelatorum et tepiditas prelatorum et examinatorum; vtrum autem ipse est in inferno vel in purgatorio nondum est tibi licitum scire, sed cum tempus fuerit loquendi."

Auditis igitur et per nos diligenter consideratis generalibus responsis prefatorum Priorum [ɔ: -is] et conuentus, communicato etiam super hoc sapientium concilio, visum nobis bonum erat et vtile cum matura deliberatione et magis exacte de huiusmodi allegationibus sanctitatis ipsius Brynolphi Scarensis inquirere,

t) Petrus Olaui, prior Alvastrensis, vocatur infra (p. 112 veteris edit.) "collector et conscriptor revelationum Birgittæ" et in Diar. Vadsten., ubi dies obitus ejus. 9 April. an. 1390, commemoratur, "translator et conscr. rev Birg. Bene distinguendus est a Magistro Petro Vadstenensi, etiam comite et confessore Birgittæ atque deinde primo priore monasterii Vadsten. usque ad mortem an. 1378. (Diar. Vadsten.).

u) Pene verbotenus reperitur hæc depositio in supradictis Actis canonisationis Birgittæ.

v) Morbus oculorum.

Digitized by Google

ac ad receptionem et examinationem nonnullorum testium in speciali descendere. Hinc est quod nos Commissarii prelibati, cupientes inauditum nobis in hac parte commissum, iuxta modum nobis possibilem, fideliter exequi, vt tenemur, infrascriptos testes de et super dicto vltimo dicto articulo dicti secundi libri et super suprascripta reuelatione in attestationibus domini prioris de Alwastro comprehensa citare et diligenter examinare curauimus per modum immediate inferius annotatum.

112. Eodem die et loco supradicto venerabilis et religiosus vir, frater Ericus Johannis, prior conuentus fratrum monasterii prefati, etatis L. annorum w) vt dixit, per nuncium nostrum testis citatus, iuratus et super dicto vltimo capitulo dicti secundi libri interrogatus et diligenter examinatus respondit, suo medio iuramento, et dixit, quod illud vltimum capitulum dicti secundi libri debet intelligi et exponi de beato Brynolpho Scarensi et non [de] alio, saltem ab eo loco quo dicitur: Hic sanctus etc.., causam reddens scientie sui dicti, quia sic pro veritate et vt vera audiuerat ab hiis qui audiuerunt ab ipsa beata Birgitta, cui sic fuit diuinitus reuelatum, videlicet a domino Magno Petro [ɔ: -i], septuagenario, quondam primo Priore eiusdem monasterii in Wastenis x) qui sepius dixit se hoc audiuisse a beata Birgitta per tempus et tempora quibus secum conuersabatur, tam in terra sancta, quam in vrbe et alibi, quasi per XX. annos. Dixit etiam idem testis loquens, id ipsum audiuisse a domino Petro, quondam priore monasterii in Alwastro, ordinis Cisterciensis Lincopensis dyocesis, Confessore et collectore seu conscriptore reuelationum eiusdem beate Birgitte, et a domino Gudmaro, y) conuentuali eiusdem monasterii in Wastenis octogenario, qui dixit, se etiam hoc a beata Birgitta audiuisse per tempus et tempora quibus sequebatur eam ad terram sanctam et deinde ad vrbem, et paulo ante obitum eiusdem beate Brigide missus erat per eam super certis negotiis ad ipsum monasterium in Wastenis. Interrogatus de tempore et loco, dixit idem testis loquens de diuersis locis et temporibus, quia ante XXX. annos, et tam ante ingressum religionis, quam post hoc, pluries audiuit.

113. Item super eodem religiosus ac deo deuotus vir, frater Martinus Laurentii, professus ibidem, etatis LXXV. annorum vt dixit, et etiam ex sue faciei inspectione verisimiliter apparebat, testis citatus, iuratus et interrogatus suo medio iuramento dixit prout supra immediate, referens se ad dominum Nicolaum, quondam Curatum ecclesie Herseme, z) Lincopensis dyocesis, postea conuentualem eiusdem monasterii in Wastenis, eo quod sic ab eo audiuit per tempus et tempora quibus idem testis loquens sibi seruiuit, videlicet vltra sex annos continuos, qui quidem dominus Nicolaus id ipsum dixit se vere audiuisse a beata Brigida per tempus et tempora quibus secum conuersabatur in vrbe, videlicet vltra quartale vnius anni. Dixit etiam idem testis loquens, id ipsum audiuisse a Magistro Petro Olaui a) quondam confessore dicte beate Birgitte, de quo quidem Confessore sibi associando tandem beata Birgitta fuit diuinitus annominata [ɔ: ammonita], vt ipsum sibi in confessorem acciperet: Dixit insuper idem testis loquens, se id ipsum veraciter audiuisse a domina Katherina, filia beate Birgitte ac a dictis dominis prioribus, videlicet Magistro [Petro] Wastenarum et Petro Alwastri monasteriorum. Dixit etiam idem testis loquens, quod ob deuotionem quam erga ipsum beatum Brynolphum spiritualiter [ɔ: specialiter] habuerat et ob sanctitatem quam a dictis suis relatoribus didicerat, semel sepulchrum eiusdem beati Brynolphi ante ingressum religionis peregre visitauit

Item super eodem religiosus et deo deuotus vir frater Finwidus Simonis, b) professus ibidem, etatis LXIIII. annorum vt dixit, testis citatus, iuratus et interrogatus suo medio iuramento, dixit prout supra immediate, excepto quod non visitauit eius sepulchrum, referens se ad dictos dominos Magnum Petri et Gudmarum ac Nicolaum in Herseme, addens, quod non dicti domini Magnus et Gudmarus mortui fuerunt
114. ante XL. annos, dictus vir Nicolaus obiit ante tres annos. c) Interrogatus idem testis loquens, quare ipsa reuelatio in attestationibus dicti prioris de Alwastro comprehensa et inserta non est vel fuit inter alias reuelationes eiusdem beate Birgitte locata, seu incorporata, dixit quod hoc ideo factum fuisse et esse credit, quia dictus dominus prior Alwastri eam cum aliis domino Alfolso [ɔ: Alfonso] heremite, d) qui eas in vnum volumen congregauit, in tempore debito minime presentauit.

Item super eodem religiosus et deo deuotus vir, frater Gregorius Jacobi, e) professus ibidem, quasi octogenarius, vt dixit, testis citatus, iuratus et interrogatus, ac per nos diligenter examinatus, dixit, suo medio iuramento, huiusmodi reuelationem de ipso beato Brynolpho fuisse et esse factam, et non de alio;

w) Si octogesimum quintum ætatis annum an. 1447 est assecutus (Diar. Vadst.), nunc LV. numerabat annos.

x) Hic frater Magnus Petri, socius Birgittæ in itinere et tunc "presbyter" vel "capellanus" vocatus, *secundus* prior vel confessor factus est post mortem magistri Petri an. 1378 (Diar. Vadst. ad an. 1378, 94 et 96). Præterea eum, ut nonnulli contenderunt, a gente Birgittæ non esse ortum patet ex eo, quod frater erat armigeri Johannis Petri (Diar. Vadst. an. 1405), et ex eorum insignibus gentilitiis (R.-Arch.Perg. bref, n. 1136).

y) Obiit an. 1389; v. Diar. Vadsten., ubi plura de eo inveniuntur.

z) Hodie Häradshammar. Cfr. supra Tom. I. 1. p. 127, not. h.

a) Vocabulum "Magistro" ostendit hoc spectare ad Petrum Vastenensem (v. p. 177, not. t), qui sicut alter Petrus Alvastrensis, quamvis rarius, fert cognomen Olaui. In processu canonizationis, quum de vita Birgittæ ab eis composita agitur, vocantur "dominus Petrus Olaui de ciuitate Skenengensi presbyter de regno Swecie et frater Petrus Olaui prior monasterii s:te Marie de Alwastro .... olim confessores ...."

b) Cfr. Diar. Vadsten. ad ann. 1405 et 1424.

c) Sine dubio omisit scriptor vel typographus signum V. ante III. Obiit enim Nicolaus an. 1409 (Diar. Vadst.).

d) Olim episcopus Giennensis (in Hispania), inclitus amicus Birgittæ et præcipuus collector revelationum, de quo plura in vita Birgittæ.

e) In fine eiusdem anni (1417) obiit (Diar. Vadst.).

Digitized by Google

causam scientie reddens, quia sic pro veritate et vt vera a Magistro Petro confessore supradicto audiuerat et a domino Magno Petri predicto, qui ambo hoc publice in ambone predicauerunt, eo quod sic a beata Birgitta per tempus et tempora quibus secum, vt supra dicitur, conuersabantur, didicerunt. Dixit etiam idem testis loquens, quod beata Birgitta, seu Brigida, visitauit loca singulorum sanctorum patronorum in regno Swecie, et semper responsa recepit de eorum sanctitate et meritis. Veniens igitur ad sepulchrum venerabilis patris beati Brynolphi cuius res agitur, recepit maximam consolationem spiritualem prout supra dictum est in dictis depositionibus prioris de Alwastro. Interrogatus quare non esset ipsa reuelatio incorporata sicut plures alie, dixit idem testis loquens se diuersas reuelationes beate Birgitte factas fuisse, vidisse, legisse et predicasse, que numquam fuerant cum aliis incorporate, addens, quod super hoc auderet mori, quod dictus Prior de Alwastro numquám aliter deposuit, nisi prout ab ore dei processisse per beatam Birgittam didicerat. Dixit insuper idem testis loquens, se a dicto Magistro Petro veraciter audiuisse, quod 115.
septem essent sancti in Swecia canonizandi, inter quos nominauit et nominatim expressit duos, videlicet dominos Brynolphum Scarensem et Henichinum f) Aboensem, Episcopos.

Item super generalibus interrogatoriis suprascriptis omnes et singuli, seorsum et singillatim, dicti testes interrogati et diligenter examinati, responderunt medio suo iuramento et dixerunt quod non.

Eodem die, hora vesperarum die [ɔ: decima], vel quasi, in loquutorio sororum dicti monasterii in Wastenis, apertis clausuris ferreis in vna fenestrarum et amotis velis intra cancellos ferreos, venerabilis et religiosa ac deo deuota persona, soror Gerdhica Hartlewi, Abbatissa eiusdem monasterii Wastenensis, etatis XLVII. annorum g) vt dixit, coram nobis Commissariis prelibatis extra dictos cancellos pro tribunali sedentibus personaliter constituta testis interrogata et super dicta reuelatione beate Birgitte, alias de et super sanctitate et vita commendabili venerabilis patris Brynolphi, quondam Scarensis Episcopi prelibati, diuinitus facta et ostensa, per nos diligenter examinata et interrogata respondit suo medio iuramento et dixit, quod serenissime [ɔ: firmissime] crederet et sciret eam de ipso Brynolpho beato et non de alio fuisse et esse factam, et beatissime domine sue, domine Birgitte seu Brigide, dum in humanis ageret, diuinitus reuelatam, causam scientie sui dicti reddens, quia sic firmissime et indubitantissime audiuit a domina Katherina, filia eiusdem beate Birgitte et a Magistro Petro Olaui, confessore ipsius beate Birgitte, a domino Petro quondam Priore de Alwastro, Cisterciensis ordinis Lincopensis dyocesis, h) et a domino Gudhmaro, per tempus et tempora quibus cum eis in ipso conuentu seu Monasterio conuersabatur, videlicet a tempore quo erat etatis VIII. vel IX. annorum.

Item super eodem religiosa et deo deuota persona, soror Estridis Gunnari, quinquagenaria, vt dixit, 116.
eiusdem monasterii professa, producta, iurata ac interrogata suo medio iuramento dixit prout supra immediate, affirmans se hoc audiuisse a dicta domina Katherina et a sorore Katherina Brynolphi, i) que cum esset nobilis moribus et genere, de consensu alterutrius coniugum se inuicem a lege coniugali absoluentium, ipsa professa est in monasterio Wastenensi in prima fundatione seu institutione eiusdem religionis et cum primis velum recepit in ipso conuentu sororum, maritus vero etiam nobilis eiusdem Katherine cum primis cepit habitum in Conuentu fratrum ibidem, ambo in timore domini separatim et seorsum quoad vixerunt Christo domino iugiter seruientes.

Item super eodem religiosa et deo deuota persona soror Gertrudis Andree, etatis LXIIII. annorum vt dixit, eiusdem monasterii professa, producta, iurata et interrogata, respondit suo medio iuramento et dixit prout supra immediate, referens se ad dictum dominum Gudhmarum, qui hoc pluries affirmabat se a beata Birgitta audiuisse, et ad prefatum Magistrum Petrum, confessorem eiusdem beate Birgitte, a quo etiam dixit eadem testis loquens se multa bona et commendabilia de vita et sanctitate eius et aliis miraculis per dictum beatum Brynolphum Scarensem factis, videlicet de aqua conuersa in vinum, de officiali beati Brynolphi per eum resuscitato et confessato et qualiter diuites quasi spernebat et pauperibus congaudebat; qui quidem Magister Petrus, vt dixit i[s]ta testis loquens, in ipso monasterio Wastenensi multis claret miraculis per sua merita gloriosa.

Item super eodem religiosa ac deo deuota persona, soror Ragna Johannis, k) etatis LIIII. annorum vt 117.
dixit, professa eiusdem Monasterii, producta, iurata et interrogata suo medio iuramento dixit prout supra immediate, referens factique auditus sui(!) ad dictos Magistrum Petrum et dominum Gudhmarum: addens nichilominus, quod ipsa testis loquens pluries audiuit a dicto Magistro Petro de aqua in vinum conuersata [ɔ: conuersa] meritis beati Brynolphi Scarensis et id ipsum etiam audiuit a dicta sorore Katherina Brynolphi.

Item super eodem religiosa ac deo deuota persona, soror Gertrudis Benedicti, sexagenaria l) vt dixit, similiter producta, iurata et interrogata et suo medio iuramento dixit vt supra immediate, addens, quod

f) Lege: Henricum, de quo v. supra p. 132.
g) De ea cfr. Diar. Vadst. ad ann. 1403, 22 et 38.
h) De duobus Petris haudraro confusis cfr. supra nott. t. et a.
i) Uxor armigeri Johannis Petri (supra not. x. memorati) qui ædificationi monasterii præfuit (Diar. Vadsten. ad ann. 1401 et 1405; cfr. R.-Arch.Perg.br. n. 1134—36, 1146 et 892). Alia Katerina Brynulfsdotter, leonis imaginem gerens in armis et amita celeberrimi Benedicti Algoti, ducis Hallandiæ et Österlandiæ, diligenter ab illa est distinguenda.
k) Obiit an. 1428 (Diar. Vadst.).
l) Obiit an. 1439 (l. c.).

Digitized by Google

audiuit a dicta sorore Katherina Brynolphi, quod tempore venerabilis patris Brynolphi Scarensis prelibati pie memorie venit ad eum quedam iuuencula, petens instanter inter se et virum suum diuortium celebrari, eo quod mater optaret fieri filiorum. Dictus igitur venerabilis pater Brynolphus, impetrato ab ipsa muliere vnius anni spacio, quo medio cum marito suo cohabitaret, mandauit quod anno transacto ad ipsum redirent super diuortio inter eos celebrando; quo facto, anno eodem euoluto, reuersa mulier cum filio, quem ab eodem marito suo medio tempore susceperat, gratias agebat eidem venerabili patri Brynolpho dicens suum filium esse filium eiusdem beati patris Brynolphi, eo quod gloriosis meritis suis eum conceperat et genuerat de marito suo prelibato, gratiasque agens deo et eidem beato Brynolpho dixit se nolle ab eodem marito suo quoad viueret separari.

Item generaliter omnes et singule sorores dicti conuentus in Wastenis numero quasi XL. intra cancellos dicti locutorii earundem sororum in verbo veritatis requisite, ipsarum super premissis prius oneratis conscientiis, affirmabant et verissima esse dicebant, que dicte sorores et fratres eiusdem Monasterii [de]
118. reuelatione vltima dicti secundi libri deposuerant et de vtroque conuentu eiusdem monasterii in premissis eorum attestationibus, tam generaliter quam specialiter necnon coniunctim et diuisim per omnia inuenimus concordare.

Seq[u]untur aliqua miracula de crebrescentia, pauca de multis.

Helena vxor Birgeri, de familia domini Alexandri, Curati ecclesie Oodh,[m] Scarensis dyocesis, dum ad mensam sana et incolumis sedere videbatur, et primum morcellum seu bolum comedere incepisset, subito oculos horribili modo girare et regirare cepit, os eius versus[n] a nostre dexterum deformaret[n] deflectitur, oculi tandem versus dorsum et occiput versus pectus monstruose vertuntur; spumat in terram subito deiecta, sanguis ab ore, oculis et naribus abundanter effluit, adeo quod ab hora meridiei vsque ad solis occasum iam ab omnibus eam intuentibus miserabiliter mortua reputatur. Diuersorum igitur sanctorum patrocinia humiliter implorantur, nec adest remedium; tandem vero per dictum dominum Alexandrum ad beatum Brynolphum Scarensem pro ea voto facto, subito respirare cepit, et quasi de graui somno euigilans resedit et eisdem hora et loco membra inordinata ad loca debita reducuntur, ipsaque mulier plene sanitati restituta est, statim voto facto, sub anno domini MCDXVI. ipso die purificationis beate Marie virginis. Testes autem huiusmodi miraculi producti, iurati seorsum et singillatim suo medio iuramento diligenter examinati sunt dictus dominus Alexander Beronis, Curatus in Oodh et Birgerus maritus dicte Helene, qui pro eadem Helena votum prefatum fecerunt, dicentes quod in facie ipsius mulieris apparebant euidentissime quasi quedam alba vestigia cruciantis seu trucidantis eam et reputantes eam a dyabolo suffocatam.

Item Bondo Kiebbas, ciuis Ludosiensis, Scarensis dyocesis volens trans mare equos suos nauigio
119. deducere, subito vnum equorum suorum iacentem reperit et per os et nares stercora emittentem, ceteris nautis, qui iam ipsum equum mortuum putabant eum in mare precipitare volentibus; voto autem beato Brynolpho Scarensi Episcopo facto, subito idem equus sanus surrexit et perfecte conualuit. Premissa autem et infrascripta omnia et singula dictus Bondo, suo medio iuramento diligenter examinatus deposuit, narrans quasi simile de quodam puero trium annorum, qui dum niteretur quandam domitam monedulam accipere, subito ab altitudine X. cubitorum cadens super vnum trabem, ab omnibus mortuus credebatur. Dictus autem Bondo hec videns, persuasit dicti pueri parentibus, vicinis suis, quod votum pro eo facerent beato Brynolpho Scarensi, exponens eis qualiter equum suum in mari mortuum mirabiliter suscitasset, quo quidem voto facto, ipse puer, qui vltra quartale vnius diei estiualis ab omnibus, vt premittitur, mortuus putabatur, subito conualuit et surrexit, de anno domini MCDXV. tempore estiuali. Dixit etiam idem Bondo, suo medio iuramento quo supra, quod cum premissa omnia iam Scaris constitutus sub silentio et ingratitudinis titulo ponere non curasset, recedens a ciuitate Scarensi per quartam partem vnius miliaris, bursam suam pecunia plenam se vidisse [ɔ: amisisse] agnouit. Penitentia ductus et aliqualiter recollectus iudicauit intra se, hoc sibi merito euenisse et quod dicta miracula beati Brynolphi scribi siue publicari coram Commissariis non fecisset. Voto autem nedum pro dicta bursa recuperanda, immo verius pro sigillo suo et quadam littera in ipsa bursa alias reclusa, de quibus magis doluit, eidem beato Brynolpho Scarensi facto, obuiam habuit quandam mulierem subito, que sibi bursam restituit cum pecunia, sigillo et littera prelibatis. Dictus igitur Bondo Scaras rediens, coram nobis Commissariis premissa omnia et singula, suo quo supra medio iuramento deposuit vt in forma.

Item Magnus filius Birgeri Folkason,[o] armigeri, ex vtroque parente nobilis, Scarensis dyocesis,
120. infans etatis dimidii anni tam graui infirmitate detentus est, quod in tribus vel quatuor diebus lac de matre sugere non posset et iam pene deficere videretur; voto pro eo ad beatum Brynolphum Scarensem facto, quod si superuiuere et conualescere posset, ipsum infantem in ecclesia Scarensi diuino seruicio manciparet,

m) Vide supra p. 168, not. v.

n) Forsan legendum: versum a sinistro dexterum deformatur et ....

o) Nobilis quidam, Birgerus Folkason, possidens bona in Vestrogotia comparet ann. 1410 et 1414 (lit. origg. in biblioth. Strengenensi).

Digitized by Google

idem infans eadem die statim alimenta sumpsit et plene conualuit. Testes autem huius miraculi concordes, iurati et diligenter seorsum examinati sunt dictus Birgerus Folkonis et Ingregridis [ɔ: Ingegerdis] parentes dicti pueri.

Item Raguildis [ɔ: Ragnildis] filia Olaui aurifabri, ciuis Scarensis, etatis VI. annorum a tempore assumptionis beate Marie virginis vsque ad festum omnium sanctorum, sub anno domini MCDXIIII. grauiter adeo infirmata est, vt intestina super eius vitalia, quasi vlceribus corrupta crederentur, vnde tandem viribus destituta, oculos claudit, loquelam perdit, cessat anhelitus, et ab omnibus circumstantibus vere mortua reputatur et creditur; mater autem dicte puelle confisa plurimum de fama et sanctitate ac deuotione beati Brynolphi Scarensis votum sibi pro recuperanda et retinenda vnica sua filia humiliter fecit. Quo facto puella ipsa subito alterum oculum aperuit, refectionem potus optauit, et eodem die perfecte conualuit; cuius rei testes concordes producti iurati et diligenter et seorsum examinati sunt Ingregridis [ɔ: Ingegerdis], dicta mater ipsius puelle, dominus Aruidus Sacrista Scarensis, qui matrem eandem ad votum huiusmodi faciendum induxit, et Nicolaus Haquini, ciuis Scarensis.

Item Ericus Petri in Ranakra, p) parochie Asaka, Scarensis dyocesis, etatis L. annorum vt dixit, volens equum suum adequare, subito tremefactus et omnino viribus destitutus, in terram corruit, vsu priuatus membrorum suorum omnium et in lectu egritudinis per XII. hebdomadas continuas locatur, qui tandem per confessorem suum monitus, votum fecit beato Brynolpho Scarensi et subito remedium sensit. Cum autem 121.
per baculorum sustentationem sepulchrum eiusdem beati Brynolphi dictum votum completurus visitaret, ad ipsum sepulchrum baculos reliquit, et perfecta sanitate recepta, gaudens in domino ad propria remeauit anno domini MCDXIII. ipso die Assumptionis beate Marie virginis gloriose. Cuius rei testes concordes cum ipso Erico principali, iurati et diligenter in forma iuris recepti sunt venerabilis et circumspectus vir dominus Torkillus, Prepositus Scarensis, et honorabilis vir dominus Johannes Magni, prebendatus ibidem.

Premissa autem omnia et singula acta nostra circa presens inquisitione [ɔ: -is] negotium nobis vt premittitur commissum, vestris reuerendissimis paternitatibus aut beatissimo patri sacrosancte Romane ac vniuersalis ecclesie summo pontifici, pro responsis vtinam tam gratis et vtilibus, quam veris et humilibus in presentiarum cum benignissima vestri supportatione remittimus, insinuantes et expressius intimantes seu verius vestris reuerentiis aut vestre sanctitati humiliter exponentes, quod si qua in supra scriptis articulis et alias contenta minus sufficienter probata forsan apparuerint, que tamen omnia singula veritate nitere [ɔ: niti] et vera fuisse et esse pro certo ex fama publica et communi voce in dicta publicatione et attestationum [ɔ: -ibus] et alias didicimus et scimus, hoc non ex friuolo aliquo nec ex negligentia nostra, quinpotius ex infrascriptis rationibus noueritis contigisse, tum quia in magna mortalitate que erat sub anno domini millesimo tricentesimo quinquagesimo moriebantur homines vtriusque sexus, saltem plerique seniores, quasi in omnibus finibus mundi, maxime autem in partibus istis, tunc et in posterum per varias plagas et pestilentias, testes plures nobiles et plebei, clerici et laici de medio sunt sublati, qui seriem pleniorem vite et sanctitatis dicti Brynolphi Scarensis nouerunt certius informandam, tum quia testes nonnulli magis sufficientes sunt circa regalia tributa et armorum exercicia pro defensione patrie occupati, q) alii verisimili- 122.
ter tunc tempus vernale in agris excolendis plurimum demorantur, alii autem per nimis longam distantiam, videlicet extra regnum et vltra XL. vel C. miliaria Al[a]man[n]ica moram trahunt, adeo quod huiusmodi sacri et pii negocii inquisitioni sine grauibus eorum lesione et rerum tempora perituraruṁ iactura r) et periculo commode nequiant interesse, nec ad interessendum seu deponendum in huiusmodi negocio bono modo vel possibili poterunt euocari. Famam autem celeberrimam et deuotionem in populo feruidissimam necnon insignium miraculorum merita et eorum crebrescentem [ɔ: -tiam] ceter[ar]umque virtutum et sanctitatis dicti Brynolphi Scarensis prodigia gloriosa, que et quas mirabilis deus in sanctis suis per eum operari dignatus est et in dies operari non desinit ad condignum explicare non possumus, quia tot et tanta ad aures nostras hiis temporibus peruenerant, quod nec carta nec calamo ad plenum valeant comprehendi. In quorum omnium et singulorum premissorum fidem et testimonium, sigilla nostra, vna cum quatuor suprascriptionibus notariorum seu scribarum nostrorum supra et infrascriptorum presentibus actis nostris apponi iussimus in pendenti. Acta sunt in hoc anno, indi[c]tione, diebus, mense et locis quibus supra, data vero Wastenis sub predicto anno a natiuitate domini millesimo quadringentesimo decimo septimo, die XXVIII. mensis Aprilis supradicti.

Ego Petrus Holmstani, s) Presbiter Lincopensis, publicus apostolica et imperiali autoritatibus Notarius et princip[al]ium actorum scriba a prelibatis reuerendis in Christo patribus et dominis, dominis Jacobo Asloensi, Magno Aboensi et Eskillo Vexionensi dei et apostolice sedis gratia ecclesiarum Episcopis, presentis 123.
negocii Commissariis, vna cum infrascriptis tribus notariis et scribis specialiter deputatus, ac in eorum et cuiuslibet eorum manibus vt premittitur iuratus, premissis litterarum sacrosancte Constanciensis Sinodi pre-

p) Hodie Ranåker in eadem paroecia, territ. Skåning.
q) Scilicet in diuturno bello, quod Ericus Pomeranus rex gessit contra comites Holsatiæ.
r) Forsan legendum: temporum, pecuniarum jactura.
s) Editio vetus habet: Petrum Holstaui.

Digitized by Google

libate presentatione et receptione, procuratorum constitutione, testium citatione, productione, interrogatione et examinatione, citationis ad valuas affixione et publicatione, iuramentorum receptione, articulorum lectione et expositione, attestatione [ɔ: -um] publicatione, omnibusque aliis et singulis vna cum prelibatis dominis commissariis ac supra et infra scriptis notariis et scribis, dum sic vt premittitur coram eisdem dominis commissariis agerentur et fierent, presens fui, eaque taliter fieri vidi et audiui, in notam recepi et prothocollaui, ideoque hunc presentem libellum, seu hec presentia acta de mandato prelibatorum dominorum Commissariis [ɔ: -orum] exinde fieri feci, et per honorabiles et descriptos [ɔ: discretos] viros, dominos notarios immediate subscriptos, videlicet Henichinum Ragwaldi in vndecim primis et Laurencium Finuidi in XXIIII. sequentibus foliis seu peciis ex vtraque parte et parte presentis folii fideliter exemplari et ingrossari t) procuraui, et demum examinata [ɔ: exemplata] et ingrossata huiusmodi diligenter, prout potui, collacionaui et auscultaui, autenticaui, publicaui et in hanc publicam formam redegi, nihil addens vel minuens preter forte punctum, litteram aut sillabam que non mutant substantiam veritatis, signoque et nomine meis solitis et consuetis vna cum appensione signorum dictorum dominorum Commissariis [ɔ: -orum] autoritatem et decretum apponentium, vt eisdem actis vbique locorum adhibeatur de cetero plena fides, et de eorum mandato spirituali [ɔ: speciali] signaui rogatus et requisitus, in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

124. Ego Laurencius Finwidi, Clericus Lincopensis dyocesis, publicus autoritate imperiali notarius et presentis [ɔ: -ium] actorum scriba a prelibatis reuerendis in Christo patribus et dominis, dominis Jacobo Asloensi, Magno Aboensi, et Eskillo Vexionensi, dei et apostolice sedis gratia ecclesiarum Episcopis, presentis negotii Commissariis, vna cum supra et infra scriptis notariis et scribis spiritualiter [ɔ: specialiter] deputatus, et in eorum et cuiuslibet eorum manibus vt premittitur iuratus, quia premissis litterarum presentatione et receptione, procuratorum constitutione, testium citatione, productione, interrogatione et examinatione, [citationis] ad valuas affixione et publicatione, iuramentorum receptione, articulorum lectione et expositione, attestationum publicatione, omnibusque aliis et singulis, dum sic vt premittitur coram eisdem dominis Commissariis agerentur et fierent, vna cum supra et infrascriptis tribus Notariis presens interfui, eaque sic fieri vidi et audiui: ideo de hoc presenti libello XXIIII. [vltima] folia supra [ɔ: seu] pecias, cum parte presentis folii, de mandato dictorum dominorum Commissariis [ɔ: -orum] propria manu fideliter scripsi et de prothocollo honorabilis et discreti viri domini Petri Holmstani, presbiteri Lincopensis, Notarii immediate suprascripti, diligenter examinaui, auscultaui et publicaui, signoque et nomine meis solitis et consuetis, vna cum appensione sigillorum dictorum dominorum Commissariis [ɔ: -orum] autoritatem et decretum apponentium, vt eisdem actis vbicunque locorum adhibeatur de cetero plena fides, et de eorum mandato spirituali [ɔ: speciali] signaui rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

Eodem [ɔ: Ego item] Henichinus Ra[g]waldi, Clericus Lincopensis dyocesis, publicus Imperiali autoritate

125. notarius et presentis [ɔ: -ium] actorum scriba, a prelibatis reuerendis in Christo patribus et dominis, dominis Jacobo Asloensi, Magno Aboensi et Eskillo Vexionensi, dei et apostolice sedis gratia ecclesiarum Episcopis, presentis negotii Commissariis, vna cum supra et infrascriptis notariis et scribis spiritualiter [ɔ: specialiter] deputatus et in eorum et cuiuslibet eorum manibus vt premittitur iuratus, quia premissis litterarum presentatione et receptione, procuratorum constitutione, testium citatione, productione, interrogatione et examinatione, citatione [ɔ: -is] ad valuas affixione et publicatione, iuramentorum receptione, articulorum lectione et expositione, attestationum publicatione, omnibusque aliis et singulis dum sic vt premittitur coram eisdem dominis Commissariis agerentur et fierent, vna cum supra et infrascriptis tribus notariis, presens interfui, eaque sic fieri vidi et audiui: ideo de hoc presenti libello vndecim prima folia seu pecias de mandato dictorum dominorum Commissariorum propria manu fideliter scripsi, eaque de prothocollo seu registro honorabilis et discreti viri domini Petri Holmstani, Presbiteri Lincopensis, notarii suprascripti diligenter examinaui et auscultaui et publicaui signoque [et] nomine meis solitis et consuetis, vna cum appensione sigillorum dictorum dominorum Commissariis [ɔ: -orum] autoritatem et decretum apponentium, vt eisdem actis vbicunque locorum adhibeatur plena fides, et de eorum mandato spirituali [ɔ: speciali] presentem libellum me subscribendo signaui rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

Et ego Johannes Skutea, u) clericus Hildesemensis, publicus imperiali autoritate Notarius et presentis [ɔ: -ium] actorum scriba a prelibatis reuerendis in Christo patribus et dominis, dominis Jacobo Asloensi, Magno Aboensi et Eskillo Vexionensi, dei et apostolice sedis gratia ecclesiarum Episcopis, presentis negotii

126. Commissariis, vna cum suprascriptis notariis et scribis spiritualiter [ɔ: specialiter] deputatus et in eorum et cuiuslibet eorum manibus vt premittitur iuratus, quia premissis litterarum presentatione et receptione, procuratorum constitutione, testium citatione, productione, interrogatione et examinatione, citatione [ɔ: -is] ad valuas affixione et publicatione, iuramentorum receptione, articulorum lectione et expositione, attestationum publicatione omnibusque aliis et singulis dum sic vt premittitur coram eisdem dominis Commissariis agerentur et fierent, vna cum suprascriptis tribus notariis presens interfui, eaque sic fieri vidi et audiui: Ideo hunc libellum seu acta signo et nomine meis solitis et consuetis, vna cum appensione sigillorum dictorum

t) I. e. "luculentius scribere": sec. Du Cange.

u) Scribitur Skwitte supra p. 139, forsan pro Skytte.

Digitized by Google

dominorum Commissariorum autoritatem et decretum apponentium, vt eisdem actis vbicunque locorum adhibeatur de cetero plena fides, et de eorum mandato spirituali [ɔ: speciali] me subscribendo signaui, rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

v) Martinus Episcopus, seruus seruorum w) dei, Venerabilibus fratribus Asloensi et Aboensi ac Vexionensi x) Episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Quoniam ineffabilis virtutum celestium procereque celsitudinis interne leticie veritate planta[n]tis, summi, circumdati agminibus, patris y) prouidentia, licet in hoc defluentis et ad exitum continue properantis mundi statu, z) recti censura iudicii cuncta secernens, omnes formas a) gradusque plasmatorum b) diiudicans singulis diuersa distribuat, et in hoc procelloso curarum pelago hunc humiliet et hunc exaltet, istum deiici permittat ad infima illumque ad summa rerum fastigia magnitudine dignitatis attollat, dum nascentis dies mortis indicitur et per latentes subdolosque c) decursus huius vite nostre mortalitas ad extremum diem propulsi temporis mobilitate raptatur, d) operum gestorumque 127.
remedia et auxiliaria commoda saluando cetui perstringit dumtaxat profutura: congruit profecto vt e) vltimum labentis vite nostre diem, quem festinatis f) cursibus properare sentimus, piis preuenire gestientes operibus et ex(!) eorum, quos in hoc blandienti captiosoque seculi g) tramite cursu h) consummato ex misericordiarum aceruo ad celestem patriam immarcessibilibusque deliciis altissimi presentiam peruenisse pie creditur, acceptabilia exquirentes i) suffragia, illos, vt etiam eorum adiuti patrocinio ipsius patrie possessores k) efficiamur et heredes, studiis honorare sollicitis et honorum l) efferre preconiis nullatenus omittamus. Dudum siquidem cum pro parte carissimi m) in Christo filii nostri Erici, Swecie, Dacie et Norwegie Regis illustris ac Venerabilium fratrum nostrorum Vpsalensis, Lundensis et Nidrosiensis Archiepiscoporum, necnon suffraganeorum prouincie Vpsalensis ac dilectorum filiorum nonnullorum Capitulorum et Conuentuum, ecclesiarum et monasteri[or]um, necnon procerum et aliorum nobilium ac communitatum quarundam ciuitatum regni Swecie iuxta seriem quarundam litterarum per illos Baldassari [ɔ: -ro] in sua obedientia, de qua partes ille tunc erant, Johanni XXIII. super hoc specialiter directarum coram generali Constanciensi sinodo, postquam ipse Baldassar huiusmodi obedientie presidere desierat et ante sibi huiusmodi litteris minime presentatis, expositum extitisset, quod celebris et recolende memorie Nicolaus Lincopensis, Brynolphus Scarensis, Episcopi, ac Ingridis, monialis monasterii monialium Skieningensium, ordinis sancti Augustini, sub cura et secundum instituta fratrum ordinis predicatorum viuentium, Lincopensis dyocesis, dum in huius erumnose peregrinationis exilio n) mortali vita potirentur, non humanis fauoribus obsequi sed puro corde sinceraque mente diuinis oculis complacere studuerant et per austeritatem iugis 128.
penitentie corporum artus suorum o) spiritui seruire cogentes, lubrice carnis contempserant illecebras, declinauerant a voluptatibus, pudicicie coniuncti fuerant et spreta fugaci fallacique gloria mundi, per deuote orationis exercitium et laudabilia virtutum opera summo iudici Deo famulatum p) impendere ac sibi ipsis et aliis ad eterne vite merita proficere conati erant indefesse verbis pariter et exemplis, non quesierant opibus, sed spiritualibus gratiis et bonis moribus abundare, quibus re q) [et] conuersatione se pios prudentes, humiles, sobrios et castos, erga Deum summa veneratione deuotos, erga vero pauperes et loca pia caritate non ficta largifluos, constantes in fide, sacra spe plenos et aliis virtutibus claros esse probauerant, propter quod mirabilis Deus in sanctis suis et faciens mirabilia magna solus per gloriosa eorundem Nicolai, Brynolphi et Ingridis merita, tam ipsis in humanis agentibus, quam etiam post eorum felicem transitum ab hac luce, in variis locis Swecie diuersisque temporibus plura miracula dignatus fuerat operari, honorans illos in terris quos, vt pie credebatur, coronauerat in excelsis: ac pro parte Regis et aliorum exponentium predictorum ipsi Sinodo humiliter supplicato, vt aliquibus etiam sancte Romane Ecclesie Cardinalibus et aliis Prelatis in dicta Sinodo existentibus, quod se de vita et meritis prefatorum Nicolai, Brynolphi, Ingridis ac huiusmodi miraculis informarent, et ea que per huiusmodi informationem reperirent, eidem Sinodo referre curarent, et deinde sufficientibus et exquisitis meritis ad hoc suffragantibus, ipsi Nicolaus, Brynolphus et Ingridis aliorum sanctorum Cathalogo ascribi et aggregari possent, committere dignaretur: ipsa Synodus 129.
nobis tunc minori fungentibus officio et dilecto filio nostro Petro tit. r) sancti Crisogoni presbytero Cardinali ac venerabili fratri nostro Jacobo, Episcopo Laudensi, s) necnon dilectis filiis Johanni de Gersona, t)

v) Paullo melius redditur hæc bulla apud Mansi: Collectio sacrorum Conciliorum, Tom. XXVIII, p 932 ex qua igitur, ubi opus fuerit, textum nostræ editionis emendavimus. Vitiosam autem interpunctionem ipsi prout potuimus correximus.
w) Edit. vetus: Jermis Jernorum.
x) E. v.: Alboensi ac vexatione. Mansi, omissis verbis "et Aboensi" habet "Verionensi."
y) E. v.: patribus.
z) E. v.: flatu.
a) M.: omnes formans. E. v. solum: forans.
b) M.: psalmatorum.
c) M.: subdolosque discursus. E. v.: subdolosus decursus.
d) M.: captatur.
e) E. v.: et.
f) E. v.: festiuitatis.
g) E. v.: captiuosoque seculo.
h) E. v.: cursum.
i) M.: acquirentes.
k) E. v.: professores.
l) E. v.: sonorum. M.: sonoris.
m) M.: dilectissimi.
n) E. v.: exilium.
o) E. v.: arctus suo.
p) E. v.: famulantium.
q) M. pro "re": "iugiter et."
r) E. v.: pro "tit." habet "etc."
s) E. v.: Landensi. Cfr. supra p. 140, not. s.
t) M.: Gersonio. E. v.: Jarsono. Cfr. l. c.

Digitized by Google

Cancellario Ecclesie Parisiensis, Lamberto de Gelria, Petro de Pulta, Wilhelmo Glinth u) et Johanni Glotuell, v) in Theologia Professoribus, in eadem Sinodo presentibus, viue x) vocis oraculo commisit, vt litteris autenticis necnon libellis et instrumentis publicis per Regem et alios exponentes predictos super hoc destinatis per eos visis et examinatis, super premissis omnibus se diligenter informarent, et ea que per eandem reperirent informationem ipsi Sinodo fideliter referre curarent, et qui y) eisdem litteris necnon libellis et instrumentis publicis per eos diligenter visis et examinatis, ea que exinde repererant de vita ac meritis, necnon fama et deuotione populi et miraculis huiusmodi, tam in vita, quam post mortem eorundem Nicolai, Brynolphi et Ingridis, que ipse deus ad eorum preces vt credebatur operatus fuerat et indies operabatur, seriosius referre curarent. z) Ipsa quoque Sinodus attendens, quod de fama premissorum ac deuotione populi, necnon vita et meritis a) dictorum Nicolai, Brynolphi et Ingridis, ac miraculis supradictis per huiusmodi informationem receptam plene liquere non poterat quodque ecclesie militanti difficillimum redderetur agnoscere spiritum glorificandum in ecclesia triumphanti, et quod propterea expediens videretur in talibus ea grauitate procedi, qua ipsa non deciperetur ecclesia militans et virtutum mater, iusticia, non lederetur, sed in re tanta cum abundantiori cautela et maturitate maiori procederetur, vobis suis dedit litteris b) in mandatis, quatenus ad loca, in quibus prefati Nicolaus, Brynolphus et Ingridis fuerant, dum
130. in mundanis agerent, conuersati, et illa vbi eorum corpora requiescunt personaliter accedentes, de fama premissorum ac deuotione populi, vitaque et meritis antedictis ac miraculorum huiusmodi crebrescentia, veritateque et eorum circumstantiis vniuersis, iuxta datam vobis a deo prudentiam, a testibus omni c) quantum humana sineret fragilitas exceptione maioribus, exacte, diligenter, fideliter et prudenter, secundum articulos et interrogatoria, que sua bulla vobis mittebat interclusa, inquire[re]tis d) perpensius veritatem, super quibus omnibus et singulis vestras duxit conscientias onerandas, prout in ipsis litteris plenius continetur. Nos itaque, qui superni postmodum dispositione Concilii, in Apostolice dignitatis statione collocati, e) illius, quem in suis sanctis collaudare iubemur, cuiusque in hac tenebrarum valle habitantibus inscrutabilia sunt iudicia et qui inuestigabiles facit vias suas in terris, vices gerere, licet immeriti, comprobamur, vlterioribus Regis aliorumque exponentium prefatorum, qui caritate estuantes et fide, illudque veritatis "non qui ceperit sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit" complectentes oraculum, Episcoporum et Ingridis predictorum, qui ex deo nati illi omnia sua vouendo consecrarunt, et quos altissimus in omni benedictione spirituali in celestibus in Christo Jesu benedicens ante mundi constitutionem elegit, vt in conspectu eius sancti essent et immaculati, canonisationem, vt cum sanctis scribantur, studiis sitiunt f) indefessis, piis ac g) deuotis supplicationibus excitati ad dei laudem et gloriam, fidei quoque propagationem orthodoxe et vt iustorum semita quasi lux splendens procedat atque crescat et compunctionis vomere ad proferendos fructus vberesque manipulos fidelium de virtute in virtutem ambulantium corda perpensius h)
131. adaperiat nostrique exilis operis fruge deus omnipotens, qui nullius obliviscitur operis, seminis per suos germinati in plurimorum conspectu pabula i) falce metat granaque sua ad horrea k) perducat eterna, et elucente diuine operationis effigie in huiusmodi tam celebris exagitatione negotii illud verbi dominici, "inueni hominem secundum cor meum," vobis dirigi valeat et ascribi, nostre super hiis impertientes autoritatis a[d]miniculum, commissiones necnon mandata et litteras huiusmodi ac omnia inde secuta rata habentes et grata illa autoritate Apostolica laudamus, approbamus pariter et confirmamus ac presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsitan interuenerint in eisdem et nihilominus, vt huiusmodi tam meritorii edificatoriique l) negotii ductu regio exitus citius m) substituatur optatus, vobis et vestrum cuilibet, per vos vel etiam alios moribus et vita comprobatos viros ydoneos, de quibus et prout vobis in hiis etiam huiusmodi vestris oneratis conscientiis expedire videbitur, ad predictarum litterarum executionem procedendi ac in eis contenta exequendi, omnia preterea et singula, que pro huiusmodi executione realiter adimplenda quomodolibet necessaria vel opportuna fuerint, faciendi, presentium serie mandatum damus et etiam potestatem. Testes autem huiusmodi qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere, non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii Pape octaui, predecessoris nostri, ac de vna et duabus dietis n) in Concilio generali, quam aliis Apostolicis Constitutionibus ceterisque contrariis quibuscumque, seu si o) aliquibus communiter vel diuisim a sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari,

u) M.: Slync; supra l. c. Clinth.
v) M.: Blocvvell. Cfr. supra l. c.
x) Edit. vetus: diuæ.
y) Pro verbis "et qui" legitur apud Mansi: Qui quidem commissarii procuratoribus regis et aliorum exponentium predictorum negotium huiusmodi prosequentibus.
z) M.: curarunt.
a) E. v.: maritis.
b) Quæ supra pagg. 139—141 reperiuntur.
c) E. v.: omnium.
d) M.: requirereris.
e) E. v.: collecti et.
f) M.: statuerint.
g) E. v.: ad.
h) E. v.: propensius.
i) E. v.: patulo.
k) E. v.: grauaque sua ad horam ....
l) E. v.: edificatuique.
m) E. v.: rescis us
n) E. v.: dictis.
o) E. v.: sensi.

Digitized by Google

aut extra vel vltra certa loca ad iudicium euocari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem: Quicquid autem per huiusmodi in- 132.
quisitionem vos et a vobis forsitan deputandos inuenire contigerit in premissis, nobis aut successori nostro, Romano Pontifici, canonice intranti, per vestras patentes litteras, presentium litterarum et aliarum litterarum predictarum seriem continentes, plurimorum tabellionum publicorum boni testimonii et fame legalis manibus ac subscriptione vestris sigillisque munitas, fideliter, quantocius intimare curetis, vt ex intimatione ipsa super hiis vberiori nobis, vel eidem successori certitudine reddita consultius fieri queant singula laude et rependiis supernaque catherua iugiter extollenda. p) Datum Constanciensi Monasterio, [Nonis q)] Maii. Pontificatus nostri anno primo.

Thelos huius opusculi.

XIV.

Vita sanctæ Birgittæ.

Auctoribus magistro Petro, primo confessore Vadstenensi et Petro, priore Alvastrensi, confessoribus Birgittæ.

Reperitur hæc vita in codice papyraceo circa an. 1400 scripto, signato A. 14, in Bibliotheca regia Holmiensi, qui continet Acta et Processus . . . super negocio canonizationis S. Birgittæ, cujus folia XXIX—XL complectitur. Inserta est relationi episcopi Spoletani de inquisitione, quam fere quatuor mensibus post mortem Birgittæ instituerat in Monte Flascone (hodie Montefiascone diocesis Spoletanæ), ubi die 17 Decembris an. 1373 duo supradicti Petri, jam iter in Sueciam arrepturi, ut reliquias Birgittæ domum reportarent, apparuerunt et "quaternum papireum, in quo scripta erant, ut dixerunt, vita dicte domine Brigide et miracula aliqua," tradiderunt. Perscrutantibus vitam et gesta Birgittæ nobis in suspicionem gradatim venit, narrationem de vita Birgittæ exstitisse illa, quæ Birgero A.Episcopo Upsal. adscribitur, vetustiorem. Nam Alfonsus eremita, præclarissimus ille Birgittæ amicus eiusque revelationum collector, in Cap. III:o prologi ad Librum VIII:um Revelat., narrans, quomodo illa Magnum regem Sueciæ ob graviores exactiones aliquando admonuerit, addit in fine, "hoc clarius habetur in legenda vitæ ejus." Quam quidem rem in nulla alia legenda, ne Birgeri quidem, invenimus commemoratam, nisi in his duabus: 1) in vita, auctore Bartholdo de Roma, (Acta Sanctorum, edit. Antwerp., Octobr. Tom. IV. p. 501, §. 27; errat enim Buæus ibidem p. 371, §. 12, affirmans hanc rem in nulla sibi cognita vita exsistere), ubi tamen Bartholdus eam pro certo hauserit non ex legenda per Petros, sed ex attestationibus: 2) in vita, vergente seculo XIV:o, exscripta in Codice Biblioth. Upsal. (olim monasterii Vadsten.), n. 15 in catalogo Benzeliano fol. 70—83; quæ quidem vita primis exordii versibus caret. Benzelio et M. v. Celse fuit nota, quamquam ejus auctoritatem non satis æstimaverint. Quam vitam in Cod. 15 et illam Birgerianam inter se comparantes facile agnovimus eas esse cognatas et sensim persuasum habuimus, illam in Codice n. 15 esse vetustiorem, quam fere verbotenus exscripserit Birgerus, solum suæ ætatis more singulas partes narrationis piis commentationibus adornans. Prolata vero in lucem vita a duobus Petris anno 1373 conscripta, omnis dubitatio est sublata, nam vita in codice 15 nihil est, nisi exscriptum illius, plurimis personarum et locorum nominibus nonnullisque particulis prætermissis. Ceteris autem non solum vetustior est nostra vita, sed etiam ipsa origo, ex qua omnes directe vel indirecte defluxerint, quod neminem in eas inquirentem effugere possit. Quæ quum ita sint, mirandum profecto est, in illis nusquam mentionem fieri duorum Petrorum ut auctorum, et jam medio ævo penitus in oblivionem cecidisse, eos conscripsisse legendam Birgittæ. Coævis enim hoc perbene cognitum erat, ut elucet ex attestationibus Magni Petri, presbyteri, (de quo v. supra p. 178, not. o) ad articulum XXXVII et Alfonsi eremitæ ad artic. XXX, XXXV et XXXVII, (in su-

p) E. v.: excollenda.

q) Additum in ed. Mansi.

Digitized by Google

pradicto Processu canonizationis anno 1379 Romæ facto) in quibus laudant legendam Brigide, quam duo Petri confessores ipsius sub juramento conscripserunt. Hanc quoque manifeste designant Alfonsus in Prologo ad Libr. VIII, ut supra diximus: et "Declaratio" ad Cap. III, Libri I:mi earundem Revelationum. Quum autem ceteræ legendæ a nostra omnes originem ducunt et fere nihil novi addunt (nisi quod "vita abbreviata" in edit. Lubecensi anno 1492 impressa de progenie Birgittæ affert, ex chronico Margaretæ Clausdotter vel iisdem ex fontibus desumtum), aliquam ex iis imprimere superfluum nobis visum est et sufficiens, si juxta vetustatem, prout potuimus, disposuerimus et leviter perstrixerimus antiquiores vitas seu legendas S. Birgittæ a nostra derivatas.

A.) Vita S. B, auctore Birgero Gregorii, A.Episcopo Upsaliensi, nuper primo impressa in Actis Sanct. edit. Antwerp., Octobr. Tom. IV. p. 485—493 ex codice decennio quinto seculi XV:i, ut videtur, scripto et in monasterio Mariæ ad arborem (Marien-boom in pristino ducatu Cliviensi) reperto, cujus scriba aut vetustius sequens exemplar aut traditionem quandam, subjecit, hanc legendam per Birgerum A.Episcopum Upsaliensem esse compilatam (vide l. c. p. 372, §. 16, 485, not. d. et 495, not. oo.). Et idem medio sequenti seculo affirmat Olaus Magni, qui Johannis, defuncti fratris, Historiam Metropolitanæ Eccles. Upsaliensis Romæ imprimendam curans, addidit hanc annotationem (v. supra p. 57): "Hic Birgerus Archiepiscopus composuit Legendam sanctæ Birgittæ, in qua continentur hæc verba: beata Birgitta in regno Sueciæ oriunda, non solum iuxta reuelationem diuinitus sibi factam ex sanctorum ibidem regum progenie, qui suis sanctis promeruerunt meritis, vt magnificaret dominus misericordiam suam cum illa, illustrem duxit originem" etc. . . . ., quibus iisdem verbis incipit illa vita in monasterio Mariæ ad arborem circa annum 1441 descripta. Ex his duobus exemplis fit manifestum, vix sexaginta annis post mortem Birgeri hanc vitam illi fuisse attributam, et centum annis post scriptorem Suecanum, rerum et historiæ Metropolis Upsaliensis familiarem, eandem sententiam amplexum. Sed hoc non probat, Birgerum esse auctorem, solum a posteris ita fuisse existimatum. Atque tres antiquiores loci, in quibus Birgerus appellatur scriptor legendæ Birgittæ, omnes relinquunt nos in dubitatione suspensos. — 1:o) In Chronico de A.Episcopis Upsal., supra sub N. III. impresso, legitur (pag. 101): "Birgerus Gregorii, qui dictauit historiam sancte Birgitte, que jncipit Birgitte matris inclite." Hanc autem historiam nihil nisi hymnum metricam esse, jam reverend. Benzelius demonstravit a), et illa nunc legi potest in disputat. Academ. in 4:o: De Poesi sacra Latina medii ævi jn Suecia, ed. J. H. Schröder, Ups. an. MDCCCXXXIII, p. 12. — 2:o) Exstant adhuc in Archivo Regni literæ originales papyraceæ, sine anno, datæ feria tertia post secundam dominicam adventus domini, in quibus Abbatissa et Conventus Vadstenensis gratias agunt A.Episc. Birgero "pro historia dilecte matris et patrone nostre b. Birgitte, quam nuperius ad monasterium nostrum misistis." Utrum metrica, an soluta fuerit historia, silent literæ. — 3:o) In proemio amissæ vitæ Birgittæ, ut videtur, quod primis decenniis seculi XV:i est scriptum in Codice N:o 17, Biblioth. Upsal., fol. 50, 51, ubi legitur: Gloriose . . . b) Hic quoque dijudicare non possumus, si longior prosaica legenda spectetur, potiusque in contrarium adducimur, eo quod legenda Birgeri operi Nicolai confertur, quod metrice est concinnatum. (Est impressum in supra memorata disputatione:

a) Lectores hic admonere volumus, quæ Benzelius alias dixerit (in notis ad Vastovii Vitem Aqviloniam pag. 58): "Abusiva hæc acceptio vocis historiæ multis nostra memoria errandi ansam dedit, cui nisi occurramus, graves querelas de jactura plurium veterum historicorum patriæ olim sentiet posteritas."

b) Fragmentum præ longitudine textui inserere dubitavimus; hujus est sententiæ: "Gloriose matris nostre beate Birgitte vitam et gesta quedam eius insignia . . . . olim venerabiles in Christo patres Birgerus Vpsalensis archiepiscopus et recolende memorie Nicholaus Lincopensis episcopus celebri stilo describentes singula tamen eius acta stupenda, que vel ante vite eius excessum vel post felicem dormicionem eiusdem diuinitus sunt facta, de medio sublati aliis conscribenda reliquerunt. . . . . Verum generalis confessor timens tantum thesaurum ex incuria deperire salubri vsus consilio jniunxit quibusdam fratribus congregacionis nostre, vt in diuisis quaternulis et codicibus sparsim conscripta in vnum volumen colligerentur cum hiis miraculis, que hic continue et in diuersis mundi partibus . . . . fiunt . . . . Huius siquidem materie congeries per tres partem diui[di]tur . . . . In prima describitur, quibus progenitoribus originem duxerit . . . . vel quomodo matrimonii onera subierit . . . . et quomodo viduitatis gradum ingrediens vitam . . . . continuauerit, profectionem peregrinationis suscipiens ferme XXVIII annis, huius prime partis serie declaratur. In secunda parte describitur longa ex precepto Christi peregrinatio XXVIII annorum in Alemannia, Ytalia, Roma, Cicilia et sancta ciuitate Jerusalem et Beth[l]eem et quedam miranda sibi diuinitus reuelata ac insignia gesta ipsius, vsque dum Rome anno etatis sue circiter LXX. diem clausit extremum. In tercia parte de translacione sanctissimi corporis eius ad Wadstenam et de miraculis ejusdem post mortem . . . . Tamen non de omnibus, quia facile scriptis comprehendi non possunt, sed stupendiora et rariora sequens enunciat sermo rudis. Scripturi gloriose matris nostre b. Birgitte vitam decreuimus aliqua pretermittenda de hiis, que venerabiles patres archiepiscopus Vpsalensis et episcopus Lincopensis de eius vita elegantissime descripserunt preter pauca que quasi manuducunt ad alia ab eis pretermissa beate siquidem Birgitte ortus et vite progressus vt diluculum fuit diuinitus preparatus. Ipsa namque de progenitoribus excelsis secundum seculum et justis secundum deum velut quedam celestis aurora processit. Nam antequam concepta." [Hic subsistit fragmentum].

Digitized by Google

De Poesi sacra Latina .... p. 10). Sed etiamsi auctoris nomen adhuc sit incertum, vetustas ipsius legendæ est manifesta. Nam sicut supra ex Actis SS. attulimus, jam circa an. 1441 erat cognita in Westphalia, et eodem tempore vel non longe post in Italiam et alio divulgatam fuisse apparet ex sequentibus vitis.

Aa) Vita S. B. in "Summa historiali seu Chronicorum," impressa Norimbergæ, an. 1484, in folio, Tom. III., tit. XXIV., cap. XI, cujus auctor Antoninus Florentinus jam anno 1459 sit mortuus (secundum Buæum). Et nobis quidem omnino suffragandum est Buæo dicenti, minime dubium fore comparanti hanc cum vita Birgeriana, Antoninum solum illam descripsisse et nonnihil contraxisse (Acta SS. l. c. pag. 372, §. 17).

Ab) Vitam S. B. in "Historia Sanctorum" impressam Lovanii an. 1485, investigare nobis non licuit, sed auctorem etiam transscripsisse vitam Birgerianam, elucet ex argumentis Buæi (Acta SS. l. c. p. 373, §. 20). Qua quidem Lovanii edita vita, Buæo demonstrante (l. c.), usus est celeberrimus Surius in

Abb) Vita S. B. impressa in suo opere: "De probatis Sanctorum Historiis," Tom IV., Coloniæ Agrippinæ, an. 1573, pag. 344, cujus vita cognatio cum illa Birgeriana etiam a vitam Lovanii editam ignorante mox dinoscitur.

B) Vita S. B. nondum, prout scimus, impressa, sed a Buæo memorata (Acta SS. l. c. pag. 372, §. 18), quam vidimus in duobus codicibus, uno Laurentii Odonis supra in prolegomenis ad N. XII. memorato, altero n. 23 (catalogi Benzeliani), Biblioth. Upsal. Prioris codicis stylus videtur indicare manum exeuntis seculi XIV:i, posterioris priorem partem sequentis seculi.

Ba) Vita S. B. lingua Suecana composita et impressa in "Svenska Fornskriftsällskapets Handlingar," Tom. IV. pag. II. solum est translatio superioris vitæ paullum discrepans.

C) Vita (et miracula) S. B., quam filia Katerina, an. 1380 in Sueciam reversura, Romæ deposuit (vita Katerinæ p. 38 veteris editionis), pro certo eadem est, ac 51 articuli, quos Katerina anno 1379 Romæ proposuit (Diar. Vadsten.), qui adhuc supersunt in Actis Canonizationis supradictis.

D) Vita S. B. in bulla Canonizationis papæ Bonifacii IX. dat. an. 1391, nonis Octobris, quam typis divulgavit Buæus in Actis SS. l. c. pagg. 468—472.

E) Vita S. B. in supradicto Codice n. 15, fol. 165—167, quam a nemine, præterquam a Benzelio in suo catalogo codicum mscrt. Biblioth. Upsal., invenimus memoratam. Superscripta habet hæc verba: "Incipit vita sancte Birgitte abbreviata de legenda, vt patet." Orditur: "Venerabilis domina sancta Birgitta de preclaro sanguine regum catholicorum Suecie originem duxit. Cuius pater miles Birgherus nomine et mater Sighridis exstitit nuncupata." . . . Finitur: . . . "Vnde Bonifacius IX:us anno domini MCCCXCI° c) septimo die Octobris sanctorum kathalogo ascripsit et sanctam pronunciauit ad laudem et gloriam omnipotentis dei, qui regnat per omnia secula seculorum Amen." — Scriptor videtur esse prioris partis seculi XV:i; revelationum et attestationum volumina semel laudat et in fine paucis locis affert nobis memoriam vitæ Birgerianæ.

F) Vita S. B., auctore Bartholdo de Roma, confessore generali monasterii Birgittini, juxta Florentiam, quod "Paradisus" vocatur. Typis est exarata a Buæo in A. SS. l. c. pagg. 495—533, et manuscripta exstat in citato codice Upsal. n. 15, fol. 29—68, (ubi tamen deest totum Capitulum quartum libri III:i et capituli tertii solum mixta fragmenta reperiuntur) et in Codice n. 15, in 4:to, bibliothecæ Braheanæ in Skokloster; in utroque codice stylus est seculi XV:i. Demonstrat Buæus (l. c. pag. 373, §. 22 et 23) vitam esse conscriptam ante annum 1452. Addere volumus hanc ante annum 1435, etiamsi paullo antea compositam, in Sueciam pervenire non potuisse, ut ostendit sequens epistola ad calcem hujus vitæ in codice Upsaliensi n. 15, fol. 68, alia manu, forsan vergentis seculi XV:i, ascripta:" Ven rabilibus .... patribus .... generali confessori monasterii de Vatstena ceterisque fratribus eiusdem .... Semel et iterum .... petistis, vt vita .... Birgitte, quam nuper ipse conscripseram, vobis mitteretur .... Cum vellem, ni fallor, elapso iam anno ... destinare, contradicentibus aliquibus atque asserentibus, quod, si in itinere forsitan perdi contingeret, cum penes nos exemplar non esset, rursum elaborare oporteret, prohibitus tunc fui. Nunc autem illud .... transmitto. .... Precor insuper, ut sententiam in Basiliensi concilio super revelaciones latam, quam cicius opportunitas aderit, nobis si placet copiatam trans-

c) In margine eadem manu additur: anno etatis sue LXX.

Digitized by Google

mittatis, Ex nostro monasterio de Paradiso decimo octavo Aprilis — frater Bths [ɔ: Bartholdus] de Roma, generalis confessor et indignus."

G) Vita S. B. abbreviata, in editione Lubecensi Revelationum, impressa anno 1492. Precipue ipsis revelationibus nititur, et omnia, quæ de progenie Birgittæ narrat, hausta sunt ut diximus, ex chronico Margaretæ Clausdotter vel aliis fontibus, quas infra typis excudemus.

H) Vita in breviario Scarensi folio CCCXXXI; edidit H. Spegel in "Skriftliga bevis till Biskopskrönikan" pag. 141. Nullius est historici momenti neque ad finem perducta.

I et K) De duabus metricis vitis, quarum unam composuit Birgerus A.Episcopus, alteram Nicolaus episc. Lincopensis, supra sub lit. A. satis diximus.

Ortographiam codicis fideliter servare studuimus, præterquam quod in nominibus propriis scribendis semper literis majusculis usi sumus, sicut etiam notas diacriticas, quæ sæpissime absunt, pro judicio disposuimus. Emendationes et correctiones, quæ recentiore et eadem manu seculi XV:i sunt adscriptæ, alias in textum receptas solummodo asteriscis notavimus, alias in notas rejecimus.

Sciendum est, quod humillima ancilla dei numquam presumerat se vocare uel vocari facere sponsam Christi uel tantum canale[a]) propter vanam gloriam aut transitorium honorem seu aliquod temporale commodum, set *ex* precepto Christi et beate Marie sue dignissime matris, qui eam sic vocabant, et non ex presumpcione, set ex humili eorum obediencia in scriptis suis ita se vocabat de quibus parentibus sponsa Christi domina Brigida nata est; sicut legimus[b]) de beato Johanne baptista et de sancto Nicolao multociens cooperantur merita parentum, vt filiis gracia maior accrescat et perseueret in finem, sic sancte memorie domina Brigida, principissa Nericie, [c]) de regno Swecie sponsa Christi de parentibus justis et deuotis processit, qui nobiles fuerunt secundum carnem, quia de nobili genere Regum Gottorum, [d]) Set nobiliores secundum deum. Pater enim eius fuit vir deuotus et justus et vocabatur dominus Birgerus de superiori Swecia, [e]) qui omni die Veneris peccata sua humiliter confitebatur, qui ita solitus erat dicere, Sic inquit me die Veneris preparare volo ad deum, vt quicquid ceteris diebus deus dederit ferre sim paratus.

Hic eciam loca sanctorum scilicet Jacobi [f]) et aliorum sanctorum visitauit in magno labore, Imitans vestigia predecessorum suorum, nam pater suus Jerosolomitanus fuit perigrinus, similiter et auus et attauus et proauus, quod et inauditum est, vt domini tam magnifici et tantarum diuiciarum et glorie a finibus mundi videlicet de regno Swecie tam laboriosum iter arriperent scilicet videre loca sancti Jacobi et Jerosolomitana, in quibus Jhesus Christus fuit incarnatus et passus.

Reuelacio.

Vnde Christus postmodum inter alia verba reuelacionum dixit predicte sponse sue: dico *inquit* tibi non ad laudem tuam, quod generacio tua processit de sanctorum regum

a) In Revelationibus Extravagantibus cap. XLVII:o appellat Deus Birgittam "canale meum;" in Libro III:o, cap. XXX:o vocatur "canalis spiritus sancti," unde Birgerus A.Episcopus in vita metrica canit: "Canalis dicta dulciter."

b) His verbis "sicut legimus" incipit vita in Codice n. 15. Bibl. Upsal. (de quo v. proemium).

c) Ita a familiaribus et exteris vocabatur, quia maritus Ulfo Gudmarsson erat legifer huius provinciæ.

d) Vetus hæc opinio de genere Birgittæ ex eo orta est, quod avus eius maternus, Benedictus Magni, legifer Ostgotorum sit existimatus frater Birgeri ducis junioris et igitur filius Magni Minniskiold et Ingridis Ylfva, quam genealogi, præeunte Olauo Petri, vocaverint neptem regis Swercheri senioris per filium (sine dubio fictum) Sunonem Sik. Cum vero, ut infra not. h. demonstrabimus, Benedictus non erat frater Birgeri ducis, tota res labitur. Quod Örnevinge in genealogia Brahæana asserit, Birgerum legiferum paterna linea Swercherum regem attigisse, omni caret testimonio et certe est, sicut gentis Brahæanæ ex illa Birgeri directa origo, ab ipso confictum.

e) Birgerus Petri (cognomen "de Finstad" posteri scriptores addiderunt), miles et consiliarius, primum Tiundiæ, dein, tribus provinciis dictis "Folkland" circa an. 1296 conjunctis, Uplandiarum legifer (cfr. Diplomat. Suec. II. n. 1154 et 1222) vixit usque in annum 1328 (l. c. IV. n. 2658). Patrem habuisse Petrum Andreæ de Mohammar, nullo allato testimonio, tradidit Messenius, sed Mohammar esse quandam detorsionem nominis Musamyr, prædii in alius gentis possessione, jam demonstravit Wieselgren (Biographiskt lexicon, Tom. XXIII, p. 260), et nos addere volumus, diplomata et annales nusquam commemorare Petrum quendam Andreæ, contra comparatis literis de prædio Runby (Diplom. Suecan. I. 539; II. n. 1364 et 1584; III. n. 1806) verisimillimum fieri Birgerum fuisse filium domini Petri Israelis, fratris A. Episcopi Jacobi Israelis (l. c. I. n. 574), quod etiam usurpatio prænominis Israelis in familia videtur affirmare. Frater enim Birgeri erat Israel Petri, præpositus Upsaliensis, (l. c. II. n. 1364), filius Israel Birgeri, postea legifer Uplandiarum. Consobrinus Birgeri erat Israel Erlandi, canonicus Upsaliensis, (l. c. II. n. 1584; III. n. 1807), postea episc. Arosiensis, qui verisimiliter patrem habuit dominum Erlandum Israelis (l. c. I. n. 618, 645 et 695; cfr. inscriptionem lapidis sepulchralis apud Peringsköld, Monumenta Ullerakerensia, pag. 78). Atque animadvertendum est Birgerum an. 1315 sententia judiciaria declarar proximum heredem Johannis Angeli, fratris ejusdem Israelis Erlandi episcopi, exclusa progenie Ragnildis, sororis eorundem Johannis et Israelis, quod indicat Birgerum a patre fuisse cum Israele Erlandi cognatum (Dipl. Suec. III. n. 1999 et 2034).

f) Scilicet de Compostella in Hispania. Annis 1321 et 1322 hoc iter institutum (Diplom. Suec. III. n. 2309, 2318 et 2334).

Digitized by Google

progenie, et ipsi promeruerunt meritis suis, vt diuina gracia mea manifestaretur tecum. Similiter et mater eiusdem sponse Christi, cuius nomen domina Sigridis,[g]) nobilissima fuit et deuotissima, cuius pater nomine dominus Benedictus de semine regio ortus[h]) plures fundauit et dotauit ecclesias et monasteria. Cuius Benedicti vxor[i]) deuocionem mentis occultans et secundum nobilitatem suam et consuetudinem nobilium incedens, quadam vice cum transiret cum familia sua per quoddam monasterium monialium[j]), despiciebatur a quadam moniali, que quidem monialis incepit de eadem auia dicte domine Brigide fortiter detrahere et murmurare cum aliis monialibus, et cum in sequenti nocte obdormiuisset dicta monialis, apparuit ei persona mirabilis pulcritudinis irato wltu dicens: cur detraxisti ancille mee dicendo eam superbam esse, quod non est verum, de ipsius enim genere vnam filiam faciam procedere, cum qua faciam facta mea magna in mundo, et tantam graciam infundam in eam quod omnes gentes admirabuntur.

Adueniente autem tempore, quo ista sponsa Christi domina Brigida adhuc esset in vtero matris sue[k]), contingit matrem in sinu quodam maris[l]) pati naufragium, et cum multi promiscui sexus submersi essent, dux regni dominus Henricus[m]) frater regis Swecie qui

g) Nomen aviæ, Sigridis, hic irrepsit pro matris, Ingeburgis, unde propagatum est in plurimas vitas. Mirum sane est hunc errorem tam veterem esse et in ipsis articulis, quas neptis, S. Katarina, an. 1375 Romam portabat, et in attestationibus aliquibus an. 1379 legi, matrem Birgittæ appellatam Sigridem. Diplomata enim et lapis sepulchralis (v. Peringsköld, Monum. Ullerakerensia, pag. 88) omnem dubitationem adimunt, matrem Birgittæ fuisse Ingeburgem. Birgerus legifer bis iniit matrimonium; 1) cum Cristina, filia Johannis Elaui (qui intravit ordinem cruciferorum in Livonia), quæ nulla progenie relicta obiit an. 1293 in mense Junii (Dipl. Suec. II. n. 1095, 1096 et 1148); — 2) cum Ingeburge, filia Benedicti Magni, legiferi Ostgotorum, ex qua plures procreavit liberos; illa obiit an. 1314, die 20 l. 21 Septembris (l. c. III. n. 1980, 2006 etc.).

h) Hoc solum significat, eum fuisse de gente Folkungorum, ex qua stirps quædam regnum Sueciæ adepta esset. Nam fere omnes scriptores hunc Benedictum confuderunt cum duobus aliis — 1) cum Benedicto, fratre regum Waldemari et Magni, qui erat dux Finlandiæ et dein episcopus Lincopensis (v. supra pag. 106) — 2) cum Benedicto, patruo prioris et fratre Birgeri ducis junioris, etiam episcopo Lincopensi (Diplom. Suec. I. n. 210, 843 et 832, cfr. supra pag. 105). Noster Benedictus, legifer Ostgotorum (in diplomatis comparet annis 1269—1292; l. c. I. n. 538—II. n. 1066) erat filius Magni Benedicti, legiferi eiusdem terræ, (Hildebrand, Svenska Sigiller fr. Medeltiden, 3 Ser., n. 28 et Diplom. Suecan. I. n. 671 672, 387, 863 et 894) — Magnus legifer obiit an. 1263 (SS. rer. Suecic. I. 1. pag. 25, 50 et 63, et Handl. rör. Skandin. Historia, XVII, pag 8), uxor ejus Ragnildis an. 1262 (annales Sigtunenses in sectione priore hujus Tomi). Hunc Magnum alium esse ac Magnum Minniskiold, patrem Birgeri ducis, jam ex eo patet, quod literæ vel annales numquam hujus cognationis faciunt mentionem, et præcipue ex eo, quod Magnus Minniskiold habet adultum filium Eskillum jam an. 1195, nisi prius (Dipl. Suec. I. n. 67) et ipse igitur vix post annum 1155 natus esse potest, dum noster Magnus legiferatu fungitur an. 1251 (l. c. I. n. 387) et moritur an. 1263. — Obiit Benedictus an. 1294 (SS. rer. Suec. I. 1. pag. 26); in diplomatario non reperitur nomen eius post annum 1292, nam in n. 1260 ibidem forsan deest nomen mensis, ut annus diplomatis fiat 1290, sin minus, contenta literarum non impediunt, quominus Benedictus jam tunc esset mortuus.

i) Hæc sine dubio erat illa Sigridis, supra cum filia Ingeburge permutata, quæ obiit an. 1289 et sepulta apud fratres Skeningenses (SS. rer. Suecic. I. 1. p. 26). Primam uxorem Margaretam amiserat Benedictus jam anno 1275 (Dipl. Suec. I. n. 592). De cetero cfr. infra adornatam narrationem Margaretæ Clausdotter, in qua Sigridis de humilibus parentibus fuisse nata dicitur, dum nostri auctores laudant nobilitatem ejus.

Generis S. Birgittæ illustrandi causa apposuimus sequentem tabulam genealogicam.



j) "De sancta Maria de sancto ordine Cisterciensium" narrat Petrus, prior Alvastrensis in Attestatione an. 1380; et "Vita Abbreviata" (v. proemium, lit. G.) addit "Skoo," quod situm erat in territorio Håbo (provincia Upland).

k) Anno 1302 vel 1303 fuisse natam putat Hammerich (Den Hellige Birgitte, pag. 20, not. 2, et pag. 47, not 1), quia obiit anno 1373, septuagesimo anno ætatis transacto, (secundum bullam Canonisationis). Observare tantum volumus, rem ambiguam esse, quia in articulis an. 1375 a filia Katerina Romam portatis (unde Diarium Vadstenense et vita sub lit. E (v. proemium) atque verisimiliter etiam ipse papa sumserint sua dicta) legitur: "dum ... constituta esset in anno septuagesimo etatis sue *vel circa.*"

l) Margareta Clausdotter, addit "widh Ölandh" quæ est insula maris Baltici.

m) Lege: Hericus vel Ericus, celeberrimus dux, qui an. 1317 a fratre, Birgero rege, Nycopie captus, sequenti anno in catenis animam efflavit.

Digitized by Google

tunc *ibi* erat ipsam in periculo videns, omnibus modis quibus potuit ad litus eam viuam perduxit. Tunc ipsa nocte astitit eidem matri domine Brigide persona *in* vestitu fulgenti dicens: saluata es propter bonum, quod habes in vtero, Ideo nutri illud cum caritate dei, quia a deo tibi donatum est.

Quomodo sacerdoti apparuit natiuitas sponse Christi.

Cumque igitur adueniente tempore, quo puella Brigida esset nata, sacerdos quidam parochialis vicinioris ecclesie, vite probitate [o: probate] et etatis prouecte[n]), vigilando in oracionibus vidit nocte quandam nubem lucidam, et in nube sedentem virginem habentem librum in manu sua, cui sacerdoti ammiranti eadem virgo dixit: nata est, inquit, Birgero quedam filia, cuius vox ammirabilis audietur per mundum.

Quomodo tribus annis quasi elinguis erat.

Puella igitur Brigida etate proficiens quasi elinguis erat *per triennium*, non habens vsum loquendi, de quo multum dubitabant *parentes* credentes quod esset muta, sed illa in fine tercii anni sic plene obtinuit loquendi vsum, vt non balbuciendo more infancium loqueretur, sed perfecte contra naturam tante etatis verba resonaret.

Quomodo moritur mater Brigide.

Interea infirmabatur mater eius mulier in omnibus virtuosa, que aliquibus diebus presciuit et predixit obitum suum, Cumque iam egressura esset de corpore et vidisset virum suum et alios dolentes dixit: quid, inquid, doletis, sufficit hucusque vixisse, gaudendum est, quia iam ad dominum potenciorem vocata sum, et vocatis filijs, benedictis omnibus obdormiuit in domino [o]).

Quomodo adhuc puella vidit ammiranda.

Puella igitur Brigida sponsa Christi, cum iam septimum annum attigisset etatis, vidit semel vigilans ex opposito lecti sui altare et quandam dominam super illud vestibus fulgidis sedentem et habentem in manu preciosam coronam, que dixit ei: O Brigida veni. Illa autem hoc audiens surrexit de lecto currens ad altare, cui dixit domina: visne habere istam coronam, cui annuenti dicta domina imposuit coronam in capite, ita quod sensit tunc Brigida quasi circulum corone caput *suum* tangere. Rediens [p]) ad lectum, disparuit visio, *quam* tamen numquam poterat obliuisci.

Quomodo vidit Cristum crucifixum.

Circa decimum annum cum quadam vice audiuisset predicari de passione domini nostri Jhesu Christi in ecclesia, nocte sequenti vidit in sompnis Christum quasi eadem hora crucifixum *et* ei dicentem: taliter plagatus sum; et illa putans, quod ea hora hoc factum esset, respondit in sompno, O! domine quis tibi fecit istud; respondit Jhesus Christus; illi qui me contempnunt et negligunt caritatem meam, ipsi michi hoc fecerunt; tunc illa rediens ad *se ipsam* [q]), tantum affectata fuit ab illa die ad passionem Christi, vt raro sine lacrimis recordaretur memoriam eius.

Quomodo puella ignota fuit visa consedere illi.

Item duodecimo anno cum vna dierum intenderet labori manuum de serico et auro cum suis puellis coeuis et multum anxiaretur animo, quia opus suum facere nequiret ad votum, matertera sua [r]), in cuius custodia post mortem matris deuenerat, domina multum deuota et laudabilis ingressa domum vidit virginem ignotam considentem Brigide et facientem idem

n) Scilicet Benedictus, tunc canonicus Upsaliensis et curatus ecclesie Rasbo (in provincia Upland), v. Diplomat. Suec. V. pag. 314), post episcopus Aboensis et mortuus an. 1338 (v. supra pag. 133, not. x.).

o) Anno 1314, ut supra not. g. demonstravimus.

p) Sic primus scriptor (sicut etiam in Cod. 15).—Illa recentior manus correxit: "redeunte vero ea."

q) Sic etiam in Codice n. 15. Vetus scriptor: "sompnum."

r) Katerina, filia Benedicti Magnusson legiferi, supra not. h. memorati, uxor Kanuti Jonsson, legiferi Ostgotorum et dapiferi regis (Diplom. Suec. III. n. 2145 et 2206, V. n. 3689). Habitabant conjuges in Aspanäs, curia territorii Ydre, quod situm est in confiniis Ostrogotiæ et Smalandiæ (v. Rääf: Beskrifning öfver Ydre härad, I. pagg. 160—164). Margareta Clausdotter prima hanc rem implicavit, scribens in Chronico suo (v. infra) "Ingridh oppa Aspanæs" pro Katerina, posterique scriptores ultra eam perturbarunt, addentes, hic significari Aspanäs, curiam in territorio Wåla (Uplandiæ). Hanc autem Gisle Elinason (Sparre) possedit (v. Diplom. Suec. V. n. 3911), neque diplomata materteram Birgittæ, nomine Ingridem, commemorant. Præterea jam Petrus, prior Alvastrensis, in attestationibus an. 1380 narrat se multa audivisse "a domina Katerina, matertera ... Brigidæ, quæ ... Brigidam ab infancia nutrivit et educavit;" quem auctor excerpti e codice Vadstenensi apud Örnevinge (Genealogia Brahæa) certe est secutus.

Digitized by Google

opus cum ea, cumque ad introitum suum disparuisset illa puella ignota, quesiuit tunc matertera ab ea, quenam esset puella, que laborabat simul cum ea; respondit Brigida se neminem vidisse; matertera vero intuens opus, sic subtiliter illud factum jnuenit, vt cernentibus daret intelligi non esse opus puelle tam tenere etatis sed diuinum. Ideo domina *ipsa illud*[s]) inter reliquias suas tanquam diuinum aliquid solebat obseruare.

Quomodo matertera jnuenit Brigidam orantem de nocte

Nocte quadam predicta matertera ingressa latenter cubiculum virginum jnuenit Brigidam nudam flexis genibus stantem ante lectum et cum lacrimis orantem; que suspicata de leuitate virginis jussit afferri virgam, quam cum illa extendere cepisset, vt Brigidam percuteret, statim virga mutata est[t]) in frusta minima. Ita quod dicta matertera hoc videns vehementer admirata dixit[u]): quid fecisti Brigida, inquid, docuerunt te mulieres aliquas fallaces oraciones; respondit virgo cum lacrimis: non domina mea; sed surrexi de lecto, vt laudarem eum, qui me semper adiuuare solet. Et matertera dixit: quis, inquit, est ille; cui virgo ait: crucifixus ille, quem vidi; et propter hoc ex illa die matertera eius cepit[v]) eam feruencius diligere et venerari.

Quomodo vidit diabolum.

Non longe post cum Brigida staret ludendo cum puellis, vidit vigilando diabolum quasi habentem centum manus et pedes in omnibus deformissimum, que perterrita cucurrit ad lectum suum, vbi iterum apparens illi diabolus dixit ei: nichil possum facere, nisi permiserit crucifixus. Cum vidissent[x]) mulieres, quidnam esset querentes quod sibi accidisset aut cur sic esset perterrita, respondit illa: quidam dolor cordis apprehendit me; et ille mulieres nichil amplius ab ea requirebant. Post aliquos vero annos matertera sua veniens audiuit ab ea totam veritatem et precepit illi, vt visa silencio tegeret et esset bone spei, et intime deum diligeret et caueret sibi ab omni leuitate.

Quomodo venit ad coniugium et quomodo vixit in coniugio suo.

Interea domina Brigida desponsatur viro juueni[y]) diuiti militi nobili et prudenti, qui dominus Wlfo de Wlfasom princeps Nericie[z]) vocabatur, qui inter se coniugium honestissimum adeo habuerunt, quod ambo coniuges per vnum annum in virginitate vixerunt deuote rogantes deum, vt si deberent conuenire, ipse creator omnium crearet prolem ex eis, que esset ad seruicium eius. Illa vero diligens deum summe cauebat sibi, ne aliquis de ea sinistre loqueretur aut non daret occasionem detrahendi sibi, fugiens leuitates et loca ac personas, quibus notari posset, habens quoque secum ancillas honestas et comites morigerosos, Jntenta eciam operi cum familiaribus suis pro cultu diuino et vtilitate proximorum.

Quomodo orabat et quomodo infundabatur oracio.

In oracione vero et lacrimis sponsa Christi feruentissima erat in tantum, vt absente viro eciam fere totis vigilabat noctibus et non parcebat corpori suo a multis genuflexibus et crudelibus disciplinis; procedente vero aliquo tempore cum iam semper peteret a deo in oracionibus suis, vt aliquis modus orandi conueniens infunderetur sibi, quodam die mirum in modum eleuata fuit in mente, et infusa est tunc sibi oracio pulcerrima de passione Christi, et de vita et laude beatissime Marie virginis, quam ita memoriter tenuit, vt postea eam die quolibet legeret, vnde et Beata Maria postea quadam vice apparens ei dixit: ego tibi promerui illam oracionem, ideo hanc legens visitaberis consolacionem filii mei.

De confessione.

Confessiones continue frequentabat et confessorem vnum habebat magistrum in Theologia peritissimum et deuotum, qui magister Mathias[a]) vocabatur, qui glos[s]auit totam Bibliam

s) Vetus scriptor: "domina illa inter."
t) Rec. manus: comminutata." Cod. 15: "comminuta."
u) Rec. manus: "diceret."
v) Sic emendavit illa rec. manus, dum antea scriptum fuit: matertera jam concepit.
x) Cod. 15 melius: Cumque venissent.
y) Conjuges tunc erant, ille octodecim annos natus, hæc circa tredecim. ("in ætate tredecim annorum" dicit filia Katerina an. 1379 in attestat. ad articul. 4; "in tertiodecimo anno constituta," Bulla Canonizationis; "kommin til laga ålder widh fiorton ååra," Codex Vadsten. laudatus in not. r.).
z) Filius erat Gudmari Magnusson, qui legifer Vestgotorum appellatur an. 1312, et ipse legiferatum Nericiæ tenuit circiter ab anno 1330 usque ad obitum an. 1344. Verisimiliter ab ipso Ulfone denominata est illa curia Ulfåsa, quæ juxta lacum Boren sita est in territorio Aska (Ostrogotiæ).
a) Celeberrimus hic amicus Birgittæ a Petro Alvastrensi in attestat. ad artic. 35 vocatur: "Magister Matthias, in sacra

Digitized by Google

excellenter [b]) et composuit multa volumina librorum, et iste composuit prologum librorum celestium reuelacionum predicte domine Brigide, cui in omnibus arduis ipsa obediuit, vnde et idem confessor solebat dicere familiariter amicis suis: hoc, inquit, in domina *B.* signum alicuius future gracie est, quod ipsa ita leuia plangit sicut alii grauissima, et nichil in verbis suis et moribus dimittit indiscussum.

de Jeiunio.

Jeiunia magna et alias abstinencias multiplicabat sibi cum potuit et a delectabilioribus occulte abstinebat sepissime, ne a marito uel aliis perciperetur.

de lectura.

Cum vero vacabat a labore manuum, continue relegebat vitas sanctorum et bibleam (!), quam sibi in lingua sua scribi fecit [c]), et vbi poterat audire sermones proborum virorum labori suo non parcebat in eundo ad eosdem sermones audiendos.

de Elimosinis.

Elimosinas vsque ad mortem suam fecit largissimas, habens in Swecia domum deputatam pro pauperibus, quibus quantum ipsa potuit personaliter seruiebat lauando pedes eorum et visitando eos infirmos et pertractando eorum wlnera et corpora cum tenera compassione et maxima materna caritate.

quomodo beata Maria juuit eam in partu.

Jgitur cum quodam tempore periclitaretur *domina Brigida in* partu et desperaretur de vita eius, nocte vigilantibus mulieribus et videntibus, que astabant ad custodiam eius, persona quedam serico albo induta subito visa est ingredi et stare ante lectum et pertractare singula membra domine Brigide jacentis, timentibus omnibus que aderant; Cum autem egressa esset persona illa, ita faciliter peperit domina Brigida, quod mirum erat, et non dubium, quin beata virgo, que sine dolore peperit, erat persona illa, que illos labores dolores et periculum sue ancille mitigauit, sicut postea eadem virgo dixit ei in visione sic dicens, reuelando.

Reuelacio.

Quando, inquit, difficultatem habuisti in partu, ego Maria ad te ingressa sum. Ideo ingrata es, si non diligis me; labora igitur vt filii tui sint eciam filii mei.

Quomodo virtuose educauit et nutriebat filios suos.

Sponsa igitur Christi cum magna sollicitudine et diligencia virtuose educauit et nutriuit filios suos et filias tradens eos magistris, a quibus instruebantur disciplina et bonis moribus [d]); plorabat illa cotidie peccata filiorum timens quod offenderent deum suum, vnde quadam vice apparens ei Johannes baptista dixit: quia plorasti, quod filius tuus offendit me non jeiunando vigiliam meam et malles eum seruire michi quam esse regem, ideo juuabo eum et armabo eum armis meis; de hoc fit mencio clarius in fine quarti libri celestium reuelacionum datarum predicte domine [e]).

Quomodo lucrata est virum suum deo et ambo juerunt ad sanctum Jacobum.

Cum autem domina Brigida iam multo tempore processisset in virtutibus, eciam virum suum lucrata est deo, nam licet ille esset strenuus et in consilio Regis Swecie preci-

pagina professor, canonicus Lincopensis." Si Ulfoni fuerit superstes, necesse est alium esse ac mag. Matthiam, canonicum Lincopensem, ante an. 1343 mortuum (Dipl. Suec. V. n. 3681). Præterea in Actis Canonizationis plures testes fuse tradunt, quomodo Matthias in Suecia obierit, postquam Birgitta et Katerina Romam pervenissent. Annum obitus 1350 Vastovius solus affert, nullam tamen laudans auctorem. In monasterio vero predicatorum Holmiensium esse sepultum duobus narratur locis (in vita Katerinæ, Suecana lingua composita, edidit Rietz in disput. Academica, Lund, 1847, pag. 114 et in Miraculis S. Crucis, ed. Roberg, Holmiæ 1725, pag. 41).

b) De hoc opere, quod tribus continebatur voluminibus, confer, quæ disserit Klemming in "Svenska Fornskriftsällskapets Handlingar" IX. 1. pag. 579—581.

c) Utrum vera esset translatio Bibliæ ad verbum facta, an illa jam tempore Birgittæ confecta paraphrasis Suecana, quam Klemming (l. c. in nota præcedente) existimat esse translationem paraphrasis vel glossæ Latinæ a Matthia compositæ, forsan per ipsum institutam, difficile est dijudicare. Monere tantum volumus, Petrum Alvastrensem, Matthiæ familiarem, hic et in attestatione sua silentio præterire, quis fuerit translationis auctor, quamquam paucis versibus antea Matthiam, ut glossæ auctorem laudaverit.

d) Inter quos Nicolaus Hermanni, episcopus Lincopensis, an. 1374—1391; vide Diarium Wadstenense ad an. 1391 (SS. rer. Suec. I. 1. pag. 104).

e) Scilicet in Capite LXXIV°; vita G. (v. proemium) hoc de Karulo Ulfonis, filio Birgittæ, esse dictum asserit.

Digitized by Google

puus, exoccupauit se de consilio et ammonicione vxoris ad discendum legere horas beatissime virginis Marie et libros legum et justiciarum, et quicquid erat justicie et legis ipse studuit adimplere. Sicque ambo scilicet vir et vxor feruentes in amore dei, vt se liberius expedirent a vanitatibus mundi, exierunt de patria sua[f]) et de cognacione sua exemplo Abrahe cum laboribus magnis et sumptibus, pergentes in Yspaniam ad sanctum Jacobum in Compostella et peregrinatis jam multis sanctorum locis cum essent iam in reditu, ille in ciuitate, que vocatur Atrabatum[g]) prope Flandriam cepit infirmari. Inualescente autem infirmitate, sponsa Christi in magna anxietate animi constituta, per sanctum Dyonisium meruit consolari, qui apparens ei in oracione dixit: Ego inquit sum Dyonisius, qui a Roma veni ad has partes Francie predicare verbum dei in vita mea. Tu ergo quia speciali deuocione diligis me, ideo predico tibi quod deus per te uult innotesci [ɔ: scere]´ mundo et tu tradita es custodie et proteccioni mee: propterea juuabo te semper, et do tibi hoc signum, quod vir tuus iam non morietur de ista infirmitate; et multis aliis vicibus idem beatus Dyonisius in Reuelacionibus visitabat et consolabatur eam.

Visio futurorum.

Post aliquos dies ibidem in ciuitate Atrabatensi vidit iterum mirabilia quedam in visione prophetica, scilicet quomodo transitura erat Romam et ad sanctam Ciuitatem Jerusalem, et quomodo migratura erat ab hoc seculo et quomodo juuenis quidam pulcerrimus duxit eam tunc in spiritu per omnia dicta loca, que omnia post multa tempora sic adimpleta sunt.

Quomodo viro conualescente rediit ad patriam.

Post longam autem egritudinem conualescente viro redierunt ambo ad patriam, qui mutuam inter se tenentes continenciam statuerunt intrare monasterium, et ordinatis ad hoc rebus suis et bonis, vir in eodem proposito est defunctus[h]) *anno domini MCCCXLIIII*[i]).

Quomodo missa est ad magistrum et quomodo post mortem viri a spiritu visitata est.

Post aliquos dies cum sponsa Christi solicita esset de mutacione status sui ad seruiendum deo, et super hoc stabat orando in capella sua, tum rapta fuit in spiritu, et cum esset in extasi vidit nubem lucidam, et de nube audiuit vocem dicentem sibi: mulier audi me; et ipsa perterrita timens quod esset illusio auffugit ad cameram suam, et statim confessa accepit postmodum corpus Christi; demum cum post aliquos dies staret in oracione in eadem Capella, iterum apparuit ei illa nubes lucida, et de nube audiuit iterum vocem, similia verba preferentem sicut prius, scilicet: mulier audi me; et tunc ipsa domina perterrita iterum fugit ad cameram et confessa et communicata fuit sicut prius timens illam vocem esse illusionem; deinde cum post aliquos dies iterum ibidem oraret, et rapta est in spiritu et iterum vidit nubem lucidam et in ea similitudinem hominis sic dicentem: mulier audi me ego sum deus tuus qui tecum loqui volo; conterrita igitur illa putans illusionem, audiuit iterum: noli inquit timere, quia ego sum omnium conditor, non deceptor, non enim loquor tecum propter te

f) Hanc peregrinationem ad annos 1338—1340 refert Buæus (Acta Sanct., ed. Antwerp., Oct. Tom. IV. pag. 400, n. 132. Cum autem Ulfo an. 1339, d. 13 Febr. in Suecia versaretur (Diplomat. Suec. IV. n. 3412), hoc minus probabile videtur. Verisimilius est an. 1441 et 1442 factam esse, quia Svenungus, frater, postea prior, monasterii Warnhem in Vestrogotia conjuges in itinere sequebatur, (testante Petro Alvastrensi supra articulis 13 et 22 in processu Canonizationis) et ille monachus paullo ante d. 16 Januarii an. 1342 Parisiis moratus esse reperitur (Diplom. Suec. V. n: 3615). Neque occurrunt nomina Ulfonis et Birgittæ in Diplomatario Suecano inter an. 1341, d. 22 Maji et 1343, d. 19 Martii. Ceterum ipsa narratio paullo infra, Ulfonem in medio consilio monasterii intrandi subita morte abreptum esse, obstare videtur, quominus longe ante an. 1344 in Sueciam conjuges sint reversi.

g) Hodie Arras in Francia. Gallico chronici scriptori hæc commoratio Atrebati fuit nota, quamquam tempora nescio quomodo perturbaverit (v. Buæum in Actis SS. l. c. pag. 399, n. 127).

h) "Ad castitatem vovendum eum induxit [sc. Birgitta], et sic vixerunt per plures annos facto voto intrandi religionem et etiam in proposito ipse maritus eius mortuus est in monasterio Alvastri, præsente isto teste" dicit Petrus Alvastrensis in attestatione ad artic. 23; et fere idem legitur in Bulla Canonizationis: "in tali deliberatione quieuit." Unde concludendum, votum monachale nondum emisisse neque ordinem intrasse, quamquam sæpissime ita legitur, quam opinionem jam Birgerus Gregorii adjuvabat his verbis: "ut firmius in sancto perseverare posset proposito, in monasterio Alvastrensi annis aliquibus morabatur." Certum enim est, Ulfonem adhuc anno 1343 legiferi et consiliarii munere functum esse (v. Diplom. Suec. V. p. 149 et 217).

i) Obiit d. 12 Febr. et sepultus in monasterio Vadstenensi (vide lapidem sepulchralem olim in eodem monasterio nunc in Musæo Regni asservatum; cfr. Diar. Vadstenense et infra in Processu Canonizationis inquisitionem per Waldemarum episcopum Ottoniensem (in Dacia) an. 1377 Wadstenis institutam, in qua Juliana, filia Nicolai Dannæs militis, quadraginta octo annos nata, testatur se sepulturæ interfuisse.

Digitized by Google

solam set propter salutem aliorum, audi que loquor et vade ad *magistrum* Mathiam, Confessorem tuum qui expertus est duorum spirituum discrecionem, dic ei ex parte mea que dico tibi, quia tu eris sponsa mea et canale meum et audies et videbis spiritualia et spiritus meus permanebit tecum vsque ad mortem. Inde addidit: propter tria cecidit Lucifer &c., vt in Reuelacionibus libri celestis plenius continetur.

Et hec est prima reuelacio in prologo &c. Igitur anno domini millesimo III^{c} XLV^{to} k) facte sunt prime diuine reuelaciones domine Brigide non in sompno, set vigilando in oracione corpore manente in vigore suo, set rapta a sensibus corporalibus in extasi et in visione spirituali seu ymaginaria, accedente visione seu supernaturali diuina illustracione intellectuali, nam vidit et audiuit spiritualia et ea spiritu senciebat. Vidit quippe dicto modo et audiuit ymagines et similitudines corporales; in corde vero senciebat quasi quoddam viuidum quod secundum maiores inflammaciones et infusiones mouebatur plus et feruencius, minus vero quum infusiones erant minores; multociens eciam tam vehemens erat mocio in corde quod et ab extra videri poterat motus et sentiri.

Quomodo eciam ante obitum viri sui vidit quedam.

Quarto anno ante obitum viri sui sanctus quidam terre nostre Swecie Botuydus l) nomine apparuit ei quasi in quodam mentis excessu dicens: ego tibi promerui cum aliis sanctis graciam dei, scilicet audire et videre spiritualia et sentire, et spiritus dei inflammabit animam tuam.

In tercio anno ante obitum viri sui beatissima virgo Maria apparens ei dixit: Ego sum Regina miserorum, ego tibi ostendere volo qualis filius meus erat in humanitate sua et qualis quando paciebatur in cruce et hoc erit tibi signum quod venies ad loca Jerosolomitana in quibus corporaliter conuersabar, et ibi videbis spiritualibus oculis tuis filium meum, quod post XXVIII annos totum sic adimpletum fuit, vt in libro reuelacionum, quas habuit in Jerusalem et in Beethleem, hoc clarius continetur.

Quomodo in principio reuelacionum preceptum fuit sibi stare in monasterio quodam.

Igitur in principio reuelacionum statim preceptum fuit sibi obedire eidem magistro Mathie in Theologia et stare in monasterio monachorum Cisterciensium scilicet sancte Marie in Alwastro m), quod est in Swecia in diocesi Lincopensi, dicente sibi spiritu in visione: si, inquit, domino potenti placuerit facere opus singulare, non ideo despicienda sunt opera generalia, sed magis *ac* feruencius *sunt* diligenda; sic ego deus omnium qui sum super omnes regulas permitto tibi residere ad tempus prope monasterium, non vt dissoluam regulam nec vt consuetudinem nouam adducam, set magis ut opus meum mirabile in sancto loco ostendatur. Sic enim Dauid tempore necessitatis comedit panes sanctificatos, quod tamen tempore iusticie ab aliquibus prohibitum est. Fuit quidam frater conuersus Gerekinus nomine in *eodem* monasterio Aluastri ordinis Cisterciensis, qui XL annis extra monasterium numquam exiuit, set diebus et noctibus vacans oracionibus hanc graciam habuit, quod nouem choros angelorum in oracione quasi continue vidit et in eleuacione corporis Christi Christum in specie puerili crebro cernere merebatur. Hic frater, cum domina Brigida venisset ad monasterium et resideret ibi, admira[ba]tur in corde suo et dixit: Cur ista domina sedet hic in monasterio monachorum contra regulam nostram inducens nouam consuetudinem; tunc raptus *idem* frater in quodam mentis excessu, audiuit clare vocem sibi dicentem:

k) De anno primæ revelacionis dissentiunt vitæ. Ipse Petrus Alvastrensis sibi non constat, nam in attestatione supra artic. 29 uno loco testatur: "audivit a domina Brigida, qualiter a. d. 1346 incepit Deus infundere ei ... visiones et revelationes" — altero loco: "audivit a. d. Brigida, quod viginti octo annis ex quo ipsa habere coepit revelationes divinas numquam profecta ... est nisi secundum præceptum dei." Cod. 15 hic indicat annum 1346; reliquæ vitæ, quæ rem commemorant, annum 1344, manifeste eo quod paullo ante sit dictum, Birgittam aliquibus diebus post mortem viri habuisse visionem.

l) Cujus legenda est impressa supra in SS. rer. Suec. II. 2. p. 377.

m) Non tamen in ipso monasterio, sed in domibus contiguis habitasse, testatur Petrus Alvastrensis, qui jam erat ejus familiaris (v. attestat. Petri super artic. 29 in Actis et Processu Canonizationis). Quatuor annos post mortem viri Birgitta hoc loco morabatur (v. attestationes trium seniorum monachorum Alvastrensium an. 1377 coram Waldemaro, episc. Ottoniensi, Wadstenis redditas, quæ iisdem Actis Canonizat. sunt insertæ).

Digitized by Google

noli mirari, hec est amica dei et ad hoc venit, vt sub monte isto flores colligat, de quibus omnes etiam ultra mare et fines mundi recipient medicinam.

Item secundo idem frater vidit eam eleuatam de terra et de ore eius quasi fulmen egrediens et tunc audiuit in spiritu: hec est mulier, que a finibus terre veniens propinabit innumerabilibus gentibus sapienciam, et hoc erit tibi signum, quod ipsa de dei ore dictura est tibi finem vite tue, et exultabis in verbis et aduentu eius, et complebitur cicius desiderium tuum, ne videas mala que inducturus est deus super domum istam.

Dominus *Hemmingus* Aboensis Episcopus, cum legacione diuina fungeretur in Francia et Anglia n) et videret reges minus beniuolos ad recipiendum verba deī, scilicet reuelaciones illas tangentes reges et guerram regnorum Francie et Anglie, que reuelaciones continentur *in* quarto libro celestium reuelacionum quasi in fine capituli o): turbatus in corde &c.; cui obdormienti domina Brigida apparuit et dixit: cur turbaris? redibis ad tuam patriam prospere et facies fructum animarum, set scito, quod nondum finietur plaga eorum ad quos missus es, quia indurata sunt corda eorum contra deum et tribulabuntur adhuc, donec humilientur.

Sanctimonialis erat in monasterio montis sancte Marie p) in regno Swecie nomine Katherina, que hanc graciam obtinuit, quod beata Maria apparens ei inter cetera verba dixit: monstrabo tibi me esse matrem dei et presentabo te filio meo. Hec domina cum vidisset dominam Brigidam et familiariter inter se loquerentur, respondit: o felix domina tu, quia non ad jactanciam tuam vel meam loquor, quia pro certissimo audiui vocem dicentem sic: scito quod adhuc dicetur felix Brigida, quia si contempnitur in terris honorabitur in celis, et qui nascituri sunt predicabunt nomen eius, ideo constans esto, quia sine dubio ita perficietur sicut audiui.

Cum magister Mathias de quo supra dictum est confessor suus pulsaretur quadam temptacione, domine Brigide dictum est in spiritu: ipse erit sciens ab inprincipio, id est a principio biblie et libri genesis qui sic incipit: in principio creauit deus celum et terram, vsque ad alpha et o., id est vsque ad apocalypsim, vbi sic scribitur alpha et o, et liberabitur a temptacionibus et dabo ei feruorem spiritus mei; et statim sensit se liberatum et a temptacionibus quietatum. Item eadem die, qua iste magister Mathias mortuus est in patria sua q), domina Brigida consistens Rome audiuit in spiritu: felix tu magister Mathia pro corona, que tibi fabricata est in Swecia, veni iam ad sapienciam, que numquam finietur.

Frater Algotus ordinis predicatorum, magister in Theologia r), familiarissimus domine Brigide, cum in senectute tribus annis haberet cecitatem et vehementer pateretur de calculo, rogauit dictam dominam Brigidam, vt pro se faceret oracionem ad deum, que annuens ei cum rogaret pro eo vt sanaretur, responsum est ei in spiritu: ipse est stella fulgida, non expedit, vt sanitate corporis denigretur anima; iam certauit et consummauit, nichil restat *nisi* vt coronetur, et hoc erit sibi signum, quia iam ab ista hora alleuientur sibi dolores carnis, iam anima tota inflammabitur caritate mea; et non multis diebus postea expirauit.

Habebat eciam prefata domina Brigida istas gracias speciales magne virtutis et admiracionis a deo; prima est, quando aliquid loquebatur, quod esset offensa dei, statim sensit

n) Quo anno hoc iter, in quo Petrus Alvastrensis eum comitabatur (vide attestat. ejus super artic. 29 in Actis Canonizat.), sit institutum, nescimus. Forsan continuatio fuit illius legationis, de qua Alfonsus eremita, olim episcopus Giennensis, in commentario circa annum 1378 scripto narrat, Birgittæ adhuc in Svecia exsistenti (ante igitur an. 1349) factam revelationem de bello inter reges Franciæ et Angliæ, quam Clementi VI., papæ, per Henricum [ɔ: Hemmingum] episc. Aboensem et Petrum priorem Alvastrensem misisset (vide Buæum in Actis Sanctor., edit. Antwerp., Octobr. Tom. IV. p. 428, n. 248 et 249). Hæc narratio Alfonsi affirmat dictum Chronici episcoporum Finlandensium, Hemmingum revelaciones Birgittæ papæ detulisse, quod supra pag. 133, not. a., deficientibus testimoniis in dubio posuimus.

o) Vide Revelaciones Birgittæ, Lib. IV, capp. CIV et CV, Lib. VI. cap. LXIII.

p) In peninsula Fogdö (terræ Sudermanniæ) situm; nunc appellatur Kungsberg, postquam tempore Gustavi I.i fisco regio est addictum.

q) Annus est incertus (ut supra diximus pag. 191, not. a); tantum scimus, Petrum Alvastrensem, qui morti Matthiæ interfuit, postea Romam profectum, Birgittæ et Petro Vadstenensi ibi commorantibus hanc rem nuntiavisse (v. attestationes Petri Alvastr. super artic. 32 et Katerinæ atque Magni Petri presbyteri (postea confessoris) super artic. 29 in Actis Canonizationis).

r) "Frater Algotus ordinis prædicatorum, Scarensis diocesis" appellatur a Petro Alvastrensi in attestatione super artic. 29 et "prior Scarensis" in declaratione ad Cap. XXXI, Lib. VI. Revelat. Birgittæ, quem priorem prædicatorum Scarensium etiam Diplomatarium Suecan. sub anno 1333 commemorat (l. c. IV. pag. 308 not.).

Digitized by Google

in ore suo amaritudinem maximam quasi sulphuris, et in hoc statim ipsa sciebat, quod offenderat deum, et reducens ad memoriam illud verbum, statim confitebatur illud confessori suo cum ingenti dolore et lacrimis sine mora; quum eciam aliquis loquebatur ei aliqua verba dolosa uel viciosa, que deum offenderent, statim ipsa senciebat in naribus fetorem horribilem sulphuris, quem vix poterat tollerare, et hoc erat signum, quod tunc deus offensus erat in verbis illius persone, quod quasi infinitis vicibus probauimus.

Item quando aliqua persona requirebat eam de aliquo dubio consciencie sue petens ab ea consilium et remedium optimum spirituale, tum ipsa respondebat ei: oretis deum super hoc et nos eciam cogitabimus et faciemus pro vobis, quod poterimus, licet ego peccatrix sum indigna. Post tres vero dies vel aliquos dies et aliquando eadem die ipsa respondebat eidem persone, si spiritualis et honesta persona esset, eleuatis primo manibus ad celum dicens: sic ego sum peccatrix indigna ad talia dicendum, tamen noueritis, quod Jhesus Christus apparuit in oracione et dixit michi, quod ego responderem vobis ad illud, quod petistis, sic et sic &c. et tunc dabat ei verba, que habuerat a Christo uel a beata virgine Maria, responsura ad illam materiam; vel illa verba diuinitus ei data scribebat in lingua sua materna manu sua propria, quando erat sana [s]), et faciebat illa translatari in lingua Latina fidelissime a nobis confessoribus suis et postea asculstabat [ɔ: auscultabat] illa cum scriptura sua quam ipsa scripserat, ne vnum verbum ibi plus adderet[ur] uel deficeret, nisi que ipsa in visione diuinitus audierat et viderat. Si vero erat infirma, vocabat confessorem et scriptorem suum secretarium ad hoc specialiter deputatum et tunc ipsa cum magna deuocione et timore dei et aliquando cum lacrimis referebat ei verba illa in vulgari suo cum quadam attenta eleuacione mentali, quasi si legeret in libro, et tunc confessor dicebat illa verba in lingua latina illi scriptori, et ille scribebat illa ibidem in sua presencia, et postea cum erant verba conscripta, ipsa volebat illa a[u]scultare et a[u]scultabat valde diligenter et attente. Et sic dabat uel mittebat illam scripturam illis personis indagantibus, quod sepe et sepissime probarunt domina Regina et Archiepiscopus de Neapoli, Regina et Rex princeps [t]) multique alii de Regno Cipri et de regno Secilie, et de Ytalia, de Swecia, eciam de Yspania tam viri quam eciam mulieres.

Item et sepissime contigit, quod eidem domine Brigide reuelabantur cogitaciones secretissime et dubia istorum ad eam veniencium et aliquarum aliarum personarum eciam absencium, quas nullatenus ipsi vmquam publicauerant verbo nec scriptura vel signo, de quo testes sunt dominus Nicolaus de Nola [u]) et rector patrimonii et dominus Gomecius de Albernocio rector ducatus Spoletani [v]), dominus Comes de Fundis [x]) et plures alii religiosi et seculares, quibus ipsa dixit et scripsit interna cordium ipsorum.

Mirandum eciam erat de alia gracia, quam habebat a sponso suo Jhesu Christo prefata domina, nam sepissime accidit, quod alique persone rogabant eam cum deuocione et caritate, vt ipsa oraret deum pro ceteris animabus aliquorum suorum defunctorum, et si ei videretur, quod essent in purgatorio et loco quo egerunt suffragiis, quod ipsa eisdem viuen-

s) Duo specimina revelationum, quas Birgitta manu propria in lingua Suecana conscripserit, sunt impressa una cum facsimili in "Samlingar utgifna af Svenska Fornskriftsällskapet", Birgittas uppenb., Tom. IV. s. 177, Holmiæ 1862.

t) Recentior illa manus correxit: "Reginaque et Rex ac principes."

u) Nicolaus de Ursinis, comes Nolanus, qui, ut ipse asseruit, usque ab anno 1350 familiaritate Birgittæ delectabatur, etiam edidit testimonium in processu Canonizationis, non tamen Romæ, sed in Castro Neptuni, Albanensis diocesis, anno 1380, d. 15 Februarii. Missus ad Birgittam a Gregorio XI papa, Avinionem revelationem (quæ cap. 140 Libri IV:i continetur) reportavit, qua papa Romam quam citissime redire juberetur (v. ejus attestationem in Actis Canonizationis; cfr. Buæum in Actis Sanctorum supra citatis p. 429, n. 254 et 255).

v) Amicus Birgittæ, qui affuit Spoleti an. 1373 in mense Decembri, quum hæc vita a confessoribus Birgittæ commissariis papæ traderetur. Quem quum Alfonsus, Petrus Alvastrensis et Katerina etiam Gomecium de Hispania in attestationibus nominant, fieri potest, ut illustrissimo Aegidio cardinali Albornoz fuerit cognatus. Docet nos Petrus Alvastrensis (in attestat. super artic. 31) hunc Gomecium revelatione a Birgitta missa ad honestam vitam conversum esse (cfr. Buæum in Actis Sanct. supra citat. p. 442, n. 308). Exstant apographa (in initio circiter seculi XV:i scripta) duarum epistolarum quas Birgitta Gomecio scripsit, unam dat. Romæ, d. VII. Novembris (sine anno, sed probabiliter de an. 1371), alteram (sine anno et die) brevi post scriptam, in qua annuntiat se Neapolim cum filiis, confessoribus et filia iter arripere paratam esse, unde ad terram sanctam peregrinaretur (igitur dat. vertente anno 1371 vel ineunte an. 1372). Vide Codicem Bibl. Upsal. sign. n. 15 in catalogo Benzeliano fol. 133—137.

x) Hic erat Onorato Caetani, eadem gente de qua Bonifacius VIII. natus, potentissimus baro Campaniæ et postea Urbani VI. papæ adversarius. Vide, Reumont, Geschichte der stadt Rom, Tom. II. pag. 1029, Berlin 1867.

Digitized by Google

tibus hoc interrogantibus diceret et notificaret, per quas elimosinas et sacrificia aut per qualia viuorum suffragia ab illis penis poterant liberari. Ipsa vero recipiens in scriptis illorum defunctorum nomina cum summa caritate et compassione orabat deum pro illis, et tunc in oracione diuinitus respondebatur ei, vtrum ille anime essent in purgatorio et eciam de modo illius purgatorii et illarum penarum, vbi erant, vel vtrum essent in inferno vel in celo, et notificabantur ei modi suffragiorum aut elemosinarum distincte et declarate, per que ille anime poterant liberari, quod bene probauerunt alique persone predictarum personarum viuencium, que superius nominate sunt, que eam de talibus deuote requisiuerunt et ab ea diuinas responsiones de hoc habuerunt in scriptis. Quando eciam ipsa vel aliquis nostrum suorum domesticorum in aliquo anxiabatur vel dubitaret, statim ipsa per reuelationes diuinitus sibi datas carissimum responsum a Christo glorioso sponso suo vel a domina virgine Maria super illo negocio sine magna mora declarate et humiliter reportabat.

Quid plura, testimonia enim tantarum virtutum, tante sanctitatis et excellencie, gracie tam affluentis et habundantis, diuinitus in ea refulgentis pandunt libri celestium reuelacionum diuinitus sibi datarum, liber eciam questionum, qui eciam ea equitante et jtinerante ad villam Wastenam diuinitus sibi datus est infusione a spiritu sancto miro modo quasi in vna hora, vt in principio eiusdem libri questionum plenius continetur y); testificantur hoc eciam experiencie oculares, quas nos vidimus sepissime et multi alii in diuersis mundi partibus. Vidimus enim sepe ea, que ante tempora per multos annos prophetice ipsa predixerat, postea effectualiter per experienciam euenire, quod multi et viderunt et experti sunt, ex quibus clare colligitur et probatur per dicta sanctorum, quod ipsa habuit a deo spiritum verum prophecie et intellectualem visionem diuinitus sibi datam; miracula eciam que post mortem eius fiunt per eius merita et intercessiones de tantis graciis in ea diuinitus coruscantibus clarum perhibent et perhibebunt in futurum testimonium veritatis. Hec eciam domina postquam vocata fuit in spiritum dei prophetabat non solum de futuris vt prophete, ymo eciam de presentibus et preteritis et eciam de aliquibus dubiis sacre scripture plurima declarabat.

Ipsa eciam sicut apostoli, relictis omnibus que possidebat ex precepto dei, epistolas ad tocius christianitatis maiores personas videlicet ad summos pontifices z), ad jmperatores et reges et reginas Francie et Anglie, Cecilie et Cipri, ad principes et principissas, ad prelatos diuersos et ad seculares et religiosos et regna et terras ac ciuitates transmittebat. Multas eciam terras visitabat personaliter, voluntatem dei tam magnis quam paruis personis ostendendo pro animarum utilitate Christi sanguine redemptarum.

Scripsit eciam vt *sancti* ewangeliste de Christi natiuitate et de eius gloriosa vita similiter et de morte et de resurrectione et de eius eterna gloria sicut in eius reuelacionibus ostenditur satis clare.

Vere non erat expers martirij, mortificabat enim corpus suum viuens in laboribus et abstinenciis, exponens se periculis in terra et in mari, pacienter sustinens multorum opprobria et contumelias pro Christi nomine tam in graui corporis infirmitate quam in sanitate, pro omnibus aduersitatibus ex intimo corde sponso suo Jhesu Christo gracias continue referendo et pro offensoribus suis deum suppliciter exorando.

Quomodo quedam domina mortua apparens ei predixit sibi futura.

In mense autem primo, quo domina Brigida venit ad dictum monasterium monachorum Cisterciensium scilicet sancte Marie de Aluastro, apparuit ei in oracione quedam domina iam mortua sibi notissima dicens: tibi dabitur intelligencia spiritualium; ideo humilia te in omnibus et ut certius scias, ecce triplex signum tibi do: Primum est, quod purgata sum grauiter pro pertinacia consciencie mee; Secundum, quod vir meus qui non est vir meus,

y) Confer prologum libri V:ti Revelationum, qui solet liber quæstionum appellari.

z) Præter revelationes Clementi VI et Gregorio XI assignatas (v. not. n. et u) commemorant Alfonsus et Petrus Alvastrensis in Actis Canonizationis duas alias Gregorio XI:o missas, unam cum Latino de Ursinis ante iter Hierosolymitanum vt videtur, alteram cum ipso Alfonso an. 1373, et præterea aliam iis priorem, quam Birgitta Urbano V:to in Monte Flascone sua manu porrexerit (de qua vide infra pag. 204).

Digitized by Google

modo querit carnale, scilicet carnis copulam cum alia contra deum, et erit sibi et posteris in tribulacionem; Tercium est quod tu transibis mare et in loco glorioso in Roma morieris.

Item apparuit ei secundo dicta domina dicens: Ego tibi jndicare volo de statu meo, quia sic placet deo, quia sicut nos dileximus nos jnuicem viuentes in carne, sic nunc diligamus spiritum; ego, per similitudinem loquendo, posita sum quasi in spisso vitro valens audire, set nondum venire ad optata; sic ego intelligere et desiderare et sperare possum illa eterna gaudia, set nondum perueni ad plenum, donec vitrum gracilius fiat et subtilius ad velle dei, et hoc fuit, quia me duo grauabant in mundo, scilicet facilitas ire et quod non contentabar de hiis que habebam, sed volui semper habere plura. Ideo inducas eos qui amici mei erant, vt faciant fieri pro me calices, in quibus offeratur sacrificium domini mei Jhesu Christi, Secundo quod memoria mei fiat per annum ab eis qui amici dei sunt; per talia enim cicius sine dubio liberabor ab ista pena.

Qualia contigerunt iste domine predicte viuenti, que soror mariti domine Brigide fuit [a]), que sic ei apparuit.

Ista predicta domina *que* post mortem apparuit domine Brigide, in jeiuniis et oracionibus famosissima fuit, cumque quodam tempore grauiter infirmaretur, apparuit ei diabolus in forma teterrima volens quasi rapere eam jacentem, illa vero vehementer perterrita clamauit: in eternum, inquid, dampnabor. Cui repetenti multipliciter illa verba dixit Confessor suus: cur, inquit, domina talia verba loqueris, cum deum semper in toto corde dilexisses [b]). Illa autem nichil respondere poterat nisi sicut prius: dampnabor in eternum. Tandem inter manus eam tenencium obmutuit, cuius facies mirabiliter jmmutari et colorari cepit et nec album nec roseum colorem habere; mirantibus qui aderant ipsa alta voce dixit: Benedictus tu deus meus qui me creasti et liberasti, te confiteor te*que* benedico; resumpto vero spiritu et rediens in se ipsam vocato confessore suo et aliis viris virtuosis dixit eis: ego vidi diabolum in vilissima forma, a facie cuius timens credebam me dampnandam, et cum terribiliter anxiarer, vidi Christum quasi stantem in cruce, qui fugiente diabolo dixit: anno reuoluto videbis eandem visionem, set non diabolum, et hoc tibi signum erit, cum videris, quod statim erit vite tue finis; quod et sic contigit, nam reuoluto anno eadem die vidit Christum, et tunc anima a carne diu purgata soluta est.

Quomodo ista domina tercio apparuit sponse Christi domine Brigide.

Item tercio apparuit ista dicta domina post mortem suam eidem domine Brigide dicens: quod cupiui jam habeo, tradita sunt obliuioni priora tormenta et amor iam perfectus est, tu vero esto obediens quia in societate magnorum es ventura.

Quomodo post mortem mariti sui domina Brigida distribuit bona sua.

Mortuo marito statim distribuit domina Brigida omnia bona sua inter filios et pauperes, mutans habitum et vitam fecissetque maiora nisi obstitisset, quod preceptum sibi fuit in reuelacione peregrinari ad Romam. Cumque ipsa a nobilibus contempnaretur (!) propter subitam mutacionem et vilitatem habitus, respondit illa: nec propter vos incipio nec propter vos dimitto, statueram enim in corde meo tolerare verba jniuriosa; orate igitur pro me vt possim perseuerare.

Quomodo preceptum fuit diuinitus sibi ire ad regem Swecie.

Igitur cum preceptum sibi fuisset in spiritu ire ad regem Swecie [c]) et causaret [d]) se nescire quid diceret ei, responsum est sibi a deo: cum perueneris, inquit, aperi os tuum et ego implebo illud; perueniens [ɔ:-enti] ergo statim infusa fuerunt sibi verba diuina, non solum que pertinebant ad regem, set eciam multa que futura erant.

a) Unam solum sororem Ulfonis Gudmari cognitam nobis habemus, Katerinam, Gustavo Tunnason militi et Wermalandiæ dein Sudermanniæ legifero nuptam, quæ adhuc d. 1 Maji an. 1344 in viventium numero erat (Diplom. Suecan. V. p. 257, 258); cujus post mortem Gustavus in matrimonio habuit Mechtildem Lydersdotter (literæ orig. pergam. de an. 1350 in Arch. Regni), forsan sororem Eggardi Lyderson de Kyrn militis, qui uxorem duxit Katerinam filiam Birgittæ.

b) Recentior illa manus correxit: dilexeras.

c) Sc. Magnum Erici, apud cujus conjugem, Blancam reginam, Birgitta munere magistræ aulæ erat functa.

d) Recentior illa manus fecit commutationem: "et cum causaretur".

Digitized by Google

Quomodo mittebatur ad Episcopum et ipse agnouit aduentum eius.

Venit eciam eadem domina Brigida ad Episcopum quendam probate vite et deuocionis et dixit ei aliqua verba diuinitus sibi reuelata, qui audiens verba illa ita ad punctum jnuenit in conscientia sua, sicut *ipsa* in spiritu intellexerat, que preter deum et ipsum nullus omnino *hominum* sciuerat; habebat enim dictus dominus episcopus *quedam* minus rationalia vota et in aliquibus zelum, set non secundum scienciam, et jeiunia supra naturam, jdeo libencius admoniciones caritatis accipiens, omnia correxit ad caritatem et dixit ad illam: te, inquit, diligenter vidi hac nocte ingredientem ad me et amouentem a corde meo maxima onera, Ideo non solum credo verbis tuis, set et ipse video in anima mea, quia deus tecum facit mirabilia.

Quomodo regem prohibuit ab jmposicionibus et tributis iniustis.

Cumque Rex Swecie artatus esset ad quandam summam pecuniarum soluendam et disponeret grauare communitatem Regni contra statuta et juramenta sua, respondit illi domina Brigida: noli domine hoc facere, quia non eris immunis ab ira dei, set recipe magis duos filios meos et pone eos obsides, donec soluere poteris, et non offendas deum tuum; tunc ipso die facta est *ei* subsequens visio, in qua Christus loquebatur domine Brigide sic dicens: *sicut* propter caritatem vnius hominis quoque saluatum est vnum regnum, sic propter vnius adinuenciones et grauamina perdita sunt aliqua regna, sed exemplum dico tibi de isto regno. Ipse enim rex plus confidebat in pecunia a populo et transeuntibus sub fraude et simulacione justicie exacta, quam in me. Ideo vitam perdidit et regnum reliquit in tribulacione, et adinuenciones sue praue ducte sunt ab aliis successoribus in consuetudinem et quasi in legem, set si confidit in me deo suo et communitas regni petitur in auxilium cum caritate, tunc ego saluare potens sum et cicius propter caritatem reducere ad pacem. Ideo Rex si prosperari desiderat, teneat promissionem suam mecum et ueritatem cum communitate regni sui, caueatque precipue, ne nouas adinuenciones et tributa ac subtilitates inducat; in difficultatibus sequatur consilia timencium deum, non cupidorum, quia melius est aduersa quedam mundi pati quam scienter peccare contra me et animam suam.

Quomodo diabolus voluit decipere eam.

Quodam die cum ex precepto spiritus *domina* Brigida visitaret quendam obsessum a demone, equus mansuetissimus, in quo equitare solita erat, eleuabatur a terra ita quod sufferramenta pedum omnia videri possent, ex qua eleuacione eadem domina dorsum longo tempore doluit, vnde dabatur intelligi diabolum jnuidisse, vt ille peccator conuerteretur. Ille vero qui visitabatur vir nobilis secundum mundum et magnus vexabatur a diabolo, et eciam ea presente quasi grauius solito turbabatur; tunc idem *vir* multa horribilia loquens contra deum dixit ad illam: O quam dissimiles sunt spiritus tuus in te et spiritus meus in me, set quando placet spiritui qui est in te, sanabor perfecte, quia ipse me propter infidelitatem et occulta demerita mea tradidit me in manus crudelis exactoris. Cui illa respondit: promitto tibi quod cito sanaberis, set quero cur tanta abhorribilia loqueris contra deum; et ille: non rego, inquit, me ipsum; et dicto illo verbo cepit quasi amarius loqui contra deum et blasphemari eum dicens: eum qui creauit celum et terram colo, de nouo deo vestro Christo sileatis; tunc ait sponsa Christi: Sile miser diabole loqui contra deum, quia si punitor istius creature es, non tamen possessor eternus eius eris, et statim ille homo quasi dormitans siluit, set post aliquos dies curatus est.

Contigit eciam aliud miraculum, quod cum prefate domine Brigide dictum esset in Reuelacione diuinitus, quod ipsa preciperet ex parte dei cuidam fratri Petro, priori monasterii sancte Marie de Aluastro in Swecia ordinis Cisterciensis, quod ipse scriberet libros reuelacionum [e]), que eidem domine Brigide in spirituali visione diuinitus date fuerant, tunc idem Prior, cum esset homo simplicissimus, et propter humilitatem nulla racione volens manum mittere ad scribendum, reputans se propter ignoranciam suam ad tantum opus minus

e) De ratione reuelationum literis consignandarum cfr. supra pag. 196.

Digitized by Google

ydoneum, coactus fuit metu mortis a Christo et fere mortuus, donec consensit et consensu facto subito curatus est et non in successu temporis uel intervallo.

Item eciam vnus demoniacus in Osgocia presentibus duobus fidedignis testibus ad verba oris predicti religiosi, quorum formam hec domina a Christo audiuit et fere secundum Christi preceptum ad demonem dixit, et tunc demoniacus purgatus est.

Item alter demoniacus in Swecia presentibus fidedignis testibus eodem modo purgatus est per eundem religiosum ex precepto predicte domine Brigide.

Item quedam publica meretrix conuersa est per subuencionem beate Marie *virginis* cum Christo dicte domine Brigide apparentis per oracionem eiusdem domine Brigide.

Item conuersi sunt plures magnates jn regno Swecie qui tempore et loco vna vice cordis sui mocionem in melius experti, nisi ingrati fuerunt Christo, ab ipso factam ad verba eiusdem domine Brigide ab ipso missam fatebantur.

Quomodo judicabatur domina Brigida a quodam episcopo [f]) in corde et que ei aduenerunt.

Cum sponsa Christi quodam tempore sederet in conuiuio cum quodam Episcopo deuoto in mensa et ipsa cibis delicatis appositis uteretur in honorem dei, judicabatur ab episcopo intrinsecus in mente; dicebat enim in corde suo: Cur hec domina tanti spiritus a delicatis cibis non abstinet. Tunc ipsa nichil sciens de talibus cogitacionibus circa vesperas audiuit *hec* in spiritu: dic Episcopo, ego sum qui pastorem impleui spiritu meo, numquid propter jeiunia sua; ego sum qui feci coniugatos prophetas, quid promeruerunt illi, ego jussi prophete, vt adulteram reciperet in coniugem, numquid non obediuit ipse, ego *sum* qui loquebar Job ita bene in delicijs suis sicut quando sedit in sterquilinio. Ideo quia ego sum mirabilis, facio sine precedentibus meritis omnia, que michi placent. Episcopus igitur hoc audiens ab ea recognouit se ipsum et humiliatus rogauit eandem dominam Brigidam pro se orare. Et tunc tercio die apparens eidem sponse Christi beatissima virgo Maria dixit ei: dic eidem Episcopo, quod quia omnes predicationes suas inchoare solet a laude mea et quia judicium suum caritatis non jnuidie erat. ideo caritas meretur consolari, dic ergo ei, quod ego volo eidem esse in matrem, et animam eius presentare deo. Et ego nunc exponam ei, quomodo ipse est animal septimum de animalibus tibi [g]) ostensis et ipse verba mea coram Regibus et pontificibus portabit, que quidem reuelacio septem animalium in libro reuelacionum plenius continetur.

Quomodo reuertebatur domina Brigida a Rege Swecie et quomodo filius suus moriebatur.

Reuersa igitur domina Brigida a Rege Swecie ad monasterium Aluastri jnuenit *quendam* filium suum, quem infirmum diu relinquerat iam in extremis agentem, et plorans multum de tam longa infirmitate eius *reputabat* [h]) *hoc* accidere pro peccatis parentum, tunc diabolus apparens ei dixit: quid tibi mulier *cum* tantis lacrimarum aquis debilitas visum et jnnanum (!) laboras, numquid aque possent ascendere in celum. Eadem hora Christus in forma humanitatis apparens *sponse* dixit: huius pueri infirmitas non est ex constellacionibus stellarum, vt fatui dicunt, nec propter peccata eius, set propter nature condicionem et maiorem eius coronam; Ideo si vsque huc vocatus est proprio nomine Benedictus filius Vlfonis, jam de cetero vocabitur filius lacrimarum et oracionum, et faciam finem necessitati eius. Post ista vero quinta die auditus est cantus suauissimus quasi auium inter lectum pueri et parietem, et ecce tunc anima pueri egressa est; et dixit spiritus sanctus eidem domine Brigide: ecce quid faciunt lacrime, iam filius aquarum transiuit ad quietem. Ideo diabolo odiose sunt lacrime bonorum que procedunt ex caritate diuina.

De fratre qui tribus annis et vltra decubuit in infirmitate sua.

f) Scilicet Hemmingus episc. Abocnsis, attestante Petro Alvastrensi super art. 30 in processu Canonizationis.

g) Sic recentior illa manus correxit; antea videtur scriptum fuisse: "prius".

h) Sic recent. illa manus pro: "reputans".

Digitized by Google

Frater quidam conuersus dicti monasterii de Aluastro sancte vite tribus annis et vltra infirmabatur, quem sponsa Christi ex mandato eius visitans dixit ei: penitere attencius, quia est tibi aliquod occultum in corde, quod quamdiu tenueris absconditum, mori non poteris. Quo respondente se nichil habere quod in penitencia non esset publicatum, ait illa: inquire quali intencione ingressus es monasterium et quali intencione hucusque vixisti [i]); tunc ille resolutus in lacrimas ait: benedictus deus qui te misit ad me; jam ex quo locuta es, volo dicere veritatem, nam quoddam occultum habeo, quod prodere numquam audebam, quia quociens penitui, semper erat quasi ligata lingua mea et nimius eciam pudor inuasit me, ne aperirem, ideo quociens confessionem feci, jnueni michi nouam conclusionem verborum meorum, in fine dicens; reddo me culpabilem deo et omnibus sanctis dei de delictis omnibus que dixi vobis pater et de hiis que non dixi, credens per hanc conclusionem omnia dimitti, set nunc si placeret deo, libenter dicerem toti mundo; vocatoque confessore plene cum lacrimis omnia explicauit et non diu postea superuixit.

De temptacione Castrimargie [k]) qua temptata est domina Brigida.

Temptata fuit igitur domina Brigida aliquo tempore de Castrimargia grauiter in tantum, quod pre fame vix aliqua alia sufficeret cogitare; tandem in spiritu visus fuit ei Ethiops vnus habens in manu quasi bucellam panis et quidam juuenis pulcerrimus habens vas deauratum, et dixit juuenis: cur solicitas eam que tradita est michi in custodia; respondit Ethiops: quia gloriatur in abstinencia, quam non habuerat, non enim cessat implere ventrem suum, donec plenus erit stercoribus delicatis, ideo porrigo bucellam meam, vt dulcescant ei grossiora; respondit juuenis: tu scis bene, quod non habet naturam immaterialem sicut nos, set saccum terrenum, qui cum sit terra labilis et inquieta, indiget continua recreacione; et ille Ethiops inquit: Christus vester jeiunauit nichil comedens et prophete comederunt panem et bibebant aquam ad mensuram. Ideo promeruerunt sublimia, et quomodo merebitur ista que semper sentit sacietatem; respondit juuenis: numquid non est eciam Christus tuus sicut noster; cui ille: nequaquam, inquit, quia numquam volo me ei humiliare, set contraria faciam ei, quia non redibo in gloriam suam; respondit juuenis: Christus noster docuit jeiunare non vt debilitetur corpus vltra modum, sed vt humiliaretur, ne insolescat contra animam suam, nec Christus noster querit impossibilia nature, sed moderanciam, nec querit qualia et quanta quis sumit, set quali intencione et caritate. Cui Ethiops: iustum, inquit, est, vt quod ista mulier non experiebatur in juuentute, sentiat in senectute; et contra juuenis ait: laudabilis est abstinencia a peccato, nec prohibet a celo purpura et caro delicata cum caritate dei habita, que consuetudo educacionis bene cum graciarum actione tenenda est quandoque, ne caro grauius infirmetur. Post hec eadem hora Maria virgo apparens eidem coronata dixit Ethiopi: obmutesce negociator; inuide quia ista est assignata michi. Et Ethiops ait: si, inquit, aliud facere non potero, proiciam paliurum [l]) in fimbriam vestimentorum eius. Cui virgo: ego iuuabo eam et quociens eum inieceris, reicietur tibi in faciem, et duplicabitur corona eius. Hiis visis non longe post ablata est omnis temptacio gule.

Quomodo temptabatur in oracione.

Temptata est quandoque sponsa Christi in oracionibus et cogitacionibus immundis, cui beata Maria apparens dixit: diabolus est sicut explorator inuidus, querens accusare et impedire bonos, ideo tu conare et ora, quantumcumque temptaris, quia desiderium et conatus bonus reputabitur tibi pro oracione, et si sordida adueniencia non poteris a mente e[j]icere, illi conatus reputabuntur tibi, dummodo non consenseris, ad meritum, et sicut sunt contra voluntatem tuam.

Quomodo oracio sponse dei profuit vni.

Quidam religiosus temptatus fuit per duodecim annos de sacramento corporis Christi et de nomine beate Marie, quam sine sordida cogitacione et blasphemia numquam poterat nominare; ideo et angelicam salutacionem diu obmisit. Qui rogans dominam Brigidam spon-

i) Sic rec. illa manus pro antea scripto: "institisti".
k) I. e. gulæ concupiscentia: Du Cange, Glossarium medii ævi.
l) Frutex spinosus et acer; v. Forcellini Lexicon tot. Latinit.

Digitized by Google

sam Christi cum lacrimis pro se orare et eius oracionem obtinens liberatus est, vt raro postea sine magna leticia nomen beate Marie pronunciauit[-aret], tamque suaue factum est sibi corpus Christi, vt non quietari illa die posset, qua missam non celebraret. Hic idem diu desiderium habuit visitare loca sancta in Jerusalem, set propter obedienciam et professionem non admissus est, qui cum esset in extremis, raptus est et vidit omnia illa loca in spiritu, sicut hii, qui viderunt corporaliter, et cum ostendisset locorum illorum disposicionem hiis, qui ea prius visitauerant, exultans in domino defunctus est.

Quomodo sponse Christi preceptum fuit ire Romam et testificari graciam dei.

Transactis autem fere duobus annis in monasterio predicto sancte Marie de Aluastro ordinis Cisterciensis, precepit ei Christus Romam ire [m]), prout in sequenti reuelacione continetur.

Reuelacio de eodem.

Dominus noster Jhesus Christus quadam vice loquebatur eidem Brigide dicens: vade Romam vbi platee strate sunt auro et sanguine sanctorum rubricate, vbi compendium, id est brevior via, est ad celum propter indulgencias, quas promeruerunt sancti pontifices oracionibus suis; stabis autem ibi in Roma, donec summum pontificem et imperatorem videbis ibidem insimul in Roma et eis verba mea nunciabis [n]).

Quid egerit in via vsque in Roma[m].

Egressa igitur de patria [o]) preceptum est sibi diuinitus in visione dimittere consuetam lecturam et addiscere grammaticam, vbi beata Agnes data est sibi in solacium, et magister Petrus [p]) eius confessor in magistrum ad instruendum et ut ipsa ei obediret, tantum autem profecit dicta domina in breui in sciencia grammaticali, quod sciuit pro parte legere intelligere et proferre sermonem latinum.

Quomodo preceptum fuit eidem diuinitus, quod iret Neapolim et visitaret ibidem loca sanctorum.

Postquam diu steterat Rome, Christus sic ei loquebatur dicens: permittitur tibi visitare sancta loca in Sicilia [q]), quia illic sunt multorum corpora, qui me dilexerunt toto corde, inter quos precipuus est Thomas apostolus meus, vbi cum perueneris, ostensurus sum tibi aliqua secreta, Cumque illa dubitaret quodammodo, ne deficerent forte expense in via, respondit dominus: qui possedit pratum, non parcit prato pro equo suo laborante; sic ego dominus amicis meis prouideo, vbi illorum deficit prouidencia, et excito animos aliorum ad benefaciendum eis. Require in libro reuelacionum celestium visionem quandam, que data fuit domine Brigide a Christo in ciuitate Orthona [r]), que loquitur de laude beati Thome et de illo regno.

Quomodo preceptum est ei diuinitus in Roma, vt iret Jerusalem, set non determinauit[-abatur] tempus.

Christus semel loquebatur ei dicens: ego sum quasi aquila, que preuidens in aere volentes nocere pullis suis preuenit eos volatu, ne noceant, sic ego preuideo tempora et vias et viarum difficultates et animorum disposiciones. Ideo dico vobis quandoque state et exspectate, nunc ite et properate, ergo quia iam est tempus, ite nunc ad loca prius ostensa tibi, vbi vas fuit mundum et non mundum, et vbi agnus fuit tonsus et non tonsus, vbi leo rugit et non rugit, vbi serpens mouebatur et non mouebatur, vbi aquila in locum volauit, vnde

m) His verbis, opinor, tot auctores ducti conjecturam fecerunt Birgittam jam an. 1346 Romam profectam esse.

n) Hanc revelationem XV annis, antequam imperator et papa [an. 1368] Romæ convenerant, Birgittæ datam *Romæ* tempore Clementis VI:ti attestantur filia Katerina (super art. 32) et Magnus Petri (super art. 29).

o) Gravissimis argumentis, quibus Hammerich Birgittam an. 1349 patria excessisse jam probavit (v. den hellige Birgitta pag. 127 not. 1) novum supra pag. 194 not. m commemoratum addere volumus, quatuor annis post mortem viri Alvastri remansisse, immo quinque annis ut legimus in vita Katerinæ Suetice composita (v. supra pag. 192 not. a).

p) Ergo Petrus Vadstenensis. In articulo XXXVIII:o processus Canonizationis dicitur, eam quadragesimum attigisse annum ætatis, antequam grammaticam discere coepisset.

q) De hoc itinere in fine anni 1369 vel ineunte anno 1370 incepto confer Hammerich (l. c 187, 188) et Buæum in sæpe citatis Actis Sanct. pagg. 438—442. Filia Katerina in hac re contraria testatur, uno enim loco (super art. 34) matrem prima vice Neapolim anno 1370 adiisse, altero (super art. 29) duobus annis tunc Neapoli moratam esse, quod impedit et brevitas temporis et dictum Alfonsi (super art. 19), mortuo Urbano V:to [anno 1370, d. 19 Decembris, statim Birgittam Romæ revelacionem habuisse.

r) Est oppidum Abrutii citerioris in ora maris Adriatici.

Digitized by Google

numquam recessit. Vide in libro questionum in vltimo et penultimo capitulo, vbi hec continentur et declarantur diuinitus. Cumque *illa* conquereretur de infirmitate corporali et de decrepita etate, tunc responsum est ei a Christo sic: quis est nature conditor? numquid ego? ergo ego augebo fortitudinem, ego prouidebo de via, ego ducam et reducam in locum istum Rome.

Cum quadam vice ante hoc quod supra proxime diximus per XV annos domina Brigida staret orando in Roma, apparuit ei virgo Maria dicens: propter nimium amorem, quem habes ad me, dico tibi, quod tu ibis ad Jerusalem, quando placuerit filio meo, et tunc ibis eciam ad Bethleem, et ego tunc ostendam tibi quomodo peperi filium meum Jhesum Christum. Quam promissionem adimpleuit virgo Maria post XVI annos, quando domina Brigida fuit in dictis locis, vt in libris reuelacionum lacius continetur in quadam reuelacione facta ei in Beethleem que loquitur de partu virginis Marie.

Quomodo jubetur ei diuinitus dum esset in Jerusalem, quod jterum rediret Romam.

Quadam vice dum domina Brigida staret in Jerusalem [s]) orando, Christus apparuit ei dicens: omnia *loca*, que alii peregrini visitant, eciam tu visitabis, nam eciam alia loca sunt in quibus ego corporaliter fui, que visitanda essent, sed sufficit vobis querere propinquiora propter infirmitatem vestram et quia nondum tempus est misericordie illius, de qua dictum est, quia paucissimi sunt, qui recogitant caritatem passionis mee et paciencie. Cum vero redieritis de Jordane, parate vos ad viam vestram, quia adhuc sunt aliqua mittenda summis principibus terre. Require multas et pulcras reuelaciones, que continentur in libro *celesti*, que facte sunt eidem domine Brigide in Jerusalem et Beethleem.

De speciali signo spiritus.

Hoc quoque sciendum est, quod supradicta sponsa Christi a principio quo visitata est a spiritu dei hoc signum habuit, quod quando appropinquabant homines pleni spiritu diabolico aut qui diuersi erant a bono, tantum senciebat fetorem in naribus et tam amarum saporem in ore, quod vix poterat ferre, vnde quidam vir jmmutatus a bono et reuersus ad peccata [t]) priora, cum sedisset cum sponsa dei loquendo cum ea, dixit ad illam: quid est de spiritu, quem habere diceris, vtrum est a te, an de aliquo alio aut a demone. Cui illa vix ferre valens fetorem eius respondit: fetidum habes habitatorem et fetida procedunt de ore tuo, penitere igitur, ne veniat tibi vlcio dei. Qui jratus recedens cum se sopori dedisset, audiuit voces innumerabiles: trahamus, inquiunt, porcum ad loca porcorum, quia spreuit monita salutis; qui rediens in se ipsum perfecte correxit vitam suam, et odor senciebatur a dicta domina immutatus in suauitatem.

Simile quasi contigit eidem domine Brigide in Famagusta in Regno Cypri cum quodam Religioso cui loquebatur, et cum pluribus alijs hoc simile ei contingebat.

Item de eodem.

Hoc eciam habuit sponsa dei speciale, quod in XXVIII annis a quibus cepit habere spiritum dei, numquam ibat nec faciebat aliquam mutacionem ad alias ciuitates neque vmquam in aliquo loco morata est nisi secundum infusionem et preceptum spiritus sancti.

De Mediolana ciuitate.

Cum esset in Mediolano [u]), stetit ibi longo tempore, vbi beata virgo Maria inter alia verba respondit ad verba cuiusdam magni magistri in Theologia, vt habetur in libro celestium reuelacionum.

s) Quod navigationem Palestinam versus attinet, confer infra Iter Hierosolymitanum. Pervenit Jerusalem in octavis ascensionis domini (d. 13 Maji), Bethleem visitavit infra octavas assumptionis virginis (16—21 Augusti) et omnino menses quatuor cum dimidio in terra sancta morabatur (attestante Alfonso, eremita et episcopo, super artic. 31 et 32 in processu Canonizationis). Ineunte Octobri Cyprum est reversa (v. Buæum in Actis Sanctorum sepecitatis pag. 453, n. 355).

t) "Dominus Birgerus advocatus Ostgocie" appellatur a Petro Alvastrensi in attestatione super artic. 36 processus supradicti.

u) In itinere Romano Birgitta etiam Mediolanum visit (an. igitur 1349 vel 1350), ubi familiarem amisit, dominam Emburgim [ɔ: Ingeburgem], uxorem Nicolai Dannæs, militis (v. attestationem Petri Alvastrensis super art. 29).

Digitized by Google

De Roma.

Rome vero stetit dicta domina Brigida diucius non solum propter indulgencias set et propter promissa perficienda, vbi multipliciter visitata est et de statu vrbis et de reparacione omnium statuum, et ibidem de futuris multis certificata est, vt ostendunt reuelaciones facte que in libris lacius continentur.

Ibi eciam in Roma adimpletum fuit, quod promissum fuerat sibi ante per multos annos in Swecia in reuelacione scilicet, quod iret Romam et ibi staret, donec videret ibidem papam et imperatorem v).

Item quando dominus papa Vrbanus *quintus* voluit recedere de Ytalia ad Auinionem, virgo Maria apparuit dicte domine Brigide et dixit ei aliqua verba in visione dicens, quod idem dominus papa non recederet de Roma nec de Ytalia ad Auinionem; alioquin dampnum sibi eueniret in breui, vt in illa reuelacione lacius continetur, quam eadem domina Brigida presentauit eidem domino pape manu propria in Monteflascone, et tunc ibi presens erat dominus noster papa Gregorius XI, qui tunc Cardinalis Bellifortis appellabatur x).

Item ibi tunc in Monteflasconis (!) virgo Maria precepit ei, quod ipsa diceret cuidam presbytero heremite *Alfonso* sibi noto et amico ex parte sua, quod ipse scriberet et copiaret libros reuelacionum, que sibi date fuerant diuinitus, que quidem reuelaciones vsque tunc secrete tenebantur y), quod in morte eiusdem domine Christus confirmauit precipiens eidem domine Brigide, quod ipsa diceret suis confessoribus, vt ipsi traderent dicto heremite omnes reuelaciones secretas et alias quas nondum tradiderant, vt idem heremita eas scribi faceret et ad dei honorem et gloriam gentibus publicaret.

Item in Neapoli et in Jerusalem eciam diu stetit, vbi vidit aliquas visiones de statu et tribulacione regnorum et de natiuitate et passione Jhesu Christi et de uocacione z) gencium, vnde dictum est ei in Jerusalem a Christo: verba, inquit, mea diu audiri et nunciari debent, postea venient opera et signa. Ideo scito, quod multi nondum nati sunt qui verba mea suauiter recepturi sunt, propterea sicut dictum est in Ewangelio meo: Beati qui audiunt verba dei, sic dico nunc, beati qui nunc audiunt verba mea et perficient ea opere, verumptamen scito quod post obitum tuum plures recipient verba *mea* et cum suauitate sequentur ea, quia non sunt sicut flos casurus, set sicut fructus permanens in eternum.

så hænde. Och är vetande, at Gud giorde stora nådh meth tessom barnom, så at gamble mæn vndrade storliga på tera gudelighet, som te vti tem sågo. Ulffwer war her ingiffwen til bröderna och doo för æn Conuenten wigdes. Gudmar bleff vte nær fadrenom. Och er thet vetandes at her Birge stod för allom Closters ærondom och war såsom Closters sysleman, huilkit honom och helga fru Karin war åff Gudi antuardat, oc te thet troliga giorde förty at her Birges fru gaff alt sitt godz til clostret och her Birge som lenger leffde alt thet han kunne byta oc köpa til Clostrens gagn oc nytta, thet lade han stora acht vppå som nog kan finnas j closters jordabreffwer, han leffde lengst åff alla sancta Birgitta barnom och en hans syster, som heett fru Cecilia, som framleds skal seias åff [t]). *Te liffde om ten tima tå sancta Birgitta wart skrinlagd her j Wastena och stodo för alla the högtidene, som her war tå j Wastenom. Och tå sancta Birgitta skrin första siñ bars her j Wastenom tå gick Her Birge sielffwer vnder skrineno oc bar thet meth androm flerom ærlikom herrom. Och ten dagen sade han med gudelige glædi: nu wil iag glædeliga slå mitt huffwet vp förty iag minnes, huru offta iag stod dröffder för minom herra konung Magnusse meth nederbögdo hufwet, nær han sade offta til mig: hwad mona vora frænko och tine moder drömpdt i natt. Ter epter kallade gudh honom her åff verdene, årom effter Gudz byrdh 1391 vppå sancti Bartholomei dag wart han siuker vppå Ringstadaholm och tridie dagen ter epter bleff han döder oc fördis hitt och iordadis her meth myclom heder som ter till borde.*

Te andra sancta Brita dotter heet Fru Cecilia. Hon [war] jngiffwen j Scheningie closter mott sinom vilia (vt in Reuelationibus primo Libro 71 cap.) tå kom Her Karl henna broder och tog henne ter vtt och gaff henne enom vngan Riddare, huilken sedan wart för-

s) Anno 1380 vel 1381. Nam in literis A. Episc. Birgeri datis, Arnö, die paschæ — — — [i. e. 14 Aprilis 1381, nam viaticum Urbani VI:i pro reditu Katerinæ in Succiam dabatur an. 1380, d. 15 Mart (v. Celse, Bullar. pag. 143, n. 23) et primum in mense Julii Katerina pervenit Wastenam; Sudercopiam reliquit d. 8 Julii, v. literas orig. papyr. Katerinæ ad A. Episc. Birgerum dat. d. XV Kal. Aug (sc. 1380) in Archivo Regni — — — — — — legimus hæc verba: --- "laudetur ... deus ... qui vobis ... magistro .. Petro ... priuatis dominam Caterinam abbatissam vestram ... dignetur remittere pro solacio singulari et non solum uobis, set etiam fratri suo domino Birgero Ulfsuni uxore et filiis secundum voluntatem dei nouiter orbato ...." (v. Cod. papyrac. A. 26 in bibl. regia Holmiensi, fol. 57 et 58).

t) Vocabulum "åff" quod marginis laceratione est deletum. ex descripto Nordinii restituimus.

u) D. 24 Augusti (item in Diario Wadstenensi).

v) Hoc castrum in insula amnis "Motala ström" ædificatum haud procul ab urbe Norcopia abfuit.

x) Cfr. supra pag. 200.

y) Lege: Lars Sunason (Riks-Arch. Perg. Bref, I. n. 1236); forsan idem, ac L. S. judex territorii Wester-Rek in Sudermannia (l. c. n. 319 et 385).

Digitized by Google

en stor mæstare til lekedom oc war nær konungenom som tha styrdhe i rikeno, oc hænne fik han moth allas hænnas franda oc wena samtykkio, the haffdo samman try barn som war jomffru Birgitta Larenza dotter, hon wart hær syster oc jngiffwin oc war mykyt gudelik mænniskia, Oc doo för æn conuentet wigdhes. The andra hænna dotter heet frw Katerina, hon atte en ærleken hærra som heet hær Sten Stenson, the haffdo samman twa söner som war Sten oc Wlff, the twa piltane bliffw dödhe för æn frw Cecilia doo oc fru Kadrin thera modher tæslikes [b]), Oc the liggia hær, Æn thænna samme ærleke hærran hær Sten Stenson gaff sik sidhan hær jn i clostrit för en lekbrodher oc liffdhe hær ærleka oc wæl oc doo sææl [c]), æn frw Cecilia sancta Birgitta dotter gik til gifftemala annan tidh oc fik en ærleken hærra, som heet hær Bænkt Philippa son [d]) oc mædh honom fik hon enghen barn, wtan æpther hans dödh foor hon hiit til Wastena oc bodhe hær Oc gaff hiit til clostrit mykyt godz [e]) som nogh kan finnas i iordabokenne, Oc nar hon haffde ærleka oc wæl leffwat kallade gudh hænne aff wærldenne Arom æpther gudhs byrdh MCCCXC oc a IX areno sancti Gregorii dag i fastonne [f]).

giffwen i Schåne i Drottning Margreta bröllop och koning Håkans [z]); *Ter fick och konung Magnus förgifftelse och andre flere herra. Tå hade konungen meth sig en welboren man ter vel kunne weth lekedom och han heett Lauritz Joansson; och han haffde wel gitit* [a]) - - - - -

The tridhia sancta Birgitta dotter war waar hælga modher oc frw sancta Katerina, hænna liffnadher oc stadge ær allom oppenbar oc kwnnogher.

The fiærdha sancta Birgitta dotter heet iomffru Jngeborgh, hon war jngiffwin i Risabærgha closter [g]), Oc liffde thær gudelika oc wæl oc ær nw i himerike mædh gudhi sææl, Oc tros hælogh wara, thy at gudh gör mangh iærtekne wid hænna graff, hwilke som tith komma oc kalla hænne sik til hiælp.

z) Sollennia nuptiarum celebrabantur d. 9 Aprilis an. 1363.

a) In cod. Ba ita legitur: "Swå gaff henne Kong Magnus eenom wällbornom man, heet Her Lauritz Joanson som henne til lähna biddis, tha han ther medh Läkedom haffde frelst Konungsens Lijff, som och förgifwin war". — De dubia illa historia veneficii in nuptiis an. 1363 tentati cfr. Munch, Det norske Folks Historie, Anden Hovedafd. I. pag. 738, not. 1.

b) Domina Katerina Larsdotter obiit ante d. 1 Maji 1386 (R. Arch. Perg. Bref, II. n. 2213). Filii Sten et Ulf commemorantur an. 1391, d. 21 Sept. (l. c. n. 2577).

c) Sten Stenson (Bjelke), miles, consiliarius et legifer Vestmanniæ ac Dalecarliæ, conventum iniit an. 1395, d. 20 April. (Diar. Vadsten., cfr. pretiosam donationem ejusdem anni in R. Arch. P. B. n. 2753) et decessit ibidem anno 1431, d. 2 Martii (l. c.).

d) Miles et consiliarius de gente "Ulf" (Panter), qui in priore matrimonio Birgittam, filiam Karoli Näskonungsson, habuerat.

e) Anno 1391, d. 21 Julii prædia, a maritis Benedicto et Laurentio, jam mortuis, pro dote oblata, monasterio condonat. (R. Arch. P. Bref, II, n. 2577).

f) I. e d. 12 Martii (item Diar. Vadst.).

g) A parentibus monasterio tradita an. 1341, d. 29 Martii, (Dipl. Suecanum, V. pag. 28), matre Romæ commorante obiit (attestante Petro Alvastrensi super art. 19).

Hic sicut in fine vitæ Birgittæ addimus schema genealogicum.

Tab. I.

Birgerus Pederson.

- Israel legifer
- Ingrid
- Margareta [forsan nupta Nicolao Ingevaldsson]
- Birgitta uxor Ulfonis Gudmarsson
- Katerina, uxor Magni Gudmarsson

Israel legifer:
- Helena uxor Caroli de Tofta

Margareta [forsan nupta Nicolao Ingevaldsson]:
- Märta v. tab. III.
- Karolus v. tab. II.

Birgitta uxor Ulfonis Gudmarsson:
- Birgerus † 1391 uxores
  1) - - - - Glysingsdotter
  2) Märta Siggesdotter
  - 1) Ulf
  - 1) Gudmar
- Katerina † 1381 uxor Eggardi de Kyrn † circa 1352
- Ingeborg monialis

Katerina, uxor Magni Gudmarsson:
- Cecilia † 1391 uxor
  1) militis ignoti
  2) Laur. Sunason
  3) Bened. Filipson
  - 2) Birgitta
  - 2) Katerina † ante 1386 uxor Stenonis Stenson (Bjelke).
    - Sten
    - Ulf.
- Ingeborg † 1390 uxor
  1) Bened. Thureson (Bjelke)
  2) Ereng. Sunason comitis Orchadensis † 1392

Tab. II.

Karolus Ulfsson
legifer Nericiæ † 1372
uxores
1) Katerina Gisladotter (Sparre)
2) Goda
3) Karin Eriksdotter Glysing † 1413

- Johan Moltke
  - Ingeborg uxor Gotscalci Bengtson
  - Margareta † 1413 uxor Cristierni Nilson (Wase)
- 3) Ulf
- 3) Karl legifer Nericiæ † 1398, uxor Katerina Algotsdotter postea nupta cum Birgitta
  - Håkan (Pederson) Tott
    - Märta uxor Erengislonis Nilson de Hammerstad

Tab. III.

Sune Jonson
legifer Smalandiæ

- Ulf Ambjörnsson (Sparre) legifer Smalandiæ
- Märta
- Erengisle v. Tab. I.

Märta Ulfsdotter uxor
1) Sigvidi Ribbing
2) Kanuti Algotsson

- Karolus de Tofta † 1407 legifer Uplandiæ
- Kristina de Foglavik † 1389
- 1) Petrus Ribbing † 1379
- 1) Arvid
- 2) Ingegærd abbatissa † 1412
- 2) Katerina † 1407 uxor Agmundi Finson
- 2) Ingrid uxor Gautonis Erici

Digitized by Google

XVI.

MOMENTA QUÆDAM ITINERIS HIEROSOLYMITANI S. BIRGITTÆ.

Ex codice pap. Bibl. Upsal., (initio seculi XV:i scripto) signato n. 86 in catalogo Benzeliano, foliis penultimo et ultimo. Ante priorem partem itineris duæ literæ Birgittæ, quas supra pag. 196, not. v. ex alio codice memoravimus, exscriptæ sunt. Inter priorem et posteriorem partem ista revelacio reperitur: "Hanc reuelacionem habuit a deo domina Byrgitta in regno Cipri in ciuitate Famaguste ..... In qua Christus precepit ei, quod traderet omnes libros celestium reuelacionum Alfonso heremite ..... a) Filius dei loquebatur ad sponsam dicens. Ego sum similis carpentario &c." In margine vero eadem manu et rubro atramento est annotatum: "Istam reuelacionem idem episcopus non inscripsit in libris reuelacionum propter arroganciam vitandam et causa humilitatis sed post mortem ejus reperta est in breviario suo". Ex quo Benzelius (qui priorem partem in appendice suæ editionis præcedentis chronici n. XV imprimendam curavit, sed posteriorem præterivit) non sine causa conjecisse videtur, Alfonsum auctorem primæ partis esse. Secundæ vero scriptor (sive Alfonsus sive alius) argumenta ex attestationibus Alfonsi in processu Canonizationis aperte hausit (cfr. supra pag. 203 not. s.).

Anno domini MCCCLXXII:o fecit sancta Byrgitta de regno Swecie hoc viagium ad sanctum sepulchrum de Neapoli prout infra sequitur a).

Die Jouis XI die Marcii posuimus nos in naui in portu in ciuitate Neapoli.

Dominica in passione XIIII die Marcii exiuit nauis de portu predicto et incepit viagium.

Feria sexta XIX die dicti mensis applicuimus ad Mecinam et stetimus ibi vsque ad parasceuen b).

Die parasceues XXVI die eiusdem mensis recessit nauis de Mecina versus Ciprum.

Die Martis penultima die Marcii applicuimus ad insulam Cefalonie cum magna tempestate.

Die Jouis prima die Aprilis recessit nauis inde hora quasi completoria.

Die dominica que erat quarta die[s] Aprilis errauimus iter in mari et ambulauimus errantes die et nocte. Et die lune sequenti inuenimus nos errantes in gulfo Turquie prope quandam insulam Grecorum que subest magistro de Rodis ordinis militaris sancti Johannis que quidem insula vocatur Lango c).

Die Jouis VIII die Apprilis hora vespertina exiuimus inde et ambulauimus nauigando et applicuimus die lune ad quandam ciuitatem Cipri que vocatur Bafa d). Eadem die hora medie noctis habuimus bonum ventum et ambulauimus sequenti die videlicet Martis et applicuimus ad ciuitatem Famaguste laudantes deum.

— — — — — — — — — — — — — — — — — —

Item nota, quod in vigilia octaue ascensionis domini intrauit beata Byrgitta primo ecclesiam sancti sepulchri die vero sequente scilicet die Veneris ea orante in capella montis Caluarie vidit in visione Christum crucifigi et totam eius passionem et multa alia vt libro reuelacionum lacius continetur.

Infra octauam quoque assumpcionis virginis Maria (!) juit beata Byrgitta ad Bethleem et ibi in oracione vidit totum modum partus virginis vt sibi promissum fuerat ante XV annos.

a) Hactenus rubro atramento, sequentia nigro.
b) Idem ac Passio Domini (Lång Fredag).
c) Olim Cos, nunc Ko appellatum.
d) Hodie Baffa (olim Paphos) in litore occidentali.

Digitized by Google

XVII.

EX
PROCESSU CANONIZATIONIS SANCTÆ BIRGITTÆ EXCERPTA.

Ut jam in prolegomenis vitæ Birgittæ diximus, exstat in bibliotheca regia Holmiensi Codex papyraceus, signatus A. 14, pretiosæ reliquiæ antiquæ collectionis monasterii Vadstenensis, qui fere omnia acta Canonizationis Birgittæ continet. Duas distinctas comprehendit partes, fere eodem tempore (circa annum 1400) et paullum discrepante manu scriptas, quamquam atramento tenuiore posterioris partis scriptor usus est. Pars prima, XXI folia numeris signata continens, inscribitur: "Rubricacio seu summa tocius processus Canonizationis beate Brigide de Suecia" et abbreviata est expositio earum rerum, quæ in majori libro Canonizationis continebantur, eo consilio instituta, ut Papa et Cardinales negotia hujus rei sine majori temporis jactura perspicere et judicare possent. Pars secunda, cui superscriptum est: "Acta et processus habitus coram reuerendissimis in Christo patribus dominis Gradensi, Corphiensi et de Zangro, Cardinalibus, Commissariis super negocio Canonizacionis beate Brigide de Regno Swecie," est ipse major liber, de quo in Rubricatione non semel fit mentio. Propter amplitudinem hujus operis, quod ducenta quadraginta folia complectitur, sqlummodo gravissimas, Sueciam spectantes, res excerpere atque hic prodere ausi sumus, sicut etiam spatii servandi causa jam in prologo diversarum rerum, quibus processus est compositus, conspectum damus, ad quem, ut iterationem et superfluam amplitudinem evitemus, legentes infra referimus.

Contenta libri Canonizationis.

A) Testificatio notarii publici, Thomam sanct. Nerei et Achillei presbyterum Cardinalem anno 1379, d. 3 Martii recepisse literas Urbani VIti dat. an. 1378, d. 15 Decembris, quibus Papa quatuor Cardinalibus mandat, ut hujus negotii examinationem instituant. — — Testificatio notarii publ., Ludovicum Alfonsi de Capucione, licentiatum in jure canonico, an. 1379, d. 16 Martii Cardinalibus instrumentum datum an. 1379, d. 27 Januarii, porrexisse, quo Katarina, filia Ulfonis et Birgittæ, eum suum procuratorem nominaverit (fol. I—III).

B) 51 articuli de vita et miraculis Birgittæ per illum Ludovicum Commissariis an. 1379, d. 11 Julii traditi, ut testes super iis interrogentur (fol. IV—XI)

C) Productiones testium, ubi solummodo recensetur, quibus diebus Commissarii testes ad jusjurandum dandum pro tribunali compellaverint; de quo confer infra sub lit. G: "depositiones testium" (fol. XII—XVIII).

D) Literæ principum, prælatorum et magnatum pro canonizatione, atque relationes de examinationibus pluribus locis factis, per Ludovicum procuratorem an. 1380, d. 8 Martii productæ (fol. XVIII—XCVI).

1) Literæ Gregorio XI pro canonizatione impetranda directæ a Birgero Archi Ep. Upsal., Nicolao Lincop. et Mathia Arosiensi, dat. Holmiæ an. 1376, d. 9 Octobris (fol. XX).

2) — — — — — — ab Alberto rege, Karolo de Toptum, milite, legifero Sweuorum, Boetio legifero Gottorum et regni constabulario, Benedicto Philippi, Agmundo Johannis et Kanuto Karoli militibus et consiliariis regni Swecie, ejusdem anni, diei et loci (fol. XXI).

3) — — — — — — a sex episcopis Sueciæ a), Telgis an. 1377, d. 27 Maji (fol. XXI).

4) — — — — — — ab Erengislo Sunonis b), comite Orchadensi, Boecio Johannis, legifero Ostgottorum et constabulario regni, Benedicto c), marscallo Karolo

a) Deest nomen episc. Wexionensis.
b) Codex habet: Stirgilslo Symonis.
c) Lege: Stenone Benedicti (Bjelke).

Digitized by Google

de Toptum legifero Sweuorum, Benedicto Philippi, Erico Karoli et Birgero Ulfonis, Stephano Ulphonis, Arnoldo [ɔ: Anundo] Johannis, Kanuto Karoli, Stenone Stenonis, Finbido Finbordi d), Petro Ribbing consiliariis, Magno Haquini, Sunone Nicolai, Benedicto Johannis, Petro Israelis, Magno Benedicti, Ulphone Johannis, Haraldo Karoli, Karolo Magni, Egislo Symonis e), Stephano Nicolai, Storiro f) Henrici nobilibus, dat. in monast. Wadstenensi, an 1377, d. 2 Augusti (fol. XXII).

5) — — — — — — a Karolo IV, imperatore, dat. Brangermunde [ɔ: Tangermunde], d. 9 Sept. an. imperii vicesimo tertio (an. 1377) (fol. XXII).

6) — — — — — — duæ literæ a Johanna, regina Jerusalem et Siciliæ, datæ 1377, una in castro Ovi prope Neapolim, altera in Cascisana prope castrum maris de Scabia, sine die (fol. XXIII).

7) Vidimatio Nicolai episc. Lincop. et trium canonicorum ejusdem ecclesiæ sequentium literarum, data Wadstenis, an. 1377, d. 2 Aprilis (fol. XXIII, XXIV).
   a) Literæ Gregorii XI:i, quibus Nicolao A.Ep. Lundensi et Waldemaro Ottoniensi inquisitio miraculorum Birgittæ mandatur, dat. Auinione, d. 13 Nov. 1375 (pontif:s anno V:to).
   b) Literæ Nicolai A.Ep. Lund., quibus hanc Waldemaro soli tradit, dat. Brunabus [ɔ: Brunby], an. 1377, d. 3 Martii (feria tertia post dominicam oculi).

8) Relatio Waldemari episc. Ottoniensis de sua visitatione dat. Wadstenis, an. 1377, d. 30 Martii (2:da feria Paschæ); cfr. Celse, Bullarium, pag. 136, n. 23, (fol. XXIV—XXVIII).

9) Relatio Galhardi, episcopi Spoletani de examinatione facta in Monteflascone, an. 1373, d. 14 Decembris, presentibus domino Gomecio de Albernotio, domino Birgero de Swecia cum pluribus aliis, cum qua est conjuncta illa narratio de Birgitta (impressa sub n. XV), quam duo Petri, confessores, d. 17 Decembris tradiderunt (fol. XXVIII—XLI).

10) Collectio miraculorum Birgittæ ex præcepto Nicolai, episc. Lincopensis, a Gudmaro Frederici, Johanne Gunderi [ɔ: Giurderi] g) et Katilmundo presbyteris Wadstenis morantibus facta, ("in sexterno continente sedecim folia vel chartas pergameni"), quam Birgerus Upsal., Nicolaus Lincop. et Mathias Arosiensis episcopi an. 1376, d. 9 Decemb. in domo fratrum minorum Holmiæ sigillis communierunt (fol. XLII—LVII).

11) Alia collectio miracul. sigillata a Birgero Upsal., Thoma Wexion. Nicolao Scar. et Mathia Aros., episcopis, capitulo Lincopensi, inclitis baronibus, Erengislone, comite Urkonensi h), Boecio Johannis, capitaneo Findlandensi, dominis Benedicto et Karolo consiliariis et militibus, Wastenis, d. 2 Maj (in crastino apost. Phil. et Jacobi) anno 1375 i) (fol. LVII—LXV).

12) Relatio magistratuum nonnullorum regni Siciliæ de inquisitione, quam in hoc regno diversis locis mensibus Octobri et Novembri anni 1376 ex præcepto Bernardi A.Ep. Neapolitani fecerant (fol. LXV—LXX).

13) Duæ relationes Nicolai episcopi Lincopensis ad Papam de novis miraculis, datæ Wadstenis, una an. 1377, d. 10 Septembris k), (fol. LXXI—LXXIII), altera an. 1378, d. 2 Augusti (fol. LXXIII—LXXV).

14) Relatio Angeli Vannis de Perusio, vicarii generalis episcopi Tudertini, de inquisitione, data Tuderti, an. 1380, die 31 Decembris (fol. LXXV—LXXX).

15) — — — — — — Mathei plebani Plebis de Ponte, vicarii episc. Spoletani, dat. an. 1380, in mense Februarii (fol. LXXX—LXXXVII).

16) — — — — — — Gundisalvi Fernandi, clerici dioc. Legionensis, epistolarum apostolicarum scriptoris, data in civitate Tudertina an. 1379, den 2 Decembris (fol. LXXXVII—XC).

17) — — — — — — Johannis Claro de Campania, presbiteri dioc. Salernitanæ, de testimonio Nicolai, comitis de Nola, data in Castro Neptuni, Albanensis diocesis, an. 1380, d. 15 Februarii (fol. XCI—XCVI).

d) Lege: Finwido Finwidi.
e) Lege: Sunonis; pater erat noti Matthiæ Ödgislason (Lilje).
f) Forsan pro: Thoriro (= Thurone) Erici.
g) In mandato Nicolai episcopi (fol. LVI) appellantur Johannes dictus Prest et Gudmarus de Enecopia (de hoc celebri Birgittæ socio vide Diar. Wadsten. ad annum 1389).
h) Pro Orkneyensi = Orchadensi.
i) Hanc Katarina, statim post Romam profisiscens, secum duxit, ut tres supradicti presbyteri testantur (fol. XLII).
k) Coævum exemplar membranaceum hujus relationis in Archivo regni conservatur.

Digitized by Google

E) Productiones testium super recognitione sigillorum literis appensorum an. 1380, diebus, 9 et 13 Martii atque 5 Aprilis (fol. XCVI—XCVIII).

F) Literæ Cardinalium, Commissariorum, de termino ad quem quisque animadversiones contra canonizationem proponat, datæ Romæ, an. 1380, d. 11 Julii (fol. XCVIII—C).

G) Depositiones testium.

1) Elziarii, presb. Cardinalis Theatini, d. 18 Julii an. 1379 (fol. CI—CV).
2) Magni Petri, presbyteri Lincopensis, d. 6 Aug. (fol. CV—CXX).
3) Hartlevi l), electi Arosiensis, LX annos nati, d. 20 Aug. (fol. CXX—CXXIV).
4) Katerinæ, filiæ s. Birgittæ, XLVII annos natæ, d. 31 Aug. (fol. CXXIV—CXLV).
5) Latini de Ursinis, militis, d. 9 Sept. (fol. CXLV—CXLIX).
6) Alfonsi, olim episcopi Giennensis, (fol. CXLIX—CLXXIX).
7) diversorum testium Italicorum d. 12 Octobr.—21 Nov. (fol. CLXXIX—CXCV),
8) Petri Johannis, presbyteri, curati ecclesiæ Norcopensis, XXXIV annos nati, d. 14 Jan. an. 1380 (fol. CXCV—CXCVII).
9) Johannis Petri presbyteri, curati ecclesiæ Libergh m) Scarensis diocesis, LX annos nati, d. 18 Jan. (fol. CXCVII—CXCIX).
10) Petri Olaui, prioris monast. S. Mariæ de Alvastro, ord. Cisterciensis, LXXIII annos nati, d. 31 Jan. (fol. CC—CCXXXIV).
11) duorum testium Italicorum, d. 26—28 Febr.
12) Alfonsi Giennensis cum pluribus aliis de fide sigillorum d. 9—13 Martii (fol. CCXXXV—CCXXXVII).

H) Tres literæ supplicatoriæ ad Urbanum VI:tum pro canonizatione Birgittæ directæ (fol. CCXXXVII—CCXL).

1) ab Alberto, rege Sueciæ, datæ Örabro, dioc. Strengenensis, an. 1379, d. 18 Januarii.
2) a Birgero, A.Episcopo Upsalensi, Nicolao Lincopensi, Nicolao Scarensi, Henrico Wexionensi, episcopis, Hartleuo electo Arosiensi et ipsorum capitulis necnon capitulo Strengenensi, a Mathia, Suenone, Tidemanno et Ingevaldo, abbatibus monasteriorum Alvastri, Novevallis, Varnhem et Saba n), datæ eodem loco, die et anno.
3) ab Erengislo Sunonis, comite Orchadensi, Boecio Johannis, constabulario regni et legifero Gothorum, Karolo Ulphonis, legifero Sweuorum, Vikkone de Witzen o), præfecto Calmarniensi, Stenone Benedicti, marescalco regni, Benedicto Philippi, Birgero Ulphonis, Aruido Gostaui, Boecio Boecii, Amundo Johannis, Stephano Ulphonis, Stenone Stenonis, Kanuto Karoli, Laurencio Beronis et Fulcone Nicolai p), regni consiliariis, Magno Haquini, Porso Geet, Nicolao Johannis, Birgero Thuriri, Ragualdo Philippi, Foldero Puk q), Petro Porse, Benedicto Bogh, Ulphone Johannis, Magno Porse, Stenone Boecii, Karolo Magni, Turiro Benedicti, Arvido Benedicti, Laurencio Ingeberni, Ragvaldo Nicolai, Haquino Faderi, Stephano Nicolai, Haraldo Andreæ, Thorkillo Haraldi et Nicolao Arvidi nobilibus regni, datæ eodem loco, anno et die.

[*Ex relatione Valdemari episcopi Ottoniensis*].

— — — — — — a) Universis presentes literas inspecturis Waldemarus dei gracia Episcopus Ottoniensis Salutem in domino sempiternam. Notum facimus vniversis, quod nos juxta mandatum sanctissimi in Christo patris ac domini, domini Gregorii digna dei prudentia pape undecimi, pontificatus sui anno septimo sicut plene et expresse in bullis apostolicis inde confectis continetur, descendimus ad locum in Wastenis ad habendum(!) plenam discussionem et examinacionem tam de vita quam de moribus felicis recordacionis domine Brigide ibidem translate de Roma quam de miraculis et meritis ipsius, que ibidem dominus operari dignatus est. Eo autem tempore quo ibidem venimus, jnuenimus ibi congregatos nobiliores dominos et matronas de toto regno Swecie, que secum conuersate fuerant a juuentute, que eciam testimonium sub juramento singillatim per se, sicud inferius annotatur, exhibuerunt et prestarunt, presentibus venerabilibus

l) In originali semper scribitur nomen: Archeus.
m) Fol. XVIII rectius scriptum est: Lexbergh; quæ ecclesia in territorio Wadsbo sita est.
n) Suetice Juleta, in Sudermannia situm.
o) Mscr:tum: Wikeko de Wetzsten.
p) — — — Sulso Nicolai.
q) Forsan legendum: Fiallero Pijk.

a) Vide prolegomena sub lit. D, n. 8. Waldemarus episcopus Wadstenas pervenit d. 25 Martii (in annunciatione, dominica jam transacta) et rediit d. 31 Martii (feria tertia Paschæ), vt "Petrus de Watzstenis quondam Birgittæ confessor" an. 1377, d. 5 Aprilis (dominica Quasimodogeniti) Archiepiscopo Birgero scribit (literæ originales papyraceæ in Archivo regni).

Digitized by Google

dominis videlicet Nicholao dei gracia Episcopo Lincopensi, Nicolao Johannis decano Vpsalensi et canonico Lincopensi, Laurencio Odonis canonico et Henrico Henicheken [ɔ: Henikini], prebendato predicte ecclesie Lincopensis, necnon nobili viro domino Wickone de Voitzen [ɔ: Vitzen] milite, Capitaneo castri Calmarensis, qui interfuerunt examinacioni tam vite quam miraculorum.

Primo quidem de vita et moribus ipsius, domina Margareta de Bothim b), relicta domini Karoli, magnifici militis, septuagenaria, vidua de triginta tribus annis, honeste semper vite et fame, prestito juramento ad sancta dei ewangelia fatebatur, quod cognouit eam a tempore juuenili semper seruientem ex magno desiderio deo, vacantem oracionibus et elimosinis ac aliis piis operibus contempta gloria mundi; et habuit domum specialem pro pauperibus et infirmis. Postquam nupta fuit, omni die visitauit infirmos illos per se ministrando eis necessaria, et eciam deputauerat alios pro eodem officio, et habuit in consuetudine cotidiana, quod ante prandium semper intererat diuinis officiis, et postmodum solitaria in capella vel in camera sua seruiuit deo, et insistebat labori pro ornatu altarium et vestium sacerdotalium et quam plurima alia, que narrare esset longum. Et marito absente asperam duxit noctem in lecto et semper ibat de die ad corpus in aspero vestimento, et breviter omnia alia habuit in operibus, que decent vel decet mulierem deo dilectam habere. Et hec omnia dixit se vidisse [et] per communem conuersacionem expertam fuisse, testibus presentibus Nicolao Johannis, decano Vpsalensi et canonico Lincopensi predicto, Thordone Andree, Ragwaldo Amundi canonicis Lincopensibus.

Ingeburgis, filia Boecii militis c), sexagenaria, que vixerat in viduitate viginti septem annis, testabatur, quod in juuentute sua vitam duxit virginalem, contemptis lasciuiis et omnibus operibus immundis, et quod postquam fuit ducta in matrimonium, duxit vitam laudabilem et deificam, quod seruiuit deo in timore vacans oracionibus et continue diuinis officiis, jeiuniis et sua largiens pauperibus, et post mortem mariti vixit in sancta viduitate triginta tribus annis d), presentibus testibus suprascriptis.

Ingeburgis, filia Erici militis e), quinquagenaria, que vidua fuerat tredecim annis, dixit eam cognouisse, postquam tradita fuit viro, quod audiuit famam suam adeo a juuentute fuisse bonam, quod desiderabat eam videre propter virtutes, que dicebantur ab [ɔ: de] ea, et postquam vidit eam, dilectabatur, quod posset stare secum videns simplicitatem et honestatem suam cum optimis moribus sine ornatu aureo uel argenteo, et sciuit quod asperam duxit vitam viuente marito, in lecto suo vtebatur asperis et duris vestibus corpus suum castigando et cotidie eciam presente marito, adeo quod ante mortem mariti induxit eum ad vitam eandem, qui fuit miles pulcer et strenuus, et ante mortem mariti et post congregauit omnes pauperes et debiles in domum suam specialem et ministrauit eis in propria persona cum aliis personis deputatis ad hoc omnia necessaria et releuabat eos de loco ad locum et fecit eis parari balnea et mundauit corpora eorum et non abhorbuit (!) aliquos infirmos neque leprosos, vltra fuit adeo bona quod instruxit maritum simplicem laycum, quod sciuit horas beate virginis legere et legit cotidie, et habuit firmiter in mente, quod voluit continenter viuere et caste omnibus diebus suis; facta vidua statim Swecie deposuit omnem ornatum corporis et induit vestem rudem et simplicem cum pellibus agninis et quantum ad victum omnia delicata deposuit et grossa tantum ad naturam sustentandam sumpsit et modico sompno vacabat, sed semper vigiliis et oracionibus insistebat et malas mulieres pessime vite reduxit ad bonam vitam suis verbis et ad penitenciam, et hoc fecit in loco quo residebat tam viuente marito quam mortuo, et ista fecit, inquit, pluribus aliis locis. Et hec eadem Ingeburgis morabatur secum quinque annis in Roma, videns et limina sanctorum cum ea frequenter visitans, adeo quod propter nimios labores eundo destituta fuit viribus suis et adeo feruenter desiderabat Christum, quod neque audire voluit vana nec de vana pompa mundi, que Rome antiquitus fuerat, nec oculum ad talia vertere et continue in ecclesiis vel in locis priuatis cum lacrimis insistebat et cantauit ore proprio horas canonicas omni die cum aliis sacerdotibus secum orantibus, antequam circuerat limina de die pro indulgenciis, et omni die confitebatur et ab omni lasciuia abstinuit.

Ingeburgis, filia dicta Magni Guthmersson et vxor domini Ermigislonis comitis f), quinquagenaria testabatur, quod semper insistebat oracionibus ante meridiem et post meridiem vacacionis tempore ministrabat pauperibus, presentibus testibus supradictis.

Juliana, XLVIII annorum, filia domini Nicolay Dannes militis, vxor Nicolay Haquini g), [que] habuit noticiam ejus, cum fuit in matrimonio et conuersabatur secum die noctuque, sub juramento fatebatur, quod

b) Sine dubio legendum: Margareta de Broby, nam in diplomatis reperimus Margaretam Thuresdotter (Bjelke) in Broby, relictam Caroli cujusdam militis et matrem noti Erici Caroli (Örnfot), militis et præfecti Ostrogothiæ, (vide Riks Arch. Perg. Bref n. 692, 1334 et 1501). Prædium Broby adhuc exstat in paroecia Å (olim Aa vel Abo in territ. Björkekind, Ostrogothiæ), ubi Margareta secundum literas supradictas bona possedit.

c) Cum diplomata hujus temporis nullum alium militem nomine Boecium, cujus filia an. 1377 potuerit sexaginta annos excedere, nobis exhibent, nisi Boecium Nicolai (Natt och Dag), militem, consiliarium et legiferum Ostrogotiæ, hæc Ingeburgis est mater memorabilis Boecii Johannis (Griphufvud), dapiferi regni Sueciæ, (cfr. literas de anno 1370, Riks Arch. P. Bref, n. 939).

d) Perperam testatur Ingeburgis, cum Ulfo anno 1344, Birgitta anno 1373 vita excesserint.

e) Forsan illa Ingeburgis, de qua diximus supra p. 211, not, m.

f) Vide supra pag. 216 schema genealogicum, tab. I; cfr. Diarium Vadstenense ad annum 1390.

g) Mater Julianæ erat Ingeburgis Laurensdotter (quæ Birgittam in Italiam sequens Mediolani obiit, v. supra pag. 203, not. u),

Digitized by Google

pauperes, infirmos et debiles circumquaque adduci fecit ad curiam suam et posuit eos in certa domo magna deputata ad hoc et prouidit eis de seruitoribus, que erant honeste matrone, que ministrabant eis expensas et omnia necessaria, et ipsa omni die lauit pedes adminus XII ipsorum precipue in feriis sextis quocienscunque et aliis diebus, et semper iacuit et duxit vitam arduam die noctuque in veste dura marito absente, et statim mortuo marito reliquit omnia temporalia et omnem pompam huius mundi et remansit in monasterio Aluastri, ordinis Cisterciensis, vbi inhumauit maritum suum, in veste grossa seruiens deo, donec Romam recessisset, et omni die confitebatur tam in domo, quando ibi remansit, quam in claustro, et si aliquod verbum aspere vel inane loquebatur ad famulum uel famulam suam, statim confitebatur. Item in noctibus pluries surrexit ad orandum, sed in gallicantu surrexit ex toto et remansit in ecclesia, quousque prima fuit cantata, et tunc propter refocillacionem frigoris adiuit estiuarium et ibi legit partem psalterii, quamdiu traxit ibi moram et reuertebatur ad ecclesiam vsque ad prandium orando et audiendo horas canonicas, post prandium morabatur statim in oracione ad tempus et deinde vacabat operi pio pro ornatu altarium et vestium sacerdotum, et calices fieri fecit et ecclesiis dedit et numquam alii vacabat operi, deinde hora vesperorum ad ecclesiam reuertebatur vsque ad cenam, facta cena et expeditis negociis cum familiaribus legit completorium[h] suum et postea negabat loqui, ymo nemini loquebatur vsque ad horam primam sequentis diei. Item in jeiunando semper abstinuit ab esu carnium secundis et quartis feriis, et die Veneris et omnibus vigiliis apostolorum et beate virginis et plurium aliorum sanctorum in anno profestis jeiunauit in pane et aqua. Item tante fuit paciencie, quod de contumeliis et jniuriis illatis numquam turbabatur, sed omnia hylari wltu sustinuit. Et quia rex Magnus a juuentute sua fuit deuotus et vixit in bona vita, audiens famam eius eam pluries ad se vocari fecit et libenter innitebatur consiliis suis pro seruiciis diuinis, propter quod inuidebant sibi plures proceres regni et consanguinei dicentes eam esse sortilegam et seductricem, propter quod filii sui commoti contra iniuriatores huiusmodi insurgere voluerunt, ad que ipsa respondit, flexis genibus instanter rogans, quod nichil contra istos agere deberent, inuocans deum testem, quod pocius vellet tales iniurias et contumelias pati propter Christum, quam diadema regis aut regine gestare in capite suo, et in curia regis uel regine existens numquam voluit lasciuiis et solaciis illorum interesse, [sed] semper solitaria in camera sua oracionibus vacare.

Cristina, filia nobilis Boecii,[i] quinquagenaria, que vixerat in viduitate decem annis, fatebatur jurata, quod stabat secum per vnum annum et jacuit in camera sua, et dixit, quod multociens surrexit ad orandum in nocte et semper in gallicantu in toto surrexit et vacabat oracioni vsque ad diem, et deinde statim accessit ad capellam et ibi vacabat oracionibus et diuinis officiis vsque ad prandium, facto prandio iterum vacabat oracioni ad tempus, deinde intrabat cameram, in qua sedebant ancille sue in opere suo, alique in ornatu altarium, alique in aliis operacionibus necessariis, et assumpsit librum in lingua materna conscriptum de vita sanctorum et eorum passionibus et legit coram puellis et ancillis eas informando de sequendo vitam sanctorum et sanctarum. Deinde hora vesperorum ad ecclesiam rediit vsque ad cenam et post vacabat oracioni vsque ad lectum, et in lecto marito absente vtebatur veste dura et aspera et eciam continue omni die marito presente uel absente, et in quadragesima ultra alios infirmos quos tenuit omni die duodecim pauperes robustos ad eundum induxit ad mensam suam et eis necessaria dedit et administrauit XII in die cene tunicas et calceos et alia necessaria et super omnia quando sedebat in mensa expensas bene paratas et delicatas dimittens et refutans occulte vtebatur pane et aqua.

Item Helena, Lideri nobilis viri filia, quinquagenaria[k], que vixerat in viduitate quindecim annis, jurata fatebatur, quod nouit eam, postquam maritata fuit; propriis manibus ministrauit pauperibus cibaria et vacabat oracionibus instruendo puellas sicut prius.

Item monachi de Aluastro, Cisterciensis ordinis, vbi domina Brigida morabatur per quatuor annos post mortem mariti[l] de licentia superioris ordinis illorum, vsque juit Romam, depòsuerunt sub eorum juramento, infrascripti videlicet, domini fratres Laurencius sexagenarius, Daniel septuagenarius et Magnus quinquagenarius et vltra seniores de conuentu concorditer, quod in eorum monasterio resedit quatuor annis continue et sedulo uacabat vigiliis et oracionibus elemosinis et aliis piis operibus de die coram videntibus omnibus monachis et de nocte vt didicerunt de familiaribus suis; exhibuerunt se et obtulerunt, sicut et domine iam prescripte fecerunt, quod, si nos moram trahere possemus, vellent nobis adducere, quotquot

cujus post mortem divisio bonorum facta est an. 1352 inter Nicolaum Dannæs militem ex parte filiæ Ingegerdis, Nicolaum Hakonsson ex parte consortis Ilianæ, et Anundum Hemingsson ex parte consortis Katerinæ ..... presentibus Nicolao et Benedicto Thureson (Bjelke), quos Nicolaus Dannæs ibi "fratres" vocat, sicut eadem insignia ferebat (Vide literas in Codice J. 7. pag. 287, 288 in Archivo regni. Nicolaus Haquini in armis gestabat cymbam, cujus in puppi atque prora splendebant stellæ (vide Riks-Arch. Perg. bref, I. n. 651 et 1283, II. n. 2872).

h) I. e. "officium ecclesiasticum, quod cetera diurna officia complet et claudit, unde dicitur ad noctem," Du Cange.

i) Cristina quædam, filia Boecii, nupta Johanni Götason vivit anno 1366 (R.Arch. Perg. bref, n. 689). Johannes Götason advocatus castri Wiborg comparet anno 1343 (Diplom. Suecan. V. n. 3698).

k) Ignoramus quæ illa Helena fuerit, nam Helena Lydersdotter, que anno 1374 prædium condonat monasterio Vadstenensi (R.Arch. Perg. bref I. n. 1079), jam anno 1336 erat nupta Johanni Öyarsson (Diplomatar. Suec. IV. n. 3212), quare ante annum 1327 natam fuisse necesse est.

l) Cfr. supra pag. 194, not. m et 202, not. o.

Digitized by Google

vellemus de nobilioribus dominis et dominabus tocius regni, qui nouerunt eius conuersacionem optimam. Presentibus venerabili in Christo patre domino Nicholao dei gracia episcopo Lincopensi &c. prout supra, discussione taliter habita super vita et moribus ipsius domine Brigide, presente notario publico subscripto, inquisicionem fecimus diligentem super miraculis, et producta fuerunt coram nobis plura miracula in scriptis, quorum testes non comparuerunt coram nobis nec venire potuerunt propter artacionem temporis, sed tantum super infrascriptis miraculis, que prope locum Vastenensem contingerant (!), testes recepimus et examinauimus diligenter, sicut statim inferius annotatur m).

. . . . . .

[*Depositio Nicolai comitis Nolani* n)].

Super vicesimo nono articulo qui incipit: Item ponit et probare intendit &c. dixit hoc tantum inde scire, quod cum quadam die ipse testis introduceret dictam dominam Brigidam ad presenciam supradicti quondam domini Vrbani pape V:ti in Monteflascone tunc morantis et esset quasi interpres inter ipsum dominum papam et ipsam dominam Brigidam, quia nesciebat bene grammaticam nec intellexit bene linguam dicti domini pape, ipsa dicta domina dixit dicto quondam summo pontifici, solo presente teste predicto, quod per multos annos, et videtur sibi recordari expressissime per XIIII, expectauerat ipsum dominum papam venturum ad vrbem, jta quod multis annis, antequam esset papa, videtur fuisse sibi reuelatum de aduentu predicto . . . . . Interrogatus de tempore dixit fuisse penultimo uel ultimo anno recessus domini Vrbani predicti o). . . . . .

[*Depositio Magni Petri presbyteri* p)].

Item super decimo quinto articulo . . . . . interrogatus, quomodo scit, respondit, quod predicta nouit et scit, tamquam ille, qui per octodecim annos vel circa stetit et moram traxit Rome quasi continue cum dicta domina Brigida. . . . . .

Item super vicesimo quinto articulo . . . . . interrogatus in quo loco dicta domina Brigida emisit spiritum, respondit quod Rome in domo habitacionis ipsius domine Brigide, posita apud Campum Floris q), in qua presencialiter habitat prefata domina Katherina eiusdem domine Brigide filia, de anno domini millesimo tricentesimo septuagesimo tercio et de mense Julii die XXIII, presentibus prefatis dominis Confessoribus, domina Katherina et domino Birgero filio dicte domine Brigide et tota familia sua ac ipso teste . . . . . [Super vicesimo nono articulo]. . . . . Item dixit idem deponens, quod presens fuit et pluries audiuit a predictis confessoribus dicte domine Brigide, quod tempore felicis recordacionis domini Clementis pape sexti dicta domina Brigida existens Rome habuit reuelacionem ei diuinitus reuelatam, quod ipsa domina Brigida Rome expectaret, donec videret ibidem insimul papam et imperatorem, que quidem reuelacio fuit ante per XV annos ante mocionem curie Romane de Auinione in vrbem, et ista fuerunt nota bone memorie domino Cardinali sancti Petri, tunc eiusdem ecclesie canonico, et aliis pluribus deridentibus dictam dominam Brigidam, qui dicebant verisimile non esse papam et imperatorem simul et eodem tempore venire Romam, et dicit idem testis, quod ipse presens fuit et vidit dominum Vrbanum olim papam quintum et dominum Karolum imperatorem simul Romam aduenisse r). . . . . .

Item dixit idem testis, quod dicta domina Brigida existens Rome, reuelatum fuit sibi diuinitus vna die stando in oracione quod dominus Mathias, canonicus Lincopensis, magister in sacra pagina, ipsius domine Brigide primus confessor et eius pater spiritualis, mortuus erat in regno Swecie, et eius anima deferebatur ad regna celestia, quam reuelacionem statim dicta domina Brigida dixit et narrauit domino Petro, confessori suo s), et illico prefatus dominus Petrus scripsit et notauit diem reuelacionis predicte; post multos dies extunc contigit, quod dominus frater Petrus, prior monasterii Aluastri, secundus confessor dicte domine Brigide, venit de regno Swecie Romam, qui presens fuerat in morte dicti domini Mathie, et narrauit mortem eius predicte domine Brigide et alijs de familia sua, et tunc dictus dominus Petrus confessor quesiuit a predicto priore de die mortis ipsius domini Mathie et aspiciens [ɔ: -tes] in quaterno reuelacionum dicte domine Brigide diem, quam ipse notauerat, inuenerunt ambo, quod ipso die, quo ipse dominus Mathias mortuus fuerat in Swecia, eodem die ipsa domina Brigida de hoc certitudinem habuerat in reuelacione predicta Rome t). . . . . .

m) Sequentia miracula hic prætermisimus, quia ex immensa illorum copia illa solum, quæ homines atque loca vel mores hujus temporis quodammodo illustrant, infra uno loco preferre in animo habemus.

n) Vide prologum, lit. D. n. 17. De ipso viro cfr. supra pag. 196, not. u.

o) Electus est papa an. 1362, d. 6 Novembris, obiit an. 1370, d. 19 Decembris.

p) De illius gente et vita vide supra pag. 178, not: x.

q) De loco, in quo Birgitta animam efflavit, dissenserunt scriptores (cfr. Buæum in Actis Sanct., Antwerp. Octobr. Tom. IV, pag. 461, num. 384 et 385) sed Hammerich (Den hellige Birgitte, pag. 163 et 212, not. 1.) recte conjecit, in domo ejus factum esse.

r) Anno 1368.

s) Sc. Petro Vadstenensi, de quo diximus supra pag. 177, not. t. et 178, not. a.

t) De obitu Matthiæ cfr. supra pag. 191, not. a.

Digitized by Google

Item interrogatus super XXXVIII:o articulo, qui incipit: Item quod dicta domina Brigida, dum esset totaliter rudis &c. u), respondit vera esse contenta in dicto articulo, reddens causam sciencie, quia ipse testis audiebat ipsam dominam Brigidam loquentem congrue et prolixiores sermones facientem latinis verbis, quam, dum esset XL annorum, ipse testis cognouit rudem et omnino in sciencia grammaticali insciam. . . . . .

[Super quadragesimo nono articulo]. . . . . Item dixit idem testis loquens, quod cum prefate domine Brigide a Christo reuelatum extiterit, quod corpus suum Rome deberet sepeliri et deinde transferri ad monasterium sancte Marie in Vadstenis, dominus Birgerus filius, domina Katherina filia et confessores ipsius domine Brigide deliberauerunt, ordinauerunt ac fecerunt funus dicte domine Brigide includi in vna capsa lignea et ipsam capsam cooperiri panno et sigillis ipsius domini Birgeri militis et domini Latini de Vrsinis de vrbe et aliorum quam plurium dominorum caute sigillari ac in monumento lapideo recondi et sepeliri anno domini M°CCC^{mo}LXXIII°, die XXVII mensis Julii v) eiusdem anni in monasterio sancti Laurencii Panisperne infra cancellos ferreos, vbi ipsa domina Brigida dum viuebat elegerat sepeliri, verum eodem anno prima septimana mensis Septembris eiusdem anni, dum vir venerabilis dominus Alfonsus reuersus foret de Auinione Romam, qui ex parte ipsius domine Brigide aliquas reuelaciones domino pape Gregorio portauerat, decreuerunt supradictum corpus beate Brigide de monumento extrahi et carnem ab ossibus separari et aromatibus *ac* herbis odoriferis recondi, volentes, vt ipsi domine Brigide reuelatum fuerat, funus ipsius in dicto monasterio de Vastenis transferre, miserunt predicti, dominus Birgerus, dominus Alfonsus et prefata domina Katherina quosdam viros spirituales et prefatum testem loquentem ad dictum monasterium sancti Laurencii et ordinauerunt extrahi dictum funus et bulliri cum aqua et herbis odoriferis et carnem ab ossibus separari, vt commodius et sine fetore corpus deferri posset predictum. Qui testis vna cum predictis viris spiritualibus, vt eis jniunctum fuerat, euntes ad dictam capsam ligatam et sigillatam, vt premittitur, de monumento extrahentes, paratis ibi necessariis pro coquendo et alia prout eis jniunctum fuerat, facientes x) et capsam apperientes predictam, jnuenerunt totam carnem dicte domine Brigide consumptam mirabiliter ac ossa nudata, ac si dictum funus per decem annos sepultum iacuisset in terra y), vestibus *tamen*, in quibus funus ipsum inuolutum extiterat, integris et incorruptis et sine macula ac quacumque putredine integre conseruatis. Et dicit idem testis admirando, quod hoc fuit singulare miraculum, quod infra tempus quinque ebdomadarum cum dimidia corpus reconditum in capsa lignea et in monumento marmoreo potuit totum consumi funus, vestibus in quibus positum fuit integris manentibus et illesis. . . . . .

[*Depositio Hartleui episcopi Arosiensis* z)].

Super primo articulo . . . . . ipse testis dicit se de partibus Swecie oriundum et cognouit ipsam dominam Brigidam, dum viuebat, et dominum Birgerum patrem ac dominam Sigridem matrem prefate domine Brigide a). . . . . .

Item interrogatus super XLII articulo b) . . . . . dixit se tantum scire de contentis in dicto articulo videlicet, quod de anno presenti M°CCC:^{mo}LXXVIIII°, de mense et de die se dixit non recordari, dum idem testis loquens esset in castro Örabro, presentibus serenissimo principe domino rege Swecie et concilio suo et magna multitudine nobilium et principum copiosa, idem testis audiuit dici et narrari a reuerendo patre et domino, domino episcopo Arosiensi c), qualiter deus meritis et intercessionibus beate Brigide mulierem, de qua in dicto articulo fit mencio, quam idem dominus episcopus ante per longum tempus viderat cecam, videntem perfecte et perfectissime liberatam [reddiderit]. . . . . .

u) Articulus hujus est sententiæ: "Item quod dicta domina Brigida, dum esset totaliter rudis in sciencia grammaticali et iam esset seu attigisset XL:^{mum} annum etatis sue, vt melius intelligere posset sacram scripturam, cepit studere ex precepto Christi in grammaticalibus, et infra non longum tempus ita profecit, quod in dicta sciencia et arte predicta bene erat instructa, ita quod bene intelligeret grammaticaliter loquentes et ipsa eciam cum bonis latinitatibus longos eciam sermones grammaticaliter loqueretur, et hoc est verum, publica vox et fama. — De ipsa re conferendum dictum comitis Nolani supra pag. 223.

v) Sic etiam filia Katerina in attestatione super art. 50; Petrus Alvastrensis (super art. 26) contra d. 26 Julii.

x) Petrus Alvastrensis hic addit (in attestat. super art. 26): "preparauerunt rasoria et gladios et preceperunt parari aquam cum herbis odoriferis, ne forte a cadauere inficerentur."

y) Katerina filia addit (in attestat. super art. 50): "excepto capite, in quo erat parum de cerebro."

z) De annis ejus episcopatus vide supra pag. 125. Super art. 14 attestatur, se Romæ versatum esse, cum Birgitta Hierosolyma reverteretur.

a) Sicut de nomine labitur testis, ita de ipsa re mentitur, nam Ingeburgis, mater Birgittæ, jam quinque annos ante natum episcopum (si anno 1367 sexagesimum ageret annum) erat mortua (v. supra pag. 189, not. g).

b) Continet miraculum an. 1374 factum, quando Helena quædam cæca de Westgotia meritis Birgittæ visum recepisse dicitur.

c) Sc. Matthia Laurentii, antecessore Hartleui; v. supra pag. 125.

Digitized by Google

[*Depositio Katerinæ filiæ Birgittæ*].

[Super quarto articulo] . . . . . ipsa pluries audiuit ab ipsa domina Brigida, matre sua, quod antequam contraheret matrimonium, in virginitate existens desiderabat toto corde seruire deo omnipotenti totis temporibus vite sue in virginitate et statu virginitatis et non contrahere matrimonium. Sed tamen parentes eius compulerunt, cogerunt et induxerunt eam ad contrahendum matrimonium, et dicebat ipsa domina Brigida tunc, ut asseruit ipsa testis, quod tunc voluisset libencius mori quam contrahere. Postquam autem fuit tradita matrimonio in etate XIII annorum magnifico viro domino Wlfoni de Wlfason, patri ipsius domine Katherine, presentis testis, qui, vt communiter dicebatur et dici audiuit eadem testis, et virgo fuit et etatis XVIII annorum, ipsi post huiusmodi matrimonium seruauerunt castitatem, continenciam et virginitatem suam per biennium vel circiter, rogantes deum continue, quod, si commisceri deberent, quod ipse digiaretur eis dare prolem vnam, que sibi continue seruiret et que ipsum numquam offenderet, et sic postea carnali copula consummata omni vice, antequam commiscerentur, semper premittebant oraciones suas ad deum supplicantes eidem, quod non permitteret eos peccare in actu illo carnali et quod deus daret ei fructum, qui ei semper seruiret ei. . . . . .

[Super decimo nono articulo] . . . . . dixit ipsa testis, quod vidit, quod quando dicta domina Brigida mater sua erat in regno Suecie post mortem mariti sui, habuit aliquas reuelaciones diuinas, in quibus deus precipiebat sibi, quod accederet ad dictum regem et reginam et alios maiores regni et predicaret eis ex parte dei maximam iram et justiciam dei in breui et in proximo venturam, ni se emendarent cito de certis peccatis in eisdem reuelacionibus contentis; ipsa autem ex precepto dei cum magnis laboribus et expensis statim iuit ad eos et publice dixit eis omnibus et singulis omnia ex parte dei, que Christus sibi preceperat, qui non credentes ei faciebant derisiones et detracciones de ea et murmurabant fortiter tali modo, quia intrepide reprehendebat eorum vicia, quod, si ipsa non fuisset tanti generis, interfecissent eam, sed timentes magnos dominos, filios et fratrem et consanguineos eius, permittebant eam, et tamen omnia impropria et contumelias et detracciones humiliter sufferebat cum magna paciencia et silencio, nolens nominare personas iniuriantes eidem. . . . . .

[Super vicesimo nono articulo]. . . . . Item dixit ipsa testis, quod postquam domina Brigida mater sua veniret Romam de regno Swecie et erat ibi tunc secum ipsa testis loquens in anno Jubeley d) de licencia tamen mariti sui, consanguinei regis ipsius regni e), venit cum multis aliis dominabus et peregrinis et familia sua ad Romam ad obtinendam indulgentiam Jubiley et ad visitandam ipsam dominam matrem suam; transacto autem aliquo tempore, licet in Roma nil sciretur de morte mariti eius, nec aliquis inuentus seu nuncius de partibus illis Swecie venisset, tamen ipsa domina Brigida mater sua diuinitus certificata in oracione, quod maritus istius testis loquentis filie sue esset mortuus in die Veneris sancta, dixit ad ipsam testem filiam suam in hec verba: filia scias, quod maritus tuus mortuus est, ideo elige tibi statum aut matrimonii aut sancte castitatis et viduitatis; quia sic fuerat ei reuelatum, quod deberet eam temptare. . . . . .

[Super tricesimo primo articulo]. . . . . Item dixit ipsa testis, quod vidit, quod antequam predicta domina Brigida veniret Romam, in dicto regno Swecie quedam baronissa, nomine Margareta de Vourvourk, propter famam sanctitatis dicte domine Brigide ad ipsam dominam Brigidam habuit recursum, vt pro marito suo iam defuncto deum oraret, vtrum anima eius esset in tali loco, vbi precibus, elimosinis et aliis bonis posset iuuari. . . . . .

Item dixit dicta testis, quod vidit, quando dominus Alfonsus Heremita, olim episcopus Giennensis supra nominatus, venit de Heremo ad Romam precepto domini Gerardi quondam Abbatis Majoris Monasterii et domini Nicolai comitis Nolani cum literis ipsorum credencie, qui notificabant ei ex parte domini Gregorii pape vndecimi aliqua secreta dubia eiusdem pape, qui et rogando precipiebat, quatenus oraret deum super huiusmodi dubiis et mitteret sibi responsa diuina, si qua a deo obtineret in oracionibus suis, quodque post paucos dies sequentes ipsa domina Brigida dedit ei in scriptis responsa huiusmodi domino Alfonso predicto, quem papa ad dictos abbatem et comitem remisit. . . . . .

[Super tricesimo quarto articulo]. . . . . Item dixit ipsa testis, quod dum predicta domina Brigida prima vice iuit ad Neapolitanam ciuitatem ad visitandum(!) ecclesias sancti Mathei et sancti Andree

d) Anno igitur 1350. Quod affirmatur attestatione Nicolai, comitis Nolani, super art. 3:o, "quod cum in anno Jubileo qui fuit anno domini MCCCL venisset ipse testis de Nola ad vrbem, vidit dictam dominam Brigidam ac dominam Katherinam . . . . . Rome per sanctuaria . . . . . conuersantes."

e) Quomodo Eggardus de Kyrn fuerit regis Magni consanguineus, nescimus.

Digitized by Google

apostolorum et sancti Nicolay in Baro f), videlicet anno domini millesimo CCC^{no}LXX^{mo}, dicta domina Katherina testis loquens ipsam dominam Brigidam associauit, et cum venissent in via in castro Sarmoneta g), quod est comitis Fundorum et distat a ciuitate Romana per XL^{ta} miliaria vel circiter, vt credit, contigit in domo nobilis viri nomine Sculus, vbi vidit(!) dicta testis, quod Katherina de Flandria, ancilla dicte domine Brigide infirmata fuit grauiter ad mortem de febribus et de punctura lateris sinistri taliter, quod tractabant ei facere extremam vnccionem; tandem ipsa testis videns, quod recedere vellent et eam dimittere infirmam non esset licitum, supplicauit eidem domine Brigide matri sue, quod oraret pro illa infirma, credens quod oracionibus illius curaretur et fieret sana, et tunc dominus Petrus confessor predictus eidem mandauit, et tunc ipsa extendit se totam in pauimento et ibi orauit pro illa, et statim in momento liberata fuit illa infirma et surrexit illico sana et equitauit et arripuit iter versus Romam.

[Super quinquagesimo articulo]. . . . . Item dixit ipsa testis, quod ipsa portauit vnum quaternum de multis miraculis, que contingerant(!) in regno Suecie post mortem matris sue domine Brigide, sigillis videlicet dominorum episcoporum et specialiter domini Vpsalensis necnon aliorum episcoporum sigillisque baronum et aliorum nobilium regis Swecie consiliariorum autentice roboratum et eciam publico instrumento h), verumtamen in partibus illis non est consuetudo vt plurimum de instrumentis notariorum vel testium, sed instrumenta munita sigillis episcoporum vel secularium personarum nobilium vel aliorum notabilium virorum in partibus illis reputantur autentica et faciunt plenam fidem. Post lapsum vero temporis dicta testis loquens existens tunc in curia Romana ad informacionem domini Cardinalis Nucerini tunc vicarii domini pape et aliorum jurisperitorum, misit capellanum suum dominum Nicolaum nomine i) ad regnum Suecie, scribens episcopo Lincopensi, quod ipse dominis, videlicet Johanni dicto Prest, Godmaro de Enecopia, Kaltilmundo [ɔ: Ketilmundo] sacerdotibus in Wastenis commorantibus et cuilibet eorum in solidum in virtute sancte obediencie districte preciperet, quatenus cum omni reuerencia ac solicita circumspeccione timoris et amoris dei miracula omnia, que deus ad laudem et gloriam nominis sui propter merita beate Brigide in Wastenis operari et ostendere dign[ar]etur, conscribere curarent, uel omnes simul, aut ille qui tunc ex ipsis presens adesset, ita quod ipsa infirmitas modusque curacionis nomenque persone, opidum et parochia seu diocesis exprimantur(!) vna cum inscripcione trium uel quatuor testium magis notorum, qui dictis miraculis adessent. Post hec anno sequenti tunc ad mandatum testis loquentis rediit ad Romam dictus Nicolaus et apportauit secum multa miracula scripta dicto modo scilicet cum juramentis et testibus per notarium publicum consignatis ex commissione dicti domini Lincopensis diocesani monasterii Wastenensis, vbi corpus dicte domine Brigide requiescit, et erant scripta in quodam quaterno pergamenio(!) cum sigillo eiusdem domini episcopi vna cum sigillis aliorum episcoporum pendentibus j). Postea autem omni anno quasi eadem testis vidit nouos quaternos, quos portauerunt nuncii venientes de regno Suecie cum multis miraculis modo supradicto scriptis et receptis et literas regis et episcoporum dicti regni cum eorum sigillis pendentibus et cum signis notariorum et testibus. Vidit eciam ipsa testis, vt dixit, literas cuiusdam episcopi Ottoniensis de regno Dacie k) cum sigillo eius pendente et eciam notariis et testibus, qui fuit commissarius deputatus per dominum Gregorium pie memorie papam XI de inquirendo de eius vita, sanctitate et fama. . . . . .

[*Depositio Alfonsi episcopi Giennensis*].

[Super duodecimo articulo] . . . . . dixit ipse deponens, quod vidit, dum penes ipsam conuersabatur, quod ipsa domina Brigida singulis feriis sextis et aliis diebus similiter corpus suum disciplinauit multis disciplinis et penitenciis, oraciones suas cum maxima deuocione et lacrimis dicebat continuando et perseuerando usque ad tempus et per tempora, quibus secum conuersatus fuit et eciam vsque ad diem obitus sui, prout audiuit ab omnibus eius familiaribus, cum tunc ipse testis dixit se fuisse absentem, quando ipsa domina Brigida obiit, ymo de mandato ipsius domine Brigide missus fuit aliquamdiu antea ad Auinionem ad papam Gregorium vndecimum cum quibusdam reuelacionibus diuinis, quas ipsa domina Brigida de dicto papa a Christo obtinuit et sic dixit ipse testis, quod fuit verum, publicum et notorium.

[Super decimo nono articulo] . . . . . semel vidit ipse testis ut dixit, quando dominus Karulus maior filius eius moriebatur in ciuitate Neapoli, quod erat ipse testis tunc prope eam et aliqui alii domestici clerici legendo recommendacionem anime eius, et ipsa domina Brigida mater sua a longe sedebat ab

f) Petrus Alvastrensis (super eodem articulo) dicit: "veniens de peregrinacionibus regni Secilie."

g) In Campania Romana, haud procul ab Anagnia meridiem versus.

h) Hoc i strumentum erat sexternus Wastenis d. 2 Maji, an. 1375 novem sigillis signatus, quem in prologo sub lit. D. n. 11 memoravimus.

i) Idem ac Nic., familiaris Birgittæ et curatus eccl. Herseme (cfr. pag. 178, not. x), ut relatio infra in not. j. memorata docet.

j) De hoc quaterno, Holmie an. 1376, d. 9 Dec. signato, vide prologum sub lit. D. n. 10.

k) Quibus literis vel relationi primum locum inter excerpta ex libro attestationum supra pag. 220—222 dedimus.

Digitized by Google

eo quasi per octo passus uel decem, vbi licet dictus filius suus expirauit, non tamen ipsa surrexit de loco suo tunc nec emisit voces uel lacrimas, sed eleuatis manibus benedixit deum et regraciando ei et conformando se humiliter voluntati diuine, et post hoc licet domina Johanna regina Secile [ɔ: Sicilie] et alie illustres et multe nobiles domine et maritus dicte domine regine, rex Jacobus, cum multis gentibus dicte ciuitatis associarent eandem dominam Brigidam cum planctu et multis lacrimis ad portandum dictum filium eius mortuum ad ecclesiam monialium sancte crucis, ipsa tamen velud immobilis columpna paciencie nec plorabat nec planctum faciebat sicut ceteri, sed benedicebat deum et dicebat quasi in effectum verborum: vade fili mi peregrine benedicte a deo et a me. . . . . .

Item dixit testis ipse, quod vidit, quod postquam dominus Vrbanus papa quintus predictus in Auinione mortuus fuerat, sicut et ipsa prophetauerat, statim in Roma eadem domina Brigida plures diuinas reuelaciones habuit in oracionibus suis pro eius successore domino Gregorio papa vndecimo, in quibus diuinitus precipiebatur ei, quod infra certum tempus ibi expressum veniret cum curia sua ad Romam uel Ytaliam cum humilitate et pastorali caritate, alioquin pateretur tribulaciones maximas in terris ecclesie et in corpore et in anima, quas reuelaciones vnam videlicet dominus Latinus de Vrsinis miles portauit eidem pape Gregorio, et aliam portauit dominus Nicolaus, comes Nolanus, et ipse testis, vt asseruit, portauit dicto domino Gregorio quandam aliam terribilissimam reuelacionem, que tamen omnes scripte fuerunt de manu ipsius testis loquentis, vt dixit, et corroborate manu et nomine proprio dicte domine Brigide. . . . . .

[Super tricesimo secundo articulo] . . . . . Item dixit presens testis, quod vidit, quando dicta domina Brigida intrauit Jerusalem in octauis ascensionis domini, vidit quod statim die Veneris sequenti ascendit ad capellam montis Caluarie et tunc ipsa domina Brigida habuit vnam visionem pulcram et deuotissimam de passione domini. . . . . Et dixit ipse testis, quod habetur hec visio in ultimo libro celesti, XVI° capitulo et quod audiuit eandem visionem ab ore eius presentibus supradictis l) in dicta ecclesia sancti sepulcri prope capellam beate Marie, vbi est pars columpne, ad quam Christus flagellatus fuit.

Item dixit idem testis loquens, quod quando predicta domina Brigida infra octauas assumpcionis virginis Marie iuit ad Betleem et cum ibidem staret in oracione prope presepe domini, statim apparuit sibi virgo Maria. . . . . .

[*Depositio Petri Johannis, curati Norcopensis*].

Item interrogatus super XXXV^to^ articulo . . . . . dixit se audiuisse a pluribus fidedignis, quod, cum vna die ex spiritus sancti precepto dicta domina Brigida visitaret militem quendam obsessum a demone, qui vocabatur dominus Johannes Sto[r]berni m), in articulo nominatum, qui tunc erat justiciarius prouincie Osgocie, contigit, quod equus, quem dicta domina Brigida equitauerat, qui consueuerat esse valde mansuetus, se in tantum saltando et alios actus terribiles faciendo se eleuabat in altum a terra, quod subferramenta pedum ipsius equi poterant ab omnibus circumstantibus intueri, ex qua eleuacione dicta domina Brigida fuit multum lesa in dorso et longo tempore doluit. . . . . .

[*Depositio Petri, prioris Alvastrensis*].

[Super secundo articulo]. . . . . Item dixit idem testis, quod audiuit a domino Hemmingo, episcopo Aboensi, qui dixit se audiuisse a reuerendo et deuoto viro, domino Benedicto antecessori suo, quod adueniente tempore, quo puella Brigida esset nata idem tunc sacerdos nomine Benedictus, qui tunc erat parochianus seu parochialis clericus vicinus illius ecclesie, vbi domina Brigida nata fuit, qui dominus Benedictus postea fuit episcopus Aboensis, vite approbate et etatis prouecte, vigilando in oracione vidit n). . . . . .

[Super quinto articulo]. . . . . Item vidit idem testis, ut dixit, et presens fuit in monasterio Aluastri, cum maritus dicte domine Brigide ageret in extremis, idem maritus suus imposuit digito dicte domine Brigide anulum suum, quem tunc in manibus suis gestabat, rogans eam, vt eo attencius animam eius haberet recommendatam. Cumque post hec ipse maritus defunctus fuerat, paucis diebus post ipsa domina Brigida amouit anulum de digito suo et dicentibus ei aliquibus, eciam magnis viris, non esse magne caritatis mouere de digito tale signum caritatis ipsius mariti, respondit ipsa: quando sepeliui virum meum, sepeliui eum cum omni amore carnali, et licet dilexerim eum sicud cor meum, nollem tamen vno denario contra velle dei redimere vitam eius, sed quando habui anulum in manu mea, erat michi quasi onus, quia inspiciendo eum animus meus recordabatur priorum dileccionum; ideo ut animus meus in solius dei ascendat amorem, volo carere anulo et viro meo et me recommendo deo. . . . . .

l) Sc.: confessoribus.

m) Nobilis hujus nominis, qui arma gentis, postea "Gren" appellatæ, ferebat, hoc tempore vixit, sed prædia ejus in Uplandia erant sita (v. Diplom. Suecan. IV pag. 222 et 694.)

n) Continuatur narratio ut supra pag. 190.

Digitized by Google

[Super quinto decimo articulo] . . . . . aliquando vero in oracione non videbat ymagines sibi loquentes sed audiebat voces loquentes sibi et in illo auditu discernebat ipsa et cognoscebat personam Christi uel angeli aut sanctorum sibi loquencium, et ita manebant illa verba reuelacionum impressa in corde suo, quod nullo modo poterat ea obliuisci, donec ipsa illa scriberet uel ab aliquo confessorum suorum scribi faceret, et tunc oblitis verbis impressa remanebat sola substancia ipsorum verborum in corde eius. Aliquando eciam videbat oculis carnalibus et corporalibus Christum et virginem Mariam, et maxime dixit iste testis, premissis addendo, in hora mortis sue cum maxima consolacione. Aliquando eciam infundebantur in corde eius reuelaciones diuine non visa aliqua ymagine nec audita aliqua voce, sed illustrabatur intellectus eius supranaturaliter et comprehendebat reuelaciones et conclusiones, et talibus modis, dixit iste testis, prefata domina Brigida habuit reuelaciones omnium librorum sibi diuinitus reuelatorum, tam propheticas de futuris euentibus, quam omnes alias reuelaciones in libris suis contentas, et ne in hiis pateretur illusionem ipsa supposuit omnes visiones modumque videndi examinacioni magistri Mathie, confessoris sui predicti, et aliorum magistrorum in theologia et multorum peritorum in sciencia et via spiritus, quorum determinacioni ipsa totaliter obediuit, qui, ut asseruit ipse testis, determinauerunt istos modos videndi et visiones habendi esse ex dono spiritus sancti, consideratis persona videntis et materiis visionum et modis videndi supradictis. Et super hoc sunt facta, vt dixit iste testis, duo prohemia, scilicet prohemium primi libri celestis et libri celestis Imperatoris ad reges. . . . . .

[Super decimo octauo articulo]. . . . . Item dixit idem testis, quod audiuit ab ipsa domina Brigida, quod ei facta fuerat reuelacio in anno Jubiley in Roma, postquam iam visitauerat sanctuaria, in qua reuelacione preceptum fuit ei non stare plus protunc in Roma, sed in castro novo abbacie Farfiensis o) ad tempus, dicente sibi in spiritu: vade, inquit, quia camera pro te parata est. Cumque venisset ibi cum domino confessore et familia sua, tunc a fratribus monachis illius monasterii cum maxima difficultate obtinuit ad inhabitandum vnum vile tugurium, allegantibus non esse consuetudinis eis cum mulieribus cohabitare. . . . . .

Item super XVIIII° articulo. . . . . Et contigit semel, ipso priore, teste loquente, presente et vidente, in ciuitate Stokholmis, quod miles quidam, nomine dominus Kanutus p), de nobilioribus regni videns dominum Magnum regem immutatum ad bonam vitam sanctis admonicionibus domine Brigide nec se apud eum auditum fuisse more solito, inuidens super hoc dicte domine Brigide et captata hora, cum ipsa semel transiret per quandam angustam et strictam plateam, effudit ab alto aquam de fenestra super eam, que intelligens eius maliciam respondit solum hoc verbum: dignum et justum est, quod ego talia sustineam, sed parcat ei deus et non reddat in futuro seculo.

Item dixit idem testis, quod *die eadem* q) orante ipsa domina Brigida Christus dixit ei: attende, quia miles ille, qui tibi iniuriam fecit super te aquam fundendo, sanguinem sitit, sanguinem fudit, terram desiderat, audacter contra me loquitur; ideo caueat sibi, ne sanguine moriatur. Cumque germanus domine Brigide, videlicet dominus I[s]rael, hec eadem verba diceret eidem militi, respondit ille: ad sompnia non attendo, deus misericors est et nullum dampnat: et post hec iste miles per modicum tempus vixit et fluxu sanguinis fluente de naribus eius mortuus est, sicut et ipsa domina Brigida predixit. Et sic fuit verum publicum et manifestum, vt asseruit iste testis se per publicam vocem et famam ibidem audiuisse.

Item dixit iste testis, quod in ciuitate Arburga [o: Arboga] regni Svecie vidit et presens fuit, quando alius miles dominus Nicolaus quidam r), potens cum rege, qui non audebat iniuriam loqui per se contra dominam Brigidam, incitauit quendam, qui se fingebat ebrium, vt eidem domine Brigide verba contumeliosa loqueretur, qui siquidem sic se fingens ebrium, considente domina Brigida cum magnatibus, ingressa ad mensam dixit: o domina nimis sompnias, nimis vigilas, expedit tibi plus bibere et plus dormire, numquit deus relinquit religiosas personas et cum superbis personis mundi loquitur, vanum enim est verbis tuis dare fidem. Cumque ita loqueretur, circumstantes volebant vindicare in eum, sed ipsa per nomen Jesu Christi prohibuit eis dicens: permittite eum loqui, quia deus misit eum, ego enim, que in tota vita mea quesiui laudem meam et blasphemaui deum meum, quare non audiam justiciam meam, omnes qui plus laudabant me, adulabantur michi, iste autem dicit veritatem. Et talibus verbis confregit astantes, ita quod homo ille euasit illesus, qui compunctus statim coram pluribus dixit omnem veritatem.

Item dixit iste testis loquens, quod quidam satis nobilis, nomine Karolus s), de genere militari in regno Swecie, aliter eum ad presens nominare nesciens, priuatus officio regis, quod habebat, quia grauabat

o) Hoc monasterium "ord. S. Benedicti in agro Sabinensi et ducatu Spoletino ad fluvium Farfarum situm et quadraginta circiter passuum millibus ab urbe distans" est (v. Buæum in sæpe citatis Actis Sanctor. pag. 432, n. 265).

p) Manus coævi scriptoris in margine addicit: "dominus Kanutus Folkason"; de quo vide supra pag. 147, not. x et de patre Fulcone, pag. 156, not. b.

q) Addita verba sunt eadem manu ut videtur, sed tenuiore atramento scripta.

r) In margine eadem manus, ac in not. q addidit: "dominus Nicholaus Ingeualdsson"; de quo vide supra pag. 209, not. q et 214, not. k.

s) Eadem manus ac in nota superiore addidit: "dominus Karolus Nestkonungsson", de quo cfr. supra pag. 216, not. d.

Digitized by Google

communitatem, detraxit multum domine Brigide, quia ipsa consuluit regi justiciam facere, circumveniendo dictum regem dicens, quod propter defectum justicie regnum fuerat tribulatum; hic idem miles, quia nil audebat facere contra eam nisi per verba, contigit, quod quadam die domina Brigida stante in castro quodam cum rege, regalibus multis astantibus, ipse miles quasi compressum se similans de retrostantibus proiecit se ad dorsum domine Brigide, ita quod ipsa pene corruisset, si non a manibus precedencium fuisset suffulta, ita quod rex videns egre tulit, increpans illum, sciens quia [ɔ: quod] ex malicia hoc fecisset, tunc autem domina Brigida flexis genibus coram rege impetrauit ei veniam, excusans maliciam eius, qui siquidem miles iratus discedens de castro huiusmodi post tres dies mortuus est, confitens se aperte in dominam Brigidam, sicut predicitur, valde peccasse.

— — — — — — — — — — — — — — — — — — — —

Item dixit iste testis, quod in Roma presens erat, quando domina Brigida habuit a Christo preceptum, prout ipsa sibi testi retulit, quod ipsa iret ad visitandum in regno Secilie sepulcrum sancti Andree apostoli, ipsaque tunc infirmabatur vehementer in jecore et aliis infirmitatibus ita grauiter, quod transire non poterat nisi in Baro, cumque tempus aduentus domini ante festum natale domini, quo solita erat jeiunare, [instaret] et in societate eius plures erant infirmi, et anxiabatur, quid ageret, maxime quia in via illa non inveniebantur pisces, rogauit itaque deum, ut eis compateretur, ne deum offenderent aut scandalizarent proximum in comedendendo aut infirmi deficerent jeiunando, tunc Christus apparens dixit ei; pisces sunt multum frigidi et tempus non est multum calidum, via difficilis et petrosa et vos infirmi, Ideo que inueniuntur, comedite, ego enim super omnia vota sum, et que sunt ad honorem dei et moderatam sustentacionem carnis non imputabuntur ad peccatum.

[Super vicesimo secundo articulo] . . . . . Item dixit idem testis, quod audiuit a quodam monacho, nomine Svenungo, qui postea fuit Abbas Wernensis [ɔ: Warnhemensis] t), ordinis Cisterciensis, Scarensis diocesis, quod predictus monachus sequebatur predictam dominam Brigidam ad sanctum Jacobum peregrinando, qui infirmatus grauiter in via raptus fuit extra se et tunc vidit dominam Brigidam quasi septem coronis coronatam, qui miratus audiuit vocem a quodam pulcerrimo assistente sibi et dicente: ecce mirabile, quod dico. Sol enim iste magnus, qui est princeps istius regni Swecie obscuratur et erit quasi despectissimus et opprobium hominum, et mulier ista Brigida afferet spicam septiformis gratie dei, et hoc erit tibi signum, quod sanaberis ab ista infirmitate et reuerteris ad tuos. Qui postea rediens factus est abbas et multum deuotus, proficiens de virtute in virtutem.

[Super vicesimo nono articulo] . . . . . Item dixit idem dictus testis, quod audiuit in confessione ab episcopo Abuensi, cuius socius tunc erat iste testis loquens, ut asseruit, in illa legacione, videlicet quod cum ipse episcopus Abuensis ex precepto domine Brigide diuinitus sibi facto quadam diuina legacione fungeretur in Francia et Anglia u), turbatus [est] in corde suo, eo quod videbat reges Francie et Anglie minus benevolos ad recipienda verba dei eis transmissa cum ipso episcopo per beatam Brigidam, scilicet reuelaciones illas tangentes reges et guerram regnorum Francie et Anglie in modo pacis fiende inter eos, que reuelaciones continentur in quarto libro, CIII et CIIII et CV capitulis. Cui episcopo dormienti domina Brigida tunc apparens dixit: Cur turbaris, redibis enim ad patriam tuam prospere et facies fructus animarum, sed scito, quod nondum finietur plaga eorum, ad quos missus es, quia indurata sunt corda eorum contra deum et tribulabuntur adhuc, donec humilientur.

— — — — — — — — — — — — — — — — — — — —

Item dixit idem testis loquens, quod vidit et presens fuit, quando in castro Baghohws v), dyocesis Osloensis, frater regis minor, nomine dominus Haquinus dux x), satis mundanus, cum obuiasset domine Brigide mane extra castrum, derisorie dixit ei: utrum erit pluuia an serenum, aut filii tui erunt reges et nos priuabimur regno; respondit illa imperterrita tota et inflammata spiritu sancto dicens: si non melius correxeritis vitam vestram, nec eritis rex, nec diu viuetis nec videbitis primam nec secundam generacionem vestram, ymo nec mater letabitur in vobis, nec longa erit memoria vestra. Ideo humiliate vos coram deo, ut inueniatis misericordiam eius. Qui ex verbis domine Brigide micior factus est et non diu viuens decessit sine generacione et sine regno ut predictum fuit ei a domina Brigida.

Item dixit idem testis, quod audiuit a domina Brigida et a domino Petro confessore eius supradicto, postquam ipse testis loquens venit Romam, quia remanserat in partibus Swecie per aliquod tempus, vt dixit, post recessum domine Brigide, quod cum ipsa domina Brigida esset in Swecia in monasterio

t) De quo cfr. supra pag. 193, not. f.
u) Cfr. supra pag. 195, not. n.
v) Pro: Bagahus, hodie Bohus, cujus rudera prope urbem Kongelf apud fluvium Götaälf adhuc remanent.
x) Haquinus, filius regis Magni Erici, tantum puer novem annorum erat, quum Birgitta Succiam reliquit. Præterea hic de fratre eius majore, Erico, agi videtur, quia in fine dicitur "decessit sine generacione"; tempore autem huius attestationis Haquinus († 1380) et Olavus filius ejus († 1387) adhuc vixerunt.

Digitized by Google

Aluastri, fuit ei preceptum a spiritu diuino, quod veniret Romam et tunc domina quedam nobilis nomine Emburgis [ɔ: Ingeburgis], quondam vxor domini Nicolay de anes [ɔ: Dannæs] y) disposuit sequi eam, cuius maritus tunc viuens, licet consentire videretur, tamen quantum poterat alios incitabat ad disvadendum. Cumque venisset ad iter domina illa, timens inconstanciam mariti rogauit *dominam Brigidam, quod rogaret* deum, quod animum mariti transformaret ad meliora, tunc autem orante domina Brigida, Christus dixit ei: ite securi, ne moueamini ab itinere et proposito sancto, ego enim abbreuiabo isti mulieri iter, ego preparabo corpus et cum saccus exhaustus fuerit, anima impleatur dulcedine, maritus vero habebit desiderium suum. Igitur cum venissent Mediolanum, domina ista Emdeburgis ibi infirmata obiit in pace. Cum autem sepulta fuisset, tunc domina Brigida orante (!) rapta fuit in spiritu et audiuit diabolum conquerentem super anima illius, quia non adjudicabatur sibi, cui Christus tunc dixit: vade, si tu purgasti affligando saccum, iam ego animam, que intus jacebat, possidebo et honorabo.

Item dixit iste testis, quod in ciuitate Ørabro regni Swecie vidit et presens fuit, quando sacerdos quidam erat ibi, collector communitati regni satis grauis. Videns itaque domina Brigida sacerdotem dei non debere esse collectorem nec decere habere judicia sanguinis, amonuit regem, vt officium tale imponeret secularibus et sacerdotes vacarent officio et seruicio dei. Rex igitur assenciens ibi posuit hominem fidelem et aptum ad tale opus. Videns autem sacerdos ille se destitutum ab illo officio, cum obuiasset domine Brigide in quadam silua, totus furibundus dixit ei: Jam priuastis me honore et beneficio meo, quantum lucrata (!) estis, melius fuisset vobis sedere in domo vestra, quam discordias seminare; audiens autem illa mitissime respondit, dicens: quicquid rex egit, ego consului pro salute anime vestre et honoris, non enim decet clericum, qui sors dei est, tali officio, quod sine periculo anime transigi non potest, implicari; respondit ille: quid vobis cum anima mea, dimittite me transire in hoc mundo, vt possum, quia anima mea bene placitabitur in futuro per se; tunc autem domina Brigida, tota inflammata spiritu dei dixit vere et absque dubiis: judicium dei est super te, nisi correxeris amara penitencia verba tua, quia ex malicia cordis loquitur os tuum, et plus tibi dico, quod nisi cicius caueas tibi, sicut ego vocor Brigida, sic non euades singulare judicium dei. Igitur non longe post sacerdos eciam priuatus est ecclesia et horribili et inaudita morte mortuus est, nam cum campana quedam funderetur, es ebulliens exiuit de formula et combussit eum totum.

[Super tricesimo secundo articulo] . . . . . Item dixit iste idem testis, quod audiuit a domina Brigida et a domino Petro confessore, quod interim, quo [tempore] ipse testis loquens iuit de mandato ipsius domine Brigide ad Sweciam ipsi domine Brigide contigit, quod cum ipsa domina Brigida per plures annos habitaret in domo cardinalatus, que est contigua ecclesie sancti Laurencii in Damaso Rome, tunc ipsa dubitante, quales lecciones deberent legere moniales monasterii sui de beata virgine . . , . . . z).

[Super tricesimo quarto articulo] . . . . . Item dixit iste idem testis, quod vidit et presens fuit, cum domina Brigida descendisset de monte Gargano ad ciuitatem Manfredoniam in regno Secilie a), quod tunc episcopus Wexionensis nomine magister Thomas, qui fuit in comitiua domine Brigide, casu accidente, sic grauiter de equo cecidit, quod due coste eius fracte fuerunt . . . . . .

[Super tricesimo quinto articulo] . . . . . Item dixit iste testis presens. quod cum quidam magnus dominus secundum mundum, qui vocabatur dominus Tolmo b), capitaneus castri Flaminberg [ɔ: Falkenberg], qui diu corde induratus absque penitencia vixerat, grauiter infirmaretur, de cuius anima dolens beata Brigida cepit deuote pro eo orare. Cui domine Brigide Christus apparens dixit: dic confessori tuo, ut istum infirmum visitet audiendo confessionem eius . . . . . c).

y) Vide supra pag. 221 not. g.

z) Continuatio legi potest in prologo "Sermonis Angelici", qui in omnibus editionibus revelationum Birgittæ exstat.

a) Hic, ut pluribus aliis locis nomen Siciliæ etiam de regno Neapolis usurpatur, quia ante annum 1282 sub eodem rege fuerant conjuncta.

b) Forsan hic agitur de Trottone Petersson, capitaneo castri Falkenberg (in Hallandia), v. Diplomat. Suecan. V. pag. 243, quod verisimile ex eo videtur, quod infra legitur in attestatione: "seruiuit latroni illi, cujus periculum ostendi tibi", et latro ille erat Sigvidus Ribbing, præfectus Hallandiæ (v. supra pag. 209 not. x).

c) Sequentia reperiuntur in Revelationibus Birg. Lib. VI, cap. 97.

Digitized by Google

XVIII.

EX
MIRACULIS SANCTÆ BIRGITTÆ
ALIQUA SELECTA.

Hæc miracula reperiuntur in collectionibus, de quibus supra pag. 219 in prolegomenis numeri XVII, in litera D, num. 8, 10, 11 et 13 rationem reddidimus, et ex quibus plurima in Actis Sanctorum, edit. Antwerp., Octobr., tom. IV sunt impressa. Sic collectio n. 10 (relatio an. 1376 signata) in Actis Sanctorum redditur in paginis 546—560; collectio n. 11 (relatio, quam Katerina anno 1375 secum Romam portabat) ibidem in paginis 542 546; collectiones n. 8 et 13 (relationes Waldemari episcopi Ottoniensis anno 1377 et Nicolai Lincopensis annis 1377 et 1378), quamquam huc et illuc dispersæ, maximam quoque partem in Actis inveniuntur. Nonnulla denique nova miracula etiam ex attestationibus in processu canonisationis asservatis sumere potuimus. Variantes lectiones et inde hausimus et ex sæpe memorato codice Biblioth. Upsaliensis, n. 15 in catalogo Benzeliano, in quo manus vergentis seculi XIV:i totam collectionem n. 11 et majorem partem n. 10 exscripsit. — Quum contenta miraculorum sæpissime nullius fere sint momenti, ea solum, quæ notabilioribus hominibus atque locis vel cultui humano hujus temporis lucem afferunt, hic inseruimus.

[*Ex relatione Waldemari, episcopi Ottoniensis, anno 1377*].

Anno domini millesimo CCC:mo LXXIIII:to contigit hoc sequens miraculum, et ille cui contigit coram nobis in propria persona comparuit sub juramento dicens. Quidam dictus Clauus Nyendank a) tyrannus apprehendit eum constitum apud ecclesiam Norbi b), diocesis Vpsalensis, et imputauit sibi, quod famulus suus wlnerasset quendam rusticum et ob hoc dicebat ipsum bannitum esse; ipse respondit famulum suum debere respondere pro facto suo et nichil sibi imputari. Tyrannus statim apprehendit eum et voluit eum taliasse ad sexcentum marchas, deinde petiuit III lestas ferri. Tandem duo curati, qui presentes erant, consuluerunt eidem Petro, ut redimeret periculum suum, sicut posset, et obhoc obtulit illi vnum vas ferri c), propter quam oblacionem idem Tyrannus reputans se despectum statim fecit eum ad torturas et questiones poni, propter quod iste timore ductus vouit deo et domine Brigide, quod si oracionibus suis saluari posset, visitaret semel locum Vastenensem in honorem Brigide quolibet anno infra decem annos et offerret dimidium talentum cere, et ad faciendum illud votum induxit eum vnus de familiaribus illius tyranni; quo facto apposuerunt et constrinxerunt tybias suas truncis fortibus, qui statim frangebantur, quotquot apposuerunt, deinde constrinxerunt capud eius cum chamo d) forti, adeo quod sanguis defluxit de naribus et ex ore, nichil tamen pecunie extorquere potuerunt ab eo, deinde tulerunt eum et suspenderunt eum ad furcas cum corda forti, quia timuerunt, ne justicia procederet contra illos superuiuentes, si ipse sic torsus superuiueret, sicut postea factum fuerat per regem Swecie, et ibi pendebat a meridie vsque ad occasum solis. Et tunc vnus illorum, videns ocreas eius bonas et ornamenta corporis voluit sibi tulisse, sed puer quidam, qui astitit, clamabat dicens: noli tollere quicquam, quia video ibi mulierem albis vestibus indutam cum crinibus vsque ad pectus, que hominem sustentat; ad quod idem, qui tollere voluit: vtinam illa domina sancta, cuius reliquie translate sunt ad terram istam nouiter, cuius eciam totus fui per tres annos, vellet hominem hunc juuare ad salutem, ob reuerenciam illius cordam suspensionis succidam, et vestes et ornamenta corporis sibi dimittam. Et hoc dicto prescidit cordam et dimisit eum ibi jacere, qui ibidem jacuit vsque ad noctem

a) Nomen Teutonicum, quod sæpius et rectius scribitur: Negendanke; cfr. Styffe, Bidrag t. Skandin. Hist., I. pag. 103.
b) Hodie Norrby, prope urbem Sala.
c) Ferrum enim hoc tempore non solum pendebatur, sed etiam in frusta divisum numerabatur, ut quingenta frusta ferri dolio condita dicebantur "ett fat jern" (unum vas ferri).
d) "Videtur vox illa deducta a Græca χάμος, Latine frenum", Buæus in Actis Sanctorum, pag. 526, not. g.

Digitized by Google

totaliter exanimis sine sensu. Tandem post longum tempus respirauit et oculos apperuit et sensus suos aliqualiter recuperauit sic, quod intelligere potuit factum et quicquid sibi contigerat, manus tamen ambas adhuc habuit ligatas fortiter ante pectus cum corda de corio forti, et sic resumptis viribus aliqualiter traxit se sicut potuit infra blada e), que prope stabant, timens, quod redirent et interficerent eum, et nitebatur cum dentibus, si posset, cordam rumpere, et statim quando applicuit ad dentes, rumpebatur corda sicut filum paruum, et surrexit et venit iterum ad locum et sacerdotes ipsa nocte, vbi primo captus fuit; factum istud publice postea coram rege et consiliariis regni Swecie idem proposuit et petiuit sibi justiciam fieri super eodem tyranno et suis complicibus, et omnes fuerunt banniti extra regnum. Et idem Clauus publice factum istud coram rege et consiliariis regni fatebatur per omnia, sicut superius scriptum est, et hoc in presencia nostra examinauimus per juramentum ipsius suspensi, et confirmabant proceres regni cum juramento duo, scilicet predictus Wicko de Witzen, capitaneus castri Calmarensis et dominus Karolus de Toffta, miles, legifer Sweuorum f), ambo consiliarii pociores regni, et ultra hoc fatebatur idem dominus Wiko sub juramento, quod ipse audiuit a quatuor viris et probis militaribus, quod jurabant se vidisse et examinasse verba pueri predicti dicentis et jurantis coram ipsis, quod vere vidit mulierem in albis vestibus astantem et sustentantem hominem suspensum, et quando vidit hoc, puer erat annorum XIII. Suspensus vocatur Petrus Nicolay, ciuis Stokholmensis. Testes presentes fuerunt ut supra.

Domina Katherina, vxor quondam domini Karoli militis, XXXV annorum g) deposuit cum juramento, quod filius suus paruulus, Karolus nomine, quem in presencia nostra adductum vidimus in tenera etate constitutum, morbum caducum paciebatur vehementer et continue per duos annos. Super quo plurimum anxia et tristata scripsit domine Brigide tunc Rome constitute et supplicabat humiliter, quod pro paruulo filio suo dominum exoraret; tandem eadem domina rescripsit sibi, quod super infirmitate illa amplius tristari vel turbari non deberet, quia vlterius sibi nocitura non esset et ita nunc juramento suo asseruit esse, adeo quod ipsa hora, qua litera scribebatur Rome, puer hic in patria omnino fuit liberatus et ita perseverat in sanitate sua; hec examinauimus sub testibus videlicet Nicolao Arvidi, Petro Benedicti et Clemente Birgeri nobilibus viris.

[*Ex relatione miraculorum Holmis anno 1376, d. 9 Decembris signata*] h).

Contigit anno domini M:o CCC:mo LXXIIII:to feria tercia Pentecostes i), quod nobilis quidam, Haquinus Fadhersson nomine, de oppido Sutherby k) parochie Øratompta, Lincopensis diocesis, ab hostibus suis capitur et strictissime ligatur, a domo sua plusquam triginta miliaria vsque ad littus maris abducitur, naui itaque iam parata, qua ad Alamanniam vlterius traduceretur, vt ibi liberius tantam argenti summam qnantam vellent ab eo per penas extorquere possent; stans itaque vir ille in littore, doloribus vndique circumseptus, audiuit, quod illi, qui transtulerunt reliquias domine Brigide a Roma, pausandi gracia consisterent non longe a loco, quo ille stabat; illam ergo in sui auxilium, vt saltem in patria sua remanere *posset*, altis suspiriis inuocabat, et statim armati de propinquo castro Bryms l) plures et forciores captiuatoribus venerunt et prohibuerunt, ne abduceretur in regionem alienam, sed imponeretur ibi sibi certa summa pecunie pro captiuitate soluenda, si justicia sic declararet, quod et factum est, et ita liberatus ire ad propria dimissus est. Illi tamen qui juuabant eum in nullo sibi attinebant, sed usquetunc fouebant partem inimicorum eius. Ille vero dum reuerteretur ad propria venit ad illos, qui transtulerunt ossa domine Brigide, et sequebatur eos, vsque dum collocassent ea in monasterio suo Wastenensi, quo collocata sunt quarto nonas Julii anni predicti, narrans graciam secum factam. Postmodum per regem et proceres regni liber datus est, ita quod captiuatoribus suis obulum postea non soluebat; testes sunt nobiles viri Haquinus Campe de opido Sonaby m), parochie predicte Øratompta, et Johannes Oplannig [ɔ : Opplænning] n) de opido Ludhengxstadh, parochie Rydstadh o), Lincopensis dyocesis.

Nobilis quidam Ragwaldus Niclisson de Hidhingxø p), parochie Næswlta, Strengenensis diocesis, paraliticus effectus fuit, ita quod nullius membri dextre partis vsum haberet et loquendi, videndi et au-

e) Idem ac vocabulum Gallicum: "blé", i. e. seges in agro.

f) Legifer erat Uplandiæ, principalis terræ Sveorum, sicut antea fuerat socer Israel, frater Birgittæ; cfr. supra pag. 216, tabulas I et III.

g) Forsan Katarina, uxor Karoli Ulfsson, filii Birgittæ, de qua vide supra pag. 211 not, m.

h) Vide prologum num. XVII in litera D. n. 10.

i) Id est die 23 Maji.

k) Hodie Sörby in eadem paroecia et territorio Bankekind. Haquinus Fadersson, de gente "Stiernbåt" vocata ortus, qui longo tempore munere judicis territorii Memming (in Ostrogotia) fungebatur, in curia Söderby habitabat, vide Riks-Arch. Perg.bref, n. 2401 (cfr. n. 360, 712 et 730).

l) Juxta pontem Brömsebro haud procul a mare in confiniis Blekingiæ et Smalandiæ.

m) In attestatione Petri Johannis, curati Norcopensis, rectius nominatur Svenaby, hodie Svenneby, prædium supradicto Sörby vicinum in paroecia Örtomta et territorio Bankekind. Insignia generis Haquini Kampe sunt descripta in Riks-Arch. Perg.bref, n. 263.

n) Johannes Upplänning erat vice-legifer provinciæ Ostrogotiæ annis 1368—1380 (Riks-Arch. Perg.bref n. 846 et 1477, ubi etiam in n. 912 insignia ejus inveniuntur).

o) Hodie Luestad in paroecia Rysta in territorio Åkerbo.

p) "Ætatis quinquaginta annorum vel circa" dicitur in relatione Nicolai, episc. Lincop., anno 1378 (vide prologum in litera D. n. 13). "Ragvaldus Niclasson de Hedinsö" (ex gente propter imaginem armorum "Fargalt" appellata) commemoratur anno 1378 (R.Arch. P.B. n. 1350). Curia ejus Hedensö adhuc in paroecia Näshulta et territorio Öster-Rekarne exstat.

Digitized by Google

diendi officium amisisset, quod videntes vxor eius et curatus sacerdos ibidem, dominus Johannes, sibi nimirum plurimum condolentes vouerunt pro ipso, cum ipsemet non posset, quod ipse visitaret reliquias domine Brigide in Wastenis, oblaturus pro quolibet articulo vsu officii sui naturalis carente vnam marcham cere, quo facto mirum in modum paulatim sensit se sanari, qui circa natiuitatem beate virginis veniebat Wastenas, humiliter implens votum; testes sunt dominus Johannes predictus, pater Stirbernus q), abbas monasterii Jwleta eiusdem diocesis, et Laurencius de oppido Tipchi r) dicte parochie.

Honorabilis pater *dominus* Størbernus, Abbas de monasterio Julita, Strenginensis diocesis, ad Wastenas direxit literam in hec verba: Reuerendo viro domino Petro, priori Aluastri in Wastenis existenti in domino salutem. Abscondere cepi, quod experior non esse abscondendum, videlicet quod domina illa gloriosa Brigida magna, dum inuocata fuerit, in aquarum periculis auxiliatrix erit, nam stagnum Mæler s) prope passagium Olghosund t) nauem ascendi, *ut* versus Strengianes *nauigarem*, extensoque velo sub illo vehementissimo flatu, qui erat circa festum beati Martini, *in* scopulo quedam lesa est nauis, fracto autem gubernaculo et rupta naui velum deponere volebamus, sed non potuimus, flatu instrumenta veli stringente, sicque nauis velocissime currens in alium lapidem impegit et forcius rupta est, tandem velum trahere volentes, in tanto periculo missam, Salue sancta parens, in honorem gloriose Brigide dicendam vouimus, et tum protinus reuelamen [ɔ : releuamen] accepimus, quod nec minima gutta aque percipiebatur nauem intrare; pueri autem, priusquam nauis rumpebatur, ad vnam leucam u) pluries exhauserunt aquam, quia nauis propter vetustatem porosa erat, rupture vero tam ample fuerunt, quod non erat in manu nostra auxilium ferre; ipsius itaque *meritis* ab inuasione aque mirabiliter nobis exemptis, eciam pori, qui antea receperunt aquam, tanto deferentes facto quieuerunt. Verumtamen aqua rupturis alludens inconsuetum sonitum dedit, mira reluctante potencia, quippe in operacione tante resistencie ostendit se talis actus minoris esse potencie et virtutis; a terra vtique remoti eramus sub isto facto ad longam dimidiam leucam, sed nauis postmodum cum remis ad terram ducta et in portu firmata aquam mox cepit absorbere, post cuius reparacionem pueri se habuerunt in exhauriendo aquam sicut ante eius fraccionem; me autem ascendente [ɔ : descendente] de naui in Strengnes, pueri persequebantur viam versus Stokholmis v), vbi eadem nauis penitus est destructa, illesis tamen pueris et rebus nostris, hec vtique facta sunt non inuocantis merito, sed inuocati nominis dignitate. Quid ergo tante auxiliatrici rependemus? Scimus pro certo, quod ipsa gloriosa re et nomine veraciter existit bona, inuocantibus reis gloriosum iuuamen tribuens; taceant adversarii. Valete semper in Christo. Scriptum in crastino sancti *Vincencii martiris* x). *Testes* sunt Soal (!) monachus et sacerdos monasterii Rwma in terra Gotlandie, Bero Campe, Laurencius Benedicti, Johannes Petri secum in naui periclitantes.

Item circa festum beati Nicolai episcopi nobilis quidam nomine Pinno y) de castro sito juxta ciuitatem Ørabro Strenginensis diocesis, deridens dei famulam altero oculo priuatus subito est, qui post dimidium annum de blasphemia penitens et votum peregrinacionis ad eam emittens atque perficiens se gaudebat amissi oculi claritatem recepisse; testes fuerunt Hermannus Skitta, Kort et Willebrack cum ceteris eiusdem castri castrensibus.

Decem viri cum puero paruo sedebant ad piscandum super glaciem in stagno magno monasterio Wastenensi adjacente z) quod talis est consuetudinis, quod dum appropinquat tempus resolucionis glaciei, vehementissimo strepitu incipit ebullire et commoueri a fundo et magna violentia prorumpere primo in paruas rimas *vel scissuras*, que sunt in glacie, has in modico *temporis* spacio faciens valde latas, licet *autem protunc* glacies in densitate habuit plus quam vlnam, et tunc adiuuante superius impetu ventorum, diuiditur tota glacies in grossa frusticula, et tunc multi existentes super ipsam glaciem multociens submerguntur, sed licet istud videatur mirabile ad credendum, tamen omnis circumjacens regio hoc testatur. Sex ergo de dictis decem viris commocionem a profundo audientes et stagni consuetudinem non ignorantes curso velocissimo properabant ad litus relictis piscibus, quos prendiderant (!) ceterisque rebus suis, alii vero quatuor *viri*, videlicet Sinudo [ɔ : Sigmundus] in Kastembergh a), parochie Wastenensis, Lincopensis dioce-

q) In sequenti linea scribitur St rbernus; Suetice: Styrbiörn. Paullo post obiisse videtur, quia anno 1379 Ingevaldus quidam abbas vocatur (vide prologum n:i XVII. in lit. H. n. 2).

r) Scribitur "Thiolaby" in codice n. 15.

s) "In stagno Mæler", rectius scriptum est in depositionibus Magni Petri presbyteri, et Petri Alvastrensis de eadem re super articulo n. 47.

t) Forsan Algösund juxta litus boreale insulæ Sela, vel Eldsund, quod olim erat retum inter Fogdö et terram, urbem Strengnäs circumjacentem, sed nunc alluvione in solum est mutatum (vide: Styffe, Skandinavien under Unionstiden, pag. 207).

u) Gallice: lieu; mensura itineraria, 1500 passuum; vide Du Cange, Glossarium medii ævi.

v) Sic paullo recentior manus emendavit, dum antea scriptum erat "Scolomis."

x) Addita verba etiam in duabus depositionibus, quas supra not. s. laudavimus, reperiuntur.

y) Gens Teutonica, quæ tempore regis Alberti immigraverat et cujus nominis nonnulli viri commemorantur, ut Pinnow senior et Tideke Pinnow hiis iisdem annis (Styffe: Bidrag till Skandinaviens Historia, I. pag. 104 et 105) et Haraldus anno 1393 (Riks-Arch. Perg.bref, n. 2661).

z) Scilicet lacus Wättern.

a) Forsan Kasteberga in paroecia Ekbyborna et territorio Aska provinciæ OstroGotiæ.

Digitized by Google

sis, Okar et Heminghus in Kasedhum b), parochie Ørabergh, eiusdem diocesis, ac Wlpho in opido et parochia Nes c), eiusdem diocesis, cum puero volentes sua secum tollere substiterunt, donec viderunt aperturam inter se et socios suos tam amplam effectam, quod impossibile erat eis venire post illos, vnde propter horribilem collisionem et commocionem glaciei vsque ad mortem turbati, cum nichil expectarent nisi submersionem subitam, leuarunt oculos suos versus Wastenas, dominam Brigidam sibi in auxilium humiliter inuocantes, quo facto mirum in modum pars glaciei, in qua illi stabant periculosissime, in ictu oculi contra violenciam ventorum coniunxit se ad illam partem, que adiacebat littori, in qua sine periculo stabant eorum socii, permittens omnes ad locum secure accedere d). Jam illis in securitate stantibus glacies tanta facilitate disiuncta est, quanta coniuncta, dictus vero puer properans post eos, sed persaltare non valens tanta velocitate, quanta illi, cum disiungeretur glacies, prosiliit in aquam, quod videntes hii decem viri et ipsum nullo modo juuare valentes, pro ipsius liberacione dictam dominam flexis genibus implorabant, qui mox quasi substituta sibi manu cuiusdam ex aqua leuatus est; illi omnes, cum quibus miraculum hoc factum est, circa annunciacionem domini venientes ad Wastenas et lacrimas pre gaudio effundentes auxilium sibi mirabiliter et misericorditer prestitum pluribus intimabant. Testes sunt Sueno in Arnabærgh e) et Haquinus Knutsson de opido Sørby f), parochie Øratomta, Lincopensis diocesis.

— —

Mulier quedam, Margareta nomine, de ciuitate Trondenensi in regno Norwegie, paralitica, muta totisque viribus corporis inconsolabiliter destituta, quasi trunccus (!) inutilis diutine jacuit in grabato. Huic dormienti apparuit quedam domina veneranda habitu dicens: ego sum Brigida de Wasteno, iamque curabo te de incurabili infirmitate tua, et tu sanata venies ad locum meum, tecum factam graciam publice confessura; hoc dicto quasi vngendo medicamine tetigit membra dolencia. Euigilans igitur mulier inuenit se membribus (!) omnibus incolumem, loquela et omni corporis fortitudine sibi plenarie restituta. Hec Vastenas veniens coram presbiteris ibidem existentibus et multis aliis hoc narrauit; eiusque membra precipue in dextra parte carnositate fere carencia satis liquide monstrabant pestem, que depasta fuerat, non dormiuisse; ad ambulandum tamen et laborandum robore corporis extitit vigorosa. Testes sunt nobiles viri, dominus Petrus Porse miles de Nothoby, parochie Lomarudh g), Lincopensis diocesis et Johannes Petri de Westraby, parochie Wardhanes h), eiusdem diocesis.

— —

Fuit in opido Bro, parochie Hosaby i), Lincopensis diocesis, quidam rusticus diues nomine Laurencius Zepper k), habens filiam nomine Christinam, que a primis annis infancie magnas infestaciones in sompnis perpessa est a diabolo, sed hec volens dicere parentibus suis os aperire non potuit; hoc tamen ex signis aliquibus perpendentes, aduocauerunt incantatricem quandam, que fecit artes suas super eam, et peius habuit, quia postea vidit eum in teterrimis formis diuersorum animalium se terrencium, videlicet equorum, luporum, canium et serpentum; et huiusmodi deinde transacto tempore aliquo quidam incantator fecit super eam incantaciones et ligauit res aliquas super collum eius, et peius habuit . . . . . Preterea cum facta esset annorum nubilium, viro legitimo tradita est circa festum sancti Martini. Post hec autem tercia die venit ad eam diabolus vehementer iratus et percussit eam ita valenter, quod cecidit in terram, et connexit ambo genua eius, que ita inseparabiliter coherebant, ac si clauo ferreo confixa forent, nemine ea abinuicem separare valente. Iacuit itaque quasi trunccus (!) inutilis, non valens mouere manum nec pedem neque aliud membrum . . . . . Deinde anno sequenti id est anno domini M:o CCC:mo LXXVI post octauam Epiphanie maritus suus cum amicis suis parauit se, vt transferret eam Wastenas. Et cum iter arriperet, cucurrit cum eis diabolus in habitu houalium l) modernorum et cadens in quadam lubrica glacie flere cepit, quod videns illa dixit sequentibus se, quod fieret, ac illi ridere ceperunt, ille vero surgens arripuit vnum per pedes et collidebat eum ad glaciem, alterum vero percussit in dentes cum instrumento, quo minabat m) jumenta, ita quod sanguis efflueret et dolentibus illis dixit: pro tempore vos risistis, jam ego rideo; et quocunque por-

b) Forsan Kasta in paroecia Örberga et territorio Dal.
c) Hodie Nässja in eodem territorio.
d) Sc. "tutum", ut addit Codex 15.
e) Sine dubio Arneberga prædio Kasta (vide not. b) vicinum.
f) Vide supra pag. 232 not. k.
g) Hodie Noby vel Nobynäs in eadem paroecia et territorio Norra Wedbo. Quia tria prædia in Notaby, par. Lomaryd, in bonis hereditariis Boecii Johannis, dapiferi, enumerantur (Rääf: Beskrifning öfver Ydre Härad pag. 257) et ille cum genero, Petro Porse, milite, bonorum in Smalandia commutationem fecisset (Rääf, l. c. pag. 180), verisimile fit hic significari illum Petrum Porse, qui tria folia nympheæ in insignibus gestabat et a coævo milite, Petro Porse Geet, diligenter est distinguendus.
h) Sine dubio idem ac Johannes Petri de Ullabolstad, armiger, qui frater erat Magni Petri, secundi confessoris monasterii, et præfuit ejusdem ædificationi (v. supra pag. 178, not. x. et 179, not. i); nam anno 1375, d. 29 Aprilis, hic Johannes et uxor ejus, Katerina Bryniulfsdotter magnam curiam in Westraby, paroeciæ Wårdnäs et territorii Kind, monasterio Wadstenensi condonant (Riks-Arch. Perg.bref, n. 1146; cfr. n. 1135 et 1136).
i) Ex duabus paroeciis hujus nominis in territoriis Skärkind et Östkind, quæ tunc in Ostrogotia reperiebantur (nam Husaby Wist in territorio Hanakind solum Wist hoc tempore appellabatur), hic significari videtur illa in Östkind, quia vicecuratus ecclesiæ Herseme in eodem territorio ut testis nominatur.
k) Sic; in codice 15: Copper. Laurentius Keper in territorio Ydre reperitur in Riks-Arch. Perg.bref, n. 3151.
l) Suetice: "hofmän", vocabulum deductum a verbo: "hof", Latine, aula vel curia, quod significat nobiles vel equites, quia omnes nobiles et eorum comites equis pugnabant.
m) Minare (Gallice: mener) significat: ducere vel agere; vide Du Cange, Glossarium medii ævi.

Digitized by Google

taretur *mulier* sive in ecclesia sive alicubi, semper sequebatur eam diabolus affligendo; portatam autem in cathedralem ecclesiam Lincopensem reliquit eam stans extra cimiterium inuasitque redeuntem ab ecclesia satis nequiter pertractando; cum iam venisset Wastenas, jacuit in vehiculo, quo illuc translata est, confluentibus multis de habitatoribus loci et aliis ad videndum, et in conspectu omnium astancium arripuit eam diabolus per pedes eleuans in sublime et fecit horribiliter cadere in vehiculum. Post hec maritus suus cum alio viro forti portauerunt eam ad capellam, et solito plus ponderosior effecta est. Postquam autem collocassent eam in quodam loco in capella, arripuit eam diabolus per pedes, volens extrahere eam, frendens tam horribiliter, quod fere rumpebatur cor videncium eam pre timore, maritus autem eius attraxit sibi, tenens eam per capud, sed retinere non valuit; antequam juuit eum vir, qui prius. Sequenti vero die, que erat dies sabbati, congregatis omnibus in loco cantare scientibus post nonam et completorium n) cantauimus ad expellendum ab ea malignum spiritum ymnum, Veni creator spiritus, ter cantando versum illum, Hostem repellas etc. item, Aue stella matutina, et antiphonam pro reliquiis, et sic cantatum est dominica die, feria secunda, tercia, quarta, quinta, et inter hec vexabat eam et collidebat eam ad parietem, circa quam sedebat, ita horribiliter, quod fere tremebat et mouebatur tota capella, et in fletum excitarentur plurimi hoc videntes et testificate sunt mulieres eam tangentes, se sentire aliquid corporeum ita moueri in visceribus eius, ac si foret vicina partui. Vnde et dixit ad eam diabolus, qui loquebatur secum: non ego facio tibi multa mala, sed ille qui habitat in te, est tibi multo molestior te grauius affligendo. Quadam autem die positum est capud domine Brigide super capud eius, et ligata est super eius pectus crux argentea paruula, quam domina Brigida posuerat in sepulcro domini in Jerusalem, et osculabatur manum cuiusdam senis presbiteri, quo facto venit ad eam totus furibundus diabolus, dicens: iam multa tecum faciunt, ecce, posuerunt clauam o), que est michi pessima, super caput tuum, uel quare osculabaris manum illius pessimi senis presbiteri fetentem; extendensque manum suam dixit: osculare manum meam; quod illa negante cepit blandis verbis quasi amicam rogare eam, quod a se abiceret stipulam p) illam, quam gerebat super se scilicet in pectore, dicens se pro uehementia fetoris pessimi, quem redderet sibi, non posse ibi commorari. Inter hec eciam rogabat eam blandis verbis, vt a capella secum recederet, dicens se pre anxietate intolerabili non posse audire illum vehementem clamorem, qui resonabat ibi. Quinta autem feria, dum intrauimus ad cantandum, cessauit a vexacione eius, et recedens extra capellam clamabat: ve, ve, quia iam nichil mali possum tibi facere. Sed licet dimisisset eam, jacuit tamen sicud persona paralisi pessima dissoluta. Sequenti vero die, que erat dies conuersionis sancti Pauli, dum in matutinis cantabatur te deum, restituta est sibi loquela, laudabat et illa deum, dum autem thurificabantur ymagines, sensit naturalem thuris odorem, et dum eleuabatur corpus Christi in prima missa, recepit visum, clare videns hostiam in manibus sacerdotis, quod cum diceret circumstantibus, repleta est capella clamore alta voce laudancium Jesum Christum. Sed adhuc de illo loco, quo jacuit, erigere se non valuit, finita autem missa accessit ad eum [o : eam] dominus Petrus, quondam venerabilis domine Brigide confessor, et statim surrexit . . . . . Huius miraculi sunt testes reuerendi patres et domini videlicet dominus Laurencius canonicus Lincopensis, dominus Joarus Esgeri, ibidem prebendatus, frater Olauus, prior claustri fratum predicatorum in ciuitate Arosiensi, qui die predicto videlicet Annunciacionis beate virginis viderunt eam expedite ambulantem et pristine sanitati integre restitutam, et dominus Bero curatus parochialis ecclesie predicte Hussaby (!) et dominus Johannes Erici, vicecuratus ecclesie de Herseme, Lincopensis diocesis, qui viderunt eam male habentem et possunt, si velint, hodie hoc est in die sancti Laurencii inspicere bene sanam.

— —

Olauus agricultor de opido Gryta, parochia Biornascogh q), Arosiensis diocesis, grauissimo dolore et languore circa carnispriuium afflictus, per tres dies continuos vidit duodecim demones, teterrimos in habitu vsque ad nates decurtato, calceis rostratis r) et capuciis in summitate exacuatis secundum turpissimam aulicorum modernorum consuetudinem juxta se corizantes atque dicentes: si vis consentire nobis, ditabimus te diuiciis, si autem nolueris, morte turpissima condempnabimus te nobiscumque ad Tartara perducemus; quibus ille semper respondit: consenciam deo meo et illi reuerende famule sue domine Brigide, cui votum peregrinacionis emiseram, in qua tota fiducia spero, quod virtute dei mei me de minarum vestrarum terroribus eripiat. Illam enim omnibus diebus vite mee in quibus potero honorabo; finitis autem hiis tribus diebus horribilis demonum visio disparuit, et ille statim pristina sanitate percepta, perfecit humiliter votum suum. Testes sunt honorabiles viri dominus Karolus, curatus ecclesie predicte et dominus Johannes frater eius secum tum existens . . . . .

— —

n) Nona est officium ecclesiasticum diurnum, quod hora diei nona peragitur et decantatur; v. Du Cange. l. c. De completorio v. supra pag. 222, not. h.

o) Forsan pondus hic significat; cfr. Du Cange.

p) Huic verbo significatio fraudis cujusdam inesse potest; Du Cange.

q) Hodie Björskog in territorio Åkerbo et provincia Westmannia.

r) Calcei dicebantur rostrati, quia perverso hujus temporis more pedum longitudinem superantes in acumen quoddam rostri instar desierunt; cfr. Du Cange.

Digitized by Google

Due mulieres videlicet Katherina, vxor Gotzswens et Benedicta vidua de parochia et ciuitate, que dicitur Aos s), Lundensis diocesis, regni Dacie, peracto in Wastenis voto . . . . . dum irent in magna silua non longe ab ecclesia Wrychstadhe t), Lincopensis diocesis a quodam latrone magne crudelitatis et fortitudinis preuente sunt, qui minabatur eis et *coercebat* lancea sua a solis ortu vsque ad occasum *ire* per dumos artos asperos atque densissimos plusquam per duas leucas, quousque veniret cum eis ad quendam profundum puteum longe satis a conuersacione hominum positum, volens eas precipitare in ipsum et aqua subito suffocatas depriuare eas pecuniis et rebus quas habebant, reputans ne forte alia posset effugere, dum alteram lancea percuteret. Cumque iam appropinquaret ad puteum, dicit ad eas latro: intrate cito et submergimini, alioquin perfodiam vos cum lancea. Ille vero videntes se in januis mortis positas, vouerunt se *statim* reuersuras ad reliquias domine Brigide, si meritis ipsius crudelitatem latronis viue possent euadere; vix votum de labiis earum egressum est, ecce appropinquabant eis due alie mulieres de propinquo opido errantes in heremo, quas videns latro et timens plures esse in comitiua earum arripuit de hiis, quas prius insecutus fuerat, vnum sacculum, in quo erant pecunie et alie res earum, illisque dimissis intrauit latibulum siluarum. Indigene vero mulieres, cognita causa aduentus alienigenarum ad illum locum direxerunt u), se procul dubio diuina prouidencia sic errasse et ad illarum auxilium missas fuisse, quia non putabant ad illum densissimum heremi locum solis bestiis invium (!) in multis annis aliquem hominem appropinquasse. Post hoc alienigene ductu et consilio indigenarum venerunt ad prefectum prouincie Ingemundum Scerinch v), habitantem in Stensric x), non longe a silua, in qua latro morabatur, et narrantes eidem quid eis acciderat, rogabant eum inquirere latronem illum armata manu, vt illo capto possent recipere res, quas eis abstulerat. Quibus respondit prefectus: bene scio latronem illum latitasse in illa silua multosque spoliasse plusquam per sex annos et multociens requisitus per multos armatos capi non potuit, quia diabolus, cui servit, ita precauet et custodit eum, quod tota prouincia congregata ad capiendum ipsum hunc apprehendere non valebat, et licet iam inquiratur, vere scio tamen, quod non inuenietur, nisi tradiderit illum nobis venerabilis illa domina, cuius peregrinas ausus est spoliare, in illam enim confidens mittam famulos meos ad loca, quibus latere dicitur. Qui missi inuenerunt eum in primo latibulo, quo ceperunt inquirere, duoque in eum irruentes tenere non valebant, donec tercius latenter aduenies abscidit ei pedem alterum, vt [ɔ : et] sic captus restituit predictis mulieribus res suas, postea vero in patibulo, prout meruit, est suspensus. Hec enim dominica tercia post pasca reuerse Wastenas ista cum gratiarum actionibus enarrabant; testes sunt venerabiles viri, videlicet dominus frater Sweno de monasterio Noueuallis, tunc existens apud ecclesiam predictam Wricstadha, qui direxit literam ad Wastenas ista testificantem, et predictus Ingemundus, cuius famuli latronem illum suspendio condempnarunt.

— —

Haraldus, famulus nobilis viri Henickini Molteka de Wlfasa y), parochie Ekby, Lincopensis diocesis, ab aduersariis suis ita grauiter cum fustibus percussus est, quod cecidit in terram et jacuit per tres dies quasi mortuus, non mouens manum neque pedem nec aliud membrum. Deinde ad se ipsum rediens et in omnibus membris suis grauissimum dolorem senciens per alleuiacionem et recuperacionem sanitatis, dominam Brigidam inuocabat, vouens se peregre visitare locum suum et eadem hora surgens sanus circa ascensionem domini compleuit cum graciarum actionibus votum suum; testes sunt dominus Laurencius, vicecuratus in Kawa z), Lincopensis diocesis et Folquinus, officialis nobilis Gerardi Snakenborgh de Eonoby, parochie Vas a), eiusdem diocesis, qui audiebant eum ista cum juramento firmiter affirmantem.

— —

Quidam de nobili genere Suenorum, Folquinus Niclison b) nomine, de Swanaholm parochie Hardhgh c), Lincopensis diocesis, circa inuencionem sancte crucis nauigio tendens ad Alamanniam *et* quodam die descendens de naui cum aliis multis intrauit insulam quandam, vbi postea cepit cum aliis cursitare, quod cum faceret viuaciori quo potuit modo, cepit celum velut amens respicere et quasi morbo caduco in terram subito cadens, ut epilenticus (!) aut a demone arreptus, spumam horribilem euomere, quod antea nusquam

s) Hodie Åhus in terra Scaniæ situm.
t) Hodie Wrigsta in territorio Westra härad et provincia Småland.
u) Codex 15 rectius: dixerunt.
v) Sine dubio legendum: Ingemundus Yring, qui hoc tempore erat prefectus (fogde) territorii Westra härad, in quo ecclesia Wrigsta sita erat. (Riks-Arch. Perg.bref n. 1205 et 1230).
x) Scribitur Steensyydh in Cod. 15. Forsan Stensrydh, hodie Steningaryd, prædium in paroecia Nydala ejusdem territorii apud lacum Rosken situm.
y) Johan vel Henneke Moltke Katerinam Glysingsdotter, relictam Karoli Ulfsson de Ulfåsa, in matrimonium duxerat. Vide supra pag. 212, not. v. et 211, not. m.
z) Hodie Kaga in territorio Hanakind.
a) "Eneby, parochiæ Naas" scribitur in Actis Sanctorum pag. 555 n. 86. Forsan Eneby in parochia Nässja et territorio Dal; in eodem enim territorio paroecia Härsta sita est, cujus curiam interfecto Gotscalco episcopo Gerardus arripuit (Styffe, Bidrag till Skandinaviens Hist. I, pag. 169), in qua paroecia Härsta Nicolaus Magnusson, socer Gerardi, prædium possedit (Riks-Arch. Perg.bref n. 1208, 1456 et 1747).
b) Diplomata tantum unum Fulconem Niclisson memorant, cujus insignia erant "Fyrdelad sköld" de gente, cui posteri cognomen "Röde" perperam tradiderunt.
c) Rudera hujus arcis in insula lacus Kilarp paroeciæ Vestra Harg et territorii Wifolka adhuc exstant (v. Styffe, Skandinavien under Unionstiden, pag. 191, not. 1). In eodem territorio supradictus Fulco Niclisson bona possedit (Riks-Arch. Perg.bref n. 3084).

Digitized by Google

deprehensus est facere, vnde ceteri stabant stupefacti, inter quos erat quidam consangineus et dilectus socius suus Ingealdus Jo[a]rsson nomine, qui famule dei venerabili domine Brigide fecit pro eo votum in hunc modum, quod ambo nudis pedibus irent ad monasterium Wastenas ab illa parte terre Suenorum, ad quam possent reuertentes peracto negocio, pro quo tunc tendebant, primo pertingere, si iam illa intercedente sanus surgeret et huiusmodi morbo de cetero non caderet, quo facto satis grauiter afflictus surrexit, nauem cum ceteris ascendens, qua elongata longe a littore seuissima tempestas oritur, et nauis amisso et fracto gubernaculo periculose quassatur, vnde hii duo predicti votum iterum emiserunt, et sic illesi tantum maris spacium, quantum vocamus quadraginta leucas, nauigabant et postea redeuntes ad propria applicabant ad ciuitatem Calmarnensem regni Swecie, que distat a Wastenis ad XXX longas leucas, et ab illa ciuitate per viam montosam nimis et asperam nudis pedibus ambulantes ad locum predictum idibus Julii cum multis famulis suis peruenerunt, quid cum eis venerabilis domina Brigida fecerat, confitentes; testes sunt nobiles viri dominus Petrus Porse miles de Costa, parochie Wlfason d), Lincopensis dyocesis, Johannes Peterson de opido Wllabolstadh e), parochie Skærkind, eiusdem diocecis, qui viderunt eos in Wastenis nudis pedibus incedentes.

Nicholaus Rike, famulus nobilis viri, Hinzekini van Ranten de opido Kellingisbodha, parochie Skydhwe f), Vpsalensis diocesis, tempore pascali equitans, associatus vndecim famulis illustris principis domini nostri, regis Alberti, juxta quandam ampnem impetuose currentem a ripa longe *quasi* ad XV vlnas in parochia Waslande g), eiusdem diocesis, subito obscuratis oculis suis raptus est a diabolo et cum equo precipitatus in profundum ampnis, quod videntes predicti vndecim *comites eius* descenderunt de equis suis et pro ipsius saluacione dominam Brigidam altis suspiriis implorabant, ex quibus duo videlicet Hennikinus Skytta h) et Dorlobast vouerunt pro eo, quod sine lineis ambulantes nudis pedibus, monasterium Wastenas honorande domine Brigide peregre visitarent, si suis meritis illum diuina prouidencia ad vitam reducere dignaretur; qui statim quasi duabus manibus equo substitutus cum equo ad firmum terre locum illesus leuatus est, excepto quod ex omni parte erat aqua fluminis madefactus. Hic homo duobus annis ante preteritis non est confessus peccata sua nec accepit corpus domini. Cui ergo dubium, quod diaboli malicia pretenderat suffocato corpore animam eius in inferno sepelire; sit ergo benedicta caritatiua clemencia dei, que ob merita famule sue a tartaris ipsum arripuit, magnam, vt ex verbis eius perpendimus, contricionem pro peccatis misericorditer inspirando. Hic in aduincula sancti Petri Wastenas veniens, ista in audiencia venerabilis in Christo patris et domini nostri, domini Birgeri, Archiepiscopi Vpsalensis, et honorabilium virorum videlicet domini Gunnonis, canonici Lincopensis, domini Karoli, curati ecclesie Wist i), Lincopensis diocesis, et Botolphi prefecti in ciuitate Lincopensi, multorumque aliorum ista *cum* juramento constantis fidei publicauit.

Petrus Gedde, puer decem annorum, filius Haquini Gedda de opido Geddewych, parochie Lomaryth k), Lincopensis diocesis, inuasus est a diabolo, a quo per sex annos crudelissime vexabatur; hic feria tercia ante aduincula Petri Wastenas veniens ab inhabitante se demone solito grauius arripitur amariusque vexatur. Prostratus enim in terra extra capellam et jacens in dorso erectis in celum oculis nil videbat, manus et pedes in modum crucis extendebat, hiis terre firmiter coherendo; huius stomacus aliquociens intantum intumuit, quod supra pectus vsque ad mentum se videbatur erigere, ac si magnum quid corporeum curreret in visceribus eius; interdum autem intantum immergebatur, ac si viscera non haberet, palpitando pectus mouebatur, vt velum a vento pulsatum, sicuti ossibus non regeretur, multociens totum corpus in medio in tantum erigebatur, vt plena vlna erat inter terram et dorsum eius, capite tamen et pedibus terre firmiter adherentibus, sicque stetit multociens quasi latro super rotam patibuli incuruatus; huiusmodi etenim miseria in conspectu multorum affligebatur feria tercia, quarta, quinta, sexta, sabbato, nocte vero media inter sabbatum et dominicam apparuit ei demon in specie nigri canis et tangens pede pectus demoniaci dixit humana voce: exi hinc socie carissime, alioquin in breui maximum scandalum paciemur, quo dicto exiit demon per os demoniaci quasi serpens magnus et horribilis, et post pauca factus vt hircus cum magno impetu precipitauit se in profundum stangni (!) monasterio adiacentis. Eodem tempore venerabilis in Christo pater et dominus, dominus noster Birgerus, diuina miseracione Archiepiscopus Vpsalensis, in Wastenis presens

d) "Cesta parochiæ Banison" in Actis SS. pag. 559 n. 104. Nulla paroecia, cujus nomen similiter audit, in Ostrogotia reperitur. Verisimile tamen est, hic respici Petrum Porse Geet militem, qui alam in sigillo habuit (Riks-Arch. Perg.bref n. 1570), quia alter Petrus Porse cognomen de Notoby habuit v. supra pag. 234 not. g). Quum autem Petrus Porse Geet prædia in territoriis Göstring, Wifolka et Aska teneret (Riks-Arch. Perg.bref n. 2255 et lit. orig. in Bibliotheca Ups. de anno 1382, d. 4 Martii), forsan hic spectatur Kårsta in paroecia Lönsås, quæ territorium Aska attingit.

e) Hodie Ulberstad. De Johanne Petri diximus supra pag. 234 not. h.

f) Anno 1370, d. 10 Septembris Hinse van Ranten et uxor ejus Lewika prædium Klingsboda in paroecia Schedvi [diocesis *Arosiensis*] Boecio Johannis pignori dant (Riks-Arch. Perg.-bref n. 957).

g) Rectius Westlande, hodie Wessland juxta amnem Tämnarån in Uplandia boreali.

h) Hannes Schütte, famulus regis Alberti, anno 1389 apparet (Riks-Arch. Perg.bref n. 2420).

i) Hodie Husaby-Wist, v. supra pag. 234 not. i.

k) Vide supra pag. 234 not. g.

Digitized by Google

aderat, qui fecit vocari hominem ad se et audiuit eum cum illis, qui eum sic affligi viderant, ista per ordinem confitentem, presentibus reuerendis viris et dominis, videlicet domino Gunnone, canonico Lincopensi, domino Petro, canonico Wex[i]onensi et nobili viro Johanne Diekn de opido Bierka l), parochie Wist, Lincopensis diocesis cum multis aliis personis fidedignis.

[*Ex relatione Nicolai, episcopi Lincopensis, data die 10 Sept. an. 1377*] m).

Item in Natiuitate beate virginis sub anno domini MCCCLXX septimo venerunt ad presenciam meam me tunc constituto in predicto monasterio Wazstena, Nicolaus Pætersson, laicus dyocesis Lyncopensis et Henricus Pætarsson, laycus dyocesis Roskildensis et jurati ad sancta dei Ewangelia et singillatim examinati deposuerunt, quod cum ambo pariter venissent ad ciuitatem Arosiensem capti fuerunt per quendam Nicolaum Duma n), prefectum terre et positi in carcere ciuitatis sub cathenis et seris fortissimis et grauiter constricti et serati ad parietem carceris, quia asseruit eos socios esse piratarum; nichil tamen contra eos probare potuit, ipsis constanter negantibus: qui cum ibi sedissent per duos menses et vltra, inceperunt clamare et inuocare auxilium diuinum et sanctos. Et tandem conuersi totis votis et desideriis clamabant ad beatam Birgittam, vt juuaret eos et eos inuocantes eriperet, vouentes ut cathenas illas cum seraturis suis quantumcumque ponderosas portarent secum ad locum de Wazstenum, vbi gloriosum corpus eius quiescit, si de cathenis ipsis eos eriperet; et statim alter apprehendit ferrum, quod ad collum suum erat, et frangebatur et sera cathenarum super tybias fortissima ad tactum ipsius aperta est. Alter vero nullo modo liberabatur. Tandem post plures dies, inuocato iterum predicte domine Birgitte adiutorio, statim cum seras ipsas fortissimas tangebat cum inuocacione dei et eiusdem beate Birgitte tam super tybias quam super collum, apperiebantur sine quacumque concussione lapidum, ferri, vel aliorum instrumentorum. Et audientes, quod circumquaque carcerem sedebant custodes armati vigilantes et tumultum inter se facientes, iterum sub inuocacione dei et eiusdem felicis domine inceperunt fodere terram subtus et foderunt cum solis manibus ad longum spacium vltra carcerem, ita quod terra dissoluebatur sine quacumque penuria, ac si dissolutos cyneres pre manibus habuissent. Et lapides qui erant murati in pauimento platee sine quocumque labore ipsorum separabantur abinuicem, et ceciderunt inferius. Et ipsi ascenderunt cum cathenis ipsis, et sedebant statim in loco ipso, vbi ascenderunt, duo de custodibus ipsis armati, qui adeo graui sopore apprehensi erant, quod nec ad casum lapidum predictorum nec ad ascensum istorum euigilare potueruut. Et hoc contigit circa mediam noctem, quod ascenderunt, liberacio autem de cathenis, vt fatebantur, contingebat prima hora eiusdem noctis, qui statim portantes secum cathenas ipsas cum seraturis ipsis recto itinere ad locum de Wazstena venerunt et cathenas ipsas ibidem obtulerunt magnificantes et glorificantes deum et dominam Birgittam predictam, quas cathenas tunc ibidem vidi adductas, astante magna multitudine hominum. Quidam eciam mercatores aderant tunc ibidem, qui fatebantur in veritate cathenas illas Arosiensis ciuitatis fuisse et se illas nouisse et pluries in ipso carcere se vidisse easdem captiuis impressas.

[*Ex depositione Katerinæ, filiæ Birgittæ*] o).

[Super quinquagesimo articulo] . . . . . Item dixit ipsa testis, quod cum essent in via ipsa testis loquens, dominus Birgerus frater suus, nec non predicti duo confessores p) domine Brigide matris sue cum tota sua familia, quando reuertebantur de Roma ad regnum Swecie et portassent reliquias corporis matris sue ad dictum regnum, contigit tunc, quod cum hospitarentur in marchia Anchonitana in vna ciuitate, de cuius nomine non recordatur, et cum esset eadem nocte dicta testis loquens in vna camera cum duabus ancillis suis, volens se apponere in lectum ad dormiendum, tunc vna illarum ancillarum, nomine Maria, subito et repente cecidit in terram quasi mortua et perdidit loquelam et omnes sensus corporis et habebat oculos suos transuersos ad celum tamquam mortua, quod videns ipsa testis loquens stupefacta valde mirabatur et timebat et statim vocauit dictum dominum Petrum confessorem q) et dominum presbyterum Magnum r) predictos, si forte aliquod remedium scirent adhibere, cumque nichil perfecissent circa eandem infirmam, prefata testis se in lecto posuit satis anxia et dolorosa et ante auroram surgens recepit de capillis

l) Jönis Diekn de Bierka erat officialis Boetii Johannis dapiferi, qui curiæ principalis Bierka vel Bierkoholm possessionem habuit; v. Styffe, Skandinavien under Unionstiden, pag. 192: not 1.

m) Vide supra pag. 219, num. 13. Coævo documento membranaceo, cujus ibi mentionem fecimus, hic pro deformata narratione libri Canonizationis usi sumus.

n) Nicolaus vel Claus Dume, armiger Teutonicus, postea (an. 1398) miles, insignia lilii ferens, cum sorore Margareta, Boecio Johannis, celebri dapifero nupta, an. 1387 comparet (Styffe, Bidrag till Skandinaviens Historia I. pag. 196—198). Prædia in Westmannia possedit an. 1398 (l. c. II. pag. 98).

o) Vide supra pag. 220, lit. G num 4. Præterea animadvertendum, sequentem narrationem de corpore Birgittæ, in Sueciam reportato forsan fere idem esse ac legendam translationis Birgittæ in Conspectu hujus operis sub n. 54 memoratam, quam nusquam reperire potuimus, quamquam certum est legendam translationis etiamsi multum abreviatam, exstitisse, (v. Diar. Vadst. in anno 1440, Tom. I pag. 156, hujus operis.

p) Scilicet Magister Petrus Vadstenensis et Petrus Olaui, prior Alvastrensis.

q) Petri Vadstenensis hic mentionem fieri, elucet ex depositione alterius confessoris, Petri Olaui Alvastrensis.

r) Vide supra pag. 223, not p.

Digitized by Google

et ossibus matris sue predicte cum deuocione et reuerencia et genibus flexis accedens ad dictam infirmam, que in eodem statu et puncto mortis, vt apparuit, fuit, et eam tetigit cum eisdem et primo tangens oculos dicte infirme cum dictis reliquiis, dicti oculi sui in debito statu redierunt et deinde tactis naribus et ore ac facie dicte Marie infirme cum dictis reliquiis, et statim ipsa surrexit sana et equitauit cum dicta teste vsque ad ipsum regnum Swecie et ad ipsum monasterium Wastenense, vbi ingressa est monasterium et religionem et facta est monacha seu monialis ibidem.

Item dixit ipsa testis, quod postea descendentes in Alamanniam et cum transitum facerent per vnam ciuitatem nomine Brumam s) portantes secum corpus beate Brigide ad Sweciam, vt predicitur, contigit, quod ibi audiuerunt noua, quod in quodam castro nomine Sirlaho t) per quod debebant transire in die sequenti, essent multi latrones et ibidem depredabantur communiter omnes transeuntes, ipsique latrones prescientes aduentum dicte testis loquentis cum sua familia supranominata preparauerunt se ad deroborandum [ɔ: derobandum] et ad depredandum eos. Mane autem facto, cum ipsa domina Katherina testis loquens et predicti socii sui appropinquarent dicto castro, viderunt eos latrones descendentes de dicto castro et ponentes se in utraque parte vie cum balistis preparatis et sagittis impositis ad sagittandum et lanceis erectis ad percuciendum eosdem. Cumque hoc videntes [ɔ:-issent] dicta testis loquens et dominus Petrus, confessor dicte domine Brigide, et alii supranominati timendo vehementer se deuotissime recommendarunt beate Brigide supplicantes ei instancius, vt liberaret eos, et statim appropinquantes dictis latronibus transiuerunt per medium illorum, et illi taliter obcecati fuerunt tunc, quod non potuerunt videre ipsam testem loquentem nec eius societatem et ulterius itinerantes applicuerunt ad vnam ciuitatem nomine Lanzcronam u), vbi secure steterunt. Illa vero die de sero venerunt per illam eandem viam quidam mercatores, applicantes ad dictam ciuitatem et inquirentes, si erant peregrini aliqui venientes de Roma, qui cum inuenissent dictam dominam Katherinam testem loquentem cum familia sua predicta, admirabantur et narrauerunt eidem domine Katherine et sociis suis, qualiter transiuerunt per latrones illos et quomodo latrones dixerunt eis, quod expectabant ipsam dominam Katherinam et socios eius et [ɔ: vt] depredarentur eos, et quomodo transiuerunt per medium illorum et quod ipsi perdiderunt visum illorum totaliter et non potuerunt eos videre, ita quod mercatores ipsi audientes tam stupendum miraculum interrogabant ipsam dominam Katherinam et socios suos, si forte portabant secum corpus alicuius sancti uel sancte, uel quali modo potuerunt sic illesi transire sine dampno. Nocte autem sequenti beata Brigida apparuit vni persone splendide de societate dicte testis loquentis dicens ei: sciatis, ille persone, latrones scilicet, diu expectauerant ad depredandum vos, sed excecaui eos, ne possent nocere vobis. Et de hoc, vt dixit ipsa testis loquens, sciuit clare deponere frater Petrus Olaui, prior monasterii de Aluastro, ordinis Cisterciensis, confessor ipsius domine Brigide, et presbyter Magnus cappellanus et eciam Petrus Frys, scutifer v) dicte domine Katherine testis loquentis, qui tunc in dicto miraculo fuerunt presentes x).

[*Ex depositione Petri prioris Alvastrensis*] y).

[Super quadragesimo quinto articulo] . . . . . Item dixit iste loquens, quod vidit in monasterio Vastenis quendam nobilem narrantem istud miraculum, videlicet quod cum ipse, homo de Alamannia nobilis, nomine Clauus Fos z), in amencia raptus esset, ita quod omnem perdiderat sensum, cumque in opido circa ecclesiam Grenna, Lincopensis diocesis nocte dieque grauaretur et vix a multis teneri posset, dicens quendam hominem nigerrimum stare ante se monentem ad sequendum eum et multa inepta loquebatur, famulus itaque istius vouit, si dominus suus sensum obtineret, non solum visitaret domum domine Brigide, ymo inperpetuum ei cum suo domino seruiret, insuper quoscumque posset, inducere vellet ad eius amorem et honorem. Et voto facto sequenti die vir conualuit, dicens: multa loca pertransieram, multas personas teterrimas videram, sed inter alias vidi dominam Brigidam cum duobus comitantibus se loquentem michi: facito, inquit, quod seruus tuus promisit pro te, et proderit tibi super omnes thesauros. Qui complens votum, non solum in sensibus sed eciam in anima est emendatus, abnegans omnes impietates et consuetudines vanas.

s) Brunna vel Brinnum hodie Brünn, metropolis Moraviæ.

t) Aliis locis Processus Canonisationis: Skarzluo, Skærluo, Scherlaho, Scherlacis. In Actis Sanctorum sæpe citatis, pag. 531 et 542: Skaclivo et Ekarslahof. Ex arcibus inter Brunnam et Landscronam sitis nullam invenimus, cujus nomen huic simile vel consonum est.

u) Duæ civitates hujus nominis reperiuntur, altera in Bohemia orientali juxta fines Moraviæ, altera in Galicia paullum a Cracovia meridionem versus distans. Verisimilius est, priorem locum hic respici.

v) Anno 1384, d. 25 Aprilis Pæter Friis prædia nonnulla in Möre monasterio Vadstenensi donat (R. Arch. Perg. Bref n. 2019, cfr n. 1782).

x) Ex relatione anno 1375, d. 2 Maji signata (v. supra pag. 219, num. 11) in qua narratio de reditu Katerinæ supra impressa quamquam nonnihil imminuta, etiam reperitur, sequentia, quæ eandem rem illustrant, addimus: "Cum diuerteremus ad monasterium, quod vocatur Claravallis, regni Polonie, gracia audiendi missas, mulier, que diu laborabat in partu, mox vt reliquie domine Brigide domum mulieris ingresse sunt, peperit et ab omni periculo est liberata".

y) Reddita est Romæ, an. 1381, d. 31 Januarii, v. supra pag. 220, lit. G. n. 10.

z) Ex hac gente Teutonica multi nobis in diplomatis occurrunt, nemo tamen illud prænomen gerens.

Digitized by Google

[Super quadragesimo sexto articulo] . . . . . Item dixit iste idem testis, quod vidit et audiuit in monasterio Vastenis, quod narrabat quidam nobilis, nomine Smeker a) de Alamannia, quod cum ipse esset dominam Brigidam blasphemans, in loco, vbi primo applicuerunt ossa corporis eius, quando primo apportata fuerant de Roma ad regnum Suecie, tunc contigit, quod tanta furia ipse arreptus est, quod non solum vidit multitudinem demonum, sed eciam currens ad quendam arborem et se spolians vestibus flectensque genua coram arbore se vehementissime flagellabat et qui antea solebat dicere: quid mihi de illa vetula et de reliquiis suis, nam si haberem vnum equum valentem XL marchas, de illa nil curarem, qui postquam flagellasset se, inuenit vnam miseram equam et super eam equitauit ad ecclesiam sancti Laurencii in ciuitate Sudhercopensi b) et ibi dimittens equam intrauit ecclesiam clausitque hostium (!) supra se solum et cum lapidibus, virgis et baculis totum corpus suum crudeliter percuciens, sibi ipsi grauissima wlnera imprimebat; que cum amici sui percepissent, veniebant et pulsabant ad ostium, rogantes, vt eis aperiret. Ipso vero negante, per fenestras aliquas ecclesie intrauerunt, quos ipse videns quasi pro seuis hostibus cum baculis, cum quibus se prius affligerat, se defendebat ab eis; tandem ipsi illum per astuta consilia capientes ad hospicium importune traxerunt; ille autem ex demencia eorum digitos dentibus mordens, vituperabat eos dicens: vos maledicti latrones et tyranni, ita male locuti estis de illa honoranda domina Brigida, sicut ego, et ita digni estis maledictione et societate demonum, sicut ego; sicque suam et suorum nequiciam prius eam ignorantibus exprimebat; tandem rediens ad sensum suum votum vouit, quod visitaret reliquias beate Brigide antedictas. Cumque ei venisset in mente prius ad reliquias Aquisgrani c), quod primum vouerat et non impleuerat, statim iterum arripitur grauius solito more et a magna multitudine demonum vexabatur, sed statim cum aliquantulum respirasset, habito consilio discreto promisit, vt primo monasterium beate Marie in Wastenis visitare[t], qui arripiens iter recencia dolendo wlnera quasi male depressus vix primo ire poterat, sed egressus ciuitatem in maxima humilitate et pauperrimo habitu nudis pedibus per longas dietas venit ad locum destinatum, scilicet monasterium beate Marie in Wastenis et tanta facilitate iter suum peregit, ac si infirmus non fuit, qui totaliter ibidem per dominam Brigidam liberatus est ab illa diabolica vexacione et deo gracias referens oblacionem suam humiliter offerebat.

a) In relatione anni 1375 et depositione Katerinæ paullo recentior manus ascripsit: Johannes Smekr; quem quidem in documentis coævis invenire nequivimus.

b) Sic correxit manus, in annotatione præcedenti memorata, cum antea legebatur: Surkopensi.

c) Hodie Aachen in provincia Rhenana.

Digitized by Google

XIX.

CANONIZATIO SANCTÆ BIRGITTÆ PETRO AMELIO AUCTORE.

Hanc descriptionem canonizationis sumpsimus ex Museo Italico, edid. Mabillon, Tom. II. pag. 535—538, Lutetiæ Parisiorum, an. MDCLXXXIX, qua ex fonte etiam Buæus in Actis sanctorum sæpe citatis hausit. Petrus Amelius, primum episcopus Senogalliensis, deinde archiep. Tarentinus, postremum patriarcha Gradensis et Alexandrinus (Mabillon l. c. pag. 443), ipsi sollennitati interfuit, ut narratio ejus demonstrat, cui igitur maxima fides præstari potest. — — Aliam expositionem canonizationis, Svecico sermone ab Erasmo Ludovici, noto secretario Gustavi I:i regis, confectam possidemus (edita in: Svenska Fornskriftsällskapets Samlingar, n. 4, Wadstena Kloster-Reglor, pag. XXXIV—XXXIX), quum autem auctor in posteriore parte seculi XVI:i vivens ex pluribus fontibus novum construxerit opus, nostræ collectioni id inserere non ausi sumus, quamquam eum coæva narratione Sueci cuiusdam, testis oculati, usum esse patet. Ceteræ breviores descriptiones, — Suecicæ in Johan. Laurentii Lælii "Jungfru Spegel", impressa Holmiæ an. 1591, et in Widekindi Imaginibus familiæ Braheæ, pag. 26, Visingsburgi, an. 1673, (ubi antiqua vocabulorum orthographia est pia fraus Widekindi), — Latina in Genealogia Brahæa, pag. 37, ed. Örnewinge Holmiæ, an 1647, omnes ad memoratam Erasmi narrationem revocari possunt — — — Aliam quidem descriptionem in membrana annotatam atque in Archivo Regni conservatam illustrissimus Andreas v. Stiernman laudat (v. orationem ejus præs.: om de lärda vetenskapers tillstånd i Svearike, in Academia regia Scientiarum anno 1758, pag. 88) quam a nullo alio memoratam neque ibi nec alias reperire potuimus, unde jure suspicamur nihil aliud esse ac librum membranaceum Johannis de Turre Cremata (Torquemada) cardinalis pro Birgitta in Concilio Basiliensi defendenda an 1446 compositum, qui nunc est Bibliothecæ regiæ Holmiensis. — — — Brevem narrationem Diarii Vadstenensis (v. Tom. I. pag. 105 hujus operis) ideo solummodo in memoriam reducimus, ut legentes moneamus variantes lectiones, in quibus editio Benzelii in Additamentis Chronici Margaretæ Clausdotter, pag. 29, ex codice n. 75 Bibl. Ups. impressa, a Diario discrepat, solum ex lapsu vel vitiosa interpretatione abbreviationum omnes originem trahere.

De ipso modo, quo negotium canonizationis annis 1389—1391 ageretur, Buæus in Actis Sanctorum (v. supra prologum numeri XVIII) pag. 467,468, n. 410—412 narrationem Laurentii Romani, cujusdam testis oculati, memorat, quæ cum nobis in manus non venerit, gravissima ejus argumenta leviter attingemus. Anno 1389 Urbanus VI:tus papa monasterium Vadstenense literis admonuisse dicitur, ut Magnum Petri confessorem Romam pro canonizatione demum ad finem perducenda mitterent. Magnus eodem anno circa nativitatem domini Romam pervenit et Bonifacio IX:o paullo ante electo papæ (Urbanus enim die 15 Novembris erat mortuus) literas Margaretæ reginæ, senatorum Svecicorum a) et monasterii Vadstenensis ceteraque ad negotium perti-

a) In codice Bibl. Upsal. n. 2 in catalogo Benzeliano exstant apographa harum literarum; literæ reginæ scriptæ sunt Sudercopiæ, anno 1389, die 31 Octobris; in literis magnatum desunt ultimi versus, ut locum et diem determinare neqveamus; verba tamen restitui possunt, quia et regina et senatus literas regis Alberti et senatorum de anno 1379, d. 18 Jannarii (v. supra pag. 220 in lit. H.) ad verbum reddiderunt. Consiliarii et nobiles, qui litteris antedictis subscripserunt, erant: 'Henricus archiepiscopus Vpsalensis, Nicolaus Lincopensis, Thordo Strengenensis, Beno Arosiensis, Bero Aboensis et Hemmingus Wexionensis ecclesiarum episcopi, necnon Eringislo Sunonis, Ericus Katildi [o: Kætilli] Karolus Wlphonis, Birgerus Wlfonis, Steno Benedicti, Boecius Boecii, Eringislo Nicolai, Stephanus Wlfonis, Anundus Johannis, Wlpho Johannis, Steno Boecii, Steno Stenonis, proceres et regni Swecie consiliarii, Magnus Haquini, Thurirus Benedicti, Thorchillus Haraldi, Ragwaldus Philippi, Arvidus Benedicti, Götzstauus Mathie, Iwarus Nicolai, Thordo Bonde, Magnus Benedicti et Philippus Karoli, eiusdem regni Swecie nobiles et potentes." Cum vero hæc nomina in aliis litteris publicis, dat. Sudercopiæ d. 24 & 27 Oct. 1389, occurrunt, patet, illas quoque circa idem tempus confectas esse.

Præterea proceres regni Sueciæ septem annis ante eandem rem sollicitasse videntur, quia in Bibliotheca Upsaliensi asservantur literæ membranaceæ de anno 1382, dat. Watzstena d. 1 Aprilis, in quibus "Eringislo Sononis, Comes Orchanensis [o: Orchadensis], Boecius Johannis, regni capitaneus ac legifer Gotorum, Karolus de Thoftom, legifer Vplandiarum, Birgerus Wlfsson, legifer decem provinciarum, Steno Bendiczson, Regni summus senascallus, Boecius Boosson de Ringxholt, Kanutus Karoli legifer Sudhermannie, Anundus Johannis, legifer Ølandie, Stephanus Vlphonis de Langnø, Steno Stenonis de Engxøø, Vlpho Johannis de Sandom, Petrus Porse, capitaneus Finwidie, milites et eiusdem regni Swecie consiliarii" papam pro canonizatione beatæ Birgittæ, "inclitæ patronæ regni Sweciæ" implorant.

Digitized by Google

nentia documenta obtulit. Quorum examen Bonifacius cardinalibus, Philippo ex Francia, Adamo ex Anglia et Barensi, aliisque viris commisit, qui anno 1391 sub festum s. Laurentii Pontificem supplices adierunt, ut canonizationem perficeret. Papæ id annuenti, dummodo rite fieri posset, Magnus Petri coram cardinalibus geminum volumen obtulit, alterum revelationes Birgittæ, alterum genus, vitam et miracula ejus continens, quod posterius liber Attestationum dicebatur b), et quia cardinales suum quisque librum attestationum desiderabant, Magnus sedecim exemplaria quam citissime conscribenda curavit. Deinde Bonifacius d. 7 Octobris bullam Canonizationis Birgittæ publicavit.

Sequitur canonizatio sanctæ Brigide. Anno domini MCCCLXXXXI et die sabbati, VII mensis Octobris pontificatus domini Bonifacii IX anno secundo facta fuit canonizatio beatæ Brigidæ in magna capella sacri palatii Romæ prope sanctum Petrum, in qua talis modus fuit observatus.

Primo die Veneris patriarcha Gradensis a), confessor et referendarius dicti domini, ex præcepto sanctitatis suæ consistorium generale mandavit, item canonizationem sanctæ Brigidæ, ut omnes deberent venire ad ipsam sollemnitatem. Item campanæ omnium ecclesiarum deberent pulsari hora completorii b) et crastina die hora Tertiarum etiam mandavit.

Item parata fuit capella circumquaque de pannis et sternata de frondibus de verta. c) Magister folrariæ d) fecit.

Item circumquaque per totam capellam fuerunt tortitiæ seu brandones e) quilibet de undecim libris ceræ: fuerunt in summa LXXXVI. Modum dictarum candelarum et ordinem brandonum inveni.

Item in die Sabbati de mane dominus Papa audivit magnam missam de spiritu sancto in camera sua.

Item post magnam missam venit ad magnam capellam, cum comitantibus omnibus cardinalibus et nobilibus Romanis cum pluviali f) rubeo consistoriali et mitra de perlis consistoriali; et facta reverentia aliquali ante altare, ascendit ad aliam cathedram longe ab altari paratam: et ibi recepit omnes cardinales et prælatos ad reverentiam cum cappis laneis more solito. Qua reverentia finita accessit ad aliam cathedram cum scabello paratam ante medium altaris, appodians se ad altare versa facie ad populum: et duo diaconi antiquiores sedebant ante pedes ejus in scabellis, aliis etiam cardinalibus sedentibus in locis suis cum cappis laneis: et facto silentio et luminaribus accensis, Papa sedendo mitram in capite, fecit collationem et sermonem suum sub isto themate, *Viduam ejus benedicam et florebit super ipsam sanctificatio mea.* Completo sermone et facta admonitione, ut omnes deberent Deum rogare, quod non permitteret eum errare, protestatione etiam facta, quod ipse non intendebat facere contra sacrosanctam Romanam ecclesiam, surgens de sede, deposita mitra, incoepit cantando, *Veni creator spiritus*, et flexis genibus stetit sine mitra usque ad versiculum tertium et semper stetit ibidem g) pedes, tamdiu donec cantores cantaverunt dictum hymnum. Quo finito sine versiculo dixit, *Dominus vobiscum*, et orationem, *Deus, qui corda fidelium*, quam finivit *per Christum dominum nostrum.* Sed reassumpta mitra ibidem sedendo pronunciavit beatam Brigidam, fore Sanctam et adscribendam in catalogo Sanctorum, ut est in libro secretorum papalium domini Clementis Papæ VI, qua pronunciata, ore proprio concessit Indulgentiam ista die et in sequenti visitantibus ecclesiam sancti Petri et sancti Laurentii in Panisperna h), et qui interfuerint in divino officio isto illam Indulgentiam Jubilei et multas alias in terris. Post hoc procuratores dictæ Sanctæ petierunt publica instrumenta de hoc: et Papa etiam de sua potestate jam dicta i) . . . et tunc omnes cardinales et prælati receperunt paramenta k) alba, episcopi pluvialia, presbyteri planetas l), diaconi tunicellas et dalmaticas; et iterum venerunt ad reverentiam Papæ. Post hoc deposito pluviali rubeo recepit chirotecas m) preciosas et anulum pontificalem et pluviale album preciosum cum mitra sollemni: et deposita mitra incoepit cantando, *Te Deum laudamus*, et tunc data sunt duo magna tortitia de cera alba, quælibet de octo libris ceræ et cuilibet cardinali ac patriarchæ de VII libris ceræ aliæ non albæ, et omnibus prælatis de duabus libris et aliis clericis et cantoribus, auditoribus et nobilibus et aliis de una libra ceræ: et tunc incœpta fuit processio, et omnes tenebant faculas suas accensas in manibus, quilibet in ordine suo: et duo patriarchæ ibant cum cardinalibus,

b) De hoc libro vide, quæ diximus supra pag. 218 in initio prologi n. XVII.

a) Id est ipse auctor Petrus Amelius, vide prologum.

b) Vide supra pag. 222, not. h.

c) A Buæo in Actis Sanct. redditur: "viridi et odorifera fronde"; in versione Suecana (v. prologum): färst grönnt Ollio löff" Vocabulum "verda" desideratur apud Du Cange, sed forsan idem notat, ac Verdatia, "taxus barbascus" vel Verdiga, "species vitis".

d) Vocem folrariæ Du Cange omisit, sed folrarium reddit "metatorem hospitiorum" et alio loco magistrum forreriæ "designatorem hospitiorum."

e) Idem ac tortitiæ; derivatur a voce Germanica vel Gotica: "brand".

f) Pluvialis vel pluviale est "vestis quæ totum hominem operit et a pluvio defendit", dein vestis episcopales", Du Cange.

g) Vocabulum "supra" hic prætermissum esse videtur.

h) Qua in ecclesia corpus Birgittæ per aliquot septimanas conditum erat; v. supra pag. 224, lin. 11 et 12.

i) Hæc lacuna jam in editione Mabillonii exstat.

k) I. e. indumenta sacerdotalia, v. Du Cange in verbo parare. Israel, episcopus Arosiensis anno 1317 possedit vnum paramentum sameti rubei, scilicet subtile, dalmaticam et casulam sexaginta marcharum denariorum pretii. Diplomat. Svecanum, III. pag. 326.

l) "Vestis sacerdotalis ita dicta quod oris errantibus evagatur", Du Cange

m) Suetice: handskar.

Digitized by Google

item dominus Papa subtus pallium, sed milites portabant extra pallium tortitia Papæ accensa. Et sic ivimus per totam capellam usque ad aliam capellam, et reversi fuimus processionaliter ad magnam capellam et dominus summus Pontifex ascendit ad cathedram ante medium altaris, ubi fecerat sermonem suum prius: et stando diaconus a dextris dixit cantando, *Ora pro nobis beata Brigida alleluia*, et Papa dixit, *Dominus vobiscum*, et aliam orationem de beata Brigida: et cantato per cantores, *Benedicamus Domino*, diaconus a sinistris dixit, *Confiteor*, et Papa dedit benedictionem more solito: et prior episcoporum cardinalium pronunciavit Indulgentias: et sic quilibet repatriavit n) cum candela sua; et omnes alias candelas de altari et tortitia de capella camerarius fecit recipi pro Papa . . . . . per sex Cardinales, qui deberent omnes esse sacristæ. Primus erat dominus de Alençonio Philippus: secundus de Anglia dominus Adam: alter Reatinus.

Ista die Papa non potuit dicere magnam Missam de Sancta, causa infirmitatis, sicut debebat: sed in crastinum celebravit, ubi istum ordinem tenuit.

Dominica ergo die VIII mensis Octobris bono mane post parvam missam dominus Papa indutus cum pluviali et mitra cum perlis consistoriali, descendit ad ecclesiam sancti Petri cum omnibus cardinálibus, duobus patriarchis, Constantinopolitano scilicet et . . . cum prælatis et toto clero: et in porta ecclesiæ venerunt ei obviam omnes canonici sancti Petri cum cruce, pluvialibus, pavilione o) et campana processionaliter, cantando, *Te Deum laudamus*, duxerunt eum ad majus altare, et facta aliquali oratione ante altare, recessit ad cathedram, ubi consueverunt Romani Præsules induere se, et sedendo cardinales et omnes prælati venerunt ad reverentiam, et ipse voluit quod cantaretur Tertia. Missa fuit de sancta Brigida cum commemoratione de Dominica. Tunc primo ego incoepi de mandato sedere inter cardinales episcopos. Processit Missa ordine suo.

Item post evangelium diaconus a sinistris dixit Confiteor, et dicto Credo in unum Deum, et post offertorium Papa sedebat super bassam p) cathedram cum scabello ante regias ferreas q) Papæ, ubi lectum fuit evangelium, versa facie ad sedem, in qua fuit indutus. Tunc domini commissarii tres cardinales de canonizatione istius Sanctæ exierunt de sacristia sancti Petri cum oblationibus suis.

Primo dominus de Francia cum duobus magnis tortitiis accensis, coopertis de auro, obtulit osculando pedem et manum: secundo dominus Anglicanus cum duobus panibus coopertis, cum tobaleis r) et armis et scudetis s) sanctæ Brigidæ et trium cardinalium commissariorum; et osculatus est pedem et manum Papæ: tertio dominus Barensis cum duobus magnis barilibus t) de vino et malvatico u), quæ vocantur Romæ scyphi deaurati, et cum armis et scudetis Dominæ et cardinalium prædictorum; et osculatus est pedem et manum Papæ.

Ultimo venerunt quinque procuratores istius Sanctæ cum advocato et quilibet obtulit unam magnam candelam de una libra ceræ albæ, modicum laboratam cum rosis et floribus, viridis, alba et rubea.

Item unum parvum canistrellum v), totum depictum de colore viridi, in quo fuerunt duæ columbæ albæ et duæ turtures.

Item nota, quod canonici in processione debuerunt habuisse grossas candelas de cera in manibus ab istis exsecutoribus, et quia non habuerunt, Papa fuit turbatus.

Item fuerunt in ista Missa super regias ferreas et super columnas lapideas prope regias prædictas circa LXXX tortitiæ accensæ, et VII in elevatione Corporis Christi. Poterant esse quælibet de quattuor libris ceræ, nec Papa, nec cardinales, nec aliquis candelam habuit in ista Missa; nec fuit sermo.

Item nota, quod completa Missa, dominus Pontifex indutus prout fuerat in Missa, et omnes cardinales et prælati induti sacris vestibus, prout fuerunt in Missa, cum mitris iverunt ad fenestras prope campanile x) in loco deambulatorio, ubi Romani antistites consueverunt dare populo Indulgentiam; et ibi Papa dedit de vera Indulgentia illa die, sicut in Jubileo ob reverentiam Brigidæ, et in sancto Petro, et in sancto Laurencio in Panisperna, ubi sancta Brigida dicta fuit sepulta: et quicunque visitasset dictas duas ecclesias sancti Petri et sancti Laurencii VII vicibus per totum præsentem mensem, haberet Indulgentiam Jubilei.

Item nota, quod de cera ecclesiæ sancti Petri accensa canonici voluerunt habere: sed camerarius totam recepit, quod Papa, nec ipsi nec acolythi nec cantores, nec clerici habuerunt.

Item nota, quod quilibet cantor habuit tres ducatos ab exsecutoribus.

Item dicti exsecutores miserunt unam pintolam y) de auro Papæ valoris C ducatorum et unum vitulum, XXIIII capones, XXIIII pullos, XXIIII columbas, duo barilia de vino.

n) Primarius sensus huj s verbi est redire in patriam, dein reverti

o) Tentorium vel tabernaculum; Svetice: "thronhimmel".

p) I. e. humilis: Gallice: bas.

q) Regiæ sunt "cancelli in ecclesiis, qui vulgo separant chorum seu sanctuarium a naui", Du Cange.

r) I. e. mappa, mappula, mautile, manutergium, v. Du Cange in vocabulis "toacula et tobalea", qui etiam hoc affert dictum "linteamina altaris sive tobaleæ".

s) "Scutum gentilitium" vertit Du Cange, hunc locum laudans.

t) Vocabulum origine Cambro-Britannica, quod significat:" cadus, dolium vel amphora"; vide Du Cange; ex quo vox in lingua Anglica usitata: barrel.

u) Vinum Creticum, Gallice: Malvoisir; vide Du Cange.

v) Forsan diminutivum vocabuli "canistrum", quod (Du Cange autore) designat "vas ecclesiasticum, in quo distribuebantur panes benedicti".

x) Turris ecclesiæ, in qua campanæ pendebant.

y) Sine dubio derivatum a verbo pinta "mensura liquidorum".

Digitized by Google

Item nota, quod fuerunt Vesperæ precedentes, nec sequentes.

Item nota, quod ista die, licet fuerit Missa de sancta Brigida, tota die fecimus de Dominica, nec fecimus commemorationem in Vesperis nec in Matutinis de ipsa Sancta.

Item nota, quod omnes cardinales induti sacris vestibus associaverunt Papam usque ad cameram.

Ista die nullus Cardinalis comedit cum Papa, nisi solum prælati domus et cantores.

Item nota, quod tota capella debet esse intus et extra parata pannis.

Item in altari debent esse VI candelæ, quælibet de una libra cum dimidia: item super cancellum capellæ sex tortitia, quælibet de VIII libris ceræ.

Item extra regiam seu capellam ponantur ligna perforata in muro circumquaque ad tenendum tortitia, quantum capella est: et in quolibet ligno erunt sex tortitia, quælibet de quattuor libris ceræ.

Item in fine capellæ ex opposito altaris illud idem.

Item de aliis parvis candelis de uncia vel media, aut pro libra ponantur XX habentia per murum et distribuantur laicis et clericis.

XX.

VITA KATERINÆ FILIÆ BIRGITTÆ.

Ex codice partim papyraceo partim membranaceo, n. 15 in 4:to, Bibliothecæ Braheanæ in Skokloster, quem manus posterioris partis seculi XV:i scripsit, et in quo primum vita Birgittæ a Bartholdo de Roma concinnata (vide supra pag. 187, lit. F) et deinde hæc vita Katerinæ cum diversis eam attingentibus miraculis continentur. Eadem est nostra vita ac illa Holmis impressa sine anno, quam nuper tamen G. E. Klemming — in libello "om vita b. Katharinæ" intitulato et Holmis anno 1869 sub anonymo Q. E. D. edito, quem editionisuæ photolithographicæ hujus vitæ conjunxit — paullo post annum 1474 impressam esse, lucide demonstravit. Hanc editionem Holmiensem postea fere omnes editores revelationum Birgittæ suis scriptis annexerunt. . . . . Quamquam nos quidem pro certo affirmare non audemus, manuscriptum, quo usi sumus, esse vita impressa vetustius, tamen hoc illi prætulimus, quia diversis locis meliores variantes lectiones præbet et, ut ex nonnullis absurdis lectionibus patet, antiquius manuscriptum est secutum. Vitam lingua Suecana compositam (edidit E. Rietz e registro ecclesiæ Aboensis in disputatione Academica in 8:vo, Lundæ, an. MDCCCXLVII), cujus stylus fere priorem ætatem indicare videtur, quam quæ vitæ Latinæ, ut præsens ejus est conditio, ascribi potest, tamen præterivimus, quia profecto vita Latina, si originem spectas, est primaria et quasi fundamentum, super quo auctor vitæ Svecanæ amplificatum et adornatum suum opus exstruxerit. Præterea paucas res historici momenti, quæ in vita Latina omissæ illic reperiuntur, in annotationibus nostris diligenter allaturi sumus, ubi signa V. H. et V. S. ad vitam Holmis impressam et illam Suetice scriptam denotandas usurpamus . . . . . Quod ad illam quæstionem attinet, num Ulfo, monachus Vadstenensis an. 1433 mortuus, vere fuerit ipsius vitæ auctor (plurima enim miracula a procuratoribus annis 1469 et 1475 nominatis collecta esse videntur), nihil iis, quæ Vastovius in Viti Aquilonia protulerit, neque addere neque detrahere possumus.

Incipit vita siue legenda cum miraculis domine Katherine sancte memorie, filie sancte Birgitte de regno Swecie.

Venerabilis et deo dilecta Katherina nobilis viri domini Vlphonis Gudmarson [a] et Birgitte conjugis eius, cuius laudis preconium in ecclesia, filia fuit. Hii ex sancto suo conuigio non tantum mundo, sed deo octo filios [b] genuerunt. Katherinam, de qua narrandi series suscipitur, ordine nascendi quartam [c] prouidencia diuina tamquam mediam, virtutibus

a) Vide supra pag. 191, not. z. et 193, not. i.

b) Idem ac liberos, nam quatuor ex liberis erant filiæ, v. supra pag. 209.

c) Majores enim natu erant Märtha, Karolus et Birgerus. Katerinam esse secundam, non tertiam filiam (quod Chronicon Margaretæ Clausdotter v. supra pag. 215 et 216 per-

Digitized by Google

et morum honestate ceteris eorum filiis eminenciorem huic luci inuexit. Que cum ad huc in cunis mortalis huius vite ageret exordium, eius future sanctitatis et puritatis indicia diuina gracia demonstrauit. Nam nutricis officio tradita propter impudicam et lasciuam vitam, vt probabili coniectura coniicitur, eius mamillas sugere abhorrebat. Mamillas vero matris sue sancte et quarundam continencium mulierum sine horrore bibebat, incontinencium vero lac sicut absinthium refugiens cum lacrimis et vagitu. Congruum namque fuit, vt que tota diuinis dedicanda erat obsequiis, more Nazarenorum [d] immundum non manducaret ex vtero matris sue. Ablactatam igitur sanctam mater eius de educacione filie sollicita cuidam deuote et sancte opinionis abbatisse de Risabærgha [e] tradidit sanctis moribus educandam. Sed innocencie persequutor dyabolus, qui semper primordia bona molitur extinguere, dormientem puellam, abbatissa in deuotis oracionibus excubante, in specie bouis cornupete [f] impeciit et eam cornibus e lecto proiciens in pauimento semiuiuam reliquit. Abbatissa vero puelle immanem gemitum audiens cum omni celeritate accurrit eamque quasi iam mortuam in sinu suo collocauit. Cui dyabolus iterum apparens horribilis dixit: quam libenter eam occidissem, si a deo permissus fuissem. Anno vero etatis sue septimo cepit quadam vice a coeuis suis inducta ludis pupparum intendere et ne talium ludorum vanitas, que in plerisque juuenibus mentis stabilitatem subuertit, eciam ipsius animum innocentem dissolueret, misericordis dei, qui flagellari permittit omnem filium quem recipit, permissione factum est, quod sequenti nocte postquam tali ludo intenderat, vidit in sompno multos immundos spiritus in specie puparum cubiculum suum subintrantes, qui eam de lecto eiectam flagellis ceciderunt, adeo quod in crastino toto corpore liuida videbatur. Vnde postmodum dissolucionis materiam et ludorum vanitatem cooperante eius gracia, qui cum temptacione prouentum facit, perfecte reliquit, amplius cum ludentibus eciam quibusqumque se non commiscens, ymmo quadam maturitate contra illius etatis fluxam et decliuem inertiam se agebat.

Annos insuper nubiles attingens cum fiducia, quam semper in deo et gloriosa virgine Maria de castitate seruanda habebat, voluntati patris obediens in matrimonium nobilis viri domini Egardi [g] consensit. Veniente autem die nupciarum, cum in secreto thalami soli commanerent, virgo illa deo et beate virgini deuota ad castitatis votum sponsum suum sanctis exhortacionibus inflexit, ipso cooperante, qui tocius puritatis et casti consilii in mentibus electorum est infusor. Voto itaque inter se de castitate perpetua cum sacramentis firmato, tenerrime se inuicem in domino diligentes, sub seculari pompa sancta quadam calliditate hostem pudicicie deluserunt. Et quam gratum deo erat eorum votum, patet ex indicio subsequenti relacione digno. Nam cum vir pius [h] deo semper deuotus more nobilium quandam damam cum canibus venaretur, contigit ipsam dominam Katherinam fortuitu per viam eiusdem luci pro negociis suis vehiculo transuehi. Ad quam fera cursu concito lassa pre canibus omni feritate postposita tamquam ad singulare presidium confugiens, caput suum in sinum mulieris pudice, que in se bestiales motus amputauerat, mansuetissime reclinauit. Cumque a viro et aliis bestiam insequentibus esset predicta domina Katherina requisita, ostendit eam sub pallio latitantem, supplicans humiliter pro eadem, vt captiuum suum significando bestiam do-

peram tradit) elucet ex dicto Diarii Vadstenensis in anno 1399: "obiit ..... Cecilia, filia s. Birgittæ ultimo genita". Annum nativitatis Katerinæ fuisse 1331 vel 1332 hæ res versimile faciunt: 1) Anno 1379 in depositione Romæ facta Katerina ipsa dicit se esse "etatis quadraginta septem annorum vel circa", v. supra pag. 220, lit. G. n. 4. — 2) Legimus infra in hac vita "annos nubiles attingens .... in matrimonium ..... domini Egardi consensit" et "breui tempore elapso postquam .... nuptui tradita esset, pater .... Ulfo Gudmarsson .... defunctus". Quod cum contigit an. 1344, d. 12 Febr. (v. pag. 193, not. i) et ætas legitima puellæ in matrimonium dandæ erat duodecim annorum, necesse est Katerinam ineunte anno 1332 vel potius 1331 esse natam — 3) Octodecim annos nata infra vocatur, cum anno Jubilei (i e. 1350) Romam proficisceretur.

d) Sic recentior manus correxit pro "arrenorum".

e) In terra Næriciæ. Gertrudis quædam vocatur abbatissa ab an. 1339 (Diplom. Suec. IV., pag. 689).

f) "Cornu appetens bos": Du Cange, Glossarium medii ævi.

g) Eggard Lydersson de Kyren, miles, vocatur gener Birgittæ an. 1344 (Diplom. Suecan. V. pag. 288). Adhuc an. 1350, d. 30 Junii in vivis est (Hildebrand, Svenska Sigiller från Medeltiden, ser. III. n. 541), sed non longe post obiisse videtur (cfr. depositionem Katerinæ de art. 29, supra pag. 225 et Vitam Suecanam (pag. 129 apud Rietz), ubi dicitur, Katerinam in morte mariti fuisse viginti annorum.

h) Primo scriptum fuit "impius", sed "im" est erasum. V. H. melius: "ipsius", ex quo verisimile fit nostrum scriptorem abbreviaturam verbi "ipsius" in "impius" solvisse.

Digitized by Google

naret libertati. Quo faciliter annuenti, siluas bestia peciit. Ipsi vero pariter in domino plurimum gauisi et consolati gracias ei agentes, qui feras edomat et mansuescere facit. Et ne hostis domesticus, caro videlicet, insurgeret contra spiritum, post nocturnas in deuotis oracionibus vigilias et fatigas genuflexionum in pauimento camere sue substratorium vnum thorale habentes et cussinum sub capitibus dormire consueuerunt, tempore hyemali suam abstinenciam minime immutantes, quia quanto molliora pro deo relinquebant, tanto magis diuini amoris incendio incalescebant. Ipsa namque venerabilis domina menti viri sui deuoti verbo exhortacionis sepius studuit materna virtutum exercicia et penitencie inculcare, que ipsa iuuencula in matre sancta Birgitta viderat et ab aliis didicerat, cupiens se in hiis pariter conformari. Hinc vigiliis et oracionibus sanctis ieiunium associabant, vt cunctis anime virtutibus florere possent et caro subiecta anime et ancilla domine sue congrue famularetur. Abstinenciam igitur, que multum commendabilis est, pariter amplexati sunt ob amorem dei et propriam salutem, non solum cohibentes se ab illicitis, ymmo eciam a licitis et concessis, scientes quod abstinencia vitam prolongat, castitatem conseruat, deum placat, demones expugnat, intellectum illuminat, mentem roborat, vitam domat, carnem exsuperat et cor in dei amorem pertrahat et inflammat; felix ergo fuit hoc coniugium, quod non carnis petulancia et lasciuia duo corda vnum [i] fecerat, sed dilectio, que est *in*[k] Jesu Christo, castis amplexibus constrinxerat glutino caritatis felix eorum coniugium, qui sanctissimum Marie et Josep virginale coniugium, quantum possibile fuit, conabantur imitari[l] ob miseracionis diuine respectum et amorem. Nam in diebus suis erant quasi duo lilia in orto [ɔ: horto] dominico, in statu matrimoniali bene fragrancia, castitatis nitorem coram domino omnium inspectore habentes et coram proximo per virtutum exempla et exercicia cum opinione bone fame suauissime redolentes. Unde quidam de familia eorum de insolita abstinencia et spiritualis vite inexpertes vtpote vanis et superstitiosis coram domino Karolo milite, fratre domine Katherine[m] detrahebant. Qui captata opportunitate latenter eorum cubiculum intrans, inuenit eos non vt coniuges delicias carnales sectantes, sed velut deuotos religiosos laneis ac asperis indutos tunicis, dimisso delicato lecto in pauimento separatim dormientes. Super quo memoratus dominus Karolus, minus eorum que sunt spiritus sapiens, dominum Egardum et vxorem eius germanam suam tamquam superstitiosos et fatuos arguebat. Ipsi vero descendentes pluuias increpacionum, veniencia flumina detractionum et flantes ventos irrisionum equanimiter tolerantes, a proposito castitatis et abstinencie fundamento minime ceciderunt. Firmati enim erant super sancte perseuerancie stabile fundamentum. Sed quia non sufficit mundicia carnis, nisi et mundicia mentis sequatur cum humilitate vera ad gloriam dei, nam sicut mundicia carnis est immunitas a pollucione hominum, sic humilitas est immunitas a pollucione demonum, Miscentur enim demones animabus et corrumpunt per superbiam, sicut homines corporibus et corrumpunt per luxuriam, Ideo hec venerabilis domina pudicicie sue humilitatis studuit adhibere munimentum.

Cepit eciam vestes deformatas ab antiqua patrie laudabili consuetudine, in quibus modernis temporibus maxime nobiles effluere solent, paulatim deponere nec propter detractiones et irrisiones ab humilitatis et honeste consuetudinis patrie obseruancia desistebat. Cuius exemplo multe nobiles consodales eius et cognate vestes pomposas et ornatum superfluum patrie relinquerunt. Inter quas nobilis domina vxor fratris sui predicti, domini Karoli[n] quamuis consiliis et exemplis ejus in principio pertinaciter resisteret, speciali tamen diuine visitacionis oraculo ad meliorem[o] vite ordinem conuersa est. Nam contigit in ciuitate Kalmarnensi in capella beate virginis, dum simul starent in oracione ante ymaginem ipsius beate virginis venerabilis domina Katerina cum vxore fratris, quod domina illa vxor videlicet memorati domini Karoli paululum obdormiret, videbaturque sibi, quod beata virgo hilari wltu respiceret dominam Katerinam, sororem mariti sui, se vero toruis oculis et irato wltu inspectaret. Hac

i) Sic V. H., dum manuscriptum habet: oim, i e. omnium, quod sententiam perdit.
k) Omissum verbum ex V. H. restituimus.
l) V. H. male: inutari.
m) Karolus Ulfsson miles, consiliarius et legifer Næriciæ, de quo vide supra pag. 211 et 212, 226 et 227.
n) De uxoribus Karoli vide supra pag. 211, not k—m.
o) V. H.: melioris.

Digitized by Google

visione multum turbata cepit cum lacrimis beatam virginem orare dicens: Quare domina mea me ita terribiliter respicis; cui virgo: Quare non obedis consiliis dilecte mee Katerine. Si eius consiliis et exemplis habitum tuum et mores correxeris, ego te per gratiam meam hilariter respiciam. Que expergefacta ammonicionis huiusmodi haud ingrata, continue depositis superbie ornamentis, humilitati et domine Katerine moribus se studuit conformare. Vnde vir eius supradictus dominus Karolus ad huc totus secularis mutacionem vestium et deuoc[i]ores [p] gestus in coniuge perpendens, turbato animo dixit improperando domine Katerine sorori sue: non es contenta, quod te begwinam [q] feceras, quin eciam vxorem meam tecum begwinam faceres et fabulam populorum. Pacienter itaque ferebat improperia et irrisiones pro domino, virtuosis operibus commendari plurimum abhorrens, commendantes se obtestans per misericordiam Christi, ne eiusmodi de ea dicerent seu sentirent. Nam speciales suos secretarios sepissime cum lacrimis obiurgabat, quia ob reuerenciam pudicicie virginalis et quod illibata maritalem thorum ageret, felicem eam referebant, adiurans eos, ne talia de ea amodo nominarent.

Breui itaque tempore elapso, postquam a parentibus nuptui tradita esset, pater eius dominus Wlpho Gudmarsson, princeps et legifer Nericie in senectute bona defunctus [r] in monasterio Aluastri [s] honorifice traditur sepulture. Post cuius obitum beata Birgitta mater domine Katerine iuxta preceptum Christi Romam est profecta. Et cum sollicita esset de persona, que eam in negociis arduis familiarius adiuuaret et solacio [t] esset in terra peregrinacionis sue, responsum accepit a Christo, ne de hoc turbaretur, quia mitteret ei personam, que esset ei in negociis sibi diuinitus commissis fidelis coadiutrix, quam eciam speciali gracia sue benedictionis preueniret. Elapsis itaque [u] fere annis quinque, postquam beata Birgitta a patria sua Romam venerat [v], tanto cepit domina Katerina feruere desiderio Romam peregrinari, quod pre suspiriis et quotidianis affectionum incrementis quasi languida appareret. Quod vir eius deo deuotus perpendens, causam [x] tantorum suspiriorum et insolite affectionis requirit. Ipsa vero de viro tam benigno et deo deuoto plurimum confidens cordis sui archanum aperuit. Sed prudens ille maritus eius propter ipsius quam expertus erat vite stabilitatem presumebat instinctum huiusmodi a domino agitari et ideo contradicere quamuis eam tenerrime diligeret non audebat. Sed exinde verebatur, ne persone tam eleganti et iuueni vtpute (!) decem et octo annorum aliquid aduersitatis in via peregrinacionis tam longinque accideret. Vnde aliquamdiu consensum dare distulit. Sed tandem victus timore dei, qui voluntati diuine repugnare dissuadet, importunis precibus coniugis condescendit. Interea parantur pro ea et eius familia sumptus in via necessarii, de comitiua honesta prouidetur, et iam exitus de patria solum exspectatur. Sed ille veteranus virtutum persequtor, qui molitur queque sancta et bona proposita extinguere si potest, si non, saltem ea nititur impedire, domini Karoli fratris eiusdem domine Katerine animum in indignacionem contra eam incitat ita, vt scriberet domino Egardo marito suo sub comminacione mortis, ne sororem suam peregrinari permitteret extra patriam. Sed litera ista domino Egardo extra domum propriam in negociis suis agente ad manus domine Katerine deuoluta est. Que aliquid talium suspicata literam aperuit et cognita comminacionis serie sermonem huiusmodi ad awnculum suum dominum Israelem [y] virum potentem et tocius deuocionis ac prudencie detulit. Qui pie eam [z] domino consolando hortabatur, vt ab illo sancto proposito non exciderent propter minas fratris sui simulque assecurauit eam, quod comminacionem eius contra dominum Egardum ma-

p) V. H.: deuocionis.
q) Beghardi vel beguini seculo XIV:o vocabatur religiosa, ut heretica condemnata societas, cujus fratres et sorores (beguinæ) mendicando necessaria vitæ acquirebant. De nominis derivatione grammatici adhuc dissentiunt; cognatio ejus cum verbo Anglico: beg. mendicare, est manifesta.
r) V. H. male addit: est.
s) Anno 1344, d. 12 Febr., v. supra pag. 193 not. i.
t) V. H. perperam: sola causa.
u) V. H.: igitur.
v) Hac opinio Katerinam quinque annis post matrem Sveciam reliquisse certe ex eo nata est, quod diu credebatur Birgittam circa annum 1346 Romam esse profectam, dum bene notum erat, Katerinam anno Jubilei (i. e. 1350) Romam venisse; cum autem, ut supra pag. 202, not. o monuimus, Birgitta anno 1349 Svecia excederet, apertum est inter matris iter et filiæ vix annum interfuisse.
x) V. H. male: animum.
y) Israel Birgeri, legifer Uplandiæ, brevi post mortuus an. 1351, v. supra pag. 209, not. p.
z) V. H. addit: in.

Digitized by Google

ritum suum auerteret sicque plurimum consolatam non tantum verbis sed et donatiuis exitum de patria confortauit, nec mora cum domino Göstauo Thunason a) et duabus aliis dominabus regni Suecie nauem conscendit.

Transitoque mari cum difficultate magna hiis supradictis comitata per terras Al[a]manie et Ytalie in mense Augusto Romam peruenit b); eo denique tempore sancta et deo digna mater eius Birgitta apud Bononiam in monasterio Parpensi c) ad correctionem abbatis et conuentus eiusdem loci ex precepto Christi aliquamdiu moram traxit cum venerabili patre suo spirituali, domino Petro Olaui d) et paucis aliis de familia sua. Domina vero Katerina cum sua comitiua querebat matrem suam in Roma per continuos octo dies multum anxia, quia quo diuertisset, scire non poterat. Interea dominus Petrus confessor beate Birgitte quosdam mirabiles motus et instinctus quarundam affectionum in anima persensit, in tantum eum agitantes Romam transire, quod pre eorum vehemencia dormire seu comedere non posset, donec arriperet iter versus Romam. Qui a beata Birgitta quamuis inuite dimissus celeriter ad vrbem peruenit et in ecclesia sancti Petri domine Katerine et comitiue eius occurrens excepit eos cum gaudio magno, vere cognoscens, quod dominus accelerauit iter eius propter consolacionem eorum. Sequenti vero die ad visendum dominam Birgittam vna cum domino Petro ad monasterium predictum repedarunt. Suscepti reuerenter ab abbate loci illius propter deuocionem domine Birgitte, cuius exhortacionibus sanctis ad meliorem vitam iam conuersus fuerat, per aliquot dies ibi insimul steterunt, sed ad consilium beate Birgitte iterato Romam venientes multum humiliter per staciones et limina sanctorum peregrinaciones suas compleuerunt. Peractisque in Roma aliquantis (!) ebdomadibus ad patriam redire domina Katerina se disposuit. Cumque iam esset in precinctu redeundi e), requisita a matre sua sancta Birgitta ex precepto Christi, si ad honorem eius vellet in Roma cum ipsa remanere et pro Christo labores et aduersa queque perpeti, tota igitur inflammata spiritu respondit, se non solum patriam, amicos et cognatos, diuicias et delicias, sed eciam maritum, quem plus quam corpus proprium diligebat, si Christo placeret, libenter velle f) relinquere. Consensu itaque remanendi dato, Christus reuelauit matri sue beate Birgitte dicens: filia tua Katerina est persona, quam promiseram fidelem cooperatricem in negociis tibi diuinitus commissis. Ipsa est enim pulchra plantula, quam ego ipse plantare volo sub dextro brachio meo, vt crescat in arborem fructiferam. Et quia indiget humore gracie, rigabo eam sapiencia mea; *consulo ergo illi quod stet tecum ad tempus, quia vtilius est ei stare quam redire. Nam facturus sum ei sicut pater facit puelle, que a duobus diligitur et petitur in coniugium, quorum alius est pauper et alter diues, et ambo diliguntur a puella. Pater itaque prudens videt affectum virginis et pauperem ab ea diligi. Dat pauperi vestes et dona, diuiti vero coniungit filiam suam. Sic ego volo facere. Ista diligit me et maritum suum. Ideo quia dicior sum et dominus omnium, prouidere ei volo de donis meis vlterioribus sibi ad animam, quia placet michi vocare eum et infirmitas, qua laborat, signum erit exitus sui. Decet enim tendentem ad potentissimum rationacionem suam habere in manibus et a carnalibus esse expeditum, illam vero volo ducere et reducere ad sua, donec apta fiat ad opus quod ab eterno presciui et ostendere ei michi placet* g). Ab illo igitur die tanta ei accreuit eloquencie gracia, vt inter principes et sapientes de testimonio dei loqueretur confidenter, vnde ipse dominus papa Vrbanus sextus tantum de sapiencia eius admiratus est, vt cum ipsa semel coram eo et cardinalibus loqueretur, sibi familiariter diceret: vere filia tu biberas de lacte matris tue. Aliquanto itaque tempore elapso, postquam vouerat cum matre remanere, horrore quodam in-

a) Eadem manus in margine ascripsit: "marskalco Swecie", sicut etiam in vita Holmiensi legitur, quamquam nusquam in diplomatis eum hac dignitate ornatum invenimus. Katerinæ amitam idem prænomen gerentem Gustavus in matrimonio habuit, v. supra pag. 198, not. a., et adhuc anno 1354, d. 3 Martii vixit (Riks Arch. Perg. Bref, n. 163).

b) Scilicet anno 1350, cfr. propriam depositionem de articulo vicesimo nono processus canonisationis Birgittæ (supra pag. 225).

c) Lege Farfensi, cfr. supra pag. 228, not. o.

d) Hic Petrum Vadstenensem magistrum spectari patet ex depositione Petri Alvastrensis de articulo decimo octavo (supra pag. 228). Cfr. depositionem super articulo vicesimo nono pag. 229, ubi legimus: remanserat [ipse Petrus Alvastrensis] in partibus Swecie per aliquod tempus..... post recessum domine Brigide.

e) V. H. addit verba: ad patriam domina Katerina.

f) V. H. perperam: vellet.

g) Versus asteriscis inclusos: "consulo ergo..... michi placet", qui etiam in vita Suecana sunt omissi, ex vita Holmiensi sumpsimus.

Digitized by Google

consuete vite concussa memoriaque h) libertatis preterite multum anxia peciit a matre, vt ad Sweciam possit remeare; matri vero eius pro hac temptacione in oracione existenti apparuit Christus dicens: dic virgini illi filie tue, quod iam facta est vidua et consulo, vt tecum remaneat, quia ego ipse volo sibi prouidere. Et quamuis humiliter beneplacitum diuine voluntatis amplecteretur, cogebatur nihilominus deliciosum patrie natale solum in mente reuoluere, quod quidem voluntate et racionis vigore refutabat. Vnde rogare benignam matrem suam cepit, vt si quod secundum deum sciret remedium, ei sic affectuose i) adhiberet. Venerabilis mater eius omnium talium temptacionum iam triumphatrix filie sauciate carnali affectione remedium prouidit salutare, vocans magistrum confessorem suum eum rogando suppliciter et deuote, vt cede virgarum mentis incommodum excuciat, ipsaque domina Katerina hoc idem remedium instanter efflagitat. Et quandoque cum *a* k) confessore cederetur, dixit magistro: non parcas; ymo forcius percute, quia adhuc duriciam cordis non attingis. Continuante igitur magistro flagella vna vice hilari wltu dicebat; Sufficit, modo sencio enim cor meum mutatum et omnem temptacionius illius mocionem penitus abscessisse.

Eodem denique tempore dominus papa cum curia sua in Awinione residebat, vnde multi de filiis Belial ausum ex impunitate captantes in vrbe contra publicam iusticiam inualuerunt insolencias et violencias impune in plateis vrbis exercentes, ita quod peregrini et simplices propter huiusmodi malorum incursiones indulgencias et stationes visitare non audebant. Maxime autem juuenibus mulieribus molestie graues ab illis pestilentibus infer[eb]antur. Hac de causa eciam domina Katerina prohibita fuit a matre, ne iret ad indulgencias sine magna et potenti comitiua. Vnde per plures dies domi cum ancillis remanens, matre et confessore staciones et indulgencias visitantibus, semel amaris quibusdam cogitacionibus cepit agitari, que tales erant. Ego hic miseram vitam duco, alii proficiunt et commoda lucrantur animarum suarum, visitant loca sanctorum, intersunt ministeriis diuinis, ego vero brutali more ab omnibus bonis spiritualibus sequestrata sum, eya cognati mei fratres et sorores mee in patria cum omni tranquillitate seruiunt deo, vt [ɔ: at] quid ego deueni in hanc miseriam. Nonne melius esset non esse quam sic in vtrolibet corpore et anima inutiliter viuere. Sedebat confecta meroribus, intrinsecus repleta amaritudine nimia. Et dum sic affecta cogitacionibus suis fluctuaret, superveniens mater sua cum confessore domino Petro requirit causam tristicie, sed illa pre vehemencia amaritudinis et doloris respondere nequit Mater autem in virtute sancte obediencie responsum petit. Ipsa vero domina Katerina ad verbum obediencie quasi ex ymo pectoris aiebat: Domina mea non valeo loqui; erat enim sicut mortua pallida facie et oculis transuersis ex violencia importunarum cogitacionum eius mentem captiuancium. Sequenti vero nocte videbatur sibi in sompno, quod totus mundus arderet et quod constituta esset in medio ignis in quadam parua planicie multum timens, tremens desperansque se posse ignem illum euadere. Tunc apparuit ei mater dei virgo Maria ad quam suppliciter alloquitur dicens: O mea karissima domina adiuua me. Cui virgo: Quomodo possum te iuuare, ex quo tam feruenter desideras ad patriam ad amicos et cognatos remeare. Negligis votum deo tuo factum, facta inobediens ei et mihi, matri tue et patri spirituali. Ad hoc Katerina: O benignissima domina Maria libenter amplector, quidquid mihi iniunxeris. Et virgo ad eam: Esto ergo obediens matri tue et patri spirituali ex parte mea, hoc volo quod facias, hoc mihi placitum esse cognoscas. Domina vero Katerina euigilans festine cum omni humilitate venit ad matrem suam flexis genibus ante eam stans supplicando, vt sibi dimitteret culpam pertinacis inobediencie sue, qua grauiter gloriosam virginem et ipsam offenderat. Visione noctis matri plene exposita, promisit dein se vsque ad mortem libenter ei velle obedire et secum stabiliter in peregrinacionis eius exilio remanere. Cuius mirabili conuersione mater congratulans ait: hec mutacio dextre excelsi, sit ipse benedictus, qui diligentibus se omnia facit cooperari in bonum.

Volens igitur beata Birgitta filiam suam humilitatis et obediencie iugo arcius obligari, ne ex materne compassionis indulgencia in via sancte penitencie remissius viueret, vocat

h) V. H.: memorque.
i) V. H.: affecte.
k) Omissum in mscr:to vocabulum e V. H. restituimus.

Digitized by Google

magistrum suum, dominum Petrum, virum in spirituali magisterio probatum tociusque sanctimonie et virtutum carismatibus circumfusum, suppliciter efflagitans ab eo, vt filie sue obedienciam acceptaret. Consencienti tandem eidem domino Petro votis tam racionabiliter et pie obsecrantis domina Katerina humiliter obedienciam promisit et tenuit adeo efficaciter, quod nec minimam rem absque eius licencia facere presumeret, sciens quod virtus obediencie veritati militat gressusque hominis in disciplinam dirigit et sancte conuersacionis gratiam promeretur. Igitur hac virtute munita in miliciam spiritualis exercicii progreditur, corpus suum continencia castitatis restringens, ne mortifera voluptas deflueret. Et quamuis in virginitate eciam in coniugio cum viro suo vixerat, timebat tamen juuenilis fragilitatis decliuem condicionem et vel ne inimicus commentator tocius nequicie sue [ɔ: sua] calliditate propositi sui sancti subuerteret fundamentum. Altissimum igitur eum (!) [l] posuit adiutorem suum, deuotissime deprecans, vt ei tribueret virtutem et fortitudinem resistendi versuciis inimici. Vnde quodam sabbato cum communicatura[m] sacramentum corporis Christi ad altare accederet, ipso sacerdote audiente hec aput se orabat dicens: O! amantissime redemptor, qui hoc corpus de intemerata virgine sumpsisti et in crucis patibulo diruptis neruis et venis amarissime extendi voluisti, ego indigna peccatrix per ineffabilem misericordiam tuam deprecor te, vt conseruare digneris me, ne cadam in peccata. Et quia egregium militem mortalem habui per graciam tuam pudicicie mee custodem, de cuius modo soluta [sum] coniugio, alium per graciam tuam efflagito castitatis mee zelatorem, militem illum nobilissimum, propagatorem tuorum sanctissimorum preceptorum, beatum Sebastianum, cuius me custodie et cure piissime Jesu committere digneris. Hec et alia deuote perorans corpus Christi accepit in pignus salutis et conseruacionis a temptacione inimici. Cuius oracionis et commendacionis adeo efficax fuit sacrificium, quod ab illo die a multis periculis non sine magnis prodigiis constat eam diuinitus fuisse preseruatam, sicut inferius plenius[n] patebit. Ipsa igitur venerabilis domina cum marito esset viduata morte intercedente et staret Rome cum matre sua sancta Birgitta, cepit viuere tamquam in monasterio sub cura matris sue, quam nouit spiritu dei illustratam et diuinarum virtutum carismatibus decoratam. Preceptorem vero habuit magistrum Petrum confessorem matris, cuius monitis, doctrinis et salutaribus consiliis totaliter tamquam veram[o] obediens, se humiliter conformabat. Matris vero sue vitam et mores tamquam speculum sine macula semper est intuita, cupiens mores actusque suos dirigere ad exemplum eius et eam sancte[p] penitencie exerciciis imitari. Ex ea namque certis temporibus silencium obseruare didicit, sciens quod silencii virtus confert pacem cordis cultumque iusticie et inter proximos pacem nutrit atque custodit. Nam nisi homo valde diligenter ori suo *custodiam*[q] adhibet, gratuita bona que habet cito dissipabit et in multa mala corruet. Racionabilia igitur[r] et pauca verba interrogata respondebat, sed edificatoria de voluntate dei et preceptis tractancia omnibus et erga pauperes et peregrinos familiariter et humiliter loquebatur, obseruans illud sapientis: Omnis narracio tua sit de preceptis altissimi. Vt[s] [ɔ: At] cum staret Rome pauperes et peregrinos dulciter confouebat. Plurimos de patria sua aduentantes non tantum elemosinis, sed dulci et familiari colloquio recreabat, exhortans eos ad pacienciam et amorem Christi, sepius inculcans eis, quod continuam recordacionem amarissime passionis Christi et mandatorum dei obseruanciam specialiter haberent. De vno mencionem facio, quod[t] tunc peregrinum pauperem pluries vocauit et[u] cameram suam, ewangelium sibi relegens, vitas sanctorum, mandata dei explicans ad vitanda septem peccata mortalia summopere inuitabat. Hic quidem cum ea ad patriam rediens, factus[v] in monasterio Wadzstenis frater conuersus bonam miliciam Christi militans multa laudabilia de eius sanctitate fratribus recitare consueuit.

Cum[x] hec laudabilis domina Katerina staret Rome viuente matre sua sancta[y] Birgitta, licet juuenis esset, vt puto viginti annorum, fuit tamen grauitate morum spectabilis et sensus

l) V. H. habet: "ergo" pro "igitur eum".
m) Sic ex Vita Holmiensi lectionem manuscripti: comitiua, correximus.
n) V. H.: clarius.
o) V. H.: vera. Forsan legendum: veris.
p) V. H.: sanctis.
q) E V. H. restitutum.
r) V. H. habet "vero" pro: igitur.
s) — — — — "vnde" — vt.
t) — — — — "quem" — quod.
u) — — rectius "in" — et.
v) "Factus" desideratur in V. H
x) V. H. addit: autem.
y) "Sancta" est omissum in V. H.

Digitized by Google

canos habens (!) venustateque corporis decora, que corda multorum inficit nec non oculis omnium graciosa. Vnde multi magnates cupiebant eam matrimonialiter sibi copulari, vota sua nunc per se nunc per alios eidem domine declarantes, magna et preciosa queque dotis nomine promittentes, si eis in matrimonii copulam consentire vellet. Quibus ipsa constanter respondit se vouisse perpetue continencie celibatum nec velle cum mortali sponso ammodo nupcias iterare; ipsi vero ceco amore capti, quod promissionibus et blandiciis non poterant, minis et violenciis extorquere moliuntur. Ponunt igitur insidias in stratis publicis inter angustias viarum, vt captatam abducerent, ne matris sue sanctis consiliis confortata eis consensum denegaret. Vnde in quodam festo contigit matre sua aliis occupata negociis quod z) domina Katerina cum multis matronis nobilibus vrbis Rome ad sanctum Sebastianum extra muros pro indulgenciis proficisceretur, quidam comes cum magno comitatu inter vineas latitaret, obseruans si forte a) domina Katerina cum aliis matronis nobilibus illuc peregrinaretur, et vt cognouit eam in earum commeatu esse, suos jubet esse paratos ad eam capiendam; festinant hii de absconditis suis, vt rapiant innocentem, sed frustra tetenderunt archum (!) iniquitatum suarum. Preualuit enim consilium domini, qui semper in se sperantes protegit ac defendit. Cum igitur impii illum b) impetum facerent, ecce festino cursu ceruus eis obuius venit, cuius capcione illis nutu dei occupatis domina Katerina cum aliis matronis citato gressu in vrbem se recepit, eruta quasi damula de manibus eorum et quasi auis de insidiis aucupis. Venienti itaque in domum beata Birgitta mater sua in spiritu cognoscens periculum, de quo liberata est, dixit: Benedictus sit ceruus ille, qui te ab insidiis rugientibus c) aduersarii hodie misericorditer liberauit, sicut mihi existenti in oracione gloriosa mater dei ostendere dignata est. Vnde cum sponsa illa amorosa dicere potuit: fuge dilecte mi assimulare capree hinnoloque ceruorum super montes aromatum. Ab illo die non in palam per staciones ire presumpsit, sed tantum vicinam ecclesiam domui sue visitans raro in plateis videri voluit, preelegit enim in domo sua consistere pedibus suis, quia pedes firmi super plantas mulieris stabilis. (!) Extra muros vrbis Rome nullomodo ire presumebat, nisi diuino premunita fuisset oraculo, ne presumpcio sua de ipsa gaudium faceret inimico. Quando vero a matre per reuelacionem diuinam assecuritata fuisset, ad indulgencias ire minime dubitabat. Contigit enim instante sollennitate sancti Laurencii, quod beata Birgitta in vigilia eiusdem diceret filie sue domine Katerine: Cras per dei graciam pariter ibimus ad sanctum Laurencium. Cui domina Katerina respondit: Domina mea multum timeo, quod in via ab illo comite, quem bene nostis, violenter tollar a vobis. Et mater ad eam: Spero firmiter et confido in domino Jesu, quod ipse velit nos hodie de manibus ejus per misericordiam suam liberare et ab omni periculo custodire. In die vero sancti Laurencii egredientes domum munierunt se quinquies viuifice crucis signaculo, quinque wlneribus Christi et sancti Laurencii custodie se committentes. Talibus munite presidiis ad ecclesiam sancti Laurencii securi (!) peruenerunt. Comes autem ille cum famulis suis, cum adhuc nox erat, prope viam in vinea se absconderat, vt incautam illucescente iam die prosiliens de latibulis suis eam rapere[t]. Sed in laqueo suo quem absconderat humiliauit eum deus. Nam orto iam sole et cum magna pars diei transierat, famuli tedio affecti dicunt comiti: domine, quid hic moramini. Respondit comes: exspectamus vtique propter illam dominam, quam hodie cogitauimus nobis capere; ad hec famuli: multum temporis est, postquam pertransiit et iam diu peruenit ad ecclesiam sancti Laurencii. Et comes ab eis quesiuit, si iam dies esset. Responderunt ei: Certe domine, dies clara circumlucet, et sol in alto est. Tunc primo comes cognouit manum domini contra se exigente sua iniquitate extentam. Aperiensque d) oculos nil videbat, sed eo precipiente statim ductus est ad eandem ecclesiam sancti Laurencii, vbi cum venisset, requirit a famulis, si ibi e) dominam Birgittam et eius filiam viderent. Qui requirentes in multitudine aduentancium renunciauerunt ei, quod illic essent; continuo mandat se ad ipsas perduci et cum perductus fuisset ad eas, prostrauit se in medio cum fletu magno in erumpnis suis recogno-

z) Verbum "cum" hic desideratur.
a) Forte est omissum in V. H.
b) V. H.: "illi".
c) V. H.: rugientis.
d) V. H. male: arripiensque.
e) Sic correxit paullo recentior manus, dum antea scriptum erat: "sibi".

Digitized by Google

scens maliciam suam humiliterque pete[n]s veniam, vt sibi culpam suam propter deum dimitterent, promittens deo, quod talia numquam amplius attemptaret, adiungens eciam quod earum pro viribus suis esset defensor et adiutor et ad queque beneplacita existeret earum promotor beniuolus et paratus. Sicque continuo ipsis pro eo orantibus lumen oculorum recepit. Ab illo die cepit eas habere in magna reuerencia et honore beneficia plurima conferendo. Narrauit [f] comes iste graciam et miraculum secum factum coram domino Vrbano papa quinto et cardinalibus predicans magnalia dei.

Unde nec tacendum [g], quantis impugnacionibus aduersarius humani generis per suos fautores castitatem eius deo dicatam impugnauerit et dominus virtutum Christus rex glorie ab hiis misericorditer eam liberauit [h]. Accidit autem sanctum Fransiscum apparuisse in visione beate Birgitte inuitantem eam [i] ad visendam cameram suam. Que cum statim tamquam deuota sancto Francisco obediens se disponeret ad pergendum in Assissium, ad ecclesiam eiusdem sancti que dicitur de Porciuncula, preceptum fuit ei a Christo, quod domina Katerina eam sequeretur, quia desiderio magno illuc peregrinari affectabatur; assecurauit eam eciam Christus, quod [k] instantibus periculis viarum ipsas misericorditer conseruaret et non formidarent. Quia licet aduersarius multos suscitauerat insidiatores, ipse tamen de eorum manibus eas mirabiliter erueret et saluaret. Iter igitur arripientes cum decenti comitiua vsque Assissium, contigit semel quod ad hospicium honestum inclinata iam die non possent peruenire, sed inter frutecta [l] et deuia montium oberrantes tandem in crepusculo venerunt ad pauperem quandam tabernulam, vbi a tabernario vix recepte inter angustas latebras illius tugurii, vt ab imbribus pluuie et niuis aliqualiter contegerent, se collocarunt. Et ecce in conticinio [m] noctis turba magna latronum illuc aduenit. Accendunt ignem, wltus singulorum conspiciunt captique pulchritudine wltus domine Katerine verba jaculantur venerea. Quali metu mens eius innocua lacessitur, quis explicare potest, cum rugiencium terribilis vox leonum ingeminatur, modo omne humanum deest auxilium, solum diuinum supplici deuocione efflagitant patrocinium. Benedictus deus, qui eruit sustinentes se. Cum igitur facibus libidinis succensi in eam resilire disponerent, subito factus est impetus magnus tamquam aduenientis exercitus, auditur eciam collisio armorum clamorque exhortancium ad capiendum latrones. Miseri illi filii occisionis auditis hiis clamoribus consternati diffugiunt nec audentes hospicium illud ipsa nocte reuisere, subitaneus enim et insperatus timor superuenerat eis sicque fugientes credebant illuc venisse castra forcium armatorum. Beata autem Birgitta et domina Katerina filia eius cum comitiua sua in protectione dei sui ipsa nocte ibi commorantes mane facto peregrinacionis sue itinera carpunt versus Assissium. Sed scelerati illi per custodes Israel de nocte perterriti insidias ipso die in via parant, collocantes se ex utraque parte vie, qua domina Birgitta et Katerina cum familia sua transiture erant, *vt* [n] vel sicad iniquitates extendant manus suas. Ille in domino confise publica progrediuntur via, videntes latrones ex utraque parte vie in malum paratos, sed ab ipsis minime videntur, quia ipsis solis superposita erat grauis nox et ymago tenebrarum quamuis circumquaque orbis terrarum limpido illuminabatur lumine. Sicque euaserunt manus eorum in nomine domini perficientes peregrinacionem ad limina sancti Francisci, vbi consolacionibus diuinis plurimum recreate cum gaudio magno dei laudantes magnalia Romam redierunt.

Perpendens igitur venerabilis domina Katerina diuinam caritatem et bonitatem in sue conseruacionis beneficio tamquam grata dei filia fundamentum humilitatis posuit in corde suo, que gratos deo efficit et trahit ad se clemenciam dei ceterasque virtutes in suo vigore conseruat et earum obtinet principatum, sciens quod dum mens humana humilitati innititur, profecto in amore dei et celestium inflammatur. Vnde non solum habuit humilitatem, qua se ipsam veraciter contempsit, verum eciam ab aliis contempni voluit et vilis reputari. Magna fuit quidem [o] merito et oculis dei grata, sed tamen ab aliis noluit sancta sed peccatrix nominari. Studuit ergo in humilitatis spiritu arcius domino famulari, semper in estimacione

f) V. H. addit: autem.
g) — — —: puto.
h) — — rectius: liberauerit.
i) — — male: eum.
k) — — addit: in.
l) Locus fruticibus consitus; Du Cange..
m) Concubium, nox intempesta, cum cuncta silent, l. c.
n) Hoc vocabulum e V. H. restituimus.
o) V. H. addit: vite.

Digitized by Google

sua se intus deprimens, extra coram hominibus humiliando in verbis et gestibus in habitu et in omnibus signis et factis suis *laudari pro quoquam facto suo* p) plurimum abhorrebat. Vnde quendam de familiaribus suis eam pro gratiis sibi collatis commendantem acriter arguebat dicens: per nomen domini nostri Jesu Christi contestor te, ne vmquam amplius de me talia dicas seu sencias, cum vilis et indigna peccatrix sim, sed ipse benedicetur ab omni creatura sua, qui omnia bona in omnibus operatur. Quante caritatis et diuini amoris q) exstitit in seruicio diuino, longum est enarrare. Ipsa enim r) infancia sua horas beate virginis, septem psalmos cum multis priuatis oracionibus quotidie legebat. Et quanti feruoris in priuatis oracionibus extiterit, perpendi potest ex hiis que subiecta sunt. Nam ante dormicionem per quatuor horas continuas in genuflexionibus et pectoris tunsionibus cum lacrimis multis ob recordationem amarissime passionis Christi omni vesperi in [h]olocaustum se s) domino offerebat. In lecto membra diurnis ac nocturnis fatigata laboribus colligens, modicum sompni capiebat, semper ante diluculum ad oraciones consurgens in silencio quotidianum sacrificium non interrogata peragebat nec sine euidente necessitate ante meridiem a sanctis occupacionibus desistebat. Sed quam efficaces et deo accepte fuerint cius oraciones, quas pro aliis in spiritu deuocionis et compassionis faciebat, multis claret miraculorum insigniis. Nam cum adhuc in humanis ageret pia mater eius sancta Birgitta et staret cum ea in Roma, quadam die domine Katerine procumbenti in oracione ante altare beati Johannis Ewangeliste in ecclesia majori sancti Petri apparuit t) quedam mulier peregrina tunica alba induta, balteo precincta albumque velamen in capite portans, superuestita mantello nigro; gressu festino appropinquabat domine Katerine salutans eam ex nomine, suppliciter rogans, quod oraret pro anima Norice u). Domina vero Katerina erigens se interrogabat eam, vnde esset. Peregrina illa respondit se esse de Swecia et quod vxor domini Karoli fratris sui mortua esset. Cepit ergo v) domina Katerina inuitare eam in domum matris sue, sed peregrina illa excusare se cepit dicens se tempus manendi non habere, iterato replicans verba priora x); ora bene pro anima Norice, nam cito habebitis nuncium de patria vestra et bonum subsidium, quum Norica legauit vobis aureum circulum capitis sui; et statim disparuit. Admirans igitur domina Katerina conuertit se ad ancillas, que prope eam stabant, interrogabat, quo persona illa secum loquens diuertisset. At ille responderunt: Audiuimus quidem vos cum aliquo loquentem, neminem tamen vidimus. Stupefacta igitur domina Katerina intimauit visa et audita matri sue beate Birgitte. Cui super hoc oranti diuinitus reuelatum fuit, quod domina Gyda, vxor domini Karoli y), mortua erat, cuius anima petens suffragium sibi apparuit. Nec longe post venit Ingealdus Amundzson, familiaris domine Katerine, de Suecia nuncians mortem memorate domine. Gyda(!), apportans eis testamentum scilicet circulum aureum seu coronam, quam viuens gestare solebat secundum patrie sue consuetudinem. Erat enim dicta domina Gyda oriunda de nobiliori prosapia Noricorum. Corona autem illa tanti valoris extitit, quod precio eius per integrum annum beata Birgitta et filia cum tota familia earum quo ad victualia competenter procurabantur. In hoc verisimiliter apparet, quam accepta erant oracionum suarum sacrificia, cum ex diuina clemencia anime in purgatorio existenti pro sua liberacione illa conceditur z) expetere. Consuetudo huius venerabilis domine erat oracionis tempore secretum locum querere et tumultum fugere, vt dignum deo sacrificium et obsequium redderet, credens se tanto celerius exaudiendam, quanto de imis penetralibus pectoris sui ad dominum clamaret. Et si lingua carnis tacuit, vite puritas tamen cum piis exerciciis et operibus non destitit domino supplicare.

Quante compassionis et dilectionis erga proximum hec venerabilis domina extiterit, ex eo considerari potest, quia infancia a) sua secum creuit miseracio pauperum et infirmorum. Consueuit enim mater sua sanctissima beata Birgitta juuenem et tenellam secum ad hospita-

p) Verba omissa e V. H. hausimus.
q) V. H. habet; "feruoris" pro: amoris.
r) — — addit: ab.
s) — — — —: totam.
t) — — — —: ei.
u) Regnum Norvegiæ hic respici apparet ex sequenti.
v) "Ergo" desideratur in V. H.
x) V. H. addit: scilicet.
y) Gitzsla vocatur in V. S. pag. 137. Cfr. supra pag. 211, not l.
z) V. H. rectius: concederetur.
a) — — — —: quod ab infancia.

Digitized by Google

lia ducere, vbi ipsa mater suas [b] plagas et vlcera infirmorumque wlnera sine horrore manibus suis deuote pertractauit, beneficia plurima et verba consolatoria eis conferendo, ostendens sibi juueni exemplum, qualiter similia pauperibus et infirmis facere deberet propter deum. Et si aliqui matrem piam huius venerabilis domine arguebant pro eo, quod teneras filias secum duceret ad domos pauperum et infirmorum, timentes eas aliqualiter posse infici fetoribus infirmorum, respondit benigne eis dicens, quod ideo filias suas ad domos infirmorum duceret, vt addi[s]cerent seruire deo in pauperibus et infirmis. Vnde satis credibile est, de hac venerabili domina sancte Birgitte filia, quod accrescente etate secum creuit infirmorum et personarum pauperum miseracio, eas sedulo visitando, verba consolatoria exhibendo et earum inopias piis elemosinis releuando, sancte matris sue vestigia in hiis prout potuit deuote imitando. Verba autem sancte matris Birgitte, que audierat, et opera pietatis, que in matre viderat, cor eius pietate transfixerant, ita quod erat pauperum inopie corde valde compaciens et dolentibus in sermone condolens et operibus subueniens beneficia largiter impendendo. Nam ipsi quoque matri sue super durum pauimentum dormienti ex pia filiali compassione de nocte secrete surrexit ponens sub costis et renibus capucium suum duriciam pauimenti temperando. O! quam pia compassio plena dilectione, que licet modicum exhibuit in effectu, maximum tamen amorem ostendit in affectu, sicut decuit filiam bonam super matre sua. Felix igitur mater, que mundo talem filiam carne propagauit, ymo multo felicior, quia eam suis sanctis exemplis et sanctimonia vite Christo omnium domino spiritualiter generauit et eius sancto seruicio adaptauit. Et quum maxima impedimenta deuocionis et obsecracionum sunt mundi et carnis desideria, studuit ea magnopere tamquam mortifera a mente sua alienare, appetens paupertatem et abiecciorem vitam propter deum voluntarie amplecti, vt liberius Christum propter se pauperem factum sequi mererctur. Quem vere sequta est diuiciis mundi et deliciis carnis renunciando, que amatores suos cruciant et molestant. Mundi gloriam in contemptu habuit et spiritu calcauit, vt dei gloriam dilataret et vt magis in via dei proficere posset, se ipsam alterius voluntăti per obedienciam subiecit, magnam gloriam estimans se pro domino esse pauperem et a mundo vilipendi. Possessiones mundi et fratrum ac propinquorum solacia a mente prorsus sequestrauit, exilium diligens pro patria et [c] animi sui intencionem in Christo sibi dilecto defigeret arcius et eternis (!). Vnde benignus ille recompensator, qui diligentibus se omnia indigna propter se assumpta commutat in eorum gloriam et honorem, non tantum in futuro, verum eciam in presenti commutauit paupertatem et abiectionem huius domine venerabilis Katerine in preconium et decorem. Nam contigit semel matre eius sancta Birgitta viuente, quod quedam matrone nobiliores Rome rogarent eam, vt causa recreacionis extra muros cum eis iret, quia multum diligebatur ab omnibus propter gracias multiplices sibi a deo collatas. Nam deuocionis precipue morum grauitate procellens, habitudine corporis venusta et laudabili conuersacione socialis enitebat. Mater vero eius beata Birgitta considerans illarum insignem probitatem permisit filiam suam dominam Katerinam extra muros Romanos non ex leuitatis incuria sed recreacionis causa spaciari. Exeuntes igitur vrbem venerunt ad macerias [d] vinearum, quedam vero ex ipsis videntes vuas prominere super macerias rogauerunt dominam Katerinam, quia stature *procere* [e] erat, vt prominentes botros [f] extra vineam eis carperet. Et cum haberet pre paupertate quam elegerat manicas consumptas et appeciatas [g], inter tantas dominas non erubuit pauper et abiecta reputari. Brachiis extra sinum [h] porrectis ad colligendum fructus vuarum, dictis dominabus apparuerunt brachia eius iacincto [i] et purpura optime vestita. Vnde multum stupentes singillatim tangunt et conspiciunt manicas illas preciosa purpura [k] splendescentes et dicunt ei: O! domina Katerina, quis crederet, quod vmquam tam precioso vestitu et habitu velletis vti. Hec testabatur familia, que tunc presens erat, et sancte memorie magister Petrus confessor eius.

b) V. H. rectius: sua.
c) — — — —: vt.
d) "Longi parietes, quibus vineæ clauduntur"; Du Cange.
e) Ex V. H. restituimus.
f) Vox origine Græca; Latine, uva vel racemus.
g) I. e. "resartas". Pecia, Gallice pièce, notat frustum vel fragmentum.
h) V. H. male: signum.
i) Idem ac hyacinthus, lapis pretiosus.
k) Verba: optime vestita. Vnde..... preciosa purpura, in V. H. exciderunt.

Digitized by Google

Alio quoque tempore, cum domina Katerina l) matre sua in humanis agente graui infirmitate depressa lecto decumberet, quidam earum specialis amicus nobilis baro Romanus, Ludouicus nomine, intimauit beate Birgitte, quod vellet infirmam filiam suam visitare. Hec audiens familia earum intra se erubuit, quod tantus dominus deberet videre eam in tam paupere lecto decumbere. Jacebat namque super stratorium stramineum, vnum cussinulum habens sub capite, cooperta desuper antiquo et emendato mantello. Sed dominus Jesus Christus, qui paupertate sua pauperum suorum inopiam gloria et honore extulit, huius eciam voluntarie pauperis sue vilitatem et abiectionem ineffabilis gracie sue diuiciis in conspectu memorati domini Ludouici potentis et diuitis insigniuit, nam dominus ille comitatus plurimis cum veniret m) vbi infirma decumbebat, videbatur sibi lectus eius optimis paramentis stratus, desuper habens aureum et coccineum operimentum. Admirans plurimum dixit seruitoribus sequentibus se: domine iste aput omnes pauperes reputantur. Vnde frequenter mutuo sumunt pecuniam pro necessariis emendis; melius esset, quod tanti precii purpuram et apparatum illum nobilem, quem in domo earum vidimus, pro necessariis distraherent, quam quod tanta egestate et penuria alimentorum et vestium premerentur. Quantum autem placuit deo eius paupertas voluntaria et gloriose virgini Marie, beate Birgitte in spiritus dulcedine oranti taliter reuelatum fuit: O! mea karissima domina rogo te per caritatem dilecti filii tui, vt dones mihi auxilium eum toto corde diligere, ego sencio me debilem ad diligendum eum tam ardenti caritate, vt deberem. Ideo rogo te mater misericordie, vt ligare digneris caritatem eius super cor meum et trahere illud ad filium tuum toto conamine separatum ab omni dilectione carnali et eo valencius attrahe, quo fuerit ponderosius. Cui virgo Maria respondit dicens: Benedictus sit ille, qui tibi tales oraciones inspirat, sed quamuis tibi videtur dulce colloquium meum, vade tamen et consue tunicam filie tue Katerine, que magis gaudet de vetusta et reparata tunica quam de noua, que maius desiderium habet ad griseum bwrellum n) quam ad sericum vel aliud preciosum indumentum. Beata illa que sic reliquit libere mundialia, ipsa o) reliquit maritum cum ipsius beniuolo consensu, cuius corpus sicut p) se ipsam et animam plus quam vtrorumque eorum corpora dilexit, ipsa eciam reliquit fratres et soroores, cognatos et amicos corporaliter, vt posset eos juuare spiritualiter, et possessiones mundi non curauit, ideo pro derelictione consanguineorum dimissa sunt ei omnia peccata sua. Stet deinceps stabilis, quia pro possessione terrena dabitur ei regnum celi et ipse Jesus Christus pro marito, et omnes qui diligunt eam propter deum proficiant propter eam. Et quamuis circumamicta varietate virtutum aput omnes opinione bone fame et sanctitatis redoleret, erga tamen domesticos suos de paciencia precipue commendabatur. Quia perpendebat diligenter, quod animus dum per pacienciam perturbacioni sue non obsistit, eciam si quc a se tranquilla mente fuerant bene gesta confundit et improuiso impulsu destruit, quidquid forsitan diu prouido labore construxit. Perfacile enim est vestem habere contemptibilem, inclinato capite incedere, sed verum humilem paciencie iniuria q) ostendit. Nam sicut vngenta redolere lacius nesciunt nisi commota, ita venerabilis domina Katerina paciencie virtutes r) lacius redoleuit ex persequcionibus et iniuriis sibi iniuste illatis. Triplici enim virtutis paciencie exercicio se totam occupauit. A proximo namque dampna, persequciones, contumelias, detracciones pacientissime sustinuit. Sepe enim ab ancillis et familiaribus obiurgata, offensas et iniurias equanimiter tolerauit, offensores suos in spiritu lenitatis tamquam benefactores diligendo. Referebat de hac virtute paciencie eius quedam religiosa et sancte vite sanctimonialis in Wadzstenis, Margareta filia Karoli, que seruiuit ipsi domine Katerine per quinque annos, quod numquam audiuit verbum impaciencie ab ea nec signa indignacionis contra offendentes eam perpendere potuit. Vnde valde dolendum et reprehensibile est in nonnullis, qui pro modico conuicio vel eciam propter signum aliquid vel verbum ita derelinquunt caritatem, vt per plures dies nec loqui nec amiciciam nec amicicie signa erga proximum velint habere et prospera fauere. Martyres et ceteri sancti non poterant horribilibus

l) V. H. addit: adhuc.
m) — — male: venit.
n) "Panni spissioris ac vilioris species"; Du Cange.
o) V. H. addit: enim.
p) V. H. habet "plusquam" pro: sicut.
q) — — recte: paciencia iniurie.
r) — —: virtute.

Digitized by Google

tormentis a caritate dei separari. Sed proh dolor, nos interdum ociosis fabulis et sepe ob minimum conuicium ymo aliquo quoque leuitatis signo derelinquimus dei et proximi caritatem. Quanta ab aduersario temptamenta pertulerit, non facile stilus explicare potest, quum vita iustorum non est nisi milicia super terra, flagella vero opificis cum graciarum actione hilariter tolerans minime ad excessum proruit murmuracionis. Considerauit enim, quod qui vite future premia desiderat, mala omnia vite presentis debet equanimiter portare.

Insuper hec venerabilis domina in suprascriptis virtutibus non solum se toto vite sue tempore studiose exercuit, verum eciam in aliis bonorum operum exerciciis, cum staret Rome XXV annis [s)] cum matre sua omni reuerencia nominanda sancta Birgitta. Cuius eciam extitit premisso tempore indiuidua comitatrix in suis peregrinacionibus non solum Rome staciones ecclesiarum pro indulgenciis sed eciam cum ea diuersa limina sanctorum in diuersis locis et regnis existencia atque sepulchrum domini Jerusalem in laboribus magnis feruens dei desiderio peregre visitauit. Peragratis igitur sanctorum locis in sancta Jerusalem, cepit mater eius sancta Birgitta febre infirmari, que durauit vsque Romam pariter peruenirent. Vbi dominus Jesus eidem [t)] sponse sue diem et horam obitus sui reuelauit et alia facienda, que singulis [u)] dominis suis confessoribus et domine Katerine intimauit, prout ei a Christo fuerat reuelatum et demandatum. Mortis igitur debito matris sue [v)] Birgitte Rome soluto et corpore [x)] sepulture tradito secundum eiusdem voluntatis ordinacionem in monasterio Parnisperne [y)], hec venerabilis domina Katerina, sicut se exhibuerat matri viuenti fidelissimam cooperatricem in negociorum a Christo sibi commissorum promocione, sic eciam defuncte secundum voluntatis Christi ordinacionem in omnibus exhibuit debitam exequtricem. Christus enim reuelauerat matri, vt corpus Rome deponeret et postea ad Sueciam transferretur. Quod ipsa sollicite exequitur cum confessoribus sancte Birgitte quinque ebdomadarum spacio cum dimidia peracto. Tempore igitur suprascripto post mortem eius et in eodem anno translacio inchoata [z)] sed non absque prodigiis insignibus circa resolucionem carnis ab ossibus mirabiliter factam necnon sine miraculis in via factis est consummata et ad monasterium Wastenum translata, sicut alibi plenius est conscriptum. Cumque hec venerabilis domina reliquias matris sue beate Birgitte deferret, veniebant ad eam matrone nobiles et plebee sacras reliquias venerantes et deosculantes ex deuocione. Quibus ad se venientibus monita dabat salutis, vt perituri luxus seculi pompis postpositis futurorum bonorum desideriis ardencius inhiarent. Ad cuius salutaria monita multi nobiles viri et matrone compuncti recipiscebant, melioris vite facti cooperante dei gracia sectatores. Tandem peruenit cum sacris reliquiis ad Prwciam et ad ciuitatem Danzich, vbi duo de primoribus ciuitatis, qui eam sequti fuerant de vrbe Roma cum reliqua eius familia virtutis dei graciam in sancta femina collaudabant, ibique constanter arguebat transgressiones crucifixorum [ɔ: cruciferorum] et terribiles comminaciones contra eos diuinitus reuelatas beate Birgitte tota inflammata spiritu dei proponebat, non pertimescens eorum potenciam secularem, vt vere diceret illo eterno iudici et testi fideli: loquebar de testimoniis tuis in conspectu principum et non confund[eb]ar. Stupor enim apprehendit eos propter miram diuinam sapienciam [a)] plenam eloquenciam. Vnde ad verba eius omnis iniquitas opilauit [b)] os suum, nec potuit sapiencia mundi veritati refragari. Demum [c)] exiuit ciuitatem Gdanzchik, intrans nauem cum sacris reliquiis et familia ad Sweciam nauigando. Cumque nauigassent, ad portum Suecie minime precogitatum stella duce et sole clarius splendente in meridie peruenerunt et postea a[p]plicuerunt ad portum Osgocie Sudhercopensem omnibus suis saluis. Cognito eius aduentu diu desiderato, occurrerunt ei ex omnibus partibus Osgocie innumera multitudo virorum ac mulierum nobilium et plebeorum, clericorum et religiosorum

s) Lege: XXIII annis. Hoc enim temporis spatium inter Katerinæ adventum in urbem an. 1350, mense Augusti et mortem Birgittæ an. 1373, d. 26 Julii interest.
t) V. H. addit: sancte.
u) — — habet: singula.
v) — — addit: sancte.
x) Sic V. H., dum codex habet: corpore et.
y) Cfr. supra pag. 224 depositionem Magni Petri super articulo 49 et Tom. I hujus operis, pag. 106, not. y.
z) Anno 1373, d. 13 Novembris Rome viaticum in Sueciam redeundi Birgero et Katerinæ liberis Birgittæ datum est (Riks Arch. Perg. Bref, n. 1070).
a) V. H. recte: diuina sapiencia.
b) Du Cange hoc verbum reddit *τίλλειν*; quod significat, pilos vel comam evellere.
c) V. H. et V. S. (pag. 159) addunt: in die commemoracionis sancti Pauli. I. e. dies 30 Junii.

Digitized by Google

producentes d) eam et sacras reliquias e) diuersorum sanctorum, quibus beata Birgitta necnon ipsa honorata fuerat f) a magnis personis, regina Neapolis, cardinalibus, baronibus et matronis nobilibus Romanis ac religiosis plurimis, cum deuocione precipua et gaudio non modico vsque ad monasterium Wadzstenom. Venerabilis vero Petrus prior de Aluastro, Cisterciensis ordinis, felicis memorie, qui eam g) sequtus fuerat de Roma, in hac deductione sanctarum reliquiarum a Sudhercopia vsque Wastenom in ciuitatibus et opidis frequenter sermonem faciebat ad populum confluentem, explicans quanta benignus deus cum ea operari dignatus est et quam stupendis prodigiis matrem suam beatam Birgittam clarificauerat in Almania, Ytalia h) et Hispaniarum partibus et in regionibus transmarinis.

Nec pretereundum arbitror, quanta reuerencia et deuocione domina Katherina veniens Lincopiam cum sacris reliquiis sit accepta a venerabili antistite Lincopensi, domino Nicolao sancte memorie i). Exiit enim obuiam ei cum clericis et religiosis cum sollenni processione subsequente populo ciuitatis. Pulsantur signa campanarum, organa resonant, vox iubilacionis cum cantico resultat in clero, benedicitur deus deorum in Syon, qui sanctos suos glorificat in terris. Perducta denique domina venerabili Katerina cum sacris pigneribus ad ecclesiam cathedralem et finito sermone, dominum episcopum et suum capitulum seorsum conuocat et enarratis que ad ipsam pertinebant negociis, dominum episcopum cum omni reuerencia super quibusdam jeiuniis et abstinenciis minus discretis conueniebat. Incluserat namque se per longum tempus solum deo vacans in jeiuniis, vigiliis et oracionibus, pastorali solicitudine pretermissa. Cupiebat enim dissolui et esse cum Christo non propter labores et solicitudinis inquietudinem, sed quia multiplicatis malis in regno Suecie non potuit sine dispendio ecclesiarum et cleri sui se murum pro domo domini opponere; zelus domus dei comedit eum et obprobria exprobrancium priuilegiis ecclesie ceciderunt super cor eius. Sed audito consilio sancte mulieris spirituali sapiencia condito, elegit affligi cum populo dei, diuicias estimans portare in longanimitate et paciencia improperium Christi. Verificabatur in illo sapientis illud eulogium: da, inquit, sapienti occasionem et addetur ei sapiencia, doce k) justum et festinabit accipere. Exinde venerabatur eam plurimum sanctus pontifex videns sapienciam dei esse in ea, cuius labia considerant deo placita et lingua tamquam argentum electum intonat prudenciam. Perueniens tandem ad monasterium Wadzstenas feria quarta infra octauas Petri et Pauli l) cum ingenti gaudio a tota congregacione sororum et fratrum suscipitur. Omnes namque sorores maternali affectione complectitur de sospitate et profectu deuocionis earum plurimum exultans. Sicque collocacione m) habita cum fratribus et sororibus inclusa toto spiritu deuocionis deo sacrificium laudis immolabat, gaudens se duras Caribdes fluctuantis huius seculi salubriter euasisse. Cepit namque n) eo tempore preesse sororibus et regulam saluatoris, quam per XXIIII annos adhuc viuente matre beata Birgitta in vita spirituali didiscerat (!), *ipsis* o) in sancte conuersacionis vigilanti studio demonstrare, prebens se omnium in regula contentorum exemplar conspicuum. Et ideo, quidquid erat in sancta conuersacione reprehensibile vt puta detractio et alia conuicia, plurimum abhorrebat. Vnde semel nepti sue Ingegerdi tunc juueni postea prime abbatisse consecrate in Wastenis p) dixisse perhibetur, cum aliquando quidquam operis plumarii, vt mos est juuenculis, faceret. Filia mea dilecta Ingegerdis, quid acu depingis in opere illo, quod manibus tenes. Respondit illa: domina mea, ego hic depingo duos altrinsecus dorsa mordentes. *At venerabilis Katherina ab ymo pectoris suspiria trahens in verba hec obsecracionis prorupit dicens*: q) Benignissime Jesu, propter amantissi-

d) Hoc verbum in V. H. ad finem enuntiationis est translatum.
e) V. H. addit: beate matris Birgitte ac.
f) — — habet: ipsa mater et filia honorate fuerant
g) — — — — pro "eam": dominam Katerinam.
h) — — — —: Almanie, Ytalie.
i) Nicolaus Hermanni, amicus et Birgittæ admirator, liberorumque ejus magister, Gotscalco antecessore breviter antea occiso, ex archidiacono episcopus Lincopensis electus est (cfr. supra pag. 108).
k) Sic V. H.; manuscriptum perperam: dote.
l) I. e. die 5 Julii, quod tamen in diem 4 Julii corrigendum est autore Diario Vadstenensi, cujus testimonium ex duobus antiquis fontibus affirmatur — 1) ex relatione miraculi cujusdam duobus annis post annotata (v. supra pag 232, linea sexta in fine) — 2) e vita per Birgerum archiepiscopum scripta (v. supra proemium n:i XIV, pag. 186, lit. A., ubi tamen primo dies translationis perperam assignata erat, ut apparet ex literis ipsius Birgeri supra pag. 206 impressis).
m) V. H.: collacione. Nonne legendum collocucione.
n) — —: itaque.
o) In V. H. additum.
p) Cfr. quæ diximus supra pag. 210, not. d.
q) Verba asteriscis inclusa e V. H. sumsimus.

Digitized by Google

me tue matris dignissimam intercessionem auerte ab ordine isto virgini matri tue dedicato pestiferos morsus detractorum. Perpendebat enim sancti cuiusdam dictum, quod detractor et libens auditor vterque in lingua dyabolum portat. Videbat in ea ergo omnis congregacio sororum et fratrum tamquam in speculo normam tocius honestatis et sanctimonie et quomodo fuit feruens in diuino obsequio ac in tribulacionibus paciens. Considerabant eam tamquam iubar solis in vertice montis, quod refractione radiorum suorum conualles illuminat. In ea denique sibi diuina caritas vendicauit(!) dominium, que in omnium virtutum congerie dinoscitur esse solidius firmamentum. Huius enim excellentis virtutis magisterio facta est venerabilis Katherina opinione mirabilis, humilitate lenis, benignitate suauis, compaciens pietate, stabilis paciencia, colloquio affabilis, in largicione elemosinarum hilaris et in omni morum honestate composita. Post horas vero suas et oraciones cum aliqua sorore psalterium relegebat. Sorores nunc singillatim nunc vicissim omnes ad se conuocans, ad obseruanciam regule dulci et materno hortabatur affectu.

Factum est igitur, postquam venerabilis domina Katerina sanctas reliquias matris sue, beate Birgitte, de Roma ad Sweciam transtulisset in monasterium Wadstenas, ceperunt ibidem multis choruscare miraculis, et fama sanctitatis beate Birgitte vbique in orbe terrarum diwlgata, multi de diuersis partibus terre Vadstenam venerunt laudantes et magnificantes deum in miraculis et prodigiis, que propter eius merita multipliciter operari dignabatur. Quorum miraculorum gloria rex et prelati proceresque regni et clerus succensi decreuerunt cum vnanimi tocius congregacionis eiusdem monasterii consensu, vt domina Katerina iterato ad Romam transiret pro negocio canonizacionis sancte matris sue beate Birgitte. Sequenti igitur anno postquam repositum est corpus gloriosum sancte matris Birgitte in monasterio Wastenis in ebdomada pasche [r] omnibus sumptibus pro tam arduo negocio paratis et iam in crastino profecta esset, familiaribus suis dixit: Nouit deus omnium secretorum fidelissimus testis, quod toto mentis desiderio affecto fatigari pro hoc sancto negocio et vitam superimpendere, vt effectum debitum sorciatur. Sed tantum diligo obedienciam, quod si magister meus diceret mihi vnico verbo, tu non vadas de monasterio isto, donec finies vitam presentem, promtissime eius acquiescerem voluntati. Sciebat enim, quod obediencia melior est victima, quia obediencia victimis iure preponitur, quia per victimas aliena caro, per obedienciam vero voluntas propria mactatur. Tandem deo duce et saluis rebus venit iterato Romam, vbi proposito negocio canonizacionis, miraculis sancte Birgitte [s], regis Swecie dominorum et prelatorum regni humilibus et deuotis peticionibus [t], omnes curiales pape [u] tam cardinales, quam ceteri, qui beate Birgitte in vita existenti semper deuoti et fautores specialiter fuerant, ad promouendum hoc negocium sanctum sunt pariter inclinati. Cumque fama sanctitatis domine Katerine et felicis opinionis sue ad aures Romanorum deuenisset, rememorati sunt, quante efficacie erant apud deum eius deuote oraciones sancta matre eius Birgitta viuente. Vnde quamplures nobiles eius oracionis suffragia pro se et conuersione suorum humiliter efflagitabant, sicut patebit clarius ex infrascriptis. Fuit igitur quedam domina relicta cuiusdam baronis extra Romam in castello suo in seculari pompa vitam ducens, soror Latini, nobilis baronis Romani [v], multociens amonita per fratrem suum et spirituales viros, vt vanitate postposita continencius in statu viduitatis viueret. Que contemptis monitis anime sue salubribus magis ac magis voluptatibus operam dabat. Tandem dominus Latinus frater eius multa instancia obtinuit, vt ad standum cum eo in Romam veniret, que cum magna pompa non pro indulgenciis lucrandis Romam venit et [x] cepit grauiter infirmari, adeo vt a medicis desperata esset, frater vero eius memoratus, dominus Latinus, de salute anime sororis sue semper sollicitus per se et per alios [y] hortabatur eam, vt pure confiteretur peccata sua, sed ipsa animo indurato semper respondebat se satis esse confessam. Vnde idem dominus Latinus confidens

r) Id est inter d. 22—29 Aprilis anni 1375.
s) Quæ in relatione anno 1375, d. 2 Maji signata, continebantur, v. supra pag. 226, not. h.
t) De annis 1376, 1377 et 1379, v. supra pag. 218, lit. D. n. 1, 2, 3 et 4, pag. 220, lit. H.
u) Hoc vocabulum in V. H. deest.
v) Latinus de Ursinis, inter Birgittæ familiarissimos amicos numeratus (ut Processus Canonizationis multis locis demonstrat), qui deinde in examinatione de vita et miraculis Birgittæ anno 1379 suscepta vt testis productus est; vide supra pag. 220, lit. G. num. 5.
x) V. H. habet: vbi, pro et.
y) — — addit: deuotos.

Digitized by Google

plurimum de sanctitate et deuocione domine Katerine rogabat eam, vt dignaretur sororem suam iam morti proximam visitare et vt consuleret ei ante mortem veraciter confiteri. Domina vero Katerina semper ad infirmorum consolacionem benigna ad eam veniens deuotis exhortacionibus inducere eam nititur ad faciendam confessionem plenarie de commissis. Sed infirma illa vt prius dixit se satis esse confessam nec velle amplius confiteri. Vnde domina Katerina cor eius induratum intelligens rogat omnes circumstantes, vt orarent pro salute anime et gracia contricionis obtinenda, flexisque genibus contulit se ad oracionem. Et subito manifeste videbatur de flumine Tiberis ascendere quidam fumus fuligine z) nigrior, qualitate speralis sed quantitate plaustri feni, qui leuatus in altum supra domum, in qua infirma decumbebat, pendulus vectitabat. In qua domo tante tenebre fiebant, quod nullus poterat ibi pre densitate tenebrarum alium videre. Ille denique tenebrosus turbo, qui mentem illius infirme interius obtenebrauerat tenebrasque exteriores sibi in proximo affuturas prefigurabat, nisi penitencie remedio per graciam dei sibi subuentum fuisset, vtique sicut pie creditur propter deuotas oraciones domine Katerine. Nam turbo ille tenebrosus viciniorem domum camere, in qua predicta domina infirma iacebat, solotenus destruxit, ad cuius imanem impetum et fragorem territa infirma illa dominam Katerinam vocat et quidquid ipsa consuleret pro salute anime sue, facere cum lacrimis pollicetur. Vnde gracias immensas domino agens domina Katerina, qui semper humilium suorum respicit vota, consuluit infirme domine, vt peccata sua plenarie confiteretur. Continuo vocatur confessor; quod prius audire non poterat sine mentis horrore, iam compuncta feruenter expetit cum gemitu cordis et dolore. Sicque confessione pluries facta sequenti mane sumptis sacramentis obdormiuit in domino. Hanc graciam creditur oracionibus et merito domine Katerine veraciter obtinuisse, sicut ibi omnes presentes testabantur laudantes saluatoris clemenciam, qui exaudiuit deprecacionem pauperis et faciat misericordias multas propter diligentes se.

Deuocionis eciam eius sinceritas ex sequenti diuino beneficio euidenter omnibus innotescat. Fuit autem quedam domina Rome, que septem filios abortiuos viro suo generaue-
rat, qua de re minus dilecta a viro habebatur. Et cum iam pregnans esset, timuit sicut prius infantem mortuum procreare. Adiit ergo supplex dominam Katerinam sciens eam sanctam et deo dignam exposuitque ei miserabilem casum suum. Vnde domina Katerina dedit ei porciunculam a) de vestibus beate Birgitte matris sue exhortans, quod illas secum semper portaret vsque ad tempus partus, promisit eciam ei, quod vellet adesse, quando parturiret. Mulier ergo confisa de eius sanctitate sibi iniuncta deuote compleuit. Instante vero tempore partus vocauit dominam Katerinam, vt ei sanctis suis oracionibus aput deum obtineret partum viuum procreare. Nec cunctata est ad eam venire sicut promiserat, vnde ad eam festine veniens iam partu laborantem, sedulitatem debitam pregnanti humiliter exhibuit, orare et obsecrare non desinens, donec mulier infantem viuam est enixa, quam Birgittam ob deuocionem domine Katerine nominauit. Huiusmodi enim graciam presencia, meritis et oracionibus venerabilis domine Katerine veraciter credidit se domina illa obtinuisse. Hoc factum diwlgatum fuit in vrbe et habitum pro grandi miraculo. Omnesque qui audierunt *huiusmodi factum, laudauerunt* b) pariter dominum qui per merita et deuocionem domine Katerine salutis beneficia matri et proli contulerat in periculo constitutis. Contigit eciam Rome ipsa commorante semel inundacione Tyberis nimium excrescente ita quod pontem Lateranensem et monasterium beati Jacobi et multa alia circumiacencia edificia inundacio aquarum supergrederetur. Romani timentes vrbis excidium propter nimiam inundacionem inito concilio venerunt in domum domine Katerine rogantes, vt dignaretur descendere cum eis ad decursum aquarum inundancium pro hiis incommodis dominum deprecatura. Ipsa vero humilitatis alumpna indignam se reputans, cum lacrimis negare cepit. At illi videntes se instanciis precum nihil proficere, vim inferunt educentes eam de domo obieceruntque ipsam obuiis aquarum inundacionibus. Mira res antiquum redire miraculum, Josue namque tempore Jordanis conuersus est retrorsum, ipsa pedibus profluuium tangente, redit retrorsum cum omni velocitate

z) Du Cange glossarium Lat. Italicum ms:tum sequens, ait "fulgio vel fuligo, la nigressa del foco".

a) V. H.: particulam.
b) Additum e. V. H.

Digitized by Google

petens alueolum suum fugitque aqua inundacionis ad introitum sancte mulieris. Stupent vniuersi laudaturque immense potencie dominus, qui eciam in aquis per sanctos suos mirabilia facit. Vnde venerabilis pater et sancte memorie frater Petrus, prior Alu[a]stri, ordinis Cisterciensis huic spectaculo presens familie domine Katerine contestans alloquebatur hiis verbis: tenete memoriter, que vidistis mirabilia hodie, quia de hiis et aliis eius miraculosis gestis et virtutibus, que per eam deus operari dignatus est, in futuris temporibus requiretur. Deinde cum hec venerabilis domina Katerina transiret Neapolim et ibi moram duceret propter negocium canonizacionis premissum ad scribendum et colligendum miracula, que per sanctam matrem suam tam in vita ibi existente quam post mortem eius dominus operari dignatus est, fama sanctitatis eius celebris habebatur. Vnde accessit ad eam quedam magna domina secundum seculi dignitatem exponens ei cum lacrimis, quomodo filia sua marito viduata a demonio nocturno grauissime infestaretur nec audebat alicui de propinquis manifestare verecundas huius perturbaciones, *sed* [c] propter opinionem et famam sanctitatis eius ausum captans ei incommoda filie detegebat. Audiens vero domina Katerina earum horribilem impugnacionem ex intimis eis condoluit legensque vnum Aue Maria submisse sicut semper solebat, quando super aliquibus spiritualibus consuleretur, saluberrimum eis dedit consilium. Primo vt confessionem facerent pure de omnibus peccatis suis, quia propter peccata inconfessa tales illusiones plerumque multis accidunt, et quod nudis pedibus absque lineis camiseis [d] cum omni humilitate ad ecclesiam sancte crucis pergerent per continuos octo dies ante crucifixum legendo septem pater noster et aue maria ob reuerenciam passionis Christi, et quod ipsa pro ipsis oraret, quamuis se indignam ad impetrandum reputaret, humillime tamen ex compassionis spiritu spopondit. Dicte vero domine iuxta consilium eius facientes octauo die ad eam reuertuntur laudantes deum, quia misericordiam magnam iam cum eis fecerat propter salubria consilia et oraciones eius. Nam illud monstruosum demonium eidem juueni in noctis silencio apparuit terribiliter minans et dicens: maledicta sit illa filia Birgitte, que me a te separauit, numquam amplius ad te reuertar. Sicque oracio mulieris sancte exclusit inimicum persequentem et relegauit demonium in deserto Egipti infernalis. Vnde propter hec et alia sanctitatis eius indicia domina Katerina cum esset post decessum matris sue Rome et Neapoli ac diuersis aliis partibus Ytalie et Germanie, reputata est et habita pro magna sancta et sine dubio deo accepta, jta vt multi in necessitatibus constituti pro consilio et auxilio apud deum jmpetrando ad eam confugerent reportantes incommodorum suorum grata remedia precibus et meritis eius gloriosis.

Expeditis negociis aput Neapolim et miraculorum conscripcionibus sancte matris sue Birgitte, venerabilis domina Katerina Romam rediit [et] canonizacionis processum, quem sub Gregorio XI inceperat, continuauit, sed prout negocium canonizacionis exigebat, non potuit habere debitum effectum, quia papa morte preuentus fuit, vnde totum illud negocium canonizacionis exordinaliter iniciandum ad Vrbanum sextum, successorem immediatum ipsius Gregorii, exstitit deuolutum. Qui quidem Vrbanus papa beate Birgitte, dum in humanis ageret, noticiam habens et sue sanctitatis experienciam, canonizacionem eius attemptauit, sed non consumauit ob varios casus, qui in illis diebus in ecclesia acciderant, et scisma tunc nouiter inchoatum. Igitur venerabilis domina Katerina quinquennio pro predicto negocio sic Rome peracto in magnis et grauibus expensis, cum ei ob periculosum scisma quod imminebat non esset spes huius negocii tam ardui posse consequi finem debitum vt decuit, saniori vsa consilio prelatorum, vitam et miracula sancte matris sue Birgitte conscripta cum suis attestacionibus sub pluribus publicis instrumentis autenticis et sigillis cardinalium, prelatorum, dominorum et dominarum in diuersis vrbis et orbis partibus omnibus veram fidem prestantibus Rome deposuit, diuine disposicioni et prouidencie committens illud sanctum negocium in futurum. Cumque ab apostolico prenominato impetrasset bullam, in qua continetur regula saluatoris [e] in

c) Additum e. V. H.

d) Camisa, camisia (Gallice, chemise) est interior tunica.

e) Illam dedit Urbanus VI Romæ apud sanct. Mariam in Transtyberim III non. Decemb., pontificatus sui anno primo, i. e. d. 3 Decembris an. 1378 (vide Celse, Bullarium Suecanum, pag. 139, num. 4 et Acta Sanct. Antwerp. Octobr., Tom. IV, pag. 466,467, num 404—408, ubi Buæus animadvertit forsan legendum esse "anno secundo", quia in Diario Vadstenensi legitur Regulam anno 1379 fuisse confirmatam). Jam Urbanus V:tus, Birgitta vivente, d. 5 Aug. anno 1370 apud Montem Flasconem primas constitutiones ordinis vel regulam approbaverat (Acta Sanct. cit. pag. 445, n. 322—326).

Digitized by Google

tercia persona et alia priuilegia pro monasterio Wadzstenis, disponebat se ad patriam redire, omnibus Rome tunc degentibus relinquens celebrem sui nominis memoriam et famam sanctitatis. Dominus autem Elzearius, cardinalis [f] domini pape precipuus, eidem domine Katerine deuocionis solacia dilectionisque beneficia, consilia et auxilia in quibuscumque suis negociis procurandis ob vite eius eminenciam singulariter et deuote impendebat. Habebat quidem cardinalis predictus a juuentute sua singularem deuocionis graciam ad sanctam Birgittam tam viuentem quam defunctam, quia ipsa viuente se in via dei et vita secundum eius sancta consilia et monita salutaria deuote et humiliter conformabat. Summus vero pontifex Vrbanus vna cum sacro collegio cardinalium eam singulari dilectionis fauore excipiens dabat ei cum benedictione apostolica bullam exhortatoriam siue viaticam [g] ad dominia, ciuitates et castella, ad que eam declinare contingeret, ad tuicionem in via habendam et securitatem. Vnde viris magne auctoritatis de curia, vt eam per partes Ytalie tuto conductu deducerent, secum vsque ad Alpes ire precepit. Quantis igitur ob graciam domini pape et eius bulle condignis honoribus excepta fuit a ciuitatum primoribus, ducibus et principibus tam Ytalie quam Almanie, stilum in longum protraheret [h], si omnia deberent enarrari. Vnum tamen estimo necessarium ad dicendum, quod passim omnibus ad se venientibus monita dabat salutaria, que non tantum vite sinceritas sancta comprobabat [i], ymo eciam miraculi nouitas commendabat. Accidit in Pruzia, cum in itinere labore et infirmitate plurimum fatigata curru veheretur, vnus de familia eius currui insidens obdormiret et ex agitacione currus preceps caderet inter pedes equorum, roteque succedentes costas ei in tantum confregerunt, quod vix hanelitum [ɔ: anhelitum] trahere valens in currum leuaretur. Cui sicut omnibus infirmis et tribulatis semper solita erat benigne compaciens, latus eius contritum et costas confractas legens Aue Maria, manu leniter contrectabat. At vbi manus mulieris sancte costas confractas tetigit, virtus diuina ipsas [k] solidauit, dolor cessit. Et qui vix propter immanem cruciatum spirare potuit, letus eodem die et omnino sanus discurrit, laudes deo debitas et domine Katerine exsoluens pro recuperate beneficio sanitatis. Considerabat enim, quod in tactu manuum huius domine medicina suo dolori competens salubris extitit et non in malagmate [l], quod a medicis magno precio comparatur. Eo denique tempore quo de Roma recessit, cepit in via corpore debilis existere, et de die in diem languor inualescere, vires tamen anime et mentis eius deuocio in domino numquam in ea marcescebant. Nec remedia quesiuit medicorum, quia toto cordis desiderio cupiebat dissolui et esse cum Christo. A tempore autem quo de Roma rediit ad regnum Swecie et ad monasterium Wadzstenas vsque ad obitum suum, videlicet ab octauis apostolorum Petri et Pauli vsque ad festum annunciacionis dominice [m] continuis et variis corporis egritudinum passionibus laborabat. Sed quanto corpore infirmior, tanto mente extitit vigorosior, sciens quod virtus in infirmitate perficitur et stabilitas festinat ad coronam. Nec deerant tante sanctitati miraculorum insignia, quia ciuitas supra montem posita abscondi non potest. Contigit igitur quendam de familia monasterii de alto quodam edificio super lapides et ligna precipitem ruere. Sed passus hanc ruinam validam, fractis costis dextri lateris vt moris est sic quassatis, cum difficultate anhelitum trahere vix valebat. Quod cum pie matri monasterii domine Katerine nunciatum esset, ipsa condolens dolenti descendit ad januam monasterii, oracione premissa lesa membra tetigit et ad eius tactum diuina virtus membra confracta consolidauit, lesusque sanus factus et incolumis ad labores

f) Cardinalis Theatinus et testis anno 1379 in processu Canonizationis; vide supra pag. 220, lit. G, num. 1.

g) Data est Id. Martii, pontificatus anno secundo, i. e. die 15 Martii anno 1380 (v. Celse, Bullarium pag. 143, num. 23).

h) V. H.: stilus in longum protrahitur.

i) Sic V. H. recte, dum codex habet: comprobabant

k) V. H.: ipsa.

l) Vox origine Græca, quæ notat medicamentum quoddam "ex floribus vel eorum surculis factum"; Du Cange, Glossarium medii ævi.

m) I. e. a die 6 Julii an. 1380 usque ad diem 24 Martii an. 1381, in qua obiit (v. infra). De hac re conferenda est sequens epistola Katerinæ ad Archiepiscopum Birgerum (orig. papyr. in Archivo regni) data Wadstenis, Kal. Augusti [sc. anno 1380]: ... "Insinuo ... paternitati vestre, quod infra octauam apostolorum Petri et Pauli attigi fines Swecie, intrans primum ciuitatem Sudhercopensem. Verum me recedentem prima dominica post octauam dictorum apostolorum sequebatur copiosa multitudo ... usque ad monasterium meum ... Verum scire cupio ... paternitatem vestram, quod omnia negocia mea, pro quibus Romanam curiam adii, sunt perfectissime expedita ad velle meum, excepto quod canonizatio ... propter dissensionem inter verum papam et antipapam nondum est secundum stilum curiæ ... manifeste et sollenniter declarata ...". Auctorem vitæ Suecicæ hanc epistolam in manibus habuisse, manifestum est.

Digitized by Google

statim rediit magnificans deum qui talem potestatem dedit hominibus. Nouit autem vir ille huiusmodi sue lesure fomenta vnctionis congruere n) et emplastrum o), sed tactum manus huius sancte Domine multo excellenciorem hiis omnibus preiudicauit et virtutem dei in manu eius existere omnibus predicauit.

Egritudine autem venerabilis domine Katerine quotidie accrescente studuit se frequenter sacramentis communiri. Ex feruenti deuocione eciam postquam peregrinacionem susceperat cum matre sua, quotidie confessionem faciebat in cordis contricione et alioquin bis vel ter ad lauacrum confessionis humiliter accedebat. Nouerat autem quod confessio est salus animarum, dissipatrix viciorum, restauratrix virtutum, oppugnatrix demonum et quod obstruit os inferni et aperit portas paradysi. Sacramentum vero corporis Christi propter passiones stomachi in hac p) egritudine sumere non audebat, sed gestibus deuocionis prout potuit sacrosanctum corpus domini venerans leuatisque oculis ad celum diu cordis lingua, quia carnis lingua iam obmutuerat, aliquid soli deo cognitum perorans, astantibus sororibus et exitum suum deo commendantibus, in domino feliciter obdormiuit. Statimque prodigia e celo sanctitate[m] q) eius testancia aliquibus deuotis personis apparuerunt. Nam stella visa est stare super domum, in qua iacebat corpus eius exanime per dies et noctes, vsque dum corpus fuisset traditum sepulture. Corpore vero ad sepeliendum delato stella videbatur moueri de loco suo, quasi obsequium funeri eius prestitura. Et funere posito in ecclesia inter missarum sollennia stella manebat quasi pendula super feretro corporis extincti. Sed humato eius corpore stelle illius cessauit officium. Bene quidem stelle ministerio honorabatur, que dum in humanis ageret, vite puritate clara firmaque ac perseuerans et lucens in sancto proposito exemplis commendabilis conuersacione et omni morum honestate fuisse perhibetur. Alique eciam deuote persone cum sacramentis asserebant se vidisse luminaria mire radiancia in aere ante feretrum ferri, dum portaretur ad ecclesiam sepelienda, sed a quibus illa luminaria portabantur, videre minime potuerunt. Conuenerant r) die deposicionis eius in Wastenis quam plurimi prelati, archiepiscopi, episcopi et abbates de regnis Swecie, Dacie et Noruegie, necnon ex seculari potestate Ericus domicellus filius regis Swecie s) cum multis principibus magnatibus et baronibus, sed et inferiorum statuum clericorum et laicorum multitudo copiosa. Erant vero non modica per singulos t) suspiria cum lamentis, virgines precipue incluse iam facte orphane exequias benigne matris gemitibus et lacrimis celebrarunt. Efferebant u) sepeliendam glebam eius extincti corporis memoratus dominus Ericus cum principibus et magnatibus regni. Factaque compressio magna populorum, vt vix deferre ad sepulchrum corpus sacrum valuerunt, quin omnis turba querebat tangere v) illam margaritam preciosam. Debitum sepeliendi officium beate memorie dominus Nicolaus Lincopensis cum lacrimis expleuit deuotus, astantibus sibi archiepiscopis, episcopis et abbatibus cum multitudine clericorum et religiosorum numerosa, inter quos affuit quidam magne auctoritatis et sciencie magister, Tordo episcopus Strengenensis in exequiis eius sollicitus et deuotus ministrator. Qui ob deuocionem et familiaritatem, quas erga eam adhuc viuam habuerat, manum domine Katerine palmitando x) tangebat, recommendans se eius pio interuentui aput iudicem eternum. Mirum dictu senciebat episcopus manum suam fortiter teneri et comprimi manu domine Katerine, sicut solet fieri inter amicos et fideiussores, qui manus suas in signum maioris dilectionis et firmitatis y) fortiter constringunt. Ipsa enim in Roma existens pro eodem episcopo venienti ad apostolicam sedem pro electione sua confirmanda aput apostolicum, cardinales et officiales curie plurimum laborabat. In hoc facto confirmacionis z) manus episcopi dabatur intelligi, vt sicut eum viua hortabatur memorari spoponsionis sue deo facte, pro quo quodammodo, cum coram domino papa pro confirmacione sua intercederet, fideiussit, sic exempta carnis oneri assistens eterno ponti-

n) V. H.: congerere.
o) Medicamenta, "quæ ex metallicis fiunt", vide Du Cange in verbo malagma.
p) V. H. addit: vltima.
q) — —: sanctitatemque.
r) — — addit: autem.
s) Filius regis Alberti, ab Erico Pomerano diligenter distinguendus.
t) V. H. male: singula.
u) — — addit: ad.
v) — —: contingere.
x) I. e. manus alicuius prementem aliquid promittere.
y) V. H. addit: inuicem.
z) — —: constrictionis.

Digitized by Google

fici ammonuit fidelitatem seruare sue promissionis, quasi sibi inculcaret illud sapientis: Si spoponderis pro amico tuo, defixisti aput extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui. Fac ergo quod dico et temet ipsum libera. Obiit venerabilis domina Katerina in monasterio Wastenis anno domini M°CCCLXXXI, IX kalendas Aprilis a) et profesto annunciacionis dominice et post festum tertia die b) honorifice est sepulta. Ad cuius tumulum et sanctam memoriam c) multa patrantur deuote poscentibus beneficia ipsius dono, qui in sanctis suis est laudabilis et mirabilis in secula seculorum.

XXI.

Ex
Miraculis Katerinæ.

Hæc miracula in tres partes dividi possunt, quarum prima septem solummodo continens ipsi vitæ Katerinæ sine dubio a primo scriptore, sive Ulfone, sive alio adjuncta est, secunda collectionem per commissarios anno 1469 nominatos factam et ineunte anno 1474 consummatam complectitur, quæ duæ partes et in Codice n. 15 Bibliothecæ Braheanæ et in Vita Holmiensi (de quibus vide præfationem n. XX) reperiuntur, quamquam viginti septem miracula minoris momenti, quæ in Codice exstant, e Vita Holmiensi sunt exclusa, tertia pars quinquaginta circiter miracula comprehendens solum in Codice n. 15 restat et profecto ex illo examine vitæ et miraculorum Katerinæ annis 1475—1477 instituto sumta est, cujus acta nuper sunt Cracoviæ indagata (vide libellum in præfatione n. XX laudatum "om Vita b. Catharinæ", pag. 5, not*). Quum plurima miracula obscuras res atque personas spectant, tantum pauca eademque interdum haud magni momenti hic inserere potuimus.

[Ex miraculis vitæ Katerinæ annexis.]

Sanctimonialis quedam d) in monasterio Wadstenis graui egritudine per plures annos detenta in tantum, quod multociens extrema vnctione percepta et aliis sacramentis, a medicis e) desperata omnino morti carnis destinata videbatur. Mitigatis interdum intensis doloribus rogauit quendam fratrem confessorem suum sanctis aliquibus vota facere, vt eorum meritis tantille sospitati redderetur, quod posset horas legere et deuocioni oracionum aliquatenus intendere, desperabat enim se plene sanitati restitui. Fratri vero illi, quid pro ea acceptum voueret, deliberanti incidit memoria de domina Katerina, videlicet vt vitam eius et miracula conscriberet et colligeret, si eius meritis aliquantulum ab infirmitate releuari ei concederetur. Voto huiusmodi facto cepit infirma remissius habere. Procedente vero tempore frater ille oblitus promissionis facte scribere vitam domine Katerine et miracula eius colligere pretermisit. Vnde eciam infirmitas prefate sanctimonialis plus solito ingrauescere cepit. Qua de re frater ille inerciam suam et negligenciam recognoscens, timuit sibi aduersionem f) et iudicium imminere, eo quod votum tam racionale complere distulisset; votum pristinum plena voluntate eciam cum imprecacione vindicte dei renouauit. Transactis paucis diebus, cum frater ille incepisset vitam eius conscribere, vidit in visione noctis, quod intraret refectorium videbaturque sibi quod beata Birgitta sederet in capite mense, vbi confessor est solitus sedere, alias eciam personas sibi assistentes g) vidit, sed que et h) quales intelligere non potuit. Ad mensam videbatur domina Katerina ministrare, que fratri illi in medio refectorii occurrit porrigens sibi manum, *quam* i) ad manum

a). V. H. addit: die dominica. Omnes temporis designationes in eandem diem 24 Martii incidunt. De anno autem reuer. Ericus Benzelius se dubitare confessus est (in notis editionis suæ Diarii Vadstenensis pag. 218), quia in duobus Codicibus Bibl. Ups. n. 74 fol. 5 et n. 46, fol. 2 reperitur epistola Nicolai episcopi Lincopensis, data Wadstenis an. 1388 d. 18 Maji, in qua narrat Katerinam anno 1381, d. 1 Augusti ipsi Wadstenis constituto duas bullas papales de eodem monasterio porrexisse, ut ad earum executionem procederet. Nobis verisimilius videtur memoriam episcopi fefellisse et annum 1380 scribendum, præsertim quia incredibile videtur Katerinam, quæ in mense Julii an. 1380 in Sueciam reversa esset, plus quam anno moratam esse, priusquam tam graves literas episcopo ad exsequendum impertiisset.

b) V. H. pro "post festum tertia die" habet: in crastino ejusdem. Hic in margine codicis alia manus ascripsit: passus iste examinetur.

c) V. H. male: matrem.

d) Deest in V. H.

e) V. H.: habet "de vita" pro: a medicis.

f) — —: animaduersionem.

g) — —: assidentes.

h) — — aut, pro: et.

i) Additum e V. H.

Digitized by Google

suam applicabat, innuens ei quod si voto facto satisfaceret, infirma illa sanctimonialis sanitatem recuperaret, et hec visio continuatis noctibus per bis facta est. Vnde frater ille operam dabat inuestigandi de vita eius, miraculis et precipue de personis, que ei in vrbe Roma, Almanie partibus et in regno Suecie vsque ad mortem familiariter adheserunt. Discontinuatis vicibus audita conscribens per duos fere annos ignauiam mentis sue consectatus historiam gloriose domine Katerine distulit consumare. Tantoque medii temporis spacio predicta sanctimonialis quamuis lente infirmitatum incommodis k) laborabat, sed conscriptis vita eius et sanctis actibus est pristine reddita sanitati. l)

[*Ex miraculis annis 1469—1474 collectis.* m)]

Anno domini M°CD°LXX° quidam curialis, n) Petrus Johannis nomine, bello Wæsgocie letaliter sauciatus fuit, ita quod sagitta, que per oss (!) intrauit, occiput penetrando exterius apparuit, et amissa loquela lecto per sex ebdomadas decubuit, ita quod nemo de eius vita sperabat, sed magis omnes et singuli desperabant, tandem diuina inspirante gracia amici eius conuenerunt in vnum misericordiam dei inuocantes atque implorantes auxilium famule dei, domine Katherine, beate Birgitte filie in Wadzsteno et votum emiserunt, quod sepulchrum eius cum oblacione cere si sanaretur visitarent. Mox voto facto cepit loqui laudans et glorificans dei magnalia, qui meritis domine Katherine ipsum restituit pristine sanitati, in tantum quod modico post interuallo votum personaliter adimpleuit alacriter et deuote ostenditque tam literatis quam illiteratis, quam misericorditer secum actum erat. Testes omnes famuli Stephani Benedicti militis. o)

Anno domini M°CD°LXX quidam iuuenis de Tywst captiuatus in domo patris sui et positus in turri castri dicti Stækaholm p) non pro iusta causa sed econtra et ibi a festo sancti Laurencii vsque ad festum sancte Birgitte detinebatur et tunc emissus fuit in curia, vt laboraret ligna fundendo et alia prout iubentibus placeret et ne effugere valeret, positum est quoddam calcar longum et grossum de ferro circum os eius et quia frustratus omni spe suffragii humani se erexit in sublime inuocando deum, beatam Birgittam et precipue eius filiam dominam Katherinam eique se et suum offertorium promisit Wadzstenis offerendum, mox tali pacto inito et in hoc proposito firmatus cum paruo lapide attemptauit frangere dictum calcar, et primo ictu soluebatur et liberatus est et postmodum euasit manus iniquorum venitque Wadzstenas perficiendo votum suum ibique calcar iuxta sepulchrum domine Katherine in signum miraculi relinquens, predicabat nomen domini, beate Birgitte et domine Katherine in secula seculorum laudandum. Testes dominus Nicolaus capellanus et frater Nicolaus, familiaris monasterii.

Anno eodem q) quidam vocatus Laurencius Prydz de monte dicto Atvidhabærgh, r) Lyncopensis diocesis, laborans in metallo fodiendo cecidit in foueam, que erat ad XXIIII cubitos profunda et totus contritus genu per medium fracto, ita quod sola cute continebatur, qui inde per maximam difficultatem extractus est et cum iam super planiciem terre mortuus quasi raptus est, vouerunt ipsum cum oblacione sua qui presentes fuerunt ad sepulchrum domine Katherine, et paulo post venit qui votiuus erat in persona sua exiliens et gaudens ad dictum locum et perfecit omnia que promissa erant, glorificans potenciam dei, qui meritis domine Katherine ipsum liberauit. Testes Magnus Johannis, prefectus eiusdem montis, Mathias dictus Ancharaman cum multis aliis.

Anno eodem s) quidam mercatores de Skeningia causa negociacionis fuerunt in Vesgocia et cum iam essent in reditu ad propria, proposuerunt quoddam flumen transire, quorum vnus equum suum vna cum mercibus magni ponderis introduxit super instrumentum de lignis fabricatum wlgariter dictum flwta et submersus est cum equo et rebus. Socii hec aspicientes in maximis laboribus hominem cum equo liberabant

k) V. H. male: commodis.

l) Vastovius in Viti Aquilonia pag. 142, 143 codicem examinationis vitæ et miraculorum s. Catharinæ Vadstenensis laudans (de quo confer prolegomena nostra) asserit, monachum et monialem in miraculo memoratos fuisse Ulfonem quendam mortuum anno 1433 et Benedictam filiam Gunnonis, que postea erat abbatissa vigintiquinque annis. Quod si ita est, vita Katerinæ necessarie est composita inter annum 1407, quo Ulfo monasterium intravit, et annum 1422, quo Benedicta est electa (vide Diarium Vadstenense).

m) Huic collectioni sunt præfixæ literæ Henrici episcopi Lincopensis, datæ Wadstenis anno MCDLXIX dominica infra octauas natiuitatis Christi (i e. d. 31 Decembris), quibus Benedicto curato ecclesiæ Haghaby et Johanni de Aby, Johanni Ormeri et Laurencio de Straa altaristis in monasterio Wadzstenis mandat, ut miracula Katerinæ colligant et conscribant.

n) Curialis est versio Latina verbi Teutonici, postea Suecici "hofman", de quo v. supra pag. 234. not. l.

o) Curiam Winsatorp (unde cognomen gentis) in Vesgocia possedit, que tamen, ipso partes regis Daniæ favente, Karolo fratri est adjudicata (Styffe: Bidrag till Skand. Hist. III. pag. 298.)

p) Arx olim in insula prope urbem Vestervik sita, cujus capitaneus hoc tempore territoria Tjust, Kind et Ydre pro feudo beneficiario tenebat.

q) Scilicet MCDLXXI.

r) Åtvidaberg in territorio Bankakind hodie est ditissima cupri fodina regni Sveciæ.

s) Sc. MCDLXXI.

Digitized by Google

sed res que colligate erant secundum mores patrie et wlgo nominantur kliff t) minime reperierunt. Inter eos autem erat faber vnus, Tørkillus Sunonis nomine, qui fabricabat ferrea instrumenta pro inuestigandis perditis et ipse vna cum aliis laborauit fere per duos naturales dies circa festum Johannis Baptiste, sed omnes incassum et vanum. Ideo desperantes de vlteriori profectu eas dimiserunt et quendam senem rogabant, vt ipse attemptaret; ipso namque descendente ad inuestigandum, recordatus est faber supranominatus, quod Wadzstenis domina Katherina filia beate Birgitte fecerat multa miracula et magna, hortatus est socios, vt flecterent genua sua, quod et fecerunt inuocantes patrocinium dicte domine Katherine, cui et vouerunt massam cere in similitudinem rerum perditarum iuxta facultatem in maiorem miraculi euidenciam. Vix verba compleuerant oracionis, antequam senex qui missus erat ad inuestigandum clamauit, ad cuius clamorem omnes celeriter accurrentes inuenerunt res diu desideratas in ipsius manibus, sed non sine stupore et magno mirabili (!), quia cum idem senex oculos suos fixit in aquam, vbi res predicte submerse sunt, ascendebant ita conglobate ad manus eius sicut descenderant. Laus et honor sit omnipotenti deo, qui hoc et infinita alia miracula fecerat et facit omni die ad preces et merita sue dilecte domine Katherine. Testes dominus Haraldus, vicarius ecclesie Wadzstena, et dominus Olauus, curatus in parochia Hæridzstadha, ad supradicta et ad voti consumacionem.

— —

Quidam de nobiliori prosapia ortus Tordo Jæppason, Scarensis diocesis, prouincie Wartopta hæret, parochie Tidatorpa, in Faradal u) cum transiret in agrum suum, inuenit eum plenum vermibus, qui operuerunt vniuersam faciem terre vastantes omnia. Deuorauerunt namque fruges et herbas, et cum veniret in pratum simile sibi incommodum habuit obuium, qui quidem vermes a nubibus in quadam pluuia descendentes VIII pedes ex vtraque parte habuerunt et cum primo venerunt, parui erant corporis, sed in successu temporis breuissimo tamen creuerunt in longitudine ad similitudinem digiti humani; in currendo eciam multum erant agiles. Vnde possessor in possessione sua tale prospiciens dampnum intolerabile intolerabiliusque *adhuc* v) imminere, quo se pro solacio ac remedio diuerteret, penitus ignorabat subque tali timore positus vespere quodam motum quendam mentem suam titillare senciebat, per quem rememorari cepit, quam mirabilia ac quam stupenda facit dominus in dilecta sua domina Katerina in orbe, vnde confortatus genua fixit in terra cum humilitate et deuocione dictam dominam Katerinam adorando sibi in auxilium, quatenus sibi a domino deo a tali periculo liberacionem impetraret, et vouit quod si hanc plagam euaderet, offerret ei vnam vaccam viuentem cum aliis piis operibus. Voto tali de sero facto, crastino die cum mane surgeret, circuiuit denuo agrum et alia loca exploraturus, an exauditus esset apud dictam dominam Katerinam, et vere sic erat, quod domina Katerina sibi a domino quod optauit impetrauit, quia vbi ante ingressum lecti vidit totam terram vermibus quasi pulueribus x) coopertam, ibi iam vnum nec minimum potuit reperire, perlustrato iamque agro intrauit siluam et casu ductus est ad quendam profundum lacum, vbi vidit multitudinem vermium coaceruatam, quam secundum humanam estimacionem vix capere possent tres maiores lagene quantumcunque magne forent capacitatis, propter quod maxime exilaratus deum in sancta sua y) collaudauit et votum suum cum omnimoda cordis jocunditate perfecit, et multi alii, eius exemplo similiter fecerunt z). Testes dominus Aruidus curatus eius, Laurencius Torkilli in Tidhatorp et Magnus Laurencii ibidem.

— —

Quidam nomine Magnus Thoreri, Vexionensis diocesis, parochie Biornsokn a), captiuatus et vinculatus per vtraque ossa boya et forti compede ab hostibus regni Swecie tamquam explorator, cum peregrinaretur versus opidum dictum b) Rotnaby; cum sic sederet in vinculis merore plenus et iuuamen nullum exspectaret humanum, meditari cepit de sanctitate domine Katerine *filie beate Birgitte* c), cuius odore bono et suaui nunc plenus est mundus, et vouit eidem, quod si saluaretur a tanto periculo *in quo erat et tribulacione* d) incolumis, visitaret sepulchrum eius cum offertorio et aliis piis operibus. *Voto sic emisso* e) non sine magna diuine potestatis f) admiracione, nocte sequente cum modicum obdormiret, circa galli cantum vincula quibus ligatus erat rumpebantur et de ossibus protinus ceciderunt g); qui cum euigilasset et cognosceret se liberatum, gracias egit deo et domine Katerine et compedem ad manus sumens h) iter arripuit ad propria ac

t) V. H. klyff. Adhuc in regionibus, ubi vehicula procedere non possunt, usurpatur verbum *klöfja* (a *klyfva;* scindere, dividere) i. e. onera sacco inclusa jumento ita imponere, ut pondus ab utroque latere æque dispensetur.
u) Hodie Fårdala, prædium equestre in parochia Tiarp.
v) In V. H. additum.
x) Hic sicut in V. H. sequitur "cum reliquis terris", sed verba sunt oblita.
y) V. H. addit: domina Katerina ex toto corde.
z) V. H. habet: Et multi alii in eadem prouincia eius exemplo predicte beate domine Katherine vota similia spoponderunt, ut eos suis meritis et intercessionibus a talibus plagis et incommodis misericorditer liberaret.
a) Nulla paroecia hujus vel similis nominis in diocesi Wexionensi nunc exstat.
b) Verba "opidum dictum" in V H. desunt.
c) In V. H. additum.
d) — — —
e) — — —
f) V. H.: digna diuine potencie.
g) — — soluebantur et protinus ab ossibus in terram ceciderunt.
h) V. H.: capiens, pro: sumens.

Digitized by Google

per medium exercitus et vigiles qui custodirent vigiliam noctis ita pertransiuit, quod nec ab hominibus nec a canibus cognosci potuit et deinceps per duos dies naturales tam securus et gaudens iter suum perfecit, quod nec hominem habuit obuiantem nec insequentem et ita demum pacifice in domum propriam a manibus crudelium liberatus et reuersus non solum sibi in gaudium sed omnibus hominibus graciam secum factam audientibus in stuporem, et quod emisit votum non procrastinans parauit se denuo et absque mora iter arripuit vsque Wadzstenas et singula perfecit vt premissum est. Testes dominus Mathias de Rogxlösa i), dominus Petrus Braske et ipse personaliter jurauit per sancta ewangelia verum esse quod dixit.

Miles quidam nomine Gregorius Bænktsson cum sua legittima vxore nomina Cristina k), Upsalensis dyocesis, prouincia Sæmingiahundare hæreth, parochia Waadha l), manerio Benhammar sito vltra Stokholmiam, filiam vnicam habuit, et hec per tres menses grauissime torquebatur infirmitate, et circa terminum tercii mensis nulla videbatur in ea spes euadendi, sed quia vnica ideo tenerrime dilecta, sortibus ad diuersos sanctos missis nil contulit remedii, similiter promissiones et vota multa et varia promiserunt, sed omnia incassum, donec dominus Johannes capellanus eorum aduenit dicens: mihi apparuit per sompnium, quod vouere m) debetis infantem domine Katherine, filie beate Birgitte, ipsa querit votum eius et sic saluabitur. Cui miles et domina annuentes flexis genibus vouerunt infantem versus Watzstenas cum oblacionibus et deuocionibus aliis; tunc post missam per dictum capellanum celebratam mitigari cepit dolor, et spes vite in ea apparuit, et de die *in* n) diem forcior efficitur, ipsis vero presentibus votum vt premittitur in magna animi implentibus alacritate, quorum quidem oblacio erat infans de argento et *alia de* o) cera. Testes dominus Johannes capellanus, Magnus Finwidsson, Magnus Guldsmidh borghara i Wadzstena. p)

[*Ex miraculis annis 1474—1477 collectis.* q)]

Sueno Swenonis, famulus Johannis Knutsson in prouincia Daal, r) Scarensis diocesis, rixatus cum socio suo fuit in quodam conuiuio ita vt inimici adinuicem capitales separarentur, quod iste Sweno expertus est ex iniuriosa calumpnia, quam ei socius suus insidiose intulit. Nam cum in via esset domum principis reuisendi, erat ante eum in eadem via, et cum minus se cauit, insurrexit contra eum tenens in manibus archum tensum et desuper telum, quod directo cursu emisit in caput suum vsque ad pennarum resistenciam, et ob hoc eodem momento cecidit solotenus loquelam perdens, qua postea per dierum trium transcursum caruit, vsque propinqui seu amici sui pro eo vouerunt peregrinacionem suam personalem ad sepulchrum domine Katerine de Watzsteno, qua sub sacramento fidei promissam [ɔ:-missa] loquelam expedite reaccepit et sanus factus venit Watzstenas glorificans deum in ancilla sua domina Katherina et soluit fideliter singula, que pro eo promissa sunt. Testes Esbernus in Ödheby, parochia Fordss, Thorstanus in Segrosa eiusdem parochie.

Kanutus Pose, s) filius domini Johannis Lagho Pose militis de inclito regno Swecie, ordinatus a regni gubernatore, t) vt vexillum ante eiusdem regni exercitum ferret contra regem Danorum in conflictu con-

i) In territorio Dal et provincia Ostrogotiæ.

k) Greger Bengtsson (Läma), miles et consiliarius in tertiis nuptiis uxorem habuit Cristinam, filiam Benedicti (Herbrichtsson) Königsmark; v. Stiernman, Svea och Götha Höfdinga-Minne, I. pag. 152.

l) Parochia Wadha, in qua prædium vocatum Benhamra adhuc exstat, hodie ad territorium Wallentuna pertinet.

m) V. H. male: fouere.

n) In V. H. additum.

o) — — —

p) V. H.: Magnus Finwidi et Magnus aurifaber ciues Wadzstenenses.

q) In fronte hujus collectionis descripta est epistola Jacobi Archiepiscopi Upsaliensis, Henrici Lincopensis, Johannis Strengenensis, Lydechini Arosiensis et Gudmundi Wexionensis, episcoporum ad papam [sc. Sixtum IV], in qua scribunt, ipsis Concilium provinciale celebrantibus anno 1474 dominica infra octauas Epiphaniæ domini [9 Januarii] et diebus sequentibus, coram se et domino Stenone Sture, gubernatore regni Sweciæ cum pluribus aliis comparuisse confessorem generalem et unum seniorem monasterii Wadstena et librum quendam de vita et miraculis Katerinæ tradidisse supplicantes, ut canonizationem ejus Papæ recommendarent. Qua de re supradicti episcopi nunc efflagitant, ut Papa examinatione aliquibus Cardinalibus commissa hanc sollennitatem acceleraret. Data est epistola in opido Arbogensi anno et die prescriptis (! sub "clemma" seu sigillo regni Sweciæ ac secretis episcoporum. — — — — Aliquid effecit hæc peticio, nam in Codice Bibl. Upsal. (Biblia, n. 61 fol. 124) reperiuntur literæ trium cardinalium scriptæ Jacobo, A. Episc. Upsaliensi, Henrico episc. Lyncopensi, Conrado Rogge archidiacono et Symoni Gudmundi, præposito Upsaliensi (sine loco, die et anno), quibus literis narrant Sixtum IV papam "nuper d. 23 Sept. an. 1474" examinationem de Katerina ipsis commisisse; cum autem informatio a procuratore conventus Wadstenensis, Antonio de Engubia, fiscali procuratore papæ, data non sufficeret ad procedendum et ipsi aliis negociis impediti essent, venia papæ continuationem examinationis supradictis prælatis Sweciæ nunc tradiderunt. — Articuli, supra quibus testes interrogarentur, exstant in Codice Bibl. Upsal. n. 65 (Homiletica) fol. J. XXII, et dati sunt Rome apud s. Petrum an. MCDLXXV, d. 20 Februarii.

r) De Falhem in territ. Kålland, filius Kanuti Jonsson, legiferi Vestgotiæ et ipse pater famosi Turonis Johannis legiferi Vestgotiæ et præfecti provinciæ Dal. Anno 1477 ut judex provinciæ Daal, literas emptionis Anundi Stake obsignat (lit. orig. perg. dat. Strängnäs d. 2 Julii, in Archivo Regni).

s) Illustris heros, qui postea arcem Wiborgensem contra Ruthenos an. 1495 defendens etiam majorem famam adeptus est. De patre Johanne Lage Posse vide: Styffe, Bidrag till Skandinaviens historia. Tom. 3. pag. CCLXXI.

t) Sc. Stenone Sture, seniore.

Digitized by Google

certancium cecidit in monte dicto Bruncabærgh u) prope Stokholmiam et cum bellum solueretur, hostibus aliquibus occisis, aliquibus cum rege in fugam conuersis, inuentus est quasi mortuus iacens in terra et licet a capite vsque ad plantam armatus ferro fuit, nihilominus wlneratus profunde erat in capite de secure acuminata dicta wlgariter polyxe v) et cum hoc habuit quatuor in se tela seu sagittas arcuum letaliter fixa difficillime extrahenda; os namque seu tibia in duobus locis erat quasi per medium decisum, minutissimo ne disiungeretur obsistente frusticulo. Talis a terra leuatur et intra opidum Stokholmense in hospicium suum portatur, vbi per duos dies naturales sine loquela lecto decumbebat, ad quem noti et ignoti gracia consolacionis accedentes concilium inierunt, vt eum vouerent ad sepulchrum beate Katherine de Watzsteno, si eius meritis et intercessione curaretur et sacramento confessionis ac aliorum sacramentorum beneficio ante huius vite exitum muniretur, cum de corporis vita nulla spes habebatur. Quod et factum est ita quod vix voti forma inchoata et finita fuit, quando statim loqui cepit, confessionis salutare remedium humiliter deposcendo. Confessione vero rite et debite facta atque audito quomodo de eo promissum est, gracias egit deo et promissoribus dicens se omnia velle gratanter exequi, que promissa sunt. Ea de re sanus factus est et venit Watzstenas in gaudio non mediocri offerens ymaginem ceream habentem in se IIII:or easdem sagittas et alia signa reputancia, quomodo in suo corpore afflictus erat. Testes dominus Sweno curatus Stokholmensis, Johannes Stywng consul et Johannes aurifaber ibidem.

Quidam militaris de regno Swecie, nomine Magnus Bonde Philipsson x), cum in obsidione esset contra castrum dictum Stækaholm y), sagittabatur per manum sagitta venenata et venenum manu primo infecta se dilatauit per totum brachyum, deinde ascendendo magis cor circumdedit et in tantum ipsum tribulauit, quod mortem euadere non credebat. Ipso sub tali desperacione posito inuocauit auxilium beate Katerine de Watzstenis et statim fuit liberatus. Item filius eiusdem subito captus infirmitate fuit tam ardenti, quod spes salutis amplior non extitit; pro voto promisit per fidei irretractabilem veritatem beate Katerine de Watzstenis C marcas denariorum aut vnam eiusdem valoris curiam et statim sanatus est. Item vxor z) eiusdem similiter graui laborauit infirmitate, vt mori ab omnibus debere iudicaretur, sed voto mox facto beate Katerine de Watzstenis mortis periculum euasit.

Juuenis Lindormi Biörnsson, militaris de Wæsgocia, a) cum in via redeundi esset post peractum negocium sibi commissum per eundem Lindormum dominum suum a villa quadam dicta Biwrem b), habuit sibi obuium demonem sub specie porcina, qui eum penitus denudauit sensuum et racionis vigore atque loquela sicud crinibus et vestibus [quas] c) habuit; ipse sicud amentes solent se habere, ewlsit sibi proprios crines et vestita abiecit et nudus ambulauit. Hec famulus dicti Lindormi, Hermannus Wargh, videns et compaciens votum pro eo fecit ad plures et diuersos sanctos, quod et dictus Lindormus dominus suus fecit cum in domum rediit, sed nichil profecerunt, antequam se ad dominam Katerinam filiam beate Birgitte conuerterunt, cui oracionum sacrificia et voti promiserunt et non incassum, quia immediate loquela redditur, vt respondere valuit, postea datur reiteracio sompni et post sompnum euigilacio plena priore sanitate ac si numquam sensibus caruisset.

u) Hoc proelium commissum est anno 1471, die 10 Octobris. Olaus Petri tradit Kristiernum regem propria manu Kanutum vulnerasse, quod minus fidedignum videtur, cum infra legitur eum securi, polyxa vocata, quam rustici ferre solebant, et sagittis vulneratum fuisse. Alio loco legimus Kanutum vexillum regni Daniæ, Danabrok appellatum cepisse (vide editionem Chronici Rhytmici in: Svenska Fornskriftsällskapets samlingar, 17, tom. 3. pag. 167).

v) Species quædam securis, cui nomen dabatur a longo manubrio, ad quod palus, Suetice *pâle*, initio adhibebatur.

x) Postea senator regni. Judex erat territorii Wedbo in Smalandia, sicut antea pater Philippus Pedersson. Avus Magni erat Petrus Bonde de Bordsjö, qui in Diario Vadstenensi in annis 1412 et 1413 memoratur.

y) Cfr. supra pag. 264 not. p.

z) Katerina, filia Ingvari Nicolai, qui Traneberg in territorio Kålland anno 1445 possedit, (Styffe, Skandinavien under Unionstiden, pag. 119)

a) Alam in armis gentiliciis ferebat posteaque et consiliarius regni et legifer Vestro-Gotiæ factus est.

b) Biurem sive Biurum est curia in territorio Gudhem, quam hoc tempore Magdalena, filia Karoli Knutsson regis, Ivaro Axelsson (Tott) militi nupta hereditate materna possedit, sed anno 1491 Johanni Åkeson (Tott), fratrueli viri permutavit (literæ pergam. in archivo curiæ Säfstaholm). Haud procul a Biurem, sed in territorio Wilska sita erat curia Sjögerås, quam Lindormus Björnsson possidebat et ubi anno 1467 uxori Birgittæ Mårtensdotter dotem obtulit (cfr. archivum curiæ Säfstaholm et Handlingar rör. Skandin. Hist. IX, pag. 40).

c) Hoc verbum omissum esse videtur.

Digitized by Google

XXII.

Translatio Katerinæ anno MCDLXXXIX.

Nicolao Ragvaldi confessore generali auctore.

Ex tomo primo manuscripti Örnhiälmii in Bibliotheca Upsaliensi asservati, quod "Suecia sancta" inscribitur, nostram editionem sumsimus. Ex quo autem fonte ille suum hauserit exscriptum, nescimus neque mentionem vetusti cujusdam manuscripti vsquam invenimus, excepto illo fragmento Bibliothecæ ecclesiæ Lincopensis, edito in: Handlingar rör. Skand. Historia, tom. IX. pag. 11 (quod tamen indagare frustra studuimus). Vetus autem manuscriptum non solum Örnhiälmius, sed etiam sine dubio Erasmus Ludovici in seculo præeunte (XVI:o) in manibus habuit. In collectione enim Palmsköldiana, Bibl. Upsal., tom. 334, pag. 527 reperitur "En historie om sancta Chatarina Sancta Birgitæ dotters Canonisering, som skedde i Wastena Anno Domini 1489", quæ dicitur esse descripta "ex vetusto Manuscripto Archivi Regni", sed in eodem tomo pag. 409 eadem manus idem annotavit de fragmento canonizationis Birgittæ, quod tamen nihil aliud est, quam illa ab Erasmo Ludovici composita narratio, de qua supra pag. 241 in præfatione n. XIX mentionem fecimus. Quæ res simul cum ortographia XVI:um seculum indicante credibile facit, Erasmum hanc quoque narrationem in Collectione Palmsköldiana de translatione Katerinæ conscripsisse. Multo autem certius est, Erasmum illam coævam a nobis impressam narrationem præ oculis habuisse, quia ad verbum utraque narratio non semel consonat, præterquam quod ortographia Erasmi recentior est. Narrationem esse coævam, statim legenti apparet, quia scriptor aperte fuerit in sollennitate præsens et in rubrica dicitur fuisse Nicolaus Ragvaldi, confessor generalis monasterii, qui bis hoc officium sustinuit (vide Diarium Vadstenense in annis 1501, 1506, 1511 et 1512) et tandem 1514 anno suæ professionis tricesimo octavo mortuus est. Post autem annum 1500 opus esse a Nicolao compositum ex eo prodit, quod de Clemente Petri, antecessore Nicolai, et Henrico, episcopo Lincopensi dicitur "*hvilkens sjæla Gudh ewerdeligen nadhe*", nam ille obiit anno 1500 d. 19 Novembris (Diar. Vadstenense), hic eodem anno, die 20 Novembris (vide supra pag. 111, not. u).

Antequam ad ipsum opus progredimur, aliquid de laboribus, quos in Suecia fautores Katerinæ pro canonizatione ejus impetranda fecerint, breviter memorare volumus. Transierat jam dimidium seculi XV:i, priusquam hæc res agitari coepta esset, nam Birgerum Magni, episcopum Arosiensem, hanc rem primum Romæ molitum esse invenimus (vide literas ejus ad conventum Vadsten. datas Holmis an. 1464 d. 22 Januarii, quas manus seculi XVI:i exscripsit in exemplari Johannis Magni Historiæ Metropolitanæ ad calcem, quod antea J. H. Schröder, nunc Bibliotheca Upsaliensis possidet). Septem annis post Jacobus Ulfonis, archiepiscopus nuper electus, conventui Vadstenensi auxilium suum anno 1471 promisit (lit. orig. in Archivo regni) et anno 1474 prelati Sueciæ Arbogis constituti relationem vitæ et miraculorum Katerinæ papæ transmiserunt (vide supra pag. 266 not. q). Anno 1476, d. 10 Augusti prælati et senatores regnorum Daciæ et Norvegiæ Calmarniæ versantes pro eadem re papam denuo imploraverunt, et anno 1482 d. 4 Novembris conventus Vadstenensis in literis Sixto papæ directis lamentabiliter supplicavit, ut paupertatem monasterii respiciens negocio canonizationis sine ulteriore prolongatione finem optatum redderet (literæ pergam. in archivo regni). Eodem denique anno d. 16 Augusti Sixtus IV:tus episcopis trium regnorum aqvilonarium et conventui respondit, canonizationem, sede apostolica arduis negotiis implicata, pro tempore differendam, ne autem devotio refrigescat, hortatur, ut Katerina more consueto colatur (Celse Bullarium, pag. 206, n. 13 et 14). Neque meliorem effectum habuit petitio Innocentio VIII tradita, nam anno 1485, d. 11 Februarii ille archiepiscopo Jacobo respondit, canonizationes rarissime fieri illumque honorem nuper sancto Leopoldo tributum, sed promittit tempore procedente, sese regi et nationibus satisfacturum (P. A. Munch, Collectanea ex archivo Vaticano in Musæo regni asservata). Anno 1487 duo fratres, Clemens Petri et Johannes Matthiæ, ambo postea confessores, Romam missi sunt expeditisque negotiis, in quibus Hemmingus Gadd iis auxilium præbuit, sequente anno domum reverterunt (vide Diarium Vadstenense, Celse,

Digitized by Google

Bullarium pag. 208, n. 7). Tanti labores id quidem effecerunt, ut Innocentius VIII:us annò 1488, d. 14 Junii duas bullas promulgavit, quarum in altera episcopos Sueciæ adhortatur, ut canonizacionem quantocius exspectarent (Celse, Bullarium pag. 208, n. 7), in altera reliquias Katerinæ in ecclesia monasterii loco convenienti et honesto honorifice collocandi, donec ad canonizacionem processum sit, licentiam concedit (Munch, Collectanea supra cit.). Quibus literis acceptis, prælati Sueciæ translationem anno 1489, d. 1 Augusti sollenniter celebrarunt. Sed ipsa canonizatio numquam ad finem est perducta, quamquam in seculo XVI:o frater Petrus Ingemari Romæ usque in annum 1520 degens in hanc rem maximos sumptus impenderat (vide Diarium Vadstenense in annis 1506 et 1520 et literas ejusdem Petri, dat. Romæ, an. 1513, d. 11 Sept. apud Spegel, Skriftelige Bevis hörande till BiskopsKrönikan, pag. 145).

Quia in manuscripto notæ diacriticæ plerumque desunt unoque tenore narratio usque ad finem perducitur, ad labores legentium minuendos interpunctionem partiumque divisionem instituimus.

Thetta är och af the ähre fulla Jomfruna Högtidh vara kæra Modher S. Katharina, som kallas Translatio, huilka var K. Fadher Confessor, Herra Nicolaus Ravaldi a) sammansatte effter sino beste samwijte, och skal thet læsas huart ahr.

Jesu Christi vari evinnerlight loff, heder och æhra, tak och vördningh af allom Creaturom för sina stoora och obegrijpeliga nadh och miskundh han hafver giort medh thetta fattiga Rijket Sverige, och besynnerliga medh oss i Wadstenom, huar han hafver nederlagt och satt sin dyra klenodia och helga hofvor, Sanctarum Birgittæ et Katharinæ helgedommar och aterlefvor b), oss ok allo Rijkeno till hugnadt ok tröst och mangom syndarom till sielana hælsa, och alla besynnerligast för the stoora glædie och hugnat vij tha hadhom i Wastena kloster tha vorom, nær Sanctæ Katharinæ Been voro uphögdh första sin c) medh helga Fadrens Pawans tillåt och samtyckio, huilket som hende och skedde Anno Domini Millesimo quadringentesimo octogesimo nono, Sancti Petri dagh ad vincula d). Tycker mig gudeligit och skæligit vara, att the, som tha voro icke nærstadde, matte att hafva een efftersyn eller skrifft, af huilko the kunde understå e), Gudi til heders och sig til hugnat, huru the högtijdhen tilgick i alle matte.

Tha ær först merkiande, att nagra dagar för æn högtijdhen börjades, rensades kyrkian och sopades granneliga, och vordo uthaf kyrkionne uthborne alla stola, benkia, kijstor och træbygningar litzla och stoora och sma chora, huar icke voro vigdh Altare, och blef seedan kyrckian rum f) och fager; vart och niderslagen then choren, som stodh baak helga Chors [ɔ: Kors] altare, och murades ith nytt altare i helga kors choor, huilket Biscop Hinrik g) vigde om Sancti Olai dagh; vid Sanctæ Kathrinæ graf bygdes annorledes æn förra var, och öfverhölgdes grafsteenen med eth dyrt tækin, uppa huilko besænkt h) var Sanctæ Catharinæ belæte myckit prydeliga giort; och på thet att eij omycket i) quaf eller osunnogh k) lucht skulle vara i kyrkione, uthtoges mång glas i fönstren badhe a sudhra væggene och væstre; var och een træbygningh giort uthan före grindena starkliga mællan Sanctæ Katharinæ pælare och helga mæster Pædhers graaff, att grinden skulle icke nidertrængias, eller them skadha henda, som næst grinden stodho, af mycklo trångh om dören i grindenne och uthan före var frij och ohindrat. Item mællan förnæmpda två pelare gik ith snöre högt uppe å grindenne tætteliga belagt medh Sanctæ Katharinæ belæte, huilken satt voro medh sætterverk l) ok all bemålat och voro the tvædubblat satte under snöret, prydandes badhe uthan choren och innan till. Innan före grinden var först höga Altaret bygdt i thesse matto, att een trätrappa bygdes uppa östre sijdhona allaledes skapad i högd och bredd som steentrappan inne i chorenom uppå væstra sijdonne, och stolpa och tree kroner så uthan före som innan, togh sa, att een kleen træbalker gick emællan badhe træstodherna, som voro i yttersta trætrappomen uthan choren och så innan uppa badhe sijdhorna vidh altaret södher och norr; och giordes i them rum med högom jernpinnom för storom vaxliusom kring om alt altaret. Sattes och i samma croner om altaret sex uthskorna och vælprydda fægersta ænglar, hafvandes vrijdin vaxlius i sina hender medh tvåsköna leet m), rödt, grönt och huijt; och för æn thetta giordes, borttogo the stoora

a) Consecratus frater an. 1476, electus confessor an. 1501, d. 12 Maji, resignat an. 1506 circa d. 1 Aug., secundo eligitur an. 1511 in fine mensis Februarii et iterum resignat an. 1512, d. 3 Novembris, obiit an. 1514, d. 1 Julii (Diarium Vadstenense in tomo primo hujus operis).
b) Reliquiæ.
c) Prima vice.
d) Die 1 Augusti.
e) Comprehendere.
f) I. e. rymlig, Lat. spatiosus.
g) Henricus Tidemanni, episcopus Lincopensis annis 1465—1500; cfr. supra pag. 110 et 111.
h) Sänka vel besänka significat: acu pingere et haud raro gemmis et auro sternere. Cfr. supra pag. 207 et Diplomat. Suec. V, pag. 345 et 563.
i) Pro: ofmykit, Lat. nimium.
k) Pro: osund, Lat. insalubris.
l) Opus plumarium, Suetice "broderi." Cfr. Diplomat. Norvegicum, V. 2. pag. 408—410: "III ny höghinde med sæt verk ok med sylfver; XL stycke med sæt verk til en bunadh."
m) Color duorum generum (sc. in quaque candela); cfr. Ihre, Glossarium Suio-Gothicum.

Digitized by Google

taflan, som stodh vidh höga altaret, och så the andra uppa altaret stodh, och all annor bygningh: ther var och jemvæhl Warfru belæthe thet litzla, ok kläddes altaret uppa badha sijdhor, så att Erchiepiscopen matte vara uppa huilka sijdonna honom techtes. Fotaklädhe var bredd innan choren, som sedhvænjo æhr, och uthan til var bredt medh æhrligom fotaklädhom från altaret och nijdher til grindenna. Silkisvingar voro vidh altaret badhe uthan och innan choren. Sedan uppa badha sijdhor vidh fotaklædhen uthan choren voro satte fagre stoolar medh.....[n], alle prydde medh täken och uthvald fergelse, hængiande från altaret och nidh til grindenna. Ock voro ther flere langh sæte bak för stolomen och tvert fran grindenna; vidh Sancti Andreæ altare var uppbygder en höger Prædikastool, aller beprydder med silke, sa skapadher, at Prædicaren monde [ɔ: vænde] sitt anleethe i östersödher, och togh lijkvæhl meer til södher æhn i öster; vidh Sanctæ Katharinæ graff uthan till voro rum.....[o] för mang liuus badhe stor och lijten, ok stodho Sanctæ Catharinæ been i grafvenne i samma kistonne, som the hafde længe leegat. Jemväl var och systrarna Chor och Svalan[p] til kyrkiodörena slagin och fæster vedh liusapipom[q] ganska tætt, sammaledes Brödrarna umgånge, i bidzlomen[r] voro jernpipor upsatta fran norra trappona och alt omkringh til den södra. Thereffter var och giordh een stoor Chrona af træ huiithmeenat, och allaledes skapat som Systrarna Cronor och the Cronan innan grindenna uppa norra sijdona i undra hualfveno besatt uppe i hualfvet tva glafvor[s] fra jordenne, så skipat, att hon kunde niderdragas letteliga medh ith lijtet snöre och sielf drogh hon sig upp igen. I the cronone voro LXIII lampor satte prydeliga med blæck skællor[t] badhe i nidhra cirklenom och så i kors bogana, och voro af them lampom fæm måladhe rödha; fira sattes i nidra cirklenom i korsvijso huart moth andra, och the fempte öfverst i crononne, sammaledes som the fæm rödha droppana plæga sittia i Systrana kronor. Ithem tvert af Cronone i samma hualfvet hængdes ith kors stort, alt rödt uppa badhe sijdhor, medh een huijtan cirkel mitt i korset, allaledes som Præstbröderna[u] ær skipat, föruthan thet att uthi huart hörnet i korseno var trint som een cirkel. I högsta cirklenom uppa badhe sijdor var målat tu kleerk belæter[v], Christi och Sanctæ Birgittæ, vændandes sin anleete huart moth andro. I nedersta cirklen uppa badhe sijdhor voro malade tva chora, annor medh systrom och annor med brödhrom, huart tværs moth andra, uplyftandes sin anlethe till belæten, som voro i högsta cirkelenom. Cirklana, som voro i tvertrædh, voro bemaladhe uppa badhe sijdhor: i then eena var Circulus Evangelistarum med tungomen, i then andra var Leghbröderna[x] kors; i thesso korseno voro lampor XXXVI och fæmhundrade; uppa södra höga Brödra Steentrappan stodho nagra stoola, togh ofvan trappona, och framman för stolenom var uppsatt ith fagert tæpite, under huilko stodo Discantores uthvalde, huilke som væl kunne in nova mensura, och syntes the af ingom, huarken af almogenom eller klerkomen. All thesse ting, som nu upræknat æhro, voro tilæmpnade förr æhn högtijdhen började och skipades huart i sin stadh.

Ther effter, tå Gudi tæktes, ok förelagde dagar och timme kommen var, tha kom værduger Fadher Erchepiscopen[y] hijt till Wadstena uppa Sancti Pædhars affton ad vincula, som var Anno Domini MCCCCLXXXIX och medh honom högsta och förnæmsta kyrkiona Prælata, som var Doctor Raval[z] Archedieknen i Upsala och Doctor Jacob[a], huilkens siæla Gudh nadhe, och Mester Matthias[b] och herra Herman Rodankyrkia, hans Cantzeler[c], med flerom klærkom och tiænarom, huilka Modher Abbatissa Syster Anna Pawals dotter[d], som ta var Abbatissa, och her Clementz Petri[e] Confessor generalis, huilkens siæla Gudh everdeligen nådhe, the latho hederliga ooh kærliga ånamma i them stadhom och herberge, som Moder Abbatissa hade them latit reeda, och hade Erchiepiscopen LX. hæsta med sigh. Ithem uppa samma tijdh kom och verduger Fadher Biscop Henrik af Linköpingh, huilkens sjæhl Gudh nådhe, och honom fölgde hijt fræmbsta Prælater af sine Domkirkio; han lagh i sinom gardh, och Modher Abbatissa skipade honom

n) Hic lacuna unius verbi in manuscripto exstat.
o) — — — — — — — — — —
p) "Porticus usque ad portam ecclesiæ." Hoc enim tempore verbum "svale" notabat porticum domum ambientem (et sæpissime circa superiorem contignationem), idem ac vocabulum "umgånge" paulo infra usurpatum. Ambitus fratrum commemoratur annis 1478 et 1489 in Diario Vadstenensi.
q) Ornatus tubulis candelarum.
r) Forsan idem ac "bislag", German. "byslag", protegium, quod introitus ædium ab imbre defendit. Vide Ihre, vel Molbech, Dansk Glossarium.
s) Glafven, Gallice "glaive", est lancea.
t) Laminæ vel bracteæ metallicæ.
u) Fratres ordinis Dominici, etiam fratres prædicatores appellati.
v) Imagines clericorum i. e. imagines sanctorum.
x) Fratres laici vel fratres ab extra, quorum Diarium monasterii pluribus locis mentionem facit.
y) Scilicet Jacobus Ulfonis.
z) Ragvaldus Ingemundi, decretorum doctor, qui Conrado Rogge, an. 1479 electo episcopo Strengenensi, in archidiaconatu Upsaliensi successerat (Celse, Bullarium, pag. 205, n 11), cui debemus versionem Latinam legis Magni Erici regis, editam a Messenio an. 1614 (vide Schlyter, Magnus Erikssons Landslag, præfat. pag. LVI et sequ.). Inter regni consiliarios an. 1496 numeratur (Handl. rör. Skandin. Hist. XVIII, pag. 39 et XXII, pag. 24).
a) Jacobus Gislonis, canonicus Upsaliensis, doctor sacræ Theologiæ et professor, qui anno 1490 incendio periit in paroecia Löfstad, provinciæ Roslagiæ, (cfr. Diar. Vadstenense in an. 1489 et Peringsköld, Monumenta Ullerakerensia, pag. 238). In Universitate Lipsiensi inscriptus est an. 1471, d. Georgii "Jacobus Gislonis de Swecia", qui ibidem anno 1477 promotus est magister.
b) Cfr. quæ diximus supra pag. 131, not. q.
c) Canonicus Upsaliensis, mortuus an. 1511, d. 24 Julii; vide Peringsköld, Monum. Ulleraker. pag. 230.
d) Consecrata soror an. 1436, d. 5 Aug., abbatissa 1486, d. 14 Dec., resignat 1496, d. 14 Maji et moritur 1500, d. 9 Octobr. (v. Diarium Vadstenense in his annis).
e) Frater an. 1462, d. 23 Novembr., confessor d. 4 Octobr. 1488, resignat d. 18 Aug. 1499 et obiit d. 19 Nov. 1500 (Diar. Vadst.).

Digitized by Google

hæstefodher, och sænde honom trædskåhl f), een Rademor g) ööl och annat tocket. Ther effter kom och hederlighen herra Biscop Brynolph h) af Skara hijt: han kom öfver siön medh skepp, han lagh i sinom gardh, och Moder Abbatissa ährade honom medh hederligom sændningom. Ithem Biscop Olaff i) af Westerårs kom och tå, och han lagh her i Closter vadhenom k), och Modher Abbatissa hölt honom kost och hæstafodher och alt annat; han hadhe xx hæsta. Sedhan kom och Biscop Niels l) af Wæxiö medh skipp, och han lagh i bynom, och Modher Abbatissa giorde honom heeders sændninga, som androm flerom; och sedhan kom een otaliga hoop Canicker och Klercker och Abbother, Reenlifzmæn, öfver all thesse try Rijken. Item uppa samma tijdh kom och högboren herra her Steen Sture Rijksens Förstandare, medh stort herskap och tiænarom, och med honom menigha Rijkesens Raadh, the frembsta och högbornasta Riddara och Ridderskapz mæn m) öfver alt Rijket, och sedan mange andre Frijborne mæn, köpstadzmæn och otaligen almoge sampnades her, Gudi till heeder, och medh största astundan att see thetta helga ärendhet fulkompnas, som the så længe hade åstundat medh alla gudheligheet, om Sancti Pædhers affton effter middagen.

Nu samme dagen om morgonen under Varfrumæsso kom verdoger fadher och herra Archiepiscopen, och gingo alle klerkerna mooth honom medh helgedomom och sungo, följandes honom in i Closteret, och bars uth om choret Sanctæ Birgittæ skrijn, honom till vördogheet; ähn thå vardt icke Te Deum sungit af Systrom eller Brödhrom, för thy han kom under Mæssone. Om Sancti Petri ad vincula affton, lychtandes Systrarna afftonsangh tha fyra slogh, tha uptændes alla lamporna, tha voro medh all prydhelse framsat, som förr ær sagt: och i samma stundh kom then verduga herren Archiebiscopen och fyra andra Biscopa medh honom gangande in genom grindenna och effterföljande them mange Doctores, Caniker, Prælati, Abboter, andre brödher af sancti Johannis Baptistæ ordin, sancti Dominici och Francisci och Carmelitæ och jemvel andre klerker af Rijket, ey fierran hundrade eller flere. Tha satte sig Archiebiscopen uppa högra handena nidhan första trappona uppa een vælbygder stool mitt för höga Altaret uthan choren, vändandes nacken til altaret; uppa högra handen nidhan för första trappone sath Biscopen af Linköpingh, tvært af honom n) å vænstra satt Biscopen af Schara, ther næst a högra satt Biscopen af Wæsteråås, och tvert af honom Biscopen af Wæxiö. Sedan uppa badha sijdhor uppa the andra stoolanna och sæthor o) nidh till grindenna satho Doctores, Domprosta, Decani, Archidiaconi, Abbota och Canika, huar effter sinne verdogheet, andre klerker stodho vidh sma Altaren och huar the kunne aat komma uthan choren; somblige stodho och somblige satho.

Och som sagt ær, nær Prælaterna hadhe sigh stadgat och satt å sin sæthe, stegh upp een verdigh Doctor, som heet Jacobus Gislonis, huilkens siæhl Gudh nadhe, och börjadhe sina prædican uppa latin mycket æhrliga och gudheliga i the helgo skrifft, sæiande: Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem et ad moenia civitatis, och rörde han i the samma prædican mangh æhrende af verldenne upphooff, och in till thenna nærvarande dagh, af första Anglenom och hans æhrliga skapnadh och jemvel hans obotelige nederfall, af första menniskiomen Adam och Eva, och thera menlösa p), och sorgeliga fall. Seedan huru Gudh af sine störste nådhe, miskundh och obegripeliga mildheet och godheet hafver altijdh mildeliga seeth til verldenna fran första aldrenom och til then yttersta, i huilko vij nu æhrom, sændt henne sine prædicare, först Patriarkerna under naturligen lagh, ther næst Prophetas i inskrifvin lagh, uppa thet sista kom sielfver Jesus Christus, effter honom Apostoli, och sedan helge Doctores, jemvæl månge Prophetissæ, hælga quinnor, talande i them Helga Anda. Thessa förnæmpda sende Gudh eemoth verldenes ondska i alla verldennes ænda, ath vidh thæt yttersta omsider sågh Gudh af sine mildheet till thetta Rijket Sverige, huilket besatt var medh diefvulskap och afguda dyrkan, hijt sendandes först uthlänska hælga mæn, Sanctum Ansgarium, Sigfridum, Eschillum, Henricum, Davidh, huilke thetta landet helgade medh sins blodz uthgiutelse, gudeligom bönom och mildom tårom. Ther næst af solenes værma, thet ær af thens helge Andes liufheet och mildhet tilböriadhe Sveriges Rijke göra af sig frucht, thet ær helga Personer och Quinnor och Män, som ære Sanctus Botvidus, Sanctus Ericus, ther næst Sancta Helena i Sködvij, och sedan aldrahelgasta Fru Moder Sanctam Birgittam, och jemvæl nu nærvarandes öfver thessa helgasta Jungfruna S. Catharinam, Sanctæ Birgittæ dotter. O! huru verdeliga then förnæmpde Doctor Jacob prijsadhe, æhradhe, uphögde och lofvadhe thessa helga Jungfruna S. Catherinam i thesso sine prædican och mycket gudeliga, så att idkeliga runne honom tararna på kinbeenen, och hölt sina prædikan nær i tva tijma, och kommo icke Bröderna til biberes q) for æn klockan var siu; och efter otta var slagit och nær till IX gangit, lycktades Systrarna Nattasanger.

f) Forsan olus solito melioris generis, quia "træda" non solum agrum, qui ab aratro vacat, sed etiam, cujus humus pinguior et fertilior est, denotat.
g) Hoc vocabulum frustra in Glossariis quæsivimus. Forsan legendum "radeimer" ex radicibus Germanicis "rad" et "eimer", ut eo significaretur dolium tantæ magnitudinis, ut vehiculo transportandum esset.
h) Auctor chronici rhythmici episcop. Scarensium supra impressi.
i) Cfr. supra pag. 127, not. n.
k) Vadh significat finem alicujus rei, deinde quod finibus clauditur, i. e. territorium. Cfr. Rietz, Svenskt Dialekt-Lexicon. Scriptor igitur dicere vult episcopum in domum, quod possedit monasterium, divertisse.
l) Cfr. supra pag. 131.
m) Enumerantur in Diario Vadstenensi.
n) I. e. midt emot; Latine, ex adverso, oppositus.
o) Hodie "säten", sedilia vel sellæ.
p) I. e. innocentia, nisi verbum "liffnad" prætermissum est.
q) Forsan mendum scriptoris pro: vesperes.

Digitized by Google

Ænnu som sagt ær, nær thæ ærliga prædicanen lycktat, teknadhe Erchiebiscopen att Klerkene skulle uthga, huilket the och gjorde mæstadhelen, ähn mycket blef ähn standandes . . . . . r) att see, att skoda Sanctæ Cathrinæ belæthe s), huilket thå stodh afsijdes inne i Brödrana chor förtäckt medh klädhe; ther effter, tha gick Archiebiscopen in och alla andre Biscoper i Choren, och flere Prælater, Doctores och klerker medh them, och toges tå klædhin af belætet, och Erchiebiscopen vigde belætet, androm Biscopom honom ther til tiæna[n]dhe, och klerkomen ther omkringh ståndandes, och mange fælte tårar af myckle hiertans glädie, nær the sågo thet belætet, huilket var och ær aldravænaste belæthe; tha belætet var vigt, tha gaf var t) Biscop them XL. daga, som thet belætet hedra. Sedan gingo klerkena alle uth om grindene, och . . . u) somma med nagrom Prælatom gingo in i Brödrarna Sacristige, vidhertalandes och öfverlæggandes, huad göra skolandes ner then andra dagen ther næst, och så ther effter gingo the verdoge herrane uth gönom grindene. Alla the nattena blefvo lampona brinnande, och liusen öfver Sanctæ Katharinæ graff, och læstis kyrkian [icke] igen om the nattena, uthan almogen för stoora aflatzenss skul söker sitt aflat om nattena, tvekandes om the i kyrkiona komma kunde dagen næst effter för trangh skuldh.

Ith quarteer före æn klockan slogh ith om nattena, tha ringde Brödrarna till choors, och sungo the then dagen alla thijderna mycket snarliga och hasteliga. Systrarna börjadhe sin ottesångh, nær Brödrarna började sit lændes [ɔ: Laudes], och voro alla tijdher af Brödrom och Systrom lycktade lijtet effter Siu slogh, uthan högmæssona, huilken Archebiscopen sångh effter alla tijdher; vidh thenna thiman millom siu och otta, kom verduger herre Arkebiscopen och flere Biskopa, medh nagra besynnerliga v) Prælater och theras Cancellarii gangandes in gönom brödra trægardzporten och in i Sacristiana, hvilket the giorde för mycket trång skuld, som var tha utan grindena, och att omyckle klerker skulle sig icke intrængia och göra them hinder i sitt æmbete. The som inginge genom trägardhen voro væl XL Prælater, uthan Discantores. Ther effter kledde Arkiebiscopen sigh til mæsso, och andra Biscopa kledde sigh i Röklin x) och Koorkåper och Biscops hætta: och var nu kommen een Biscoper y) meer æn the om quællen voro, Gudh miskunne Siælenne: och stodho nu alle reedho i Biscopsskrud VI Biscopa, Klerka i Dalmaticis z) voro VIII; två Doctores af Upsalom tiænte til Evangelium och Epistolam. Erchedieknen Doctor Ragvald stodh idhkeliga næst Archiepiscopanom i alla officio, och han var hans ledsagare, hafvandes å sigh Röklijn och eena huijta koorkapa. Andre Prælati, Domproster, Decani, Archidiaconi och Canika hade alla Röklijn och koorkåper; uppa then tijd hafver Modher Abbatissa latit hempta af Linköpingh een vangh fuller med chorkåpor och flere par Dalmaticas; the som Biscopskryckior a) baro, hade Koorkåper, och seedan andre merkelige klerka hade röklijn; alle Religiosi gingo i sin habijth.

När thesse verdoga herrarna, prælata och klerka stodho så tillreedo i Sacristione och gangandes in i Brödrarna Chor, i samma stundene kom in genom grindenne gångande then vördoge Försten och Sveriges förståndare, herra Steen Sture, och Rijksens Radz Riddara och væpnara med honom, och blefvo the standandes alla tvert uth medh grindenne; uppa then tijdh var herra Steen klædder i brunth flogeld b) under medh huijt hermelijn nijdher uppa skona; som een Guds ængel stodh then ärliga Gudz Herran liuss och mildher. I thessom thimanom uptændis lius kring om alla Brödrarna umgånga, sammaledes kringh om alla Systrarna Chor, all Choren kring om höga Altaret och jemväl blosen som Ænglarna höllo, och så then kronan som var kringh om Sanctæ Catharinæ Steen, och all altaren Brödrenas, och lamponar brunno, och ringdes alla klockerna i Tornet och alla Altare klockor, the små innan grindena, likarvis som plægar vara och göras om Påska Otte, thå korset uptages: och så i Jesu Christi nampn utginge the verdoge Fædher Biscopana med sina klerka processionaliter till Sanctæ Katharinæ graff: fyre Leghbrödher gingo före medh blåss, ok ginge alla Biscopa hart intill grafvena. Confessor och Sacristanus voro moxan c) iblandh Biscoperna, ther nest Prælati och sedan andra klerke uthan före, huar the kunne bequemligast blifva uthan trångh. Convents Bröderna mesta dhelen skickades att redebogne vara i flere ärender, huar behof giordhes; voro och tillredd sex rökilse kaar, ith för huar Biscop, medh eldh och rökelse. Then tijdh verdoger Fadher Ærkebiskopen kom till grafvena medh flerom Biscopom, föll han och alle the andre Biscopa och Klerker å sina knæ, och sannerliga med fallande tårar börjadhe the först Veni Sancte Spiritus siungandes. Ther

r) Hic lacuna unius verbi.
s) Quæ constabat monasterio centum florenos Renenses (Diariam Vadstenense).
t) Lege: hvar. Nam in Diario legitur: Et quilibet horum quinque dominorum episcoporum omnibus et singulis coram eadem imagine orationem seu venerationem facientibus dedit XL' dies indulgentiarum.
u) Lacuna unius verbi.
v) I. e. precipui.
x) Vestis linea sacerdotum, quæ propriis superinduitur, v. Ihre, Glossarium. Idem ac subtile videtur fuisse, cfr. Du Cange in verbo "rochetum."
y) "Sextus episcopus, scil. dominus Hermannus, religiosus ordinis fratrum Prædicatorum de conventu Skæningensi", narrat Diarium Vadstenense. Quis fuerit, nescimus, nam in Suecia nullum episcopum hujus nominis offendimus. Forsan respicitur Hermannus episcopus Hamarensis (in Norvegia), sed ille paucis diebus antea, d. 25 Julii, Hafniæ morabatur (Diplomat. Norvegicum, II, 2, pag. 703).
z) Vestis in Dalmatia inventa, quæ amplis manicis distinguebatur. Vide Du Cange.
a) Baculi episcopales, qui "krumstafvar" vel "kryckor" appellabantur, quia in superiore parte erant incurvati.
b) Sammet; Latine, holosericum; Gallice, velours, quod in lingua Danica adhuc appellatur "flöjel."
c) Nästan, aldeles; Lat. ferme. Vide: Ihre, Glossarium et Rietz, Svenskt Dialektlexicon.

Digitized by Google

nest å knä ståndandes sungo the Veni Creator Spiritus, och turificerade Ærchiebiscopen och alla Biscopar huar medh sitt rökelsekar moth grafvena, så lenge then hympnen sångs, lijkervijs som sidvænja i domkirkian är om Pingesdagana under . . . d). Sedan Hymnen var ändat, sångh Ærchiebiscopen Versiculum och Collectam de Sancto Spiritu, ther næst nalkades Archiebiscopen næmmer e) grafvena, tvem Brödrom läsandes f) grafstenen och honom nederfællandes, uthdrogh Ærchiebiscopen kistona medh Sanctæ Katharinæ beenom: och jamsköt g) började the andra Biscopana medh klerkomen sjunga Antiphonam, Preciosi Sancti Dei. Sedan læste Archiebiscopen up kistona och slogh uth Silkit som lagh öfverhölt benen, så att beenen syntes allom bar; tha greto alle i hiertans glædi. Sedan sungo Klerkene distincte tu responsoria: Regnum Mundi och Concede Nobis . . . h). Under them Responsoriis togh Ærchiebiscopen först rökelse karet och turificerade allom Reliquiis, och sa togh han upp hufvudhet, thet ödmiukeliga kyssandhe medh alle vördningh och gudheligheet, och sedan leth han alla Biskopana minnas i) vidh hufvudhet och alla Prælata som næst stodho och ther nest herra Steen och alt Ridderskapet, och turificerade han öfver hufvudhet, och ladhe thæt ij ith væl prydt kar, ther förra var redt till, och fick thet seedan eenom Biscope til att halla. Sammaledes i samma måtto giordhe han med Sanctæ Katharinæ haka eller kæfft, och sættiandes honom i een Crystal och tillreddan medh gull och silff, som för var ther tillredd: och sedan allaledes medh armleggiana, leggiandes huart beenet i sitt kar, som ther till voro reedd, och båro ther Biscopar hvar thera sitt kar medh största vördningh, sættiandes them på höga altaret.

I them timanom vardt ith skrijn framburit tompt, huilkit æmpnat var förr til Sanctæ Katharinæ heeder och henna helgedomom, och sattes fram för Archiebiscopen nidh uppa een langan Stol vidh jordenna. Sedan præsenterades een lijten kijsta mycket prydheliga ferghat och innan till bedragen eller fodrat medh rödt sather k) och lagh i the kistona ith rödt purpura klädha. Sedan togh Biscopen af Linköpingh helgedomana til sigh effter Erkebiscopsins, och hempte them upp i sijna hender, ith eller tu Stycke i sönder, medh alla vördningh och fick them Archebiscopenom, huilken han annammadhe och togh medh största vördningh, ödmiukhet och gudeligheet, læggiandhes them i purpura klædhet, som lågh i lissla kistone, och thurificeradhe han öfver helgedomana, huart sum han them nidladhe i kijstona, til thes the voro inlagd, och medhan thætta giordhes, stodh Archiebiscopen och alla andra uppa sin knä; ei voro mongo huilke eij greto af myckla glädie; och gjordes thetta i langan tijma. Æn sedan tå the två Responsoria, af huilko sagt ær, voro lycktadh, och æhn hanterades af Biscoponom helgedomana, började Systrarna siunga Sequentiam af S. Catharina: Tricentecesimus in hac die, och tha the lychtadhe Sequentiam, började Discantores siunga flere Tenores in nova mensura, och nyan glædie och frögd i huarjo vrånne l) och i allom rummom. Sedan lychte Archiebiscopen igen the lissla kistona och stodh sedan up, och med tvem androm Biscopom satte lissla kistona medh helgodomom in i stora Skrijnet och turificerade och låste sedan Skrijnet, och togo sedan 4 Biscopa Skrijnet, thet uplyftandes och bærandes från grafvena och fram mith på kyrkiogulfvet, och satte thet på ith högt bordh. O huad glædie och gudhelighet tå syntes i Almogenom, som stodh uthanför grinden, alle uplyfftandes sijna hender med rinnande tårom, badhe mæn och quinnor, lofvandes Gudh, och hördes granneliga att the sadhe: O tu aldraverdugaste Fru, Sancta Catharina, bidh för oss! Ähra vari Alzmechtigom Gudi! och annor täcken ordh. Ther næst togo prælaterna och klærkena Hælgedomana af höga altareno, huar sitt kar, een af Biscopomen togh S. Catharinæ haka, som var satt i Cristallenom, och annor Biscopen hænna arm, ähn them værdiga herranom herra Sten præsenterades S. Catharinæ hufvudt att bæra i Processione, huilket nepliga han taga ville, sægandes sig vara ther til overdigan, Ærchibiscopen togh Monstrantium, och gingo the andra ad processionem först inne i kyrkione om brödrana umgånga. Fræmbst i processione gingo conventz bröderna effter sin Sedhvænjo, effter them Canonici, Prelati, Biscoperne effter theras sedvenjo. Næst effter Archiebiscopen gik herra Steen, bærandes S. Catharinæ hufvud, andre Riddare och vælborne mæn och Rijksens Raadh boro först S. Catharinæ Skrin, och voro Skrinstengerna så skipadhe, att otta mæn fingo under them gangit m). Första Responsorium, som the sungo, var Petri Amarini, thet andra Regnum mundi, och giordes thessin Processio langsambliga, ty att then verduga Herran Archiebiscopen giorde så manga Stationes eller dvala i processione, och gik myckit sachteliga. Sedan gingo the uth om Kyrkiogården, och togo the tå S. Birgittæ Skrijn och henna hufvudh, som förra plägas, och bar Rijksens Radh badhe Skrijnen och satte [ɔ: Sanctæ] Birgittæ hufvudt den dagen, och ingen annor; tå var aller kyrkiogården fuller med almoga, så att ej kunde mera begrijpas n), eller [ɔ: aller] kyrkiogardzmuren satt fuller medh mænnom, och all huustaak, som voro næst kyrkiogardenom, suto full medh folk; voro och ba-

d) Lacuna unius verbi.
e) Närmare, propius.
f) Pro: uppläsandes, aperientes.
g) Eodem tempore.
h) Lacuna unius verbi.
i) Osculari.
k) Unde sættarverk, de quo diximus supra pag. 269 not. l. Cfr. Diplomat. Norvegicum V. 2. pag, 409: "aclædhen . . . med gult och röt sæter."
l) In quoque angulo.
m) Ut octo viri sub iis (sc. asseribus) ire potuerunt.
n) I. e. rymmas. Hoc enim verbum, sicut comprehendere in lingua Latina duplicem habuit vim et percipiendi et amplectendi.

Digitized by Google

suner och leekare o) i the processione. Nær Biscopana medh Prælatomen voro inkomne om grindenna igen, och Skrijnen nalkades grindena, tillbörjadhe Klærkane siunga Te Deum Laudamus och Systrarna sungo andra versen, till thess thet ændades. Skrijnen sattes nidh moth grindenne, huart tvært af andro, och blifvo the standandes in til afftonen för almogens gudeligheet skuldh; om quællen sattes the in i Sacristiana, och bores uth igen annen dagen, tridie och fierde dagen bars uth moth grindenne allenast S. Catharinæ Skrin.

Æhn som sagt ær, nær Te Deum var ændat, böriadhe Bröderna Off. M. de S. Petro Apostolo, och hadhe Erkebiscopen 2 Collectas sub una conclusione, badhe de S. Petro och S. Catharina. Een stoor dhel af the messone sångz in discantu in nova mensura, och æhr vetandes att Archebiscopen i the mæssone stodh utan choren och vende anletet til vester. S. Catharinæ belete stodh inne i brödrarna koor, hardt in uppa höga altaret, vendandes sitt anlethe rætt moth Biscopenom, och syntes mer æn helfftena af beletet almogenom uthan grindenna, æn ty att foten af belæteno stodh uppå af (!) altare trappeno, och så skyltes Arkebiscopsens anleete för them i korenom voro badhe af belætheno och så af hælgedoma karenom, huilke uppa altaret stodo, så och af några Silkes styckior, som ther voro omkring. Effter thet Credo i mæssone lycktades in Discantu, stegh verduger Fadher Biscop Hendrik uppå prædikastolen, af huilken förra ær sagt, huilken tå flytter var något meer in til grindena, æhn han om quællen var, prydder med Silke nu som förr, och stodh then förnempde verduge herren i sin Biscopz Skrudh, thæt ær Röklin, Koorkåpa, Mitra, Cerotis p) och Stola, hafvandes i sinne hand ith timmeglas, göraudes gudeliga och ærliga Prædikan til herrarna och almogan ner halfvan annan timma q). Sedan sångs Offertorium in discantu, och gömde Arkebiscopsens Capellan till sitt egit behoff. Sedan mæssan var lychtadh, bars Sacramentet och helgedomana i Sackristian af Archebiscopenom och flerom androm prælatom, och afkledde sig i Sacristione: och med[an] Prælatena thetta giordhe, kom dhen hedersamme herran Riksens förståndare, herre Sten Sture in i brödrenne koor, dher Sanctæ Katharinæ belæthe stodh, och annammadhe Ridderskapet beletet mællan sina hænder; herre Steen gick före them gönom grindenna och rymdhe uth almogen afsijdhes: och så satte Rijksens Rådh S. Katharinæ belethe uppa Altaret, huar dhet nu står, medh största glædhie och hugnadh; æn huad glædie i almogenom vart, nær belæthet var upsatt, och huru gudeliga almogan almeenneliga sig bevijste til belætet och S. Katharinæ Skrijn i then dagenom och tree dagar ther effter, thet kan iag eij fulkomliga uthtryckia i några måtto.

Æn sedhan Archiebiscopen var afkledder i Sacristione, togh han eena stoora Mullögh r) fulla medh vatn och tvådde någor been af S. Katharinæ, och många togo af ty för helgedomen: och dher effter gick Archiebiscopen uth och alle klerkena sin vägh uth [i] borgaragårdhen genom brödra trägardh til måltijdh, och voro dher vælkompne och väl förståndne pa Gudz och S. Katharinæ vægna. Annan dagen effter gick in i Sacristian Biscopen af Schara medh tre klerka och redde sigh til högmässone; tå tændes up lius s) med Systrom och Brödrom, och i alla kroner med lampomen allaledes som förste dagen, och gick Biskopen sedan til altaret ther sammastädz som dagen tillförende. Archebiscopen stodh och sangh solenniter alt Officium de sancta Katharina, och gick han sedan uth ther han ingick, som var trägarden; tridie dagen vigde Archebiscopen eena Jungfru t) ad habitum och gick uth och in, effter ty som reglen biuder, lijkvæl hade han tre klerker medh sigh, och stodh han vidh altaret in i Korenom, hafvandes anletet til Öster, och var ith Silkestycke dragit tvæfalt tvärt öfver altaret, skylandes hans anlete för Almoganom; lekare voro i the mæssone standandes uthan för grindennne. Fierdhe dagen ther effter, när systrarna Sex u) var sungit, sangh then verduge herren Biscop Henrich af Linköpingh Officium Sanctæ Katharinæ vidh altaret, thersammastadz henna belete ståår, och tå var then mässan sungen mæst i discant, och tå sungo herra Stens Cantores med Skolanom: och sedan sunges dageliga tijdher af Systrom och Brödhrom som sedher ær.

I allom thessom dagomen stodo all prydhelse orördh, som första dagen, innan grindena, medh stola och hyandom och androm klædhom. Alla thessa dagana var och almogen mæsta dhelen quaar, så att lijtet kunne thet synas, att han minskades för æn fierdhe; prædikades och idheliga uthe på kyrkiogårdenom, två Prädikz Stola i sönder, Sudher och annor Norr; och tå Conventz bröderna prædikade, giordhes tre prædikor [i] sönder, och var almogen ympnoger pa alla sijdhor, och icke thes minder var kyrkian full, som mæst kunne ingå, och var thæt mycket underligit och eenkannerligit af Gudi gifvit, att i så stoora och myckla samquemd vart ingen trudin, v) æller trängder til skadha, eij heller syntes folkit druckit så allmenneliga, som the plæga vara i andra aflatz dagom. *Oc syntes tha meere gudelikit almænnelika i allom, meer ân i androm aflatsdaghom* x).

Ock så ær nu sagt lijtet af mycklo, att the som eij voro nærstadde, matte thet veeta, och lofva

o) Tibicines.
p) Deest apud Du Cange. Forsan legendum: chirotecis; quia hoc vocabulum in locis auctorum a Du Cange allatis sæpe cum mitra conjungitur.
q) In vulgari sermonem fecit (D)iarium Wadstenense).
r) Malluvium. Cfr. supra pag. 119, not. p.
s) Hoc verbo incipit membrana Lincopensis (vide præfationem).
t) Agneta nata in Prussia et anno 1532 Wadstenis defuncta (Diar. Wadst.).
u) I. e. officium, quod hora sexta canebatur.
v) A verbo troda, postea tråda vel træda: calcare.
x) Verba asteriscis circumdata ex editione membranæ Lincopensis addidimus.

Digitized by Google

Gudh, så och för ty, att the, som oss efterlefvande varda, mage betænkia, huadh göra skolandes æhr, ner S. Katharinæ högtijdh skal æhn yttermeer fulbordas, eller om så Gudi täckes att vår helge herra Petrus, S. Catharinæ Tuchtemæstare,[y] skulle æn uphöges hær i jorderijke ibland menniskor, huilken i the helga Trefallighetz åsyn ær dageliga och blifver everdeliga, æller om vij hær i Stadenom vardom framdeeles athsporde, eller af vårom effterkommandom, huru dessa translatio tilgick af S. Catharinæ, eller af androm, ther Canonizationes tillstunda, nær Gudi tæckes: först S. Sigfridi Söstersöner, Martyres, item helga Brynolph Biscop i Skarom, h. Biscop Nicolaus af Linkopunge, h. Mester Pædher her i Wadhstenom, Prior Pædher i Alvastrom, h. Fru Ingridh i Skeninge, och om Gudi tæckes att flere varda.

Item her ær vetandes, att verduger Fadher Archebiscopen blef hær thessa reso otta dagar, huilken Moder Abbedijsa hölt medh hederligom kost och manga handa rætter, och med vijn och kirsedrank[z] och miödh och Tysköhl, och alle andre, som ther tilhörer, och om Lögerdagen och Söndagen och Tijssdagen åtho alla Biscopa och herra Steen och meniga Rijksens Rådh i Borgare Stufvone, medh S. Catharinæ, (?) och alla fruger och jungfruer; och sedan alla the andra dagarne sökte tijt otaligen Moghe[a] af allom landom både klerka och köpstades mæn och bönder, och alla fingo medh Gudz nådh nogh och tackade Gudi och S. Catharinæ; och är vittandes, att til den kosten lades uth aff S. Catharinæ egnom pænningom som gick til Reckenskapz 700 mark Svenska badhe silfver och pænninga. Ther effter thå the verdige högtijder, vare käreste Moders S. Birgittæ dotter S. Catharinæ translationis högtijdh var hederliga hållin, och the gode herrarna Biscoperna ville færdas, tå begåfvade Modher Abbadijsa Syster Anna Påvals dotter hvanthera serdeles och besynnerliga effter ty the hadhe thet[b] sigh vælvillige till thætt hælga ärendet; först gåfvom [ɔ: gaff hon[c]] W. Fadher Archebiscopenom eth Aguus Dei af guld som hon hadhe ther till låtit göra, som kom i sex nobla och 6 gyllene[d] och ther var ith bandh kosteliga giordt af inseguldh[e] och silfvertrådh, och ther medh skedt och vara[f] væl tillprydd bulla[g] och vågstok,[h] huilket han kerliga annammadhe, och sade sig altijdh vælvilliugan vara till alt thæt thesso helga iungfruer och klostreno står vara till vilje.

Item ith Fingerguldh om 16 lodh fik herra Steen Sture; ther effter begåfvade Modher Abbatissa verdugen Fadher Biscop Hendric af Lindköpunge med ith stoop af 24 lodh, huilket han togh med stoorom kerleek, sägande thet måtte vara mycket hederligen gofva. Seedan ähradе Modher Abbatissa Biscop Brynolph af Schara med itt stop af 23 lodh: han tedde och stooran godvilia the heligo Fruene, som förskrifvit ståår, huilka gåfvo han och togh för stooran kerleek, sæiande sig thet gerna förskylla med allo godho. Item Archedieknen Doctor Rafvel af Upsala, som hade hafft mycklo möda om thetta ärendet bådhe i Rom, tå han ther var,[i] och så hær i Rijkeno, och hade öfverlæsit vara Privilegia, gafs ith stoop om 22 lodh, och Doctor Jacob, som ock var vælvilioger i thetta ærendet och hölt the hederliga och ....[k] herromen, som förr ær sagt, fick ith Stop om 20 lodh, huilka gofvo thesse tve kærlige anammade, sæiande thet ingalunda vara förskyllat, uthan ænteliga[l] her effter skola förskyllas: och sedan begofvade Modher Abbatissa alla the andra Biscoperna och Doctores och Mæstara med skot[m] och væghbulla[n] och vaxstapla och allo andro godho hon kunde åstadhkomma. Item een skeedh om try lodh Archebiscopsens kiökmæstare. Item een sked om 5 lodh hans Steekare. Item två ört mindre æn Abbatissa begofvade[o] the andra Steekare, som hulpo Mæsterkok[enom]. Item 2 mark Lekana, som leekte i högtijdhen. Item the beläthe, som uppsath voro öfver grindenne, gaf Confessor helfftena Archebiscopenom, och andra helfftena herra Steen, och ther med hvarjom thera eena book, som stodh i S. Catharinæ Historia[p], huilket the alt kerliga annammadhe. Æhn Archebiscopenom (!) skiffte belæthen och gaf Prælatomen och sinom Klærckom: och Herra Steen skiffte tæm kring om Hærrana och Rijksens Rådh, och alla fægnade[q] belæten mæd storom tackom. Item ljusen som brunno innan grindene nær brödromen, tå S. Catharinæ been uptoges, voro tjugu och hundrade, thet vaxljus var, föruthan talgljus.

y) Magister Petrus, primus confessor generalis Wadstenensis, mortuus an. 1378.
z) Potus ex cerasis confectus. Ihre, Glossarium.
a) Multitudo, unde "almoge", universa multitudo vel populus.
b) A verbo "te", ostendere, præbere.
c) Ita recte legitur in membrana Lincopensi.
d) Hic finitur fragmentum membran. Lincopense.
e) Forsan funiculus filis aureis nexus; vide Molbech, Dansk Glossarium.
f) Locus sine dubio mendo scriptoris corruptus.
g) Vocabulum bulle vel bolle etiamnunc iu dialectis provinciarum usurpatur et significat poculum.
h) Forsan legendum: vägstock, i. e. baculus itineris.
i) Scilicet pro fundatione Universitatis Upsaliensis impetranda. Cfr. Celse, Bullarium, pag. 204.
k) Lacuna concionem Jacobi sine dubio respicit.
l) Omnino.
m) Sæpius scribitur mat-skot, viaticum.
n) Poculum in itineribus adhibendum.
o) Vitiosum textum explicare non possumus.
p) Sine dubio illa editio Holmiensis, de qua in præfatione n:i XX disseruimus.
q) Læto animo acceperunt.

Digitized by Google

XXIII.

EX

MIRACULIS S. CRUCIS HOLMIENSIS

FRATRE GREGORIO ORDINIS PRÆDICATORUM SCRIPTORE.

Ex membrana Bibliothecæ Lincopensis, n. XXVIII in 4:to prodierunt hæc nostra excerpta. Jam anno 1725 Laurencius Roberg, Med. Doctor et Professor, hæc miracula Upsaliæ typis excussit e codice membranaceo, ut in titulo legitur, cujus tamen aspectum vel possessorem commemorare neglexit, sed ipse in pagina 42 suæ editionis addit, impressione jam ad finem ducta "ipsum illud antiquum lacerum licet in pergameno exemplar a) ab hæredibus .... Eliæ Brenneri .... opera Erici Benzelii filii" sibi in manus incidisse. Quod exemplar a Benzelio acquisitum et deinde Bibliothecæ Lincopensi donatum idem est, quod nos secuti sumus. Incertum autem videtur, num Roberg vere alio codice membranaceo an solum recentiore apographo usus fuerit, ut verba ejus "e codice membranaceo" ad hanc membranam Lincopensem forsan spectent, cujus auxilio usus extremam manum editioni imposuerit. Nam animadvertendum est, nomina locorum et personarum apud Roberg haud raro esse deformata, quod indicare videtur, eum corruptum aliquod recentius exscriptum in manibus habuisse. Exempli gratia aliqua menda editionis Robergianæ dare volumus; in miraculo n. I legitur Biomaby pro Biörnaby, n. VII Bercama pro Bercarna, n. XXI Lylosdala pro Lywsdala, n. XXII Wallio pro Walbo etc.... — — — Scriptor hujus operis ipse prodit in fine miraculi n. LXXIX, quod anno 1424 contigit, ibi enim legimus: "Et ego frater Gregorius, qui hoc scribo, satis recordor" ... Et in exordio dicitur fuisse "quidam frater Lector in ordine predicatorum", qui affectus gravi pestilentia Sveciam anno 1421 vexante, sanitate recuperata hoc sibi proposuit, ut miracula s. Crucis, quæ post incendium anni 1407 restabant, publicaret. Cum autem in fine pauca miracula annorum 1447—1461 occurrunt, verisimile fit, alium post Gregorium collectionem continuasse, nisi forte ipse in hoc tempus supervixerit. Membrana e posteriore parte seculi XV^{i} aperte originem trahit, nam a primis miraculis an. 1407 usque ad ultimum eadem manu scripta est. — Ipsa illa mirifica crux altari ecclesiæ fratrum prædicatorum Holmiensium imposita erat.

Causa publicandi miracula infrascripta.

Expedit primitus narrare, licet penultimo contigerit, quenam sit causa propalandi nunc pocius quam antea miracula infrascripta. Contigit enim in presenti pestilencia, que anno domini M°CCCC°XXI° b) in diuersis mundi partibus et in hac Stokholmensi ciuitate ac regno Swecie cotidie ingrassatur, quod quidam frater lector c) in ordine predicatorum inguinariis apostematibus, d) quibus ut communiter in dicta pestilencia moriuntur homines, grauiter torquebatur. Hic vite periculo imminente, cum sibi conscienciam merito faceret, quod sepedicta miracula in suis quaternis per ipsum a retroactis temporibus fideliter conscripta occultata diucius tenuisset, tum ne daretur occasio malignandi detractoribus, tum ne fratres notam cupiditatis incurrerent, illabebatur ejus proposito, ut firmiter voueret, quod si conualesceret, predicta dei beneficia in hac tabula publicaret. Facto igitur voto, vt prefertur, mox prenosticaciones sensit remedii et processu temporis rupta inflacione inguinis non sine expresso signo diuini beneficii integre sanitatis effectum consecutus est. Ipse igitur, diuini beneficii digitum circa se aduertens ac sui voti obligacionem prout oportuit recognoscens publicari procurauit in hac tabula, que inferius sunt contenta.

Causa quare pauca miracula inferius continentur.

Et est notandum, quod multa alia miracula preter hic inferius posita scripta fuerunt ante incendium quod contigit anno domini M°CCCC°VII°, e) in quo igne deleta sunt, sed multo plura tam ante quam

a) Lacerum illud vocat Roberg, quia homileticæ cujusdam præfationis finis solum restat, dum de cetero opus integrum est et illæsum.

b) Vide Diarium Vadstenense. In miraculo n. LXV ejusdem pestilentiæ fit mentio.

c) Scil. Gregorius, operis scriptor, v. præfationem.

d) Tumor, species carbunculi seu ulceris. Du Cange.

e) Cfr. Tom. I hujus operis pag. 73.

Digitized by Google

post inuocantibus dominicam defixionem diuinitus facta sunt, que partim ex negligencia scribencium partim vero sunt ex incuria referencium pretermissa. Pauci enim de multis reperiuntur, qui acceptis dei beneficiis cum debita gratitudine ad agendum gratias reuertuntur, juxta illud Nonne decem mundati sunt et nouem vbi sunt. Non est inuentus qui rediret et daret gloriam deo, supple, preter paucos.

De nauicula a periculo tempestatis liberata. XVI^m.

Nauis quedam dicta snekkia f) domini Thuronis Ben[c]tson g) militis, de Lubek versus Stokholm velificans, in via prope Blaakulla h) grande tempestatis periculum subiit. Nam ipsa tempestatis vehemencia velum cum malo elidens in medias vndas subito prosternebat. Homines vero in ea existentes desperantes se posse mortem penitus euadere diuinum auxilium implorabant. Facto igitur voto ad memoriam defixionis domini et cunctis consternatis, velo iuxta nauem die ac nocte in funiculis suis defluente, tandem prospero adueniente vento deo gracias agentes Stokholmis incolumes applicuerunt.

De liberatis ab egritudine mortali XX^m.

Anno domini M°CCCC°XIIII° circa festum epiphanie domini domina Yliana de Ostrogocia, relicta domini Stephani Vdson militis i) memoriam defixionis domini cum filia virgine et alia quadam puella deuote visitauit. Et ipsa talem sue peregrinacionis causam recitabat, quod cum in predictis duabus puellis ad mortem infirmantibus iam gutte colerici sanguinis, que vulgariter døødspræka k) dicuntur, que certa signa sunt moriencium, in toto corpore vtriusque virginis erumperent, votum peregrinacionis cum ipsis si conualescerent et cum oblacionibus et misse celebracione ad defixionem domini emisit. Et mox ambarum puellarum infirmitas leuior et paulatim perfecte sanitati reddebatur.

De nauicula submersa et infantulo ac matre liberata. XXII^m.

In profesto beati Petri martiris rusticus quidam de parochia Frötuna, nomine Ericus, villa que dicitur Booxbo l) cum vxore et paruulo filio infra quindenam nato Stokholmiam nauigio properauit. Veniens vero ad locum, qui vulgariter dicitur Trælahaff, m) ad quatuor miliaria prope Stokholmiam, nauicula eius ex impetu ventorum in mediis fluctibus subuersa est. Predictus autem rusticus subuerse nauicule cum difficultate adhesit. Infantem vero cunis aqua repletis inherentem cum vncco, qui kæppe dicitur, attraxit et fluctibus conquassantem (!) funiculo quodam nauicule alligauit, estimans ipsum infantem iam esse mortuum, vtpote tenerrimum et frigescentibus fluctibus diucius conquassatum. Deinde eodem rustico in tali anxietate constituto, votum pro sua miseria diuinitus releuanda ad defixionem dominicam cum oblacionibus emisit, et statim vxor eius super aquam apparuit, quam eodem vnco viuam attraxit, et veniens ad litus infans viuus et illesus inuentus est. Similiter et vxor predicta miraculose post tanta discrimina incolumis est seruata. Rustico prefato hoc nobis narrante, testes presentes erant Nicolaus Bucholt et Petrus Horst ciues Stokholmenses.

De semiviuo sanitati restituto XLV^m.

Item Petrus Jönisson baliuus regis in insulis Mæler et regali curia in Færingö ex graui egritudine corporis iam obmutuerat, qui licet loqui non valeret, acerbius tamen meditabatur in mente sine confessione peccatorum suorum se mori quam alias confessus vitam perdere corporalem, mentaliter se cum oblacionibus suis ad defixionem domini vouit et loquelam mox recepit et paulatim postea conualescens personaliter memoriam dominice defixionis peregrinando visitauit.

f) Hoc verbum proprie cochleam denotans, in mædio ævo de levibus et velocibus navigiis sæpe usurpabatur.

g) Consiliarius regni de nobili gente postea Bjelke appellata. Obiit d. 20 Nov. 1413 (v. Tom. I. pag. 235) et sepultus est Wadstenis cum uxore Margareta anno 1415 (v. Diar. Vadstenense).

h) Sic appellatur fastigium insulæ Jungfrun, quæ in freto Kalmarsund sita est.

i) Lege: Ulfsson. Nam de Stephano Uddsson silent diplomata, sed Staffan Ulfsson, militem de Lagnö, (cujus sigillum lupum retrospicientem, vèl potius pardum ostendit) sæpissime offendimus, cujus corpus an. 1393 d. 19 Martii Arosia Wadstenas pro sepultura delatum est (Diar. Vadsten.). Et an. 1423 feria tertia post dominicam qua cantatur letare invenimus dominam Julianam Åkesdotter cum liberis Olavo Staffansson et Christina Staffansdotter Benedicto Uddson nupta, (lit. orig. pergam. in Bibl. Upsaliensi).

k) Forsan e radice *sprakk*, unde etiam *sprikka*, *spräkklig*, *besprängd*, ut significet statum morientis, cum sudo. ultimus undique erumpit.

l) Forsan Buddeboda in eadem paroecia.

m) Etiamnunc sinus maris ultra fortalitium Waxholm ita appellatur.

Digitized by Google

De mortua viuificata. LV.

Eodem anno n) in Helsinghelandh, que dicitur Angermannaland, parochia Aarnes, villa Jættunsböle o) Bero et vxor eius Helgha habentes filiam paruulam nomine Margaretam letali infirmitate gravatam et morti proximam pro ea votum ad defixionem domini emiserunt, que tamen mane circa solis ortum obiit. Hanc circa meridiem ejusdem diei parentes ejus more funerum inuoluebant disponentes sequenti die versus ecclesiam iter arripere ad sepulture officium peragendum. Quibus iam aduesperascente die et solis occasu appropinquante circa funus excubantibus, cepit sonitus vagientis puelle, que fuerat mortua, audiri et vite presencia motibus corporis in ligata adhuc institis (!) reperiri; qui velamina celerius soluentes puellam inuenerunt vite perfecte restitutam. Cuius voti peregrinacionis pariter et oblacionis executrix fuit prefate puelle mater spiritualis, que scilicet ipsam leuauerat de sacro fonte nomine Gunthrudis.

De captiuo a vinculis liberato. LVIII^{m}.

Anno domini M°CDXVIII° in profesto vndecim milium virginum adolescens quidam, Petrus Andersson nomine, fide qua debuit constanter de se retulit, quod cum ipse esset de familia nobilis militis domini Nicolai Booson et a suo baliuo in curia sua Kindholm p) Arosiensis dyocesis de occulto recessu suspectus haberetur, ob nullum aliud demeritum dure incippatus est q), ut quemadmodum illud genus hominum solet, taliter ad firmandum et promittendum r) seruicium cogeretur. Cum igitur predictus adolescens decem et nouem dierum ac noctium tali captiuitate fatigatus fuisset, votum ad hanc sanctam domini defixionem fecit, quod si diuino beneficio liberaretur, vnam ymaginem de cera offerret et ipsam per se peregrinando presentaret. Mox igitur voto facto cippus vehementer grauis et magnis ferramentis seratus se eleuans miraculose diuisit et subtrahenti pedem competens spacium dereliquit. Qui solutus de cippo ad hostium carceris exterius veniens ipsum hostium leuiter manu traxit et statim vltro apertum fuit. Iuuenis autem absque quocunque obstaculo euasit et deo gracias agens votum compleuit ut promisit.

De beate memorie magistro Mathia. De fluxu sanguinis restricto. LX^{m}.

Anno domini M°CDXX° in opido Stokholmis ciuis quidam, nomine Mattes Clemenzson, habitans prope portam sancti Nicolai habuit filiam paruulam nondum quatuor annorum nomine Elenam que fluxum sanguinis multo tempore paciebatur ita grauiter, quod iam intestinum, quod medici grossum vocant, erat elapsum. Cuius pater antedictus dum multis sanctis pro ea votum fecisset et minime morbus alleuiabatur, sed pocius grauabatur, ammonitus a quibusdam compacientibus, quod beato magistro Mathie in ecclesia predicatorum Stokholmis sepulto s) votum faceret et ipsum deuote inuocaret. Quo facto dicta puella statim conualere cepit, intestinisque per se retractis infra eandem septimanam plene extitit liberata.

Quomodo sagitta transfixus per mandibulam et collum mirabiliter recuperauit integram sanitatem. Capitulum LXXI^{m}.

Nobilis vir Magnus Plata t) anno domini M°CDVI u) obsessus per Holstanos cum ceteris militaribus domini regis in castro Glambeke insule Femeren, sagitta hostium per sinistrum os mandibuli v) vsque ad dexteram partem colli subito perforatus fuit, ita ut omni indicio eciam ipsa spina colli penetrata fuisse videa-

n) Scilicet anno 1416.
o) Jættunstad in eadem paroecia etiam hodie exstat.
p) Nicolaus Bosson, miles et conciliarius regni (de gente Natt och Dag vocata) titulum curiæ Lindholmen ferebat, quæ tamen in territorio Säminghundra et diocesi Upsaliensi sita erat. In diocesi autem Arosiensi etiam possidebat bona (vide: Styffe, Bidrag till Skandinaviens Historia, II. pag. 75—88).
q) Idem ac carcere inclusus. Cfr. Du Cange, Glossarium medii ævi, in verbo: cippus.
r) Editio Robergii habet: perferendum.
s) Cfr. supra pag. 191 not. a. Præterea manus seculi XVII^{i} in prima pagina hujus Codicis, Miracula s. Crucis continentis, annotavit: "Thenne Book är ett protocol om the Vndertekn, som sigh i Stockholms Swartmunke-Clöster widh ett Altare medh ett Belete om Christi nedertagning af Korset och widh S. Matthiæ Graf dersammastädes, som hafwer waret S. Birgittas Skrifftef..der, skedde äre".
t) Magnum Plata, duas alas deorsum versas in signo ferentem, anno 1422 offendimus (v. Genealogia Brahæa, ed. Örnevinge, pag. 20) Verisimile est, eundem esse ac Magnum Laurentii de Tärnö (in Sudermannia), qui eodem insigni an. 1444 utatur (l. c. pag. 21) et per vxorem Johannam, filiam Torchilli Bragde de Dania, progenitor illustris gentis Braheanæ exsistat. Neque omittendum, Nicolaum Plata, fratrem Magni Plata, anno 1423 testem subscripsisse literis Kanuti Karlsson (Örnfot), prioris mariti Johannæ Bragde, quibus eidem Johannæ Elgshammar et Simonsö pro dote contulerit (Cod. J. 7 in Archivo regni, fol. 419). Atque Sofia Brahe, harum rerum intelligens exsistimatrix, eum Magnum Laurentii Plata appellare non dubitat (v. ejus "Slägtbok" in Bibliotheca Universitatis Lundensis).
u) Lege: MCDXVI. Cfr. die Lubeckischen Chroniken, ed. Grautoff, Tom. II. pag. 490.
v) Mandibulum idem est ac maxilla. Vide Du Cange.

Digitized by Google

tur. Dictus igitur Magnus infixam sagittam in collo fractam, sanctam domini defixionem inuocans, mediam ex vno wlnere, reliquam mediam partem ex altero extraxit expedite. Interim autem lapide fundibuli grauiter insuper collisus fuit in capite, ita ut rigido facto collo et immobili virus cum sanguine inclusum in wlnere ipsum per biduum fere suffocasset. Dum autem ut sepius solebat domini defixionem inuocabat ex tremore et sonitu iactus pixidarum x) improuise erupit sanies wlnerum et sanitas paulatim subsecuta est, ita tamen quod collum rigidum manens a festo sancti Andree, quo vulnus accepit, vsque ad epyphaniam domini nec volui nec reduci ad sinistram uel dexteram potuit vllo modo. Contigit autem die ante epiphaniam domini eundem Magnum retrorsum de equo cadere super caput. Quo quidem casu inuocata dominica defixione ipsa rigiditas colli soluta fuit et mox plenam libertatem vertendi caput huc illucque consecutus est cum leta et integra sanitate. Predictus igitur Magnus tamquam beneficio gratus fratri suo Nicolao Plaatha y) versus Stokholm scripsit, quatinus vice sua vota emissa ad memoriam dominice defixionis solueret et caput magnum de cera eadem sagitta ad instar sue wlneracionis transfixum in signum rei geste ibidem suspenderet. Quod ille statim perfecit letanter prout vsque hodie patet cuilibet intuenti. Hec eciam predicta omnia prefatus Magnus Plaatha post sex annos in Stokholm personaliter veniens fideliter enarrauit.

Quomodo per simile votum innocenter captus miraculose liberabitur [*ɔ:-batur*]. *Capitulum LXXIII.*

Anno domini M°CDXXII. cementarius quidam, Hermannus Pæderson nomine, cum per totam fere estatem Vesgocie edificando murum castri Opensteen z) laborauerat, mercedem sui operis a baliuo ibidem Marquardo Lingh dicto sepius requisiuit. Sed pluries repulsam passus tandem capitur et quatuor boys [ɔ: bojis] et totidem seris in collo videlicet et manibus ac vtroque pede in communi refectorio castri seratus ad parietem vinculatur. Cumque in die natalis domini post cenam omnibus conuiuantibus iste merens et confectus iniuriis firmauit votum, quod si liberari eum in breui contingeret, diuino munere omnes boyas et seras Vatzstenis beate Birgitte offerret, et ad sanctam dominice defixionis memoriam Stokholmis semetipsum peregrinando et ymaginem ceream modum sue vinculacionis representantem offerendo presentaret, cumque super mensam pileo faciei supposito paululum obdormisset, visum est sibi matronam quandam astare ac dicere sibi: Hermanne dormis. Et ille respondit: non multum domina mea dormio. Tunc illa subiunxit: surge et vade, quia liberaberis, et monasterium meum visita ac sancte defixioni domini Stokholmis te presenta. Qui statim euigilans inuenit cathenas manuum suarum coram se a manibus suis miraculose separatas, et cathenam colli sui, que erat ad parietem, dei beneficio dissolutam. Surrexit igitur de medio letancium sumptis secum cum fiducia omnibus ferramentis, se infra menia castri altitudinis duarum cum dimidia lancearum, duabus tamen adhuc strictus boys et seris videlicet ad vtrumque pedem, ad terram precipitauit. Miranda res, omnino illesus de tanta altitudine cecidit et se totaliter a vinculis pedum solutum invenit. Vbi et plus quam quindecim canes magni iacebant quasi loco vigilium, inter quos nullo latrante cecidit et recessit ac dictas peregrinaciones prout vouerat deuote et debite adimpleuit. Ipse igitur post suam huiusmodi liberacionem proximo sequenti die Februarii hic comparuit et ymaginem ceream suam vinculacionem representantem ad memoriam dominice defixionis optulit, predicta omnia cum iuramento fideliter enarrans, presentibus testibus domino Karolo olim curato in Thelgiom, Hermanno Renbeke, Johanne Porin et Wernero Ghest, ciuibus Stokholmensibus.

x) Machinæ belli species: Du Cange. Hic forsan idem ac bombarda.

y) Claus Plata, armiger duas alas deorsum flexas pro insigni habens permultis in diplomatis inter annos 1420—1456 occurrit. Anno 1440 erat judex territorii Rönö in Sudermannia (lit. orig. in archivo Gyllenstierniano in Krapperup). Et eodem anno inter regni consiliarios fuisse videtur (Diplomat. Dalecarlicum pag. 91 et literæ judiciariæ senatus Arbogis anno 1440 datæ et vidimationi de anno 1445 insertæ, quæ in Archivo regni asservantur). Diligenter est distinguendus ab Nicolao Plata seniore milite inter annos 1374 et 1396 (Styffe, Bidrag till Skand. Hist. I. pag. 152 et Hadorph, Appendix Chronici Rhythmici, pag. 69), qui ex Pomerania originem duxisse videtur (v. Voigt, Codex diplomaticus Prussiæ, Tom. IV. pag. 75).

z) In territorio Kind et provincia Westrogotia.

Digitized by Google

XXIV.

Ordinacio decimarum canonicalium in diocesi Strengenensi.

Ex libro ecclesiæ Strengenensis in bibliotheca regia Holmiensi asservato, signato A. 46., fol. 59. Manus Scriptoris indicat hæc annotata in priore parte seculi XV:mi facta esse. De præbendis confer Diplomatarium Svecanum, Tom. III, pag. 151 et Tom. IV, pag. 240—244.

Ordinacio decimarum canonicalium facta per Sudhermanniam pro Canonicis residentibus apud ecclesiam Strengenensem.

Primo pro domino preposito. Racione residencie. Grodhunge. Mørkø. Racione dignitatis. Vtraque Sela. Pro coralibus. Jædher dimidium et Ripsa. Augmentum Twna a).

Pro domino archidiacono. Racione residencie. Fors. Eskilstwna. Racione dignitatis. Kiwla. Sundby. Pro coralibus. Watzbro. Blaxta. Lunda. Augmentum Medium Swerta.

Pro domino decano. Racione residencie. Vardhunge, Waghnheradhe. Racione dignitatis. Wansøheradhe, Gasunge, Dyllanæss, Katonæss. Pro coralibus. Vilattungen. Augmentum medium Øya.

Pro domino Canonico beati Botwidi. Racione recidencie. Byrkewiik. Kiil. Halla. Pro corali. Botwidhakirkio. Slæm b). Augmentum Frøstwna.

Pro domino Canonico de Søra c). Racione residencie. Sorunde. Trosa. Pro Corali. Thorsn. Westerlung. Augmentum. Medium de ecclesia sancti Nicholai Nycopie.

Pro domino Canonico de Mædheløsa. Racione residencie. dimidium Flodha. dimidium Malm. Pro corali. Thorsarghe. Hamarby. Valdby. Augmentum. Sætirbo.

Pro domino Canonico de Nora. Racione residencie. Skiællunge. Liidh. Pro Corali Husaby Byring. Stenqvista. Erla. Næshult.

Pro domino Canonico de Frøslunda d). Racione recidencie. Husaby Vppunde. Bergha. Raby. Pro Corali. Vtraque Enhørne. Gilbergha. Lighista.

Pro domino Canonico de Mædhelby. Racione residencie. Forsa. Aardal. Fleen. Pro Corali. Biørnlunda. Gryto. Augmentum medium Øya.

Pro domino Canonico de Twna. Racione recidencie Vestrahaninge. Ytragerna. Pro Corali dimidium Vikingaker medium Leerbo.

Pro domino Canonico de Frølunda. Racione residencie dimidium Flodha dimidium Malm. Pro Corali Medium Jædher. Augmentum. Medium de ecclesia sancti Nicholai Nicopie.

Pro domino Canonico de Vppaby. Racione recidencie. dimidium Vikingaker. dimidium Leerbo. Pro Corali. Thurunge. Tælghia. Thweta. Yffragerna. Augmentum. medium Swerta.

Pro domino Canonico de Henedhe. Racione residencie. Bethna. Litlakirkio. Wrena. Pro Corali Ødzmo. Østrahaninge e).

Pro Officiali. decime Episcopales et Canonicales de Torsakir.

Vacantes. Stighatompta Bergxhammar.

Sacrista. Boostaff. Taxunge. Læstrunge. Julita.

Item pro dominis preposito. archidiacono et decano. Decime de Ecclesia Omnium Sanctorum.

Porcio Studencium et pro salaricione Rectorum scolarum Ørabroensis et Nycopensis. Röntwna. Beling. Tostaberg. Ludgudhawi. Spiellewiich et Westirmo, de qua porcione salariendi Rectores dicti ad xx marcas quilibet.

Pro Rectore Scolarium Strengenensium. Decime de vtraque Hole cum pensione antiqua de Frostwna f) et Höle.

a) Verba: "Augmentum Twna", sicut cetera quoque Augmenta in sequenti, recentior manus addidit.
b) Hodie Botkyrka et Salem in territorio Svartlösa.
c) Nomen præbendæ sine dubio deductum est de prædio ejusdem nominis in paroecia Mörkö. Cfr. Diplomat. Suec. IV. pag. 242.
d) E Diplomatario Suecano, IV. pag. 244 apparet præbendam bona in Fröslundom paroeciæ Öfver-Sela possedisse.
e) Quæ sequuntur, plures sed fere æquales manus addiderunt.
f) Lapsus calami pro Höle et Fröstuna.

Digitized by Google

XXV.

TAXA PROCURATIONIS NOCTIUM IN VISITATIONIBUS EPISCOPORUM STRENGENENSIUM.

In eodem libro ecclesiæ Strengenensis, fol. 13, unde num. XXIV sumsimus, hæc annotatio manu seculi XV^i scripta exstat. Jam pridem eam edidit J. W. Brannius in dissertatione academica in 4:o "de paroecia Brænkyrka", C. F. Georgii præside, Upsaliæ anno 1769 impressa, pag. 14—16.

Taxa noccium procuracionis a).
Wanthör i.
Huddunge i.
Ækrö ii.
Botuidha kirkio cum annexa ii.
Österhaninge ii.
Westerhaninge ii.
Ödzmo ii.
Sorunde ii.
Grodhunghe ii.
Telghia ii.
Eenhörne ii.
Taxunge.
Turunge i.
Twetha.
Gerna cum annexa ii.
Mörkö i.
Hölö cum annexa ii.
Troosa cum annexa ii.
Wordunge ii.
Westerliwng i.
Torsaakir et Lestrunge i.
Sæthersta et Bostaff i.
Fröstwna cum annexa ii.
Gasunge cum annexa iii.
Biörnlunda ii.
Grytha i.
Ludgudhawy cum annexa ii.
Tystabergha cum annexa iii.
Liidh cum annexa i.
Rönthwna ii.
Raaby cum annexa ii.
Swærtha cum annexa ii.
Nicholai ii.
Twna cum annexa ii.
Lunda cum annexa iii.
Steghatompta cum annexa ii.
Birkewiik ii.
Halla cum annexa i.
Bethna ii.
Husaby ii.
Aardala cum annexa ii.
Blaxta cum annexa ii.
Malm i.
Leerbo i.
Skiöllinge ii.
Floodha ii.
Wikinghaker ii.
Österaker i.
Jwlita ii.
Helghasta cum annexa ii.
Medhellösa cum annexa ii.
Dunker cum annexa ii.
Öya cum annexa iii.
Sætherbo i.
Torpa ii.
Tumbo cum annexa ii.
Torserghe ii.
Forss ii.
Gilbergha cum annexa iii.
Husabybyring i.
Steenquista cum annexa ii.
Neshulta, nichil.
Eskilstwna i.
Walby cum annexa ii.
Kiwla cum annexa iii.
Jedher cum annexa ii.
Helgharna i.
Gambla kloster ii.
Wansö cum annexa ii.
Aaker cum annexa ii.
Kerna cum annexa i.
Torsn. ii.
Ytrasila ii.
Öffrasela ii.
Aspa i.

a) Vetus erat consuetudo non solum Suecanæ, sed etiam aliarum ecclesiarum, ut episcopi, quum visitationes per dioecesim facerent, a subditis pastoribus per certas noctes hospitio reciperentur. Quo servitio procuratione appellato episcopi ad quæstum haud raro intemperanter abutebantur.

Digitized by Google

De Nericia.

Göthalunda i.
Litzlakirkio i.
Glandzhammar iii.
Axabergh ii.
Nora ii.
Kiil et Eker. ii.
Tytlinge i.
Greffw i.
Wintrwsa i.
Riisaberga de ecclesiis suis iii.
Kniistha ii.
Hidhinge i.
Qwidzbro.
Wyby iii.
Hammar i.
Askersund ii.
Snafflunda ii.
Kreklinge iiii.
Cumbla iii.
Moses ii.
Orebro iii.
Almby i.
Ekeby ii.
Skiöllista ii.
Swinawadh ii.
Asker iii.
Medhellösa ii.
Nerboaass i.
Lengebro iii.

XXVI.

Annotationes de tributis ecclesiasticis diocesis Lincopensis.

Depromptæ sunt hæ annotationes e registro ecclesiæ Lincopensis papyraceo in Bibliotheca Lincopensi, n. 43 in folio, pag. 95 et sequentibus. Johanne Braskio, clarissimo illo episcopo hujus diocesis, præposituram annis 1501—1513 tenente, hic liber sine dubio est inchoatus, qui diversas res ad statum ecclesiæ Lincopensis, præsertim ad bona redditusque pertinentes comprehendit, quarum rerum summarium videas in: Linköpings Bibliotheks Handlingar, pars I, pag. 84—111. Duæ diversæ manus ejusdem ætatis (ineunte seculo XVI:o) hanc fecerunt descriptionem, quarum altera ecclesias terræ Ostrogotiæ alphabetico ordine dispositas, altera a territorio Ambyrd incipiens reliquas ecclesias in Smolandia et Ölandia sitas diocesique Lincopensi antiquitus annexas annotaverint. Diversæ illæ sectiones, qvas hodie "columnas" appellamus, in priore parte nobis occurrentes, quibus superscriptum legimus "Canonicales", "Animarum", "Leprosorum", decimarum pauperum partitionem respiciunt. Quæ res cum forsan nonnullis minus cognita sit, pauca ejus illustrandæ causa nobis hic dicenda videntur. Deducta tertia parte, quæ decima curatorum vocabatur, reliqua summa in tres partes, sc. episcopales, ecclesiarum et pauperum dividebatur. Hæ autem pauperum decimæ a primo proposito, præsertim post medium seculum XIV:um, cum multitudo pauperum graui pestilentia vulgo "digerdöden" appellata absumpta esset, sensim deducebantur, ut vertente medio ævo omnibus in diocesibus nihil fere pauperum necessitatibus reservaretur, maximam fere partem in canonicorum et capellarum, interdum in hospitalium quoque et studiorum usus hæ decimæ essent traductæ. In Ostrogotia quidem veteres decimæ pauperum tripartitæ erant, ut una tertia pars decimæ canonicales "kanikedelen" vocaretur, cujus distributio in præbendas a) canonicorum ex prima sectione prodit; altera pars, decimæ animarum "själagårdsdelen", sæpissime capellis b), (quod litera C. in secunda sectione nobis occurrente significatur) nonnumquam alii cuidam usui erat collata; reliqua tertia pars, decimæ leprosorum (vel pauperum) "spetalsdelen" appellata, quam in ultima sectione, quæ "leprosorum" c) inscribitur, invenimus, partim ad episcopum, partim ad canonicatum quendam vel hospitale devenerat. Comparationis causa non alienum nobis visum est hic inserere annotationem quandam profecto plus dimidio seculo priorem, quæ in codice membranaceo ecclesiæ Lincopensis (A. 18 in bibliotheca regia Holmiensi) fol. 3 reperitur:

Iste decime hospitales Wæstanstang fuerunt diebus d) *venerabilis patris N[icolai] episcopi auctoritate ordinaria pro canonicis residentibus ordinate videlicet Laurencii prope Lincopiam. Gambla kiil,*

a) Triginta septem præbendæ in eodem registro pag 71 enumerantur.
b) Unde sine dubio nomen "animarum" deductum, quia capellanorum erat officium pro animis defunctorum precari. Primum locum capella animarum Lincopiæ sita tenebat.
c) Sic in duobus primis codicis paginis, in tribus vero sequentibus "pauperum".
d) Hoc nonnullaque alia vocabula hodie fere exstincta, adjuvante exscripto, quod inter Brocmannii Collectanea in 4:to exstat in Musæo regni, restituimus.

Digitized by Google

Nya kiil, Svanshals, Egbyborne, Æluestada, Apunda, Veta, Sya, Vediskorsten e), *Øraberghа, Ødesio, Kærna, Normalosa, Vesterlosa, Møleby, Flidisby. Relique sub ecclesia et capellis reuerendi episcopi et capituli. — — — Iste sunt decime animarum inter capitulum diuidende. Primo Laurencii, Lanaro, Swanshals, Gamblakiil, Nyakiil, Rydzstadha, Swinzstada, Egbyborna, Stydilstada, Skerkind, Øraberga, Furunxstada, Steen, Normalosa, Askaby, Wardhanæs, Æluestada, Herseeme, Daxberg, Scrucuby, Wibi, Vesterlosa, Litlakyrkio, Flidisby, Wrena, Biornasæter, Apunda, Yxnerum, Tinxstada, Ringharum, Husaby, Ødissyø, Molaby, Øratompta. Scolasticus Sudercopensis habet Trinitatis, Mogatha, Skinbergha. Omnes alie sunt inuariabiliter sub capella excepta porcione studencium. — — — Item hospitales et animarum decime parochiarum Wetha et Sya sunt sub notariatu capituli Lincopensis* f).

Tertia sectio, quæ "Noctes" inscribitur, indicat, quot per noctes curati episcopum visitantem in hospitio recipere eique cum comitiva sumtus necessarios suppeditare obstricti essent. Qvantas molestias illud visitationis onus curatis exhibuerit, si quis quærit, in memoriam revocare volumus querimonias de anno 1320, allatas in Diplomatario Svecano, Tom. III, pag. 453 et inqvisitionem annno 1328 a legatis sedis apostolicæ Lincopiæ institutam, quam ex archivo Vaticano exscriptam P. A. Munch collectaneis in musæo regni asservatis inseruit, et Celse: Statuta Synodalia, ed. Reuterdahl, Lund. 1841, pagg. 54 et 142, ex quibus elucet, quantis pecuniis et victualium tributis hæc visitationis procuratio solvenda esset.

Canonicales	Animarum	Noctes episcopales		Leprosorum
Margerete	Capella	2	Aa	Episcopus
Cantoria	C g)	2	Aaby	Erasmi
Michaelis	C	2	Aasbo	crucis minoris
Andree	capitulum	2	Apunda	capitulum
Petri martyris	capitulum	2	Ascaby	Episcopus
Magdalene	C	1	Aask	
Omnium sanctorum	C	2	Atwida	Bartolomei
Olaui	capitulum	2	Biörneseter	Episcopus concedit aliquando campanario h)
Magdalene	C	2	Bielbo	Erasmi
Michaelis	C	2	Birkeberg	Erici
Olaui	C	1	Borg	Episcopus
Laurencii	C	1	Broby	Birgitte
Olaui	C	1	Brunneby	Hundaberg i)
Skratto k)	capitulum	2	Daxberg	Episcopus
Archidiaconus ab episcopo concessiue	Scolasticus Sudercopensis	2	Egidii Regalis l)	Episcopus
Cantoria	C	1	Egby rinna	Anne
Anunciacionis	capitulum	2	Egby borna	capitulum
Skratto	capitulum	1	Eluestada	capitulum
Olaui	C	2	Eneby	Episcopus

e) Lege: Wigbyskorsten hodie Wiby.

f) Verba: "Item hospitales — — — capituli Lincopensis" paullo recentior manus addidit.

g) C. significat capellam quandam his decimis frui (vide prooemium).

h) Verba: "concedit-campanario" paullo recentior manus ascripsit.

i) Præbendæ nomen erat deductum a prædio Hundaberg prope Lincopiam, quod Olauus canonicus ecclesiæ an. 1319 donaverat (Diplomat. Svecanum. III, pag. 396 et 672).

k) Hoc vocabulum forsan a verbo *skräda* (secare, seligere) deductum, significasse videtur aliquid secatum et reservatum. In codice enim membranaceo ecclesiæ Lincopensis (vide prefationem) pag. 3, series præbendarum Lincopensium, in qua distributio decimarum canonicalium ex ecclesiis provenientium per singulas præbendas annotatur, ita terminatur: "Porcio proporcionis sesquitercie, que wlgariter dicitur Skratte — — Daxberg, Hærseme, Æluastada, Hæradstada, Kætilstada, Styra, Næsby". Et in hoc registro papyraceo, quod sequimur, pagg. 181—185 annotationes de reddituum capituli partitione inter annos 1504—1513 occurrunt, in quibus legitur: ..... "fuimusque 5 in distribucione, excepta porcione sesquitercia, que fuit sexta..... Ex Scrattone recepit archidiaconus iiii marcas danicas et 8 solidos holmenses". Paullo infra: "et erant 9 pro diuisione et Skratte decimus". In sequentibus diuisionibus "Skratten" nunc septimus, nunc nonus, nunc decimus est. Ex quo conjicere licet in quaque partitione certam ceteris æquatam portionem, Skratte vocatam, forsan ut futurarum necessitatum præsidium, sepositam fuisse.

l) Nomina ecclesiis adjecta et minoribus typis impressa, ut "Regalis, Sigfridi, Laurencii", etc. significant, quis hujus ecclesiæ jus patronatus tenuerit.

Digitized by Google

Canonicales	Animarum	Noctes episcopales		Leprosorum
Olaui	C	2	Fiuelstada Sigfridi	Episcopus
Andree	C	1	Flidzstada	Hundaberg
Margarete	C	2	Fornosa	corus Christi
Cantoria	capitulum	2	Furunxstada	Episcopus
Margarete	capitulum	2	Flidzby	capitulum
Archidiaconus	capitulum	2	Gamblakiil	capitulum
Olaui	C	1	Gardby	Sigfridi
Prepositura	C	2	Gislestada	prepositus pro secundo
Olaui	C	2	Grepebo	archidiaconus pro secundo
Resurrexionis	C	2	Gryta	Episcopus
Omnium sanctorum	C	2	Godegarda	h[ospitale] m)
Katerine	C	2	Harg vestra	Episcopus
Archidiaconus	C	2	Harg östra	Episcopus
Michaelis	C	1	Harstada	Birgitte
Margarete	C	1	Harberga	h[ospitale]
Egidii	Episcopus	1	Hæda	Episcopus
Annunciacionis	C	2	Hellestada	cantor pro secundo
Skratto	capitulum	3	Herzeme n)	Episcopus
Skratto	C	2	Herrestada	prepositus pro secundo
Resurrexionis	C	2	Helgona	Episcopus
Archidiaconus	C	2	Hagabyhöga	archidiaconus pro secundo
Michaelis	capitulum	2	Hosby östra	Episcopus
Martini	Scolasticus Sudercopensis	2	Husby Assuid o)	Episcopus
Andree	Scolasticus Skeningensis	2	Hoxstada	Episcopus
Cantoria	C	2	Högby	prepositus pro secundo
Katerine	C	2	Hoff Re[galis]	Episcopus
Nicolai	C	2	Hwarff	cantor pro secundo
Margarete	C	2	Jerffstada	h[ospitale]
Laurencii	C	1	Johannis Norcopie	Episcopus
Resurrexionis	capitulum	1	Yxnarum	Episcopus
Michaelis	C	2	Kagw	Episcopus
Katerine	Scolasticus Vastenensis	1	Klastada	Episcopus
Cantoria	C	2	Kærna	cantor pro secundo
Nicolai	C	1	Kæluesteen	Sigfridi
Laurencii	C	2	Kloccarike	Hundaberg
Omnium sanctorum	C	2	Konunxsund pro succentoria	Episcopus
Magdalene	C	2	Kimstada	Episcopus
Laurencii	C	2	Kullerstada	Episcopus
Petri martyris	C	3	Kudby	Episcopus
